CORNELIVS

VAN NEDERVEN

LIBRAIRIE
PSYCHIQUE
FRANZ MAUFRAS
195 BD. MAURICE LEMONNIER
BRUXELLES

BURNDY
LIBRARY
Chartered in 1941

GIFT OF
BERN DIBNER

Annotata Physy-
sicalia
Sub Doctissimo
Domino
Simone Bierens
Castri
Primario Profes-
sore magis
Principalia Anno
1657

Scribebat
Cornelius Van
Nederuen
Brædanus Anno
1657

MSS 986 B
RB NMAH

In Vniuersam Aristotelis Physicam

Liber Primus Physicorum.

Quid Physi=
ca.

Quid Est Physica? R

est scientia contemplativa corporis naturalis.
Da Physicam: physica aristotelis, platonis etc.
An physica recte dicatur esse scientia naturalis? imo
Quotupliciter scientia aliqua dicitur naturalis? tripliciter.
Declara: quia primo dicitur illa naturalis quae potest acquiri viribus
naturae.
An physica eo modo sit scientia naturalis? imo, quia potest acquiri viribus naturae.
An sit proprium physicae eo modo esse naturalem? non.
Quibus ergo scientiis praeterea competit eo modo esse naturalem? omnibus scientiis exceptâ theo-
logiâ.
Quomodo praeterea dicitur scientia naturalis? quia inest subiecto a nativitate seu initio exis-
tentiae.
Da scientiam eo modo naturalem: est scientia infusa adamo in initio suae creationis.
An physica sit eo modo naturalis? physica quidem adami eo modo naturalis est, non tamen
physica nostra.
Declara physicam nostram non esse eo modo naturalem: quia nos debemus physicam
acquirere studio et labore ut satis experientia patet.
Quo modo praeterea dicitur scientia esse naturalis? quia habet corpus naturale pro obiecto.
An sit proprium physicae eo modo esse naturalem? imo
Quid significat graecum vocabulum physis? naturam, unde physicus habita ratione ety-
mologica idem est quod naturalis.
Da obiectum physicae? corpus naturale.
Quale obiectum est illud, complexum an incomplexum? incomplexum, quia est subiectum prae-
dicatorum conclusionum quae demonstrantur in physica.
Quidnam ergo est obiectum complexum physicae? R illae propositiones quae in physica demon-
strantur ut quod corpus naturale est mobile, est generabile, corruptibile etc.
Qua acceptione acceptum corpus naturale est obiectum physicae? acceptum acceptione media
et commoda.
Declara quod acceptum acceptione media: quia physica partim tractat de corpore natu-
rali in genere, partim de praecipuis eius speciebus, nempe de coelo, et elementis, item de
homine in libris de anima.
Declara quod corpus naturale acceptum commode tantum sit obiectum physicae: quia physica
non agit de quolibet corpore naturali, non enim agit de Joanne et Petro, bucephalo, et similibus
individuis.
An de nullo individuo agat physica? imo, agit de aliquibus individuis incorruptibilibus, nempe
de hoc sole, de hac luna.
Quid corpus naturale? compositum per se ex materia prima et forma substantiali.
Cur illud compositum vocatur naturale? quia constat ex naturis tanquam partibus essen-
tialibus, materia prima enim et forma substantialis sunt naturae ut postea patebit.
An ergo non inutiliter addatur ad corpus quod est obiectum physicae naturale? non.
Quomodo cum esse naturale involvatur in ipso corpore? ita quidem quando corpus sumitur
pro corpore substantiali, ceterum quia corpus aliquando sumitur pro corpore quantitativo, hinc
ad distinctionem illius recte additur hic naturale.
An scientiae non praesupponant suum obiectum esse? imo; quia obiectum specificans scientiam
est natura prius ipsa scientia.
Quomodo ergo corpus naturale est obiectum physicae cum Aristoteles hic probet corpus na-
turale dari? probat hoc aristoteles argumentis metaphysicis, non autem physicis.
Quomodo corpus naturale est obiectum physicae cum ipsi non tribuat suam unitatem? R
non tribuit quidem scientiae physicae eandem unitatem quam habet ipsum obiectum, sed hoc
non refert, quia obiectum scientiae non debet tribuere scientiae eandem unitatem quam habet
obiectum, sed satis est quod tribuat aliquam affinem.
An physica sit proprie dicta scientia? R probabilius affirmative.
Quid scientia proprie dicta? certa et evidens cognitio per demonstrationem acquisita.
An ergo haec non sit evidens? non.
Da physicam quae est talis cognitio seu scientia: assensus conclusionis huius syl-

Quidquid constat naturis est mobile,
corpus naturale constat naturis, ergo
corpus naturale est mobile.

An totalis physica sit scientia proprie dicta gratia omnium suarum partium? Sicuti per se primo? non.
Proba: quia multo plura sunt tantum probabilia in physica quam certa, ut patebit in progressu.
Quomodo enim physica sic potius deberet dici opinio quam scientia? non deberet.
Quomodo enim a potiori parte debeat desumi denominatio? hoc quidem saepe est verum, non tamen semper, quia denominatio etiam sumitur aliquando a parte digniore, ideo hoc autem in proposito debet admitti, quia alioquin non daretur ulla totalis scientia, cum ubique sint longe plura incerta et dubia quam certa et evidentia.
An obiectum scientiae non debeat esse aliquid incorruptibile? obiectum incomplexum non debet esse aliquid incorruptibile.
Quomodo enim de rebus contingentibus non possit haberi scientia? distinguo, de propositionibus contingentibus non potest haberi scientia, quia conclusio demonstrationis debet esse evidenter necessaria, interim tamen bene potest haberi scientia de obiecto incomplexo quod sit ens contingens, et sic probatur de homine demonstrative quod sit visibilis, quia est rationalis. Hoc enim habetur vera demonstratio: Omne rationale est visibile,
Omnis homo est rationalis, ergo
Omnis homo est visibilis, et tamen et homo, et etiam visibile sint ens contingens quia sunt creaturae, sufficit ergo quod ipsa propositio quae est conclusio sit necessaria.
Quomodo physica est scientia cum magia non sit scientia quae tamen est pars physicae?
Duplex est magia, una diabolica, altera vero naturalis. diabolica non est pars physicae.
Quid magia diabolica? nihil aliud quam notitia certorum signorum ad quorum positionem diabolus mirabilia operatur, vere vel apparenter.
Ostendo illam non esse proprie dictam scientiam: quia non est evidens cognitio quae acquiritur per demonstrationem.
An magia naturalis sit pars physicae? imo illa potest dici esse pars physicae.
Quomodo cum illa non sit scientia? etiamsi non esset scientia proprie dicta, sed tantum opinio, equidem posset esse pars physicae, quia non dicimus quod physica debeat esse scientia per se primo.
An interim magia naturalis non possit esse scientia? imo.
Quid magia naturalis? nihil aliud quam cognitio certorum agentium quae in certis circumstantiis edunt aliquos mirabiles effectus.
An physica nostra non habeat originem a sensibus? imo, omnis nostra cognitio inde habet originem.
Quomodo cum inde sequatur quod nostra physica non sit certa? hoc non sequitur.
Quomodo cum non possit esse magis certa quam nostra sensatio? non refert.
Quomodo ergo est certa cum nostri sensus frequenter errent? errant quidem sensus quando organum illorum non est bene dispositum, vel medium, vel obiectum non est debite applicatum, extra illos autem casus non errant, adeoque tunc intellectus potest reddi certus occasione sensationis externae.
Qualis scientia est physica, practica an speculativa? speculativa.
Quid scientia speculativa? est scientia quae non est apta dirigere praxim.
Da scientiam speculativam praeter physicam: metaphysica
Quid scientia practica? est scientia quae nata est dirigere praxim.
Da talem: logica, quia dirigit actus intellectus, item ethica quia dirigit actus voluntatis.
An artes mechanicae etiam sint scientiae practicae? sunt quidem cognitiones practicae, non tamen scientiae practicae, quia non sunt scientiae.
An physica etiam non agat de actibus intellectus et voluntatis? imo.
An illae actiones non sint praxes? imo.
Quare ergo physica non est scientia practica? quia ut aliqua scientia dicatur practica non sufficit quod quomodocumque agat de praxi, sed requiritur ut praescribat vel modum quo debet fieri opus, vel exercitium, neutrum autem praestat physica.
An physica non deducat hominem ad notitiam et consequenter ad sui amorem? imo, remote aliquo modo physica ad illa concurrit seu determinat.
An propterea physica non debeat dici practica? non.
Quare non? quod etiam non praescribit modum neque exercitium istarum operationum, ut latius docetur in metaphysica.
Hoc autem requiritur ad scientiam practicam ut actiones debeant fieri esse practica?
An si physica praescriberet modum quo illae actiones deberent fieri, esset practica? non, quia adhuc pro parte longe maiori est speculativa, sicut paries qui pro parva parte est niger, et pro maiori parte albus simpliciter dicitur albus et non niger.
Quot partibus constat physica? quae hic solet tradi constat quinque partibus. Prima continet octo libros physicorum, secunda continet libros de coelo in quibus agitur de coelis et elementis quatenus sunt mobilia motu locali, tertia pars continet libros de generatione et corruptione, in quibus agitur de corporibus naturalibus tam mixtis quam simplicibus quatenus sunt mutabilia motu distincto a locali, quarta pars continet libros meteororum in quibus agitur de corporibus [illegible] imperfecte mixtis, de pluvia, nive, grandine, glacie etc. ultima parte agitur de corpore animato, et praecipue de homine in libris de anima.
An aristoteles non scripserit plures libros pertinentes ad philosophiam? imo, sed illi non solent hic explicari.
Quinam sunt illi? in primis liber de parvis naturalibus, historia animalium, et historia plantarum. scripsit etiam libros politicorum, qui pertinent ad ethicam.

De Obiecto octo Librorum Physicorum.

Quodnam est obiectum octo librorum physicorum? R.
Corpus naturale in genere ipsum enim et eius principia, nempe
materia prima et forma substantialis explicantur his libris, itemque ge-
nerales proprietates omnium corporum ut est esse mobile esse in loco
esse in tempore.
Quare hi octo libri physicorum vocantur auscultatorii sive Acroama-
tici? quia propter difficultatem doctrinae quam continent, requirunt spe-
cialem attentionem, et auscultationem magistri.

Quis ordo Servandus in tradendis scientiis.

An servandus sit aliquis ordo in tradendis scientiis? imo, alias enim
scientiae essent verum confusum chaos.
Ad quam scientiam pertinet explicare quis ordo servandus sit in traden-
dis scientiis? ad logicam.
Cur ergo hoc facit Aristoteles in physica? quia in logica erat omissum.
Quis ordo est servandus in tradendis scientiis? primo debent tradi princi-
pia seu praemissae, postea conclusiones quae ex illis inferuntur.
Cur debent prius tradi praemissae seu principia? quia cognitio praemissarum seu prin-
cipiorum est praerequisita ad assensum conclusionis.
An sit generaliter verum quod tales praemissae debeant prius tradi? non, quia aliqua
sunt luminis naturalis satis nota, aliqua etiam supponuntur explicata in alia scientia
tradita.
An principia incomplexa scientiae etiam debeant prius tradi in scientia? imo.
Quaenam vocantur principia incomplexa scientiae? partes quae constituunt ipsum obiectum
simplex seu attributionis scientiae.
Quae principia incomplexa physicae? materia prima et forma substantialis.
Quare illa vocantur principia incomplexa physicae? quia sunt principia corporis natu-
ralis, quia sunt partes physicae eius, unde non potest distincte cognosci corpus naturale
nisi cognitis illis principiis.
An scientia physica vere et physice dependeat ab illis principiis? non.
A quibus ergo principiis vere et physice dependet scientia physica? ab intellectu, et a deo.
An non dependeat scientia physica etiam ab obiecto? non.
Proba ab illo physice non dependere: quia est eadem ratio de scientia quae est de aliis habi-
tibus intellectus et voluntatis, quae non dependent physice ab obiecto, quia obiectum
istorum saepe non existit, imo nec existere potest ut patet in ente rationis, quod etiam
est obiectum conceptus, et tamen nihil potest physice dependere a re non existente.
Unde principia scientiae tam simplicia quam complexa de quibus ante dictum est solum
per accidens sunt causa scientiae.
An inter ipsa principia scientiae tradenda sit servandus aliquis ordo? imo.
An scientiae ergo habeant ordinem ita determinatum ut illum infringere non liceat?
non, sed saepe de multis est perinde quocumque ordine tractentur, et sic de facto a diver-
sis authoribus diversimode explicantur, et in locis diversis.
Quae principia regulariter sunt tradenda prius? illa quae sunt nobis notiora, et
ab illis paulatim deveniendum est ad ignotiora.
An Aristoteles ipse hoc observavit in tradenda physica? non, quia sic debuisset prius
agere de corpore naturali tanquam nobis notiore quam de materia prima et forma
substantiali, quia corpus naturale est nobis notius quam materia prima et forma
substantialis ut post patebit.
Quomodo ergo verum est quod procedendum sit a nobis notioribus ad naturae no-
tiora? exceptio est quando illa quae sunt nobis notiora praesupponuntur sufficien-
ter esse nota ante, ut contingit in proposito, quia simplex notitia corporis na-
turalis praesupponitur esse in eo qui accedit ad audiendam physicam.
An Aristoteles etiam recte docuit esse procedendum a magis universalibus ad minus

universalia? imo. quia magis universalia etiam sunt notiora minus universalibus.

De Notitiâ.

Quid notitia? idem est generaliter quod conceptus formalis.
Quid conceptus formalis? vitalis imago per quam potentia cognitiua for=
maliter aliquid cognoscit.
per quid excluduntur habitus et species intelligibiles, item sensibiles? per
hoc, vitalis imago, per quam potentia cognitiua formaliter aliquid cognoscat,
quia nec per habitus, nec per species formaliter aliquid cognoscimus, sed illa
concurrunt effectiue ad cognitionem.
Diuide notitiam sic generatim sumptam: diuiditur in sensitiuam et intellectiuam.
in quo differunt illæ? in eo quod notitia sensitiua efficiatur et proxime subiectetur
in sensu; intellectiua autem efficitur et proxime subiectetur in intellectu.
Cuiusnam notitia diuiditur in confusam et distinctam sensitiua, an intellectiua? R.
intellectiua.
An notitia intellectiua diuidatur adæquatè in confusam et distinctam? non, quia tam
notitia confusa quam distincta debet esse notitia quâ cognoscitur aliquod totum; iam
autem datur notitia intellectiua alicuius obiecti quod non est totum in ullo genere,
illa igitur nec erit notitia confusa nec distincta.
Da notitiam alicuius quod non est totum: notitia hæcceitatis huius intellectus,
item hæcceitatis indiuisibilis partis albedinis.
Quid totum? generaliter est quod componitur ex alio tanquam parte, vel quod com=
ponit alterum per modum partis puræ materialis logicæ.
Diuide totum sic generaliter sumptum: R. diuiditur in totum actuale, et totum
potentiale.
Quid totum potentiale? magis commune comparatum ad suum minus com=
mune in quo includitur ut pars pura materialis logica.
Da totum potentiale: R. ut homo comparatus ad Ioannem et petrum.
Da magis commune aliquo respectu quod tamen illo respectu non est totum po=
tentiale: R. rationale respectu Ioannis et petri.
Quare non est totum potentiale respectu Ioannis et petri? quia rationale non
includitur in ipsis tanquam pars pura materialis, sed tanquam pars formalis.
Da universale quod non est totum potentiale: non datur, quia omne universale est totum
potentiale respectu suorum inferiorum.
Da totum potentiale quod non est universale: qualitas inuenta prout patet
ad voluntatem et intellectum diuinum. illa enim singularis est, et tamen est
magis communis respectu intellectus diuini in quo includitur ut pars pura materialis logica
Quid totum actuale? totum comparatum ad suas partes quas actu et de fac=
to continet.
Diuide totum actuale: diuiditur in essentiale et integrale.
Quid totum integrale? totum actuale comparatum ad suas partes quæ non
habent se per modum actus et potentiæ.
Diuide totum integrale: diuiditur in totum integrale tantum latè, et strictè, item
in totum intensiuum et totum extensiuum.
Quid totum essentiale? est totum comparatum ad suas partes quæ respiciunt
se mutuo per modum actus et potentiæ.
Subdiuide totum essentiale: subdiuiditur in logicum, physicum, metaphysicum
et accidentarium.
Quid totum logicum? totum comparatum ad suas partes essentiales logicas.
conformiter debet definiri totum physicum et metaphysicum.
An omne totum metaphysicum sit totum essentiale? non.
Da totum metaphysicum quod non est totum essentiale: tale totum est Christus
prout componitur metaphysicè ex naturâ humanâ et subsistentia diuinâ.
Cur illud compositum non est totum essentiale? quia partes non habent se per
modum actus et potentiæ.
Quare natura humana in Christo non est subiectum subsistentiæ diuinæ? quia
hoc foret imperfectionis pro subsistentiâ diuinâ subiectari in naturâ humanâ.
Cur nihilominus cum non sit imperfectionis pro illâ subiectari in naturâ diuinâ? sub=
iectatur quidem in naturâ diuinâ secundum rationem tantum, hoc autem bene
potest fieri sine imperfectione, sed non posset fieri sine imperfectione ut subiecta=

retur in naturâ humanâ; quia respectu illius deberet esse forma realis; iam autem esse formam realem repugnat deo, et omnibus realiter identifica:tis naturae diuinae.

Quid totum essentiale accidentarium? totum essentiale comparatum ad suas partes essentiales accidentarias.

Da totum essentiale accidentarium: compositum ex homine et albedine ipsi inhaerente.

Da compositum ex homine et albedine quod non est totum essentiale: compositum ex homine et albedine parietis.

Quare hoc non est totum essentiale accidentarium? quia non est totum essentiale, albedo enim parietis et homo non habent se per modum actus et potentiae, siue per modum formae et subiecti; quia sic albedo parietis deberet subiectari in homine quod supponitur esse falsum.

Quale ergo totum est compositum ex homine et albedine parietis? totum integrale late; quia constat ex partibus non habentibus se per modum actus et potentiae.

An Christus prout est compositum ex naturâ humanâ, et subsistentiâ diuinâ sit totum integrale late? imo

Quomodo cum non sit compositum per accidens? non refert; quia non omne totum integrale tantum late debet esse compositum per accidens.

Da correlatiuum totius: pars.

Quid pars generaliter? pars est quod actu inuoluitur in alio ad quod comparatur, vel componitur ex alio ut pars siue materiali logica.

Diuide partem sic generaliter sumptam: diuiditur in potentialem et actualem.

Quid pars potentialis? minus commune comparatum ad suum magis commune quod in ipso includitur ut pars siue materialis logica, ut homo comparatus ad animal.

Da quod pars potentialis et totum potentiale respectu eiusdem: non datur.

Da quod nec est totum potentiale nec pars potentialis: haecceitas huius intellectus.

Quare non est pars potentialis? quia est logice simplex, pars autem potentialis debet logice componi, quia totum potentiale eius debet in ipso includi ut pars siue materialis logica.

Quare haecceitas non est totum potentiale? quia non est magis commune quod in aliquo includatur per modum partis siue materialis logicae.

Quid pars actualis? pars comparata ad totum de cuius entitate est.

Diuide partem actualem: diuiditur in essentialem, et integralem.

Quid pars essentialis? quae respectu suae compartis habet se per modum actus vel potentiae.

Quid pars integralis conformiter? est pars actualis quae respectu suae compartis non habet se per modum actus vel potentiae.

An eadem pars possit esse essentialis et integralis? imo diuerso respectu, sic caput est pars essentialis respectu huius capitis, et pars integralis respectu hominis.

An eadem pars possit esse essentialis et integralis respectu eiusdem? non.

Da partem essentialem nullo respectu integralem: quae nullo respectu sit integralis stricte, talis est intellectus, qui est pars essentialis huius intellectus; quae autem non sit integralis ne quidem late talis non datur.

Respectu cuius intellectus est pars integralis late? respectu compositi per accidens ex se et albedine.

Da partem integralem quae non sit essentialis: quae non est essentialis stricte, sic gradus albedinis; quae non sit essentialis late, talis non datur.

Respectu cuius hic gradus albedinis est pars essentialis late? respectu compositi per accidens ex albedine et praesentia.

Diuide partem essentialem: diuiditur in logicam, physicam, metaphysicam, et essentialem accidentariam.

Quid pars essentialis logica? quae ex toto suo genere distinguitur sola ratione a comparte et toto quod constituit, ut rationale respectu hominis.

Quare materia prima non est pars logica hominis? quia distinguitur ab homine realiter.

An subsistentia dei sit pars logica dei? non.

Quomodo cum distinguatur sola ratione a deo? non refert, quia hoc non habet ex toto suo genere.

Declara quod non: quia ex toto suo genere distinguerentur sola ratione a toto et comparte; quaelibet pars metaphysica deberet sola ratione distingui a toto et comparte; hoc autem falsum est, quia subsistentia bruti distinguitur realiter tum a naturâ bruti, tum a bruto.

An rationale sit pars logica respectu compositi ex se et risibili? non.

Quomodo cum distinguatur sola ratione ab illo toto et comparte? non refert, quia hoc etiam non habet ex toto suo genere, quia alioquin omnis pars accidentaria deberet illo modo distingui.

An paries non sit pars logica respectu huius parietis? imo

Quomodo cum sit tantum pars accidentaria respectu huius parietis? est pars
essentialis stricte quantum est precise ex parte compositionis logice, quod autem
hic paries non sit ens unius nature, hoc provenit aliunde nempe ex compositione
integrali que accidentaria est.
Quid pars physica? est pars que a sua comparte, et toto unius nature distin=
guitur realiter stricte.
Divide partem physicam: dividitur in materialem et formalem. item in par=
tem physicam late, et stricte.
Quid pars physica stricte? que cum sua comparte physica totum composi=
tum physicum, seu corpus naturale absoluit. ut materia prima, item forma sub=
stantialis.
Quid pars physica tantum late? que cum sua comparte non absoluit corpus
naturale. ut, anima forme substantialis respectu compositi ex se, et natura
materie prime, vel respectu compositi ex se, et materia prima.
Quid pars metaphysica? que a sua comparte, et toto unius nature quod constituit
nec distinguitur realiter, neque sola ratione ex toto suo genere.
Da partem metaphysicam realiter distinctam a sua comparte et toto: R subsistentia petri
sic differt a natura petri, et etiam a petro.
Declara quod non differat realiter ex toto suo genere: quia si sic differret ex toto suo
genere quelibet pars metaphysica deberet sic realiter differre, hoc autem esse falsum
patet in deo.
Quid pars essentialis accidentaria? est pars essentialis que constituit tantum com=
positum per accidens cum sua comparte, saltem sub certo respectu. ut paries quatenus
cum albedine constituit compositum per accidens ex ipso et albedine.
An materia prima petri sit etiam pars essentialis accidentaria? imo respectu compositi
ex ipsa, et albedine.
An respectu anime rationalis tanquam compartis sit etiam compars essentialis acci=
dentaria? imo, aliqua ratione, non quidem quatenus illi unitur mediante unione
physica, sed quatenus unitur eidem per localem contiguitatem.
Da partem logicam que non est pars in ullo alio genere: nequit dari.
in quo genere preterea ergo debet esse quelibet pars logica? in genere accidentario.
An quelibet pars logica sit pars in alio genere entis unius nature? non.
Declara quod non: sic hecceitas huius intellectus est pars logica intellectus, et tamen
non est pars in ullo alio genere entis unius nature.
Da partem potentialem que non sit pars in alio genere entis unius nature: R
hic intellectus est pars potentialis respectu intellectus, non est autem pars in ullo
alio genere respectu entis unius nature.
Da partem physicam que non est pars in aliquo alio genere respectu entis unius
nature: non datur.
in quo genere preterea ergo debet sic esse pars? necessario debet esse pars logica, vel
saltem pars potentialis quia omnis pars physica vel est universalis, vel singularis;
iam autem si sit universalis, semper erit pars logica suorum inferiorum. si autem
sit singularis vel componetur logice, et tunc erit pars potentialis respectu sue partis
materialis logice, vel erit logice simplex, et tunc erit differentia logica, adeoque pars
logica.
An similiter pars metaphysica debeat esse pars entis unius nature in alio genere?
imo, quia etiam omnis pars metaphysica est universalis vel singularis. si sit uni=
versalis erit pars logica respectu suorum inferiorum. si autem sit singularis, vel
componetur logice vel non. si componatur logice tunc erit pars potentialis respectu
sue partis materialis, si sit singularis logice simplex, tunc erit differentia, adeoque
pars logica respectu totius quod constituit.
an id quod est totum in uno genere, semper sit totum in alio? non.
Da totum potentiale tantum: ens in genere, item differentia logice simplex con=
stitutiva intellectus.
Da aliquid quod est totum logicum tantum: hic intellectus, non enim est
totum in ullo alio genere.
Da totum physicum tantum: R totum physicum stricte quod non sit totum in
ullo alio genere: non datur.
in quo genere ergo totum physicum debet preterea esse totum? totum physicum
stricte necessario debet etiam esse totum metaphysicum, quia corpus naturale integrum
debet necessario componi ex natura et subsistentia.
An hecceitas huius partis indivisibilis humanitatis petri non sit etiam totum physicum? illud
est totum physicum late, quia componitur ex natura anime petri, et natura anime
rationalis que sunt partes entis realiter distincte.
An illa hecceitas etiam componatur metaphysice? non, quia non includit ullam sub=
sistentiam.
Quomodo ergo omne totum physicum esse etiam totum metaphysicum? Omne totum

physicum stricte debet esse totum metaphysicum, non autem omne totum physicum
tantum late.
Da totum metaphysicum quod non est totum in alio genere? Haecceitas huius angeli.
Quid notitia confusa? qua cognoscitur totum aliquod incomplexe, ut simplex con=
ceptus intellectualis de homine.
An etiam conceptus visivus de albedine? non.
per quod excluditur per generis definiti? sub intellectivum quod est notitia intellectiva.
Quando censetur totum aliquod cognosci incomplexe? quando sic cognoscitur ut partes eius
non cognoscantur alio, et alio conceptu.
An notitia confusa debeat esse conceptus nullo modo compositus? non.
Quo modo potest ergo componi notitia confusa? in primis logice ex genere et diffe=
rentia, potest etiam componi ex partibus integralibus intensivis.
An possit etiam componi ex partibus diversae speciei ex parte obiecti? non
Quid notitia distincta? qua cognoscitur aliquod totum complexe.
quando totum censetur cognosci complexe? quando totum sic cognoscitur ut partes
eius cognoscantur alio et alio conceptu.
Assigna aliquam notitiam distinctam: sic notitia correspondens huic orationi, animal
rationale est notitia distincta hominis.
An notitia distincta debeat componi ex pluribus conceptibus? imo.
Quomodo debent differre plures illi conceptus ex quibus componitur notitia distincta?
necessario specie.
ex parte cuius? ex parte obiecti.
Quomodo enim omnes possunt habere idem obiectum secundum rationem? nego
Quomodo enim sub respectu in materiam primam, et sub respectu in formam sub=
Quomodo enim sub respectu in unione simul constituant aliquod obiectum notitiae distinctae?
stantiali, et sub respectu in unione simul constituendum aliquod totum,
nego, quia illa tria entia non sufficiunt ad simul constituendum aliquod totum,
quia deberent constituere totum physicum, hoc autem fieri non potest, quia totum
physicum debet constare ex partibus diversae speciei.
An partes notitiae distinctae debeant inter se distingui realiter? ita quidem contingit
in nobis, non tamen in Deo, quia in Deo non dantur illi conceptus realiter distincti
cum omnes conceptus divini realiter identificentur ipsi naturae divinae.
An notitia distincta angeli etiam debeat constare partibus realiter distinctis? Deo
nihil possumus certi affirmare, verisimilius autem nobis videtur quod etiam notitia
distincta angeli componatur ex pluribus partibus realiter distinctis.
An omnes notitiae distinctae sint aeque distinctae? non.
Da notitiam distinctiorem alia: R. sic ꝑ notitia distincta qua cognosceretur
homo tanquam substantia corporea, animata, sensitiva, rationalis, est magis distinc=
ta quam illa notitia distincta qua cognosceretur solum animal et rationale.
An per notitiam distinctam non debeant cognosci omnes partes totius? debent omnes
cognosci expresse vel implicite, non est autem necesse ut omnes omnino partes cognos=
cantur expresse.
Quid distinctio notitiae distinctae? relatio inter plures partiales notitias pro=
veniens ex eo quod repraesentant aliquod totum complexe.
Quid conformiter confusio notitiae confusae? repraesentatio qua notitia confusa
repraesentat aliquod totum incomplexe.
An eadem notitia possit esse confusa et distincta? imo in diverso genere ut haec
qua cognoscitur homo tanquam animal rationale, est enim notitia distincta logica,
in reliquis autem generibus est notitia confusa.
An eadem notitia possit esse confusa et distincta in eodem genere? non.
An partes notitiae distinctae etiam sint notitiae distinctae? hoc quidem aliquando fieri potest
non est tamen hoc necesse.
Da partes notitiae distinctae quae sint notitiae confusae: tales sunt partes huius notitiae
distinctae correspondentis huic orationi, animal rationale, quia simplex conceptus de ani=
mali est notitia confusa animalis sicut etiam simplex conceptus de rationali est
notitia confusa rationalis.
An partes notitiae distinctae debeant esse notitiae confusae vel distinctae? non.
proba hoc non esse necessarium: quia potest fieri quod partes notitiae distinctae non
repraesentent aliquod totum, et sic partes nec sint notitiae confusae nec distinctae: R. dis=
Da notitiam distinctam cuius partes nec sint notitiae confusae nec distinctae: R. dis=
tincta notitia qua cognoscitur compositum ex duabus haecceitatibus indivisibilibus
albedinis, quia illae haecceitates non sunt aliquod totum in illo genere.
Quot conceptus requiruntur ad notitiam distinctam? requiruntur et sufficiunt
duo.
Quomodo enim requirantur duo de extremis, et tertius de unione? nego tertium
de unione requiri, tum quia potest compositum aliquod non habere unionem distinctam

ab extremis, tum etiam quia unus et idem conceptus potest simul repraesentare
unum extremum simul et connexionem.
An notitia distincta debeat esse conceptus complexus? hoc quidem ordinarie con-
tingit, non est tamen necessarium ut fiat semper.
proba notitiam distinctam posse non esse conceptum complexum: quia talis est no-
titia distincta potentialis qua distincte cognoscitur animal per hoc quod alio con-
ceptu repraesentatur homo, et alio conceptu brutum.
Quare talis notitia distincta non est conceptus complexus? quia conceptus com-
plexus debet aliquo modo repraesentare unionem inter partes sui obiecti: iam autem
notitia ante data non repraesentat unionem inter hominem et brutum.
Divide notitiam confusam: dividitur in notitiam confusam actualem, et notitiam
confusam potentialem.
Quid notitia confusa potentialis? qua totum potentiale cognoscitur incomplexe.
Quid notitia confusa actualis? qua totum actuale cognoscitur incomplexe.
Subdividitur illa eodem modo sicut totum actuale in essentialem et integralem,
et essentialis ulterius in logicam, physicam etc.
An similiter notitia distincta possit etiam dividi in potentialem et actualem? imo.
Quid notitia distincta actualis? qua cognoscitur totum actuale complexe.
Et illa potest etiam eodem modo subdividi.

Quibus Modis
Unum dicatur altero notius.

Quid notius? quod aptum est citius et facilius cognosci quam alterum
ad quod comparatur.
An notius non debeat esse actu citius cognitum? non, quia albedo est
et nobis notior angelo licet numquam cognoverimus albedinem.
Quid ergo notum a quo aliquid dicitur notius? idem quod noscibile
non autem actu cognitum.
Dividitur notius in notius nobis, et notius natura.
Quid notius nobis? quod quantum est ex parte naturalis conditionis nostri in-
tellectus aptum est citius et facilius cognosci quam alterum ad quod comparatur.
ut albedo, est enim nobis notior quam deus, quia iuxta naturalem conditionem nostri
intellectus nata est facilius a nobis cognosci quam deus.
Quid nos ibi quando dicitur notius nobis? idem quod naturalis conditio intelli-
gendi humana.
Quaenam est naturalis conditio intelligendi humana? quod debeat acquirere spe-
cies intelligibiles occasione cognitionis externae vel sine defectu
unde venit illud tritum axioma: nihil est in intellectu quod non fuit prius in sensu.
Quis est sensus istius axiomatis? sensus est nihil possumus intelligere per intellec-
tum nisi idem prius cognoverimus per sensum, vel saltem aliquid affine.
declara quod illud ipsum quod cognoscimus per intellectum non debeat prius fuisse
cognitum per sensum: quia per intellectum bene concipimus montem aureum,
licet illum numquam cognoverimus per sensum externum, similiter cognoscimus
deum et angelos qui tamen non sunt cognoscibiles per sensum.
Quaenam ergo sunt nobis notiora? ... illa quorum species intelligi-
biles facilius acquirit intellectus, quorum obiectorum species intelligibiles faci-
lius acquirit intellectus? rerum sensibilium, et deinde inter res sensibiles illas
facilius cognoscit quae sunt magis sensibiles, inter insensibilia autem facilius
cognoscit illa quae sunt sensibilibus viciniora.
Cuius casus est illa vox nobis, dum dicitur notius nobis? ablativi casus.
Cur non dativi? quia tunc notius nobis non sufficienter distingueretur contra
notius natura, quia etiam notius natura est notius nobis tanquam cognoscen-
tibus, ideoque notius nobis in dativo.
An notius nobis sit idem quod notius quam nos? non.
Quomodo enim notius petro sit idem quod notius quam petrus? non refert.
Quare ergo notius nobis non est idem quod notius quam nos? quia obliquus qui
coniungitur cum comparativo non semper significat eandem habitudinem.
Quam habitudinem significat obliquus petro quando dicitur notius petro? subjecti

5

sito quod obliquus petro sit ablativi casus, (tunc significat habitudinem
termini excessus importati per notius.
Quam habitudinem significat obliquus nobis quando dicitur notius nobis? habitu=
dinem rationis fundandi excessum significatum per illam vocem notius.
Declara dando sensum istius dictionis notius nobis: quia sensus est notius nobis
est notius notioritate proveniente ex parte naturalis conditionis intelligendi hu=
mano.
Quid notius natura? quod quantum est ex parte suae naturae aptum est facilius
est citius cognosci quam alterum ad quod comparatur. ut deus respectu albedinis
homo respectu bruti.
Cur quaedam sint apta citius et facilius cognosci quantum est ex parte suae naturae? in
primis omnis causa sic est natura notior suis effectu, deinde res perfectior est na=
tura notior imperfectiore.
Quare causa est natura notior suo effectu? quia causa est natura prior effectu, unde
etiam natura prius existit quam sui effectus, ergo etiam quantum est ex parte
naturae suae prius est cognoscibilis, quia talis ordo est inter cognoscibilitates rerum
qualis est inter earum existentias quantum est ex parte naturae istarum, supposito
sito quod una sit praerequisita ad alteram, seu natura prior.
An homo heri natus sit natura notior quam natus hodie? non.
Quomodo cum prius existat? non refert, quia existit tantum prius tempore, adeoque
tantum per accidens est, quod prius cognoscatur, aliud est de causa quae debet esse prior
natura effectu.
Quidnam praeter causam est natura sua notius altero? res perfectior est natura no=
tior imperfectiore? quia unaquaeque res tantum
Quare res perfectior est natura notior imperfectiore? quia unaquaeque res tantum
habet cognoscibilitatis quantum habet perfectionis, unde quo res est perfectior, eo etiam
magis est cognoscibilis quantum est ex parte suae naturae.
An idem respectu eiusdem possit esse natura notius et ignotius? imo:
Exemplum: [illegible] materia prima respectu hominis quia est eius causa.
Quare materia prima est natura notior homine? quia est perfectior quam
Quare econtra homo est natura notior materia prima? quia est perfectior quam
sit materia prima, quia homo habet omnem illam perfectionem quam habet ma=
teria prima, et aliquid amplius, quia homo ultra materiam primam et eius perfe=
ctionem involvit etiam perfectionem animae rationalis.
An idem possit esse notius nobis et etiam natura? imo.
Quomodo respectu eiusdem an tantum respectu diversorum? etiam respectu eiusdem
Quomodo se habent notius nobis, et notius natura respectu [illegible] eiusdem? utrimque
est albedo respectu suae similitudinis: quia ipsa est sensibilis, similitudo autem
Quare est nobis notior similitudine?
eius non est sensibilis.
Ostende quod etiam sit natura notior: quia est eius causa.
Da notius nobis aliquid respectu quod non est notius natura: albedo respectu deitatis
albedo enim est sensibilis, deus vero.
Da econtra notius natura non notius nobis: deus respectu albedinis.
Declara quod sit natura notior: quia est causa albedinis, et etiam est perfectioralb=
bedine.
Da aliquid notius natura quam sit deus: nequit dari, quia nihil potest dari
perfectius, nec aeque perfectum quam sit deus.
An ergo deus sit natura sua notissimus? imo.
Da similiter notissimum nobis: quod sit positive notissimum nobis tale quid nequit
dari, quia quolibet assignato potest assignari aliquid aliud quod sit aeque notum.
Da aliqua aeque nota: duae albedines aeque intensae et extensae.
Quomodo duae albedines aeque intensae et extensae sint aeque notae nobis an natura?
utroque modo, sunt enim aeque sensibiles, adeoque aeque notae nobis, neutra autem est alte=
rius causa et sunt aeque perfectae, ergo sunt etiam aeque notae natura.
An albedo existens Bruxellis sit aeque nota nobis ac albedo existens Lovanii eiusdem
intensionis et extensionis? imo.
Quomodo cum facilius possimus cognoscere albedinem existentem Lovanii quam
Bruxellis? hoc quidem verum est per accidens quia sumus Lovanii, adeoque quantum est
praecise ex parte modi nostri intelligendi illae albedines aeque facile possunt cognosci.
Quomodo albedo octo graduum est notior albedine quatuor graduum? est notior nobis
et etiam natura.
Quare est notior nobis? quia est magis sensibilis, emittit enim perfectiorem
speciem sensibilem.
Declara quod etiam sit notior natura: quia albedo octo graduum est perfectior
quam albedo quatuor graduum, quo autem res est perfectior eo est natura notior.
An quo qualitas sensibilis est intensior eo sit etiam notior nobis? affirmative
caeteris paribus, si autem caetera non sint paria, strum bene potest aliter accidere

Declara posterius: quia odor aliquis intensior saepe minus est a nobis cognoscibilis quam aliqua albedo minus intensa.

An homo sit nobis notior quam sit deus? imo. quia magis est connexus cum sensibilibus per se quam sit deus.

Quomodo cum omnia sensibilia connectantur cum deo tanquam cum causa efficiente? non refert.

Quomodo ergo sensibilia sunt magis connexa cum homine quam cum deo? quia connectuntur cum homine tanquam subiecto, connexio autem formae cum subiecto magis movet sensus nostros quam connexio effectus cum causa efficiente, quia videlicet moto subiecto moventur etiam eius accidentia.

An deus sit ignotissimus nobis? non, quia cum sit causa efficiens omnium accidentium sensibilium maiorem connexionem habet cum accidentibus sensibilibus quam habeat v.g. angelus.

An notius dicatur aequivoce in notius nobis et notius natura? non.

Da notius quod non sit notius alterutro ex illis modis: notius angelis, item notius habitui vel speciei intelligibili.

Quid notius angelis? quod quantum est ex parte naturalis conditionis intelligendi angelica citius est citius et facilius cognosci.

Quaenam sunt notiora angelis? de eo nos nihil certi possumus determinare, quia non satis novimus modum naturalem intelligendi angelorum.

Quid notius speciei intelligibili? est notius quia habemus speciem intelligibilem istius et non alterius, vel quia habemus perfectiorem eius speciem quam alterius.

Da quo est eo modo notius: sic v.g. vicinus quem saepe videmus est notior speciei quam alius homo quem nunquam vidimus.

Quomodo antecedens argumentationis vel probationis debet esse notius consequente nobis an natura? neutro modo, sed requiritur et sufficit ut sit notius apprehensive.

Quando censetur antecedens notius apprehensive? quando sapientes si deberent alterum negare facilius negarent consequens quam antecedens.

Utrum est natura notius totum actuale an eius pars? pars est natura notior suo toto actuali, quia pars actualis est causa sui totius, causa autem est natura notior suo effectu.

An vicissim totum etiam sit natura notius sua parte actuali? imo, quia totum est perfectius sua parte.

An notitia partis etiam sit natura prior notitia distincta totius? imo, quia etiam notitia partis componit distinctam notitiam totius tanquam eius pars, v.g. conceptus de animali est pars respectu conceptus complexi de animali rationali, pars enim est natura prior suo toto.

An notitia partis etiam sit nobis facilior quam notitia distincta totius? imo. quia agens finitae virtutis qualis est noster intellectus facilius facit unum effectum simplicem quam alium compositum ex isto simplici et aliquo alio.

Utrum est nobis notior notitia confusa totum an eius pars? agendo de toto physico notior nobis est notitia confusa illius totius quam illa eius pars physica, difficilius enim devenire potest in notitiam materiae primae, item formae substantialis quam in notitiam confusam corporis naturalis.

Utrum est nobis notius notitia confusa totum integrale an eius pars? totum integrale sensibile est nobis notius notitia confusa quam eius pars, quia totum integrale sensibile emittit perfectiorem speciem sensibilem quam illa eius pars, v.g. integra albedo parietis emittit perfectiorem speciem visibilem ad nostrum oculum quam medietas istius albedinis. Quod autem res sensibilis emittit perfectiorem speciem sensibilem eo est nobis notior notitia confusa.

An singulae partes totius integralis sensibilis non cognoscantur diversis conceptibus sensitivis? hoc dubium est, quia per unicum conceptum sensitivum bene possumus cognosci plura obiecta, alioquin oporteret habere tot conceptus in uno parvo oculo quot sunt partes in una medietate coeli quam videmus, quod videtur incredibile.

An supposito quod singulae partes totius integralis sensibilis cognoscerentur distinctis conceptibus sensitivis sequeretur quod totum integrale sensibile non esset nobis notius suis partibus? putamus quod non.

Quomodo cum tunc singuli isti conceptus sensitivi etiam proxime determinarent intellectum ad conceptum similis partis? nego, quia etiam facta illa suppositione omnes isti conceptus sensitivi repraesentantes partes diversas simul determinabunt intellectum ad unum et eundem simplicem conceptum totius.

An sit generaliter verum quod totum integrale sensibile sit nobis notius notitia confusa suis partibus? non.

Quo casu contingit quod non? tunc quando illud totum integrale est nimis magnum. sic facilius est cognoscere unam partem terrae quam totum orbem.

Quo casu posterior est exceptio? si totum illud integrale sensibile habeat unam partem valde notabiliter sensibilem prae omnibus reliquis, tali casu potest etiam oppositum accidere.

Declara in aliquo exemplo? sic v.g. sol qui est pars integralis quarti coeli est nobis multo notior quam totum istud quartum coelum.

An totum integrale insensibile etiam sit nobis notius suis partibus? non, quia nobis ullum fundamentum pro maiori notioritate talis totius.

An totum metaphysicum etiam sit notius nobis notitia confusa suis partibus? imo, quia difficile est devenire in notitiam partium metaphysicarum, ita quod non habeamus ad hoc ullam rationem pure naturalem sed solum per principia fidei divinae devenitur in notitiam partium metaphysicarum.

Quid Intellectus prius cognoscat singulare an universale item minus universale an magis universale.

Quid cognoscit primo intellectus universale an singulare? singulare.

Quare cognitio singularis debet praecedere cognitionem universalis? quia universale formatur per hoc quod intellectus prius considerans singularia istius universalis inter se convenire quoad essentias et proprietates, uti latius docetur in metaphysica. ergo prius est ut cognoscantur singularia quam ipsum universale.

An omnia singularia in particulari debeant esse prius cognita? non, sic enim nondum potuissemus cognoscere hominem universalem, quia nondum cognovimus omnia singularia sive in particulari.

An ergo Petrus non debeat prius esse cognitus quam homo in genere? non, quia satis est quod aliqua individua fuerint prius cognita quaecumque tandem.

De qua notitia verum est haec nostra doctrina, de confusa an distincta? de notitia confusa: nam de distincta falsum est, quia ut singulare cognoscatur distincte tanquam compositum logicum debet saltem natura praecedere cognitio ipsius universalis, quia universale est pars logica respectu singularis. ut ergo Petrus simpliciter complexe cognoscatur tanquam hic homo debet praecedere cognitio hominis, quia est pars istius notitiae qua cognoscitur hic homo.

An immediate ante notitiam universalis debeat semper praecedere notitia singularis istius universalis? non, et hoc satis probatur experientia, quia saepe cognoscimus hominem in genere, licet immediate ante non cognoverimus ullum eius singulare.

Quaenam est ratio cur hoc possit fieri? quia postquam semel cognitum est universale relinquitur in intellectu species intelligibilis istius universalis, quae species intelligibilis potest postea exire in actum, absque eo quod fiat repetita cognitio singularis.

Utrum prius cognoscit noster intellectus magis universale an minus universale? aliquando prius cognoscit minus universale, aliquando vero magis universale.

Quando intellectus prius cognoscit minus universale? quando determinatur ad cognitionem universalis occasione sensationis perfectae, v.g. ex perfecta visione albedinis intellectus prius determinatur ad cognitionem albedinis quam ad cognitionem coloris in genere. similiter quando perfecte cognoscit Petrum prius tunc etiam cognoscit hominem in genere quam animal in genere, quia intellectus noster agens naturale est, quod semper producit effectum perfectissimum quem potest; posita autem sensatione perfecta habet omnia requisita ut possit prius producere conceptum rei minus universalis, ergo dicendum est quod illum producat.

Quare conceptus de homine in genere est perfectior quam conceptus de animali

in genere? quia dignitas conceptus desumitur ab obiecto homo autem est obiectum dignius quam animal, quia homo involvit in essentia sua totum quod animal, et addit aliquid amplius nempe rationale, ergo homo est perfectior animali.

Quando intellectus prius cognoscit magis universale quam minus universale? quando determinatur occasione censationis imperfectæ.

Specifica aliquem casum quo hoc contingat: quando quis videt à longe unum animal quadrupes se movere, sic ut non possit satis clare distinguere utrum sit vacca, an equus, in tali casu talis homo prius et facilius cognoscit esse brutum quam quod sit equus aut vacca, quia habet sufficiens principium ad cognoscendum quod sit brutum, quia hoc satis clare sequitur ex eo quod habeat quatuor pedes et quod se moveat. non habet autem sufficiens principium ad cognoscendum quare sit potius equus an vacca, quia illa quæ observat tunc possunt et equo, et vaccæ convenire.

Quid censatio perfecta? est censatio quæ fit per organum et medium convenienter dispositum, et circa obiectum convenienter applicatum.

Quid censatio imperfecta? censatio quæ non est perfecta, id est censatio cui deest aliquid ex iam dictis, prærequisitis.

Da censationem perfectam: visio qua oculus bene dispositus per aerem convenienter dispositum videt ante se albedinem.

Da censationem imperfectam: visio qua video brutum a longe, sic ut scire non possim cuius speciei sit.

Da censationem imperfectam ex parte medii: sic visio qua videtur obiectum aliquod per aquam est imperfecta, quia obiectum hic apparet esse maius quam revera sit.

Da aliquam censationem imperfectam ex parte organi: imperfecta visio proveniens ex mala dispositione oculi.

An natura non debeat procedere ab imperfectioribus ad perfectiora? hoc quidem aliquando contingit non tamen semper.

Quomodo ergo intellectus non incipit a cognitione rei magis universalis cum illa sit imperfectior? quia iam dictum est quod agens naturale non debeat semper procedere ab imperfectioribus ad perfectiora.

Quando eo modo debet procedere agens naturale? quando res illa imperfectior est aliquid prærequisitum ad perfectiorem.

Da agens naturale quod eo modo procedit ab imperfectioribus ad perfectiora? R. sic ignis prius producit calorem in ligno quam producat ibidem in materia ligni formam substantialem ignis, quia calor ille est dispositio prærequisita ad formam ignis.

Da casum quo agens naturale procedit contrario modo: sic in homine prius formantur cor, cerebrum, et hepar quam reliquæ partes, et tamen illa membra perfectiora sunt quam aliæ partes.

Unde provenit quod illæ partes debeant formari prius? ex eo quia aliæ partes non possunt subsistere sine illis unde sunt aliquid prærequisitum, ad hoc ut formentur aliæ partes.

Quomodo intellectus non debet prius cognoscere magis universale cum debeat primo cognoscere ens in genere? nego, et contrarium evidenter patet experientia, quia pauci antequam fiant philosophi quidquam cognoscunt de ente in genere.

Quomodo cum ens in genere sit obiectum adæquatum intellectus? non refert.

Quomodo cum quælibet potentia debeat primum suum actum elicere circa obiectum suum adæquatum? si sensus obiectionis sit quod quælibet potentia debeat primum suum actum elicere circa generalem rationem obiecti adæquati, tunc hoc est clare falsum, quia visus v.g. non elicit primum suum actum circa colorem in genere, quia color in genere videri nequit, quia sensus non versantur circa universalia.

An possit aliqua potentia ferri extra suum obiectum? non, unde visus v.g. non potest cognoscere sonum nec auditus potest cognoscere colores.

Quomodo ergo potentia non debet semper ferri circa obiectum suum adæquatum? quia satis est quod feratur circa aliquid contentum sub obiecto adæquato, et sic intellectus quando cognoscit minus universale etiam fertur circa aliquod contentum sub obiecto adæquato, quia omne ens comprehenditur sub obiecto adæquato intellectus, et consequenter etiam minus universale.

Utrum est nobis notius, universale an singulare? universale quod est sensibile gratia omnium suorum inferiorum est nobis notius quam ullum eius singulare in particulari, non tamen est nobis notius quam aliquod eius

singulare in confuso.
An ergo homo in genere sit nobis notior quam Petrus? Imo, quia omnia ista motiva per quae possumus devenire in notitiam Petri etiam ~~[illegible]~~ deducunt nos in notitiam hominis in genere, non tamen contra.
Declara quod non contra: quia per notitiam Joannis etiam devenitur in notitiam hominis in genere, non tamen in notitiam Petri.
Quare dictum est ante quod universale sensibile sit nobis notius quam aliquod sub singulare determinatum seu in particulari? Quia tale universale non est notius quam ullum sub singulare in confuso, per notitiam enim cuiuscunque singularis in confuso deveniendum est in notitiam universalis.
Quare dictum est ante de universali sensibili? Quia universale insensibile non debet esse nobis notius quam singulare sub eo.

Axiomata.

Da primum axioma: Contra negantem principia non est disputandum.
Quare? Quia non est disputandum quando non est spes fructus ex disputatione, non est autem spes fructus cum quis negat principia.
An ideo non sit disputandum contra negantem principia, quia principia non possunt probari? Non, quia de vera etiam principia possunt probari tum a priori, tum etiam a posteriori.
Quomodo principia primo vera possunt probari a priori? Possunt sic probari in diversa scientia, possunt etiam sic probari in diverso genere causae, ut colligitur ex illis quae dicuntur circa definitionem primo verorum.
Quomodo postea possunt probari principia scientiarum etiam a posteriori? Per effectus, vel per experientiam.
Quare ergo illo modo non probantur aliquando contra negantem principia? Potest fieri quod etiam interdum eo modo probentur si agatur contra eum qui negat illa ipsa principia, ostendit tamen se satis docilem ut possit doceri illa esse principia.

Da secundum axioma: ex nihilo nihil fit.
Enunciatio est illud axioma, affirmativa an negativa? Formaliter negativa, illud enim nihil idem est quod nulla res, ut sensus sit, nulla res fit ex nihilo.
Quomodo illa enuntiatio non est affirmativa cum constet duplici negatione quae aequivalent affirmationi? Tunc solum duplex negatio aequivalet affirmationi quando afficiunt eandem copulam principalem, quod hic non accidit.
Quaenam negatio ex his duabus afficit copulam principalem? Illa quae includitur in voce nihil.
Quomodo cum illa potius afficiat subiectum? Afficit subiectum quoad acceptionem, quia facit illud accipi universaliter, quia nihil ibi idem est quod nulla res, consequenter tamen afficit etiam copulam principalem, unde illa negat, ac si expresse poneretur illa particula, nulla res.
Quomodo sumuntur negationes hic, infinitanter an negantes? Illa quae includitur in voce nihil sumitur negante, illa vero quae includitur in voce nihil sumitur infinitanter.
Cur illa quae includitur in voce nihil non sumitur etiam infinitanter? Quia tunc nihil idem esset quod non ens.
Cur negat nihil sic sumi? Quia tunc axioma foret falsum, significaretur quod non ens fieret independenter a subiecto sustentante, hoc autem falsum est, quia non ens non fit.
Quid fieri hic? Idem quod produci.
An non sit idem quod generari? Non.
Cur negat sic explicari? Quia tunc ne quidem per Deum posset aliquid fieri independenter a subiecto sustentante, iam autem hoc axioma solet sic explicari

Ut per deum possit aliquid fieri ex nihilo.
Declara quod per deum nihil possit fieri ex nihilo, intelligendo per fieri
generari: quia generari est produci dependenter a subiecto sustentante,
ergo est impossibile ut aliquid generetur independenter a subiecto sustentante,
unde ne quidem per deum potest fieri.
Quid fieri ex nihilo? est fieri non ex ente, id est fieri independenter a
subiecto sustentante.
An fieri ex nihilo idem sit quod fieri ex non ente? non, unde negatio in-
clusa in nihilo quoad sensum debet praecedere propositionem ex.
Cur nequit sumi illam propositionem: quia tunc fieri ex nihilo esset
fieri ex non ente.
Cur nequit sic intelligi, quia tunc axioma etiam esset verum in ordine ad
deum, quia ne quidem per deum potest aliqua res fieri, seu produci de-
pendenter a non ente tanquam a subiecto sustentante, quia non ens non
potest esse subiectum sustentans ullius realis effectus, quia non ens nihil est,
nihil autem non potest esse subiectum sustentans alicuius quod aliquid est.
An axioma hoc nequeat resolvi in enuntiationem affirmativam? imo,
quia tunc sensus verus eius posset esse hic, omnis res quae fit, fit depen-
denter a subiecto sustentante.
An sint aliquae res quae fiunt ex nihilo? imo.
Enumera illas: natura angeli, item natura materiae primae, et natura animae
rationalis.
Cur illa fiunt ex nihilo? quia producuntur independenter a subiecto sustentante,
quia creantur.
Da rationem quare agens creatum naturaliter operans nihil producat ex nihilo:
quia ut postea videbimus nulla creatura potest naturaliter creare.
An eadem sit creare, et aliquid producere ex nihilo? imo.
An unus ignis non producat alium naturaliter? imo.
An ille ignis productus dependeat a subiecto sustentante? non, quia ignis nullum
habet subiectum, est enim substantia completa realiter.
Quomodo ergo verum est quod ignis nihil producat ex nihilo? ignis non pro-
ducit alium ignem per se primo, quia non producit materiam primam ignis
producti. Quando autem dicitur quod agens naturale nihil producat independen-
ter a subiecto sustentante, hoc intelligitur de effectu per se primo producto ab agen-
te naturali.
Da tertium axioma: omne corpus naturale determinatum est ad maximum,
et minimum.
Quis est sensus istius axiomatis? R. omne corpus naturale habet terminum
magnitudinis ultra quem nequit augeri, et similiter omne corpus naturale
habet terminum parvitatis infra quem nequit diminui.
Proba priorem partem: quia omne corpus naturale, vel est coeleste, vel sub-
lunare, utrumque habet terminum magnitudinis ultra quem non potest au-
geri.
Probatur de corpore sublunari: quia quandocunque aliquod corpus sublunare esset
tam magnum ut repleret totam concavam superficiem coeli lunae tunc non posset
augeri amplius.
Proba similiter corpora coelestia habere terminum magnitudinis ultra quem
nequeunt augeri: quia ut videbitur in libris de coelo, coeli non sunt generabi-
les aut corruptibiles, nec possunt accrescere, aut decrescere, ergo nequeunt fieri
maiores quam modo sunt.
Declara similiter quod omne corpus naturale habeat terminum parvitatis infra
quem nequit diminui: quia quando pervenit ad punctum nequit amplius
diminui, quia ut aliquid diminuatur debet ab eo aliquid ~~[illegible]~~ auferri, sic ut adhuc
aliquid remaneat, hoc ex puncto fieri nequit, quia illud est integraliter indi-
visibile.
An naturaliter aliquod corpus naturale possit diminui usque ad punctum? non
quia in primis incertum est an corpora naturalia ex punctis componantur,
secundo dato quod sic componantur punctum est nimis parvum ut possit se
tueri contra agentia vicina.
An ex natura sua corpora naturalia habeant terminum magnitudinis ultra
quem nequeant augeri? aliqua habent, et aliqua non.
Da corpus naturale quod non habet talem terminum magnitudinis: R.
ignis, quantumvis enim sit magnus ignis si ipsi apponatur alia materia
combustibilis adhuc fiet maior quantum est ex natura ipsius ignis.
Proba hoc: quia alioquin oporteret dicere quod ignis posset fieri tam magnus
ut si applicarentur ipsi stuppa, vel stramen quod nequiret illud amplius com

buere / Hoc autem falsum et ridiculum est
Da corpus naturale quod ex natura sua habet terminum magnitudinis ultra
quem nequit ~~[illegible]~~ augeri: R. homo / brutum.
Proba de homine: quia anima rationalis non potest informare materias
quascunque distantes / propter limitatam sphaeram replicationis eius.
An similiter ex natura sua homo habeat terminum parvitatis infra quem
nequit diminui? imo.
Unde hoc probatur? ex eo quod anima rationalis requirat varium apparatum
variorum organorum / unde si contingat aliqua ex / istis organis destrui tunc
anima rationalis necessario desinit istam materiam informare.
An corpora homogenea habeant talem terminum parvitatis infra quem ne=
queunt diminui? R. in sententia Aristotelis de continuo sine fine divisibili quod non;
quia in illa saltem sententia nequit dari ignis tam parvus quin ex eo possit
adhuc aliquid auferri / et adhuc ex eiusdem remanere ignis / in / nostra autem
sententia quae componit continuum / ultimate ex punctis / videtur quod ignis v.g.
possit perveniri ad talem terminum parvitatis infra quem non / possit diminui,
quia hoc fieret quando perventum esset ad punctum.

Quid principium generaliter? est aliquid prius altero cum quo
oritur illa prioritas.
habet certam habitudinem ex qua / esse tempore respectu principiati? non,
An principium debeat prius / enim est principium respectu generationis cor=
forma substantialis / et tamen non est prior tempore respectu gene=
poris naturalis / principiati? non
rationis. / sufficiat prioritas temporis respectu / est principium respectu
An ad principium / quia homo heri natus non
proba non sufficere: R. / tamen est prior tempore.
hominis nati hodie / et / tamen est principium respectu hominis hodie nati? quia
Cur homo heri natus non est / inter illos duos homines habitudo
licet sit prior tempore non est tamen / prioritas requisita ad principium. / principiato? etiam hoc ne=
ex qua possit oriri / principium debeat esse natura prius / a principio.
An ergo / principiatum non debet dependere / filius in divinis non dependet
cesse non est, quia / a principio: / est principium respectu filii
Da principiatum quod non dependet / pater in divinis
a patre in divinis / et tamen / habere principium ad principiatum?
in divinis.
Qualnam est illa habitudo quam debet / causae ad effectum / subinde
illa potest esse varia / subinde enim est habitudo / etiam est habitudo termini ad mo=
est habitudo partis integralis ad totum / subinde / partis integralis ad totum: R. sic pri=
tum. / principium quod habet habitudinem / principium lineae.
Da / unum punctum in linea recte dicitur esse / altero cum quo certam habitudinem
Quid principiatum? est aliquid posterius
habet, ex qua oritur illa posterioritas.
Divide principium: dividitur in principium rei in fieri / principium rei in
facto esse / et principium rei in cognosci.
Quid principium rei in fieri? est principium quod concurrit ad genera=
tionem ipsius rei. ut / sic enim / est principium generatio=
nis corporis naturalis. / materia prima / quod concurrit ad rem
Quid principium rei in facto esse? est principium / respectu corporis
postquam res illa est facta. sic etiam materia prima
naturalis.
Quid principium rei in cognosci? est principium quod concurrit ad cogno=
scibilitatem rei. tale est ~~etiam~~ materia prima respectu corporis naturalis.
Da aliquid quod non est principium rei in cognosci: non datur / quia quodlibet
res est principium cognitionis sui ipsius.
An principium generatim sumptum dividatur adaequate in ista tria membra?
non. quia nullo membro continetur principium appetitionis.
An principium cognitionis? non reperi=
tur eo modo cum illud semper etiam sit principium cognitionis continetur aliquo membro,
quia licet in quantum est principium appetitionis
non tamen continetur in quantum est principium appetitionis.
Divide aliter principium: dividitur in principium physicum / et non physicum.
Quid principium physicum? est principium physicae / considerationis / quod
concurrit ad omne / corpus naturale in fieri / vel in facto esse. tale
est materia prima.
An etiam / haec materia prima? non / quia principium physicum debet concur=
rere ad omne corpus naturale, / haec autem materia non concurrit ad omne
corpus naturale / quia non ad illud quod habet materiam distinctam.
An natura materiae primae sit principium physicum? non.

Quare non? quia natura illa potius est considerationis metaphysicae quam physicae.

Quid principium non physicum? quod vel non est physicae considerationis vel non concurrit ad omne corpus naturale in fieri vel in facto esse: ut natura materiae primae, item haec materia prima.

An etiam calor sit principium non physicum? imo, quia neque concurrit ad omne corpus naturale neque etiam ad eius generationem.

Da definitionem aristotelicam principiorum physicorum: R. principia physica iuxta aristotelem sunt quae nec sunt ex se mutuo, nec ex alijs, sed ex ipsis omnia esse oportet.

An aristoteles expresserit etiam in definitione illam particulam, vel fieri? non, illam tamen subintellexit, et hinc expresse illam addiderunt interpretes.

Ad quid est necesse illam particulam addere, vel subintelligere? quia alias privatio formae substantialis non esset principium physicum, quia non oportet omnia corpora naturalia esse.

Assigna principia physica: materia prima, forma substantialis, et eius privatio.

Da genus definiti subintellectum: entia physicae considerationis.

Excludit aliquid a definitione per illud genus definiti: natura materiae primae, item formae substantialis.

An illa equidem non possint excludi per alias partes? imo, nempe per illam ultimam, ex ipsis omnia esse vel fieri oportet.

Quid ergo necesse est limitare genus definiti ad entia physicae considerationis? non est hoc absolute sic necesse.

Quot sunt conditiones necessariae ad hoc ut aliqua sint principia physica? tres.

Da primam: prima est non esse ex se mutuo.

Quid aliqua non esse ex se mutuo? est aliqua sic se habere ut neutrum componatur ex altero tanquam parte essentiali physica.

Da aliqua quae non sunt ex se mutuo: materia prima et forma substantialis, neutrum enim istorum componitur ex altero tanquam parte essentiali physica.

An albedo et nigredo etiam non sunt ex se mutuo? ita non sunt ex se mutuo.

An ad hoc ut aliqua censeantur non esse ex se mutuo sufficiat quod alterum eorum non sit ex altero ut parte physica? non, quia sic nihil speciale diceretur de principijs physicis in hac parte, quia quaecunque res assignabiles semper se habent sic ut alterum eorum non componatur ex altero tanquam parte physica.

Quomodo enim possint dari talia quorum utrumque componatur ex altero tanquam parte physica? nego talia posse dari.

Quomodo cum talia sint manus dextra et sinistra petri? nego.

Quomodo cum utraque illa manus involvat eandem animam rationalem? non refert.

Quomodo ergo utraque non est ex altera tanquam parte physica? quia licet utraque sit ex parte alterius, neutra tamen est ex altera per se primo tanquam parte physica.

Da aliquid exclusum a definitione per hanc primam conditionem: materia prima, et corpus naturale, quia alterutrum illorum, nempe corpus naturale componitur ex materia prima tanquam parte physica, ergo falsum est dicere de illis quod neutrum illorum componatur ex altero tanquam parte physica.

Da secundam conditionem: R. non esse ex alijs.

Quid non esse ex alijs? est non componi ex alijs tanquam partibus essentialibus physicis.

Da aliqua quae non sunt ex alijs: materia prima, et forma substantialis.

Da aliqua quae non sunt ex alijs praeter principia physica: albedo et nigredo.

Quid aliqua esse ex alijs? est aliqua componi ex alijs tanquam partibus essentialibus physicis.

Da aliqua quae sunt ex alijs: Joannes et petrus.

Ostende illa esse ex alijs? quia sunt ex materia prima, et forma substantiali, ut partibus essentialibus physicis.

An petrus et paulus sunt principia physica? non.

Quomodo ergo ipsi dicuntur esse ex materia prima et forma substantiali tanquam alijs principijs physicis, cum particula alijs denotet similem condi=

tionem? hoc quidem plerumque verum est non tamen semper.
An non vera corpora naturalia non sint in aliquo similia principiis physicis?
imo quia corpora naturalia etiam sunt principia suorum accidentium et
proprietatum, unde eatenus possunt ipsa corpora dici esse principia, adeoque
recte esse ex partibus physicis tanquam aliis principiis.
Da extrema alietatis seu distinctionis importatae per particulam aliis:
fundamentum sunt ipsae partes physicae, terminus autem sunt quaevis de-
finiti verificatarum pro definito, id est pro ipsis principiis physicis.
Quomodo se habent illa quae sunt ex se mutuo, et illa quae sunt ex aliis? repug-
nant, quia non potest dari utrumque, nulla enim dantur quae sunt ex se mutuo.
Da quae nec sunt ex se mutuo neque ex aliis: materia prima et forma sub-
stantialis.
An liceat sic definire principia physica sunt quae nec sunt ex se mutuo nec ex aliis?
non.
proba illam definitionem non fore convertibilem: quia illa definitio conveniret etiam
albedini et nigredini, item formae substantiali bruti, et animae rationali.
Da principia physica quae sunt ex aliis: non dantur.
Quam ergo simplicitatem debent necessario habere principia physica? simpli-
citatem physicam, et hoc satis probatur ex eo quia nequeunt esse ex aliis.
An principiis physicis non competat compositio physica? non ipsis compositio physi-
ca passiva competit quia ipsa physice componantur, sed bene competit tamen
ipsis compositio physica activa.
An omnibus principiis physicis competat compositio physica activa? non.
Quibus ergo competit illa, et quibus non? materiae primae, et formae substantiali
competit illa compositio non autem privationi.
proba prius: quia materia prima et forma substantialis simul componunt
corpus naturale, idque per modum partium physicarum eius.
declara privationi non competere compositionem physicam activam: quia
privatio non potest ullum compositum constituere per modum partis physicae
eius.
An principia physica etiam sint simplicia in reliquis generibus? non.
in quo ergo genere principia physica sunt composita? in primis in genere logico
item in genere metaphysico.
An omnia principia physica componantur metaphysice? non.
Dic ergo quae componuntur et quae non: materia prima et forma substan-
tialis componuntur, privatio non.
An principia physica sint necessario composita logice? non, quia possunt utroque
modo exprimi, et scilicet ut sint composita logice, et etiam ut sint simplicia
logice.
An principiis physicis competat etiam compositio integralis? illa in primis
non competit privationi, nec etiam formae substantiali, dubium autem etiam
non competat materiae primae.
proba illam compositionem integralem non competere formae substantiali
cum competat formae bruti: nil refert, quia ex eo non sequitur quod competat
formae substantiali in genere quae est principium physicum.
Quomodo cum sequatur a specie ad genus.

Compositio integralis competit formae substantiali bruti ergo
competit formae substantiali in genere? nego sic sequi,
genus simpliciter sumptum unde non se-

quia non argumentamur a specie ad
quitur

homo est species praedicabilis, ergo
animal est species praedicabilis.

proba compositionem integralem non convenire formae substantiali in genere:
quia si conveniret formae substantiali in genere deberet etiam convenire omni-
bus inferioribus formis substantialibus.
probat quod non conveniat omnibus inferioribus formis substantialibus: quia
non convenit animae rationali.
Declara dubium esse de materia prima in genere an componatur integrali-
ter an non: quia dubium est an quodlibet continuum non componatur ex divisi-
bilibus sine fine, supposito autem quod sic componatur tunc materia prima in
genere etiam sic componetur, quia omnia inferiora materiae primae tunc sic
componentur, si autem detur aliqua materia singularis integraliter simplex
tunc materia prima in genere integraliter non componetur.
Da tertiam conditionem requisitam ad principia physica: et ex ipsis autem
omnia esse vel fieri oportet.
Quomodo recte additur illa conditio cum per illam excludatur forma substantialis

bruti, item anima rationalis? non refert.
proba illa excludi per illam partem: quia falsum est quod ex anima ra-
tionali tanquam debeant omnia corpora naturalia esse, vel fieri.
declara hoc esse falsum: quia brutum tanquam non debet fieri ex anima ra-
tionali, uti nec homo ex forma substantiali bruti, similiter lapis nec gene-
ratur aut componitur ex forma substantiali bruti nec etiam ex anima
rationali.
Quomodo non debet competere animę rationali esse principium physicum cum
competat eius superiori nempe formę substantiali in genere? non refert.
Quomodo cum attributum reale competens superiori debeat competere in-
feriori? hoc iterum non refert quia esse principium physicum non est per
omnia attributum reale, quatenus nimirum requirit tantam generalitatem
ut possit concurrere ad omne corpus naturale generatione mutatione.
Quid fieri in hac parte? idem est quod generari
Quid generatio mutatio? est transitus subiecti a privatione formę ad for-
mam.
Quid generatio actio? est productio formę dependenter a subiecto sustentante.
Quomodo se habent generatio mutatio et generatio actio? repugnant.
An similiter repugnant forma quę generatur generatione mutatione, et quę
generatur generatione actione? non
Da formam quę generatur utroque modo: forma substantialis ignis hodiernâ
die producta.
Da formam quę generatur generatione mutatione, non tamen generatione
actione: anima rationalis sic generatur quando materia prima transit a
privatione animę rationalis ad animam rationalem.
Ostende quod anima rationalis non generetur generatione actione: quia anima
rationalis est independens a materiâ tanquam subiecto sustentante.
Da e contra formam quę generatur generatione actione, non tamen mutatione:
talis est forma substantialis terrę ab initio producta.
Declara quod illa non sit generata generatione mutatione: quia terra ab initio
seu potius materia terrę non transiit a privatione formę terrę ad ipsam
formam terrę.
proba fieri hic non posse intelligi generationem actionem: et quia tunc
privatio formę substantialis non posset esse principium physicum, quia generatio
actio corporis naturalis non debet fieri ex privatione formę substantialis sed
illa potest fieri sine tali privatione.
Da generationem actionem factam sine tali privatione: talis est actio quâ
generata fuit forma substantialis terrę in initio producta, quia in materiâ
primâ istius terrę non praecesserat privatio formę substantialis terrę.
Da substantivum subintellectum ad particulam omnia: corpora naturalia.
Quam distributionem inducit particula omnia? introducit distributionem commo-
dam.
Cur nequit inducere distributionem omnino plenam: quia falsum est quod omnia
omnino corpora naturalia fiant ex privatione formę substantialis.
Declara hoc esse falsum: quia non omnia corpora naturalia fiunt, ergo
non fiunt ex privatione. inducit particula omnia? distributionem commo-
Quam ergo distributionem pro terra ab initio producta
dam pro corporibus naturalibus quę fiunt, unde
non fit hic distributio. generata fuerit ex privatione
Quomodo cum terra ab initio producta etiam
formę substantialis? nego, illius terrę etiam habuerit privationem formę
Quomodo cum materia prima
substantialis terrę? nego. prima istius terrę sit naturâ prior quam forma
Quomodo cum materia
substantialis istius terrę? non refert. debuerit habere privationem istius for-
Quomodo cum in illo priori naturę
mę terrę? nego. Hoc non refert.
Quomodo cum tunc non habuerit formam terrę? privationem? quia ista ma-
Quomodo ergo tunc non debuit habere istam scilicet tam formâ substantiali
teria prima terrę est naturâ prior utraque, unde in illo priori naturę quo
terrę quam in privatione eiusdem formę, non habuit etiam priva-
materia prima terrę non habuit formam terrę, seu abstrahimus ab
tionem eius, quia in illo priori naturę praescindimus
utroque, nempe tam a privatione quam a formâ. privatio substantialis
proba non esse possibile ut in illo priori naturę formę in eodem instanti reali
terrę fuerit in materiâ primâ terrę: quia tunc quod est impossibile.
debuisset inesse simul et forma et etiam privatio eiusdem

Quotuplicem habitudinem dicit particula ex hac definitione? duplicem, quia
aliam habitudinem dicit prout coniungitur cum particula esse, aliam vero
prout coniungitur cum particula fieri.
Quam habitudinem dicit prout coniungitur cum particula esse? dicit ha-
bitudinem ad partes essentiales physicas.
Declara dando sensum istius partis: quia sensus est ex ipsis tanquam par-
tibus essentialibus physicis debent corpora naturalia esse seu physice com-
poni.
Quam habitudinem dicit eadem particula ex quando illud ex ipsis con-
iungitur cum verbo fieri? tunc dicit habitudinem ad subiectum, item ad
terminum a quo generationis, et sensus sit, ex ipsis tanquam subiecto
vel termino a quo generationis oportet omnia corpora naturalia fieri
quae fiunt.
An omnis principatio physica explicatur in hac definitione? non.
Da unam ergo quae hic non explicatur: Respondeo principatio qua forma substan-
tialis principiat generationem corporis naturalis.
Declara illam non explicari in hac definitione: quia forma substantialis
concurrit seu principiat illam generationem per modum termini ad quem,
talis autem habitudo non significatur per particulam ex, quia solum sig-
nificat ibi habitudinem ad subiectum, vel terminum a quo.
Quomodo ergo subsistit haec definitio cum omnis principatio physica per illam
non explicetur? licet quidem hoc requireretur ad exactam definitionem prin-
cipiorum physicorum, non est tamen hoc necessarium ad convertibilitatem,
quia forma substantialis equidem continetur inter principia quatenus nimirum
concurrit ad constitutionem corporis naturalis per modum partis physicae
eius.
Quomodo sumitur coniunctio disiunctiva vel in definitione principiorum
disiunctim an disiunctive? iuxta obvium sensum sumitur disiunctim.
Ostende non sumi disiunctive iuxta obvium sensum: quia possunt assignari duo
principia physica ex quibus neque omnia corpora naturalia oportet esse, neque
fieri.
Assigna talia duo principia physica: forma substantialis, et privatio eius.
Declara quod non omnia corpora naturalia oporteat ex illis esse: quia nulla
corpora naturalia oportet esse ex privatione cum nullum corpus naturale ex pri-
vatione componatur.
Declara quod non etiam omnia corpora naturalia oporteat fieri ex illis:
quia etiam nullum corpus naturale oportet fieri ex forma substantiali ad
sensum huius definitionis, quia etiam nullum corpus naturale fit ex forma
substantiali tanquam ex subiecto, vel termino a quo generationis cum forma
substantialis nec sit subiectum, nec terminus a quo generationis substantialis.
Ostende quomodo nihilominus [illegible] possit aliquo modo sumi disiunctive coniunctio
vel in hac definitione: Respondeo quia hoc fiet si definitio resolvatur hoc modo, princi-
pia physica sunt quae neque sunt ex se mutuo, neque ex aliis, et ex quolibet eo-
rum oportet omnia esse vel fieri.
An sic exponendo etiam continebuntur hac definitione forma substantialis, et
privatio eius? imo quia etiam illa sunt physice simplicia, et ex quolibet
illorum oportet omnia esse vel fieri.
An iuxta obvium sensum definitionis etiam illa duo continentur? non.
Quinam ergo sunt exempla huius definitionis iuxta obvium sensum? materia
prima et forma substantialis, item materia prima et privatio formae sub-
stantialis.
Quid principium physicum in singulari? est unum ex illis pluribus
quae nec sunt ex se mutuo, neque ex aliis, ex ipsis autem omnia esse
vel fieri oportet.
Quomodo cum illa definitione non continentur privatio formae substantia-
lis? imo etiam continetur.
Quomodo cum illa numquam ex materia prima expellatur? est verum et
non refert.
Quomodo cum illa numquam habet omnem formam
proba esse verum: quia materia prima numquam habet omnem formam
substantialem simul, ergo semper debet habere privationem alicuius for-
mae substantialis.
Quomodo ergo privatio formae substantialis est principium physicum? quia
licet gratia sui ipsa non expellatur ex materia expellitur tamen aliis
cuius gratia sui in formis hoc autem sufficit, ut quando generatur
brutum expellitur gratia privationis formae substantialis bruti.
An forma substantialis, et privatio formae substantialis non sint opposita prout

illa sunt principia physica? non, quia insunt simul eidem subiecto.
Da idem subiectum cui illa simul insunt: hec materia prima bruti.
Declara quod illa simul insunt ipsi: in primis inest ipsi forma substan-
tialis hoc ipso quo inest forma substantialis bruti, inest etiam privatio alicu-
ius formae substantialis ipsi hoc ipso quo ipsi non inest anima rationalis.
An forma substantialis et eius privatio ~~[illegible]~~ prout illa sunt principia
physica non sunt opposita secundaria? imo, quia opponuntur secundario gratia
animae rationalis, et privationis animae rationalis quae sunt inferiora earum.
Quomodo cum privatio albedinis non sit inferius privationis coloris?
hoc quidem est verum distribuendo obliquum coloris, sed sumendo obliquum
coloris confuse tunc hoc est falsum.
obliquus autem formae substantialis quando dicitur quod privatio formae
substantialis sit principium physicum iuxta obvium sensum sumitur
confuse.
Quomodo sumitur materia prima quando dicitur ipsa esse principium
physicum? iuxta obvium sumitur simpliciter, vel etiam confuse.
Declara sic posse sumi: quia ex materia prima in genere, ~~[illegible]~~ item
etiam ex aliqua materia prima in confuso oportet omne corpus naturale
esse vel fieri.
An non possit etiam accipi copulative? iuxta obvium sensum non potest
copulative accipi, quia falsum est quod ex hac materia prima debeat
omne corpus naturale esse vel fieri, item ex ista materia et sic de ceteris.
Ostende nihilominus quomodo possit habere acceptionem universalem:
quia potest habere acceptionem universalem dependentem, quia verum
est dicere: ex hac materia oportet hoc corpus naturale esse vel fieri, et ex
ista materia oportet istud corpus naturale esse vel fieri, et sic consequen-
ter.
An materia prima sic possit etiam habere acceptionem particularem quan-
do dicitur esse principium physicum? imo, quia potest etiam habere accep-
tionem particularem dependentem.
Declara: quia hoc verum est ex hac vel illa materia in particulari oportet
esse hoc corpus naturale, item ex hac vel ista materia, et sic de ceteris
oportet esse istud corpus naturale et sic de ceteris.
Quomodo potest ~~[illegible]~~ forma substantialis quando dicitur esse principium phy-
sicum? omni illo modo quo iam diximus quod possit accipi illa vox mate-
ria prima in antedicta locutione, est enim par ratio utriusque.
Quid principiatum physicum? quod dependet a principiis physicis tota-
liter.
Quando aliquid censetur sic dependere a principiis physicis? quando aliquid
respectu ipsorum habet rationem principiati physici.
Quot sunt principiata physica? duo.
assigna illa: corpus naturale, et generatio eius.
An homo non sit principiatum physicum? non.
Da principium physicum quod non inest homini: non datur.
Ostende ergo quod omnia tria principia physica homini insunt: in primis
inest ipsi forma substantialis, quia inest ipsi anima rationalis, inest etiam
ipsi materia prima in genere hoc ipso quo inest ipsi aliqua materia prima,
inest etiam ipsi privatio formae substantialis, quia materiae primae hominis
non inest omnis forma substantialis, ergo privatio alicuius formae sub-
stantialis debet etiam ipsi inesse.
Quomodo ergo homo non est principiatum physicum? quia respectu solius
hominis nihil habet rationem principii physici ut sic.
Quando ~~[illegible]~~ privatio formae substantialis principiat generationem corporis na-
turalis, quando est, an vero quando non est? potest dici utroque modo principiare
ultimo instanti quo est et primo instanti quo non est.
Quomodo cum quando est privatio nondum sit generatio? non refert.
Quomodo cum aliquid non possit alterum quod nondum est? est verum agendo de
reali principiatione, sed principiatio qua privatio principiat generationem non est
realis principiatio.
Quomodo potest privatio dici principiare quando ipsa non est, cum id quod non
est non possit causare id quod est? hoc etiam est verum de principiatione reali,
non autem rationis tantum, qualis est ista qua privatio principiat genera-
tionem.

Diuide principium physicum: diuiditur in principium physicum corporis naturalis in facto esse, et principium corporis naturalis in fieri.

Quot sunt principia physica corporis naturalis in facto esse? duo, materia prima et forma substantialis.

Quot sunt principia physica corporis naturalis in fieri? tria, materia prima, forma substantialis, et eius priuatio.

Diuide aliter principium physicum: diuiditur in principium physicum componens, principium physicum sustentans, et principium physicum terminans.

Quid principium physicum componens? quod concurrit ad suum principiatum ipsum componendo. ut materia prima ~~[illegible]~~ et forma substantialis respectu corporis naturalis.

Quot sunt principia physica componentia? tantum duo iam dicta.

An omne principiatum physicum habeat principia physica componentia? non.

Da principiatum physicum quod non habet principia physica componentia: generatio corporis naturalis.

Quid principium physicum sustentans? quod concurrit ad suum principiatum ipsum sustentando.

Quot sunt principia physica sustentantia? unum, nempe materia prima.

Respectu cuius principiati est principium sustentans? respectu generationis corporis naturalis.

An etiam sit principium physicum sustentans respectu corporis naturalis? non.

Quare nequit dari principium sustentans respectu corporis naturalis? quia corpus naturale non est forma, non datur autem principium sustentans nisi respectu formae.

Quid principium physicum terminans? quod concurrit ad suum principiatum ipsum terminando.

Quot sunt principia physica terminantia? duo, forma substantialis, et eius priuatio.

Quare materia prima non est etiam principium physicum terminans? quia principium physicum terminans debet esse forma.

Respectu cuius principiati datur principium physicum terminans? respectu solius generationis corporis naturalis.

Quomodo se habent principium physicum componens, et principium physicum terminans? datur utrumque, ut forma substantialis quae est principium physicum componens respectu corporis naturalis, et terminans respectu generationis eius.

Da principium physicum componens non terminans: materia prima.

Da econtra principium physicum terminans non componens: priuatio.

Da econtra principium [illegible] petita excedunt se [illegible] formae substantialis, ergo [illegible].

Quomodo se habent principium physicum componens et sustentans? respectu [illegible] libero respectu habent se ut magis et minus communia. [illegible] quidem repugnant [illegible].

Declara posterius: quia omne principium physicum sustentans est etiam componens respectu corporis naturalis, non contra.

Da principium physicum componens non sustentans: forma substantialis.

Quomodo se habent principium physicum sustentans, et principium physicum terminans? repugnant.

Declara: quia tantum est unum principium physicum sustentans, nempe materia prima, illud autem non est terminans, et hinc nequit dari utrumque.

Da principium physicum nec sustentans nec terminans: R. quod nullo respectu sit sustentans aut terminans non datur, quod certo uno respectu non sit sustentans aut terminans, tale quid est materia prima respectu corporis naturalis.

An corpus naturale etiam sit principium physicum? non.

Quomodo cum generatio essentialiter respiciat corpus naturale? non refert.

Quare ergo corpus naturale non est principium physicum? quia non est physice principium reale.

Quomodo priuatio est principium physicum cum non sit principium reale simplex? licet principium physicum aliquando confundatur cum principio reali, non tamen hic, quia principium hic dicitur physicum respectu generationis, non autem quia realiter influit in effectum.

Quomodo generatio pro principio potest habere priuationem cum eius reale quia est physicae considerationis? imo ens reale potest dicere essentialem ordinem ad ens rationis, non possit dependere ab ente rationis.

da ens reale quod dicit essentialem ordinem ad ens rationis: ut conceptus
de chymerâ essentialiter respicit chymeram.
An ens reale possit physicè seu realiter dependere ab ente rationis? non.
Quomodo ergo generatio potest sic dependere a privatione? etiam generatio non
dependet a privatione tanquam verâ et reali physicâ causâ, sed solummodo tan-
quam ab eo quod essentialiter respicit.
An privatio sit absolutè aliquod ens reale? non.
Quomodo equidem rectè sunt assignata principia physica cum etiam unio
sit principium physicum? nego unionem esse principium physicum.
Quomodo cum omnia corpora naturalia etiam oporteat esse ex unione physica?
hoc valde dubium est, quia forte dantur aliqua corpora naturalia quae non
involvunt unionem physicam distinctam ab extremis, secundo etiamsi omnia
involverent unionem, non involvunt tamen unionem tanquam partem
physicam, quia unio non est pars physica, sed solum vinculum inter partes phy-
sicas.
An aristoteles hic rectè dicat quod principia physica partim sint contraria partim
non contraria? imò
Quaenam ergo principia physica sint contraria? forma substantialis et eius
privatio.
Quomodo illa sint contraria cum contraria debeant esse ambo positiva? contra-
ria logica debent esse ambo positiva, sed non contraria physica qualia hic
intelligit Aristoteles.
An forma substantialis et eius privatio non insint simul eidem subiecto?
imo spectando illa ut sunt principia physica.
Cui eidem simul insunt? huic materiae primae Petri quia illi inest forma
substantialis hoc ipso quo inest ipsi anima rationalis; quia hoc ipso quo
Declara quod etiam ipsi insit privatio formae substantialis; inest ipsi privatio alicuius formae
ipsi non inest omnis forma substantialis
substantialis in confuso, adeoque inest ipsi illa privatio quae est principium
physicum?
Quomodo ergo forma substantialis et eius privatio sint contraria cum
se quidem non repugnent? non refert, quia ex eo tantum sequitur quod non
sint contraria physica primaria, cum quo tamen bene consistit quod sint
secundaria.
Gratiâ quorum primariorum sint secundaria? gratia animae rationalis
et privationis eius.
Quae principia physica non contraria? materia prima, et forma substan-
tialis.
An aristoteles hic rectè dicat quod principia physica partim sint duo par-
tim tria? imo.
Quo sensu intelligit Aristoteles esse tria? sunt tria quae differunt concep-
tu essentiali.
Quo sensu dicit tantum esse duo? quia sunt tantum duo distincta realiter
positivè.
Assigna illa? forma substantialis et materia prima.
An etiam privatio formae substantialis non distinguitur realiter positivè ab
illis? non, quia distinctio realis positiva debet habere utrumque extremum
positivum; privatio autem non est extremum positivum.
An interim privatio non distinguitur realiter ab illis sive positivè sive nega-
tivè? imo.
Quomodo cum non distinguatur realiter a materiâ primâ? imò, etiam
distinguitur realiter a materiâ.
Quomodo cum ablatis omnibus realiter distinctis a materiâ primâ adhuc
habebit privationem formae substantialis? nego.
Quomodo cum tunc non habebit amplius formam substantialem? non
refert.
Quomodo cum sic debebit habere privationem formae substantialis? nego
Quomodo cum aliquin ambo privativè opposita poterunt abesse ab eodem
subiecto capaci? hoc potest fieri supposito aliquo impossibili, sed iam autem
impossibile est ut a materiâ auferantur omnes formae tam negativae quam
positivae, ac proinde supposito uno impossibili et absurdo non est mirum quod
sequatur alterum.
In quo distinguit aristoteles materiam primam a privatione? in eo quod materia
secundum se sit ens non autem privatio, quia illa tantum est ens gratiâ sub-
iecti.
in quo praeterea? in eo quod materia sit quodammodo substantia, non autem privatio.
Quid intelligit Aristoteles per quodammodo substantiam? substantiam incompletam

In quo postrema materia distinguitur a privatione? in eo quod materia insit essentialiter corpori naturali, non autem privatio.
An etiam non recte distinguuntur in eo quod privatio sit generabilis et corruptibilis, materia autem non? imo.
Qualis est illa vox materia: univoca an aequivoca? aequivoca, aequivoce enim significat materiam in qua, materiam ex qua et materiam circa quam.
Quid materia in qua? est subiectum comparatum ad formam quam in se recipit.
Da materiam in qua: paries respectu albedinis, item materia prima respectu formae substantialis.
Quid materia ex qua? est subiectum comparatum ad compositum quod ex ipso et forma exsurgit.
Quomodo se habent materia in qua et materia ex qua? utrumque est paries, est enim materia in qua respectu albedinis, et materia ex qua respectu compositi ex pariete et albedine.
Da materiam in qua quae non sit materia ex qua: non datur, quia materia in qua semper est materia ex qua respectu compositi ex se et sua forma.
Da e contra materiam ex qua quae non sit materia in qua: non datur, unde ante posita convertuntur.
Da quod est materia in qua et ex qua respectu eiusdem: etiam tale nequit dari, quia sic idem deberet ab eodem esse condistinctum et non condistinctum, quod fieri nequit.
Quomodo cum ens sit utrumque respectu formae substantialis? nego.
Quomodo cum ens receptum in materia prima sit materia in qua respectu formae substantialis? non refert.
Quomodo cum ens receptum in ipsa forma sit materia ex qua respectu eius? non refert, quia ens receptum in materia prima tanquam pars materiae non est omnino idem cum ente quod est pars formae substantialis.
Quid materia circa quam? est id circa quod versatur potentia, habitus, vel actus.
Da quod non est materia circa quam: non datur, quia quaelibet res est materia circa quam respectu intellectus, quia intellectus potest quamlibet rem considerare.
An subiectum termini actionis transeuntis non dicatur interdum materia circa quam? imo. sic enim dicimus quod lignum sit materia circa quam artificis.
Divide aliter materiam: dividitur in permanentem et transeuntem.
Quid materia permanens? quae retinet suam speciem seu totam essentiam in composito. sic ferrum est materia permanens respectu gladii.
Quid materia transiens? est quae non retinet suam speciem seu totam essentiam in composito. ut aqua respectu panis, quando enim coquitur ex aqua et farina panis, utraque tam aqua quam farina amittit propriam formam substantialem, et simul acquirunt formam substantialem panis.
Cui materiae accommodatur haec divisio, materiae in qua an ex qua? materiae ex qua.
Divide aliter materiam: dividitur in primam et secundam.
Cui materiae accommodatur illa divisio, materiae in qua an ex qua? potest utrique accommodari.
Quid materia prima? est quae neque componitur ex alia materia eiusdem rationis neque etiam in illam recipitur.
Quid materia secunda conformiter? quae componitur ex alia materia eiusdem rationis vel saltem in illam recipitur.
Divide materiam primam sic generatim: dividitur in materiam primam logicam, physicam, metaphysicam et accidentariam.
Quid materia prima logica? quae nec recipitur in aliud subiectum logicum, nec componitur ex alio tanquam parte logica. ut ens in genere.
Da aliam praeter ens in genere: non datur.
Cur non sensitivum, item rationale, et similes differentiae? quia hoc ipso quo differentiae sunt debent recipi in materiam logicam quam dividunt, ac proinde falsum est dicere de ipsis quod non recipiantur in aliud subiectum logicum.

Quid materia prima physica? quae nec recipitur in aliud subiectum physicum, nec ex illo physice componitur. ut materia prima petri.

Quid materia prima metaphysica? quae nec recipitur in aliud subiectum metaphysicum, nec ex ullo metaphysice componitur. ut natura humana.

Quomodo cum componatur ex alia parte metaphysica, nempe natura materiae primae? non refert. quia natura materiae primae non est pars metaphysica respectu naturae humanae quamvis bene sit pars metaphysica respectu materiae primae.

Qualis ergo pars est natura materiae primae respectu naturae humanae? pars physica late dicta, distinguitur enim realiter, stricte tum a toto tum etiam a compartibus cum quibus constituit suae unius naturae.

Quid materia secunda logica? quae vel recipitur in aliam materiam logicam, vel ex illa logice componitur. ut homo.

Quomodo cum homo non recipiatur in aliam materiam logicam? non refert quia sufficit quod ex alia materia logice componatur.

An petrus sit materia secunda logica? non.

Quomodo cum tam bene componatur logice quam homo? non refert, quia petrus non est ullo respectu pars logica, sicut homo est pars logica petri et consequenter materia respectu haecceitatis suae.

Quid materia secunda physica? quae vel recipitur in aliam materiam physice, vel ex illa physice componitur, talis probabiliter est forma substantialis vegetativa, quia probabiliter est materia physica respectu animae sensitivae quam in se recipit, recipitur autem in aliam materiam physicam, nempe in materiam primam.

An homo non sit etiam materia secunda physica? non.

Quomodo cum physice componatur ex sua materia prima? non refert.

Quare ergo non est materia secunda physica? quia non est materia physica cum non sit subiectum ullius formae substantialis physice.

Quid materia secunda metaphysica? est materia metaphysica quae vel recipitur in aliam materiam metaphysicam, vel ex illa metaphysice componitur. talis non datur.

Quomodo ergo definitur? quia sicut entia rationis quae sunt impossibilia possunt definiri, non tamen dari, ita etiam materia secunda metaphysica de qua iam agitur.

Quare natura animae rationalis non est materia secunda metaphysica? quia licet ipsa sit materia metaphysica respectu subsistentiae suae, non est tamen materia secunda metaphysica, quia nec componitur ex alia natura metaphysica, nec etiam in aliam materiam metaphysicam recipitur.

Quomodo posterius cum natura animae recipiatur in naturam materiae primae? non refert.

Quomodo cum natura materiae primae sit natura seu materia metaphysica? non refert, quia equidem non est materia metaphysica respectu naturae animae rationalis, sed respectu suae subsistentiae.

De Materia Prima Aristotelis.

Da definitionem aristotelicam materiae primae: materia prima est primum unius cuiusque subiectum, ex quo quippiam fit per se, et non per accidens, et inest.

Quo sit pacto ut non sit definitum istius definitionis? materia prima physica.

Quodnam est definitum huius definitionis? accepta.

Qua acceptione accepta est definitum? tam pro materia prima in genere, acceptione media seu absoluta, quam pro omnibus inferioribus eius.

An ergo haec singularis materia prima continetur etiam hac definitione? etiam.

Quomodo cum illa non sit principium physicum? non refert, excedunt enim sed principium physicum sit materia prima.

Quid subiectum hic? entitas recipiens intrinsece aliam a se condistinctam per modum permanentis. ut paries respectu albedinis.

An paries niger etiam sit subiectum respectu albedinis? paries niger non est subiectum actuale respectu albedinis, est tamen subiectum aptitudinale respectu albedinis.

Quale subiectum solet communiter intelligi per subiectum, aptitudinale an actuale? actuale. unde male quis diceret demonstrato hoc pariete albo: hic paries est subiectum nigredinis, licet hoc sit verum addita illa particula aptitudinale.

Quale subiectum hic intelligitur aptitudinale an actuale? potest intelligi aptitudinale.

Declara non debere intelligi actuale: quia forte naturaliter potest materia prima existere sine omni forma substantiali, et sic non erit actuale subiectum formis substantialibus; deinde etiamsi hoc naturaliter fortasse non possit fieri, potest nihilominus fieri per Deum ut materia prima existat sine omni forma substantiali.

An interim nullo modo possit intelligi subiectum actuale? imo.

Quomodo cum non continebitur materia prima carens omni forma substantiali? imo poterit adhuc contineri torquendo verba definitionis, et intelligendo hoc modo: materia prima si connaturaliter existat est subiectum unius cuiusque etc. intelligendo autem verba de plano ut sonant dicimus intelligendum esse subiectum aptitudinale.

Quid subiectum primum? quod non recipitur in aliud ulterius subiectum, nec componitur ex alio subiecto ut parte physica: ut materia prima.

An forma substantialis sit etiam primum subiectum? non, quia forma substantialis recipitur in aliud ulterius subiectum.

An corpus naturale etiam sit primum subiectum? non, quia componitur ex alio subiecto tanquam parte physica.

An primum subiectum debeat esse omnimode simplex? non, quia sic materia prima non esset primum subiectum, quia ipsa componitur metaphysice ex natura et subsistentia.

An solum materia prima sit primum subiectum? non.

Da ergo primum subiectum praeter materiam primam: naturam materiae primae.

Da tale quod est condistinctum a materia prima: angelus.

Declara: quia angelus nec recipitur in aliud subiectum, nec componitur ex alio subiecto ut parte physica.

Da tale quod quod sit corporeum: forte tale quod est caelum. dico forte, quia res illa dubia est ut docetur alibi.

Contra quae distinguitur materia prima potissimum per hoc quod sit primum subiectum? et contra formam substantialem, et contra corpus naturale.

Da substantivum subintellectum ad istam particulam unius cuiusque: formae substantialis.

Cur non sufficit subintelligere formam in genere? quia falsum est quod materia prima sit subiectum cuiuscumque formae, quia non potest esse subiectum puriorum modorum qui reperiuntur in angelis, ut praesentia angeli, item subsistentia angeli, nec quidem per Deum possunt subiectari in materia prima.

An materia prima sit subiectum omnis formae substantialis? materia prima in genere et diversorum specierum inferiorum est subiectum omnis formae substantialis.

An quaelibet materia prima in particulari sit subiectum aptitudinale respectu cuiuscumque formae substantialis? si omnes materiae primae sint eiusdem speciei, tunc quaelibet materia in particulari erit aptitudinale subiectum respectu cuiuscumque formae substantialis; si autem dentur materiae diversae speciei, ut probabiliter sunt materia prima caelestis et materia prima sublunaris, tunc dabitur materia prima quae non sit aptitudinale subiectum respectu cuiuscumque formae substantialis, quia tunc materia sublunaris non erit capax respectu formae caelestis, et similiter materia caelestis non erit capax respectu formae substantialis sublunaris.

Quomodo cum secundum hoc nulla materia prima continebitur hac definitione? imo omnis adhuc continebitur.

Quomodo cum nulla materia in particulari sit capax omnis formae substantialis? non refert, quia facta illa suppositione signum illud distributivum unius

cuiusque debet mutari in particulari, ut sensus sit materia prima est primum subiectum alicuius formae substantialis cuiuscunque tandem, unde quantum est ex hac parte sufficit ad materiam primam quod sit subiectum, vel unius tantum formae substantialis.

Quam habitudinem dicit praepositio ex in hac definitione? habitudinem ad subiectum generationis importatae per particulam fit, fieri enim ibi idem est quod generari.

Quando fieri nequit ibi sumi ut sit idem quod componi? etiam potest sic sumi.

Quam habitudinem tunc dicet praepositio ~~[illegible]~~ ex? habitudinem ad partem praeiacentem ut sensus definitionis sit, ex quo tanquam parte praeiacente componitur quippiam etc.

Quid quippiam in hac definitione? idem quod compositum reale, quod tamen hic verificatur pro corpore naturali.

Quid pacto dum dicitur ex quo quippiam eo fit pacto? idem quod modus, quasi dictum esset, ex quo quippiam eo fit modo.

Quid inesse non per accidens? est sic inesse ut cum eo cui inest constituat unum unius naturae.

An non sit idem quod inesse essentialiter? non.

Quomodo ergo se habent inesse non per accidens, et inesse essentialiter: utrumque est materia prima respectu corporis naturalis.

Da quod insit non per accidens tantum: caput respectu hominis, sic facit enim unum unius naturae cum compartе.

Da quod inest essentialiter tantum: paries sic inest composito per accidens ex pariete et albedine.

An hac definitione etiam continetur materia prima tantum capax unius formae substantialis? distinguendum est, si illa materia sit impossibilis tunc non continetur, quia contentum hac definitione debet esse aliquid possibile, si autem talis materia sit aliquid impossibile tunc non continebitur, quia res impossibilis non est aptitudinale subiectum ullius formae substantialis.

Proprietates materiae primae.

Da primam proprietatem: materia prima est pura potentia.

Contra quae distinguitur materia prima per hanc proprietatem? Contra formam substantialem et corpus naturale.

Declara quod contra formam substantialem: quia forma substantialis nunquam est pura potentia, quia forma substantialis semper est actus actuans, ergo nunquam potest esse pura potentia, quia pura potentia nequit esse actus actuans, nec componi ex actu actuante tanquam parte physica.

Quid pura potentia hic? quae neque est actus actuans, neque componitur ex tali actu tanquam parte physica.

Quomodo pura potentia potest esse proprietas ~~[illegible]~~ materiae primae cum sit de eius essentia? hoc quidem est verum si illud pura potentia capiatur fundamentaliter, non autem si formaliter.

Declara posterius: quia formaliter capiendo puram potentiam involvit aliquam negationem, quae negatio nequit esse de essentia materiae primae, quia essentia materiae est aliquid positivum.

An materia prima sit pura potentia in omni genere? non.

In quo genere ergo materia prima non est pura potentia? in genere metaphysico, nec etiam in genere logico.

Declara quod non sit pura potentia in genere metaphysico: quia includit actum metaphysicum nempe subsistentiam.

An materia prima sit pura potentia in genere logico? non, quia etiam includit actum in genere logico, nempe differentiam suam constitutivam.

An aliquid possit esse pura potentia in uno genere, et non in alijs? imo, quia 14
sic materia prima est pura potentia in genere physico, non est tamen pura
potentia in alijs generibus.
Declara quod non sit pura potentia in genere metaphysico: quia includit
actum metaphysicum nempe subsistentiam.
Declara quod materia prima non sit pura potentia in genere logico: quia
includit actum logicum nempe differentiam suam constitutivam.
Da potentiam puram logice tantum: exemplum in petro, quia neque est forma
logica, neq componitur ex forma logica.
ostende non esse potentiam puram physice: quia componitur physice tam bene quam
corpus naturale cui dedicatur.
Declara similiter non esse potentiam puram metaphysice: quia etiam compo-
nitur metaphysice.
Da potentiam puram metaphysice tantum: natura humana petri, quia neq
est actus metaphysicus, nec ex ullo actu metaphysico componitur.
Declara quod natura humana petri non sit potentia pura logice: quia com-
ponitur ex actu logico.
Declara similiter quod non sit potentia pura physice: quia componitur physice
saltem late ex natura materiae primae, et hac natura animae rationalis
petri.
Da potentiam puram omni modo: est repertum in natura materiae pri-
mae (in nullo enim genere est actus, nec etiam in ullo genere componitur.
Da potentiam puram logice et physice tantum: est repertum in materia pri-
ma non est potentia pura metaphysice, quia componitur metaphysice tam
bene quam materia prima.
Da potentiam puram logice et metaphysice tantum: est repertum in
natura humana.
Da potentiam puram physice et metaphysice tantum: intellectus, item albe-
do, quia nec sunt formae physicae aut metaphysicae, nec ex illis componun-
tur.
Ostende intellectum non esse puram potentiam logice: quia componitur lo-
gice ex genere, et differentia.
Da potentiam omnimode impuram: forma substantialis.
Declara esse impuram logice et metaphysice: quia componitur ex actu logico,
et actu metaphysico.
Declara similiter esse potentiam impuram physice: quia est actus physicus.
in quo genere homo est potentia impura? in omni, componitur enim homo lo-
gice, physice et metaphysice.
Da potentiam impuram logice et physice tantum? haec natura humana, quia
logice et physice componitur, est autem potentia pura metaphysice, quia nec est
actus metaphysicus, nec etiam componitur ex actu metaphysico.
Da potentiam impuram logice et metaphysice tantum: haec materia prima,
est enim potentia pura physice tantum.
Quo modo proprie convenit haec proprietas materiae primae? Secundo, quia con-
venit omni sed non soli.
Declara quod non soli: quia convenit etiam angelo, quia angelus nec est
actus, nec componitur physice ex ullo actu.
Quid puritas potentiae? est negatio eius quod est esse actum, vel com-
poni ex actu tanquam parte physica.
Quid impuritas potentiae? est mixtio potentiae cum actu, vel cum compositione
ex actu tanquam parte physica.
Da secundam proprietatem: materia prima est pure passiva.
Quid pure passivum? quod sic est passivum ut non sit activum
actione directa.
Cur non sic, quod sic est passivum ut non sit activum: quia sic
materia prima non esset pure passiva, quia etiam materia prima
est activa actione resultantiae.
Quid actio resultantiae? est actio qua producitur aliquid spectans ad perfectum
et naturale complementum suae causae resultantiae, sicut quantitatem
quam producit materia prima actione resultantiae.
Quid actio directa? est actio qua producitur aliquid non spectans ad perfectionem

et naturale complementum sive causis.

Quid passivum hic? idem quod aptum pati.
Quomodo enim hoc sit esse subiectum? non refert.
Annon sit eadem pura potentia et pure passivum? non.
Quomodo se habent illa duo? in primis utrumque est materia prima.
Da puram potentiam quae non est pure passiva: angelus.
Ostende angelum non esse pure passivum: quia angelus est activus actione directa.
Quid producit angelus actione directa? motum localem, item conceptum intellectuum de petra.
Da pure passivum quod non est pura potentia: quantitas.
proba: quia quantitas etiam sic est passiva ut non sit activa actione directa.
Ostende quantitatem non esse puram potentiam: quia quantitas est actus, enim illi idem est quod forma.
Da aliquid quod neque est pura potentia nec pure passivum? praesentia localis.
Ostende non esse puram potentiam: quia praesentia est forma, et consequenter actus.
Ostende praesentiam non esse pure passivam: quia praesentia non potest esse subiectum ullius formae realiter distinctae.
Quarto modo proprie convenit haec proprietas materiae primae? etiam secundo, quia convenit omni, sed non soli, quia ut dictum est convenit etiam quantitati.
Declara quod non conveniat soli.
Contra quid distinguitur materia prima per hanc proprietatem? contra formam substantialem, et etiam corpus naturale.
Declara utrumque: quia tam forma substantialis quam corpus naturale est activum actione directa.
Quare non conveniebat materiam primam etiam esse eo modo activam? quia illa debet esse indifferens ad omnem formam substantialem, non conveniebat igitur ut haberet vim causandi dispositiones pro una potius forma substantiali quam alia. quae ratio saltem probat quod non conveniebat ipsam habere vim disponendi ad formam substantialem.

Da tertiam proprietatem: materia prima quamlibet formam appetit.
Pro qua forma fit ibi distributio? pro forma substantiali.
Quare non pro qualibet forma? quia falsum est quod materia prima quamlibet omnino formam appetat.
Da formam quam non appetit materia prima: intellectus angeli, item praesentia localis angeli.
proba quod illa non appetantur a materia prima: quia materia prima non appetit illam formam cuius est incapax, est autem incapax istorum.
An materia prima appetat solam ~~[illegible]~~ formam substantialem? non.
Declara: quia appetit etiam formas accidentarias quae sunt dispositiones ad formam substantialem.
Da ergo obiectum adaequatum appetitus materiae primae: bonum materiae primae, sive totum quod est conveniens materiae primae.
An ergo materia prima appetat ipsum Deum? imo, quia Deus est maxime conveniens materiae primae.
An materia prima appetat omnem formam substantialem? materia prima in genere appetit omnem formam substantialem gratia diversorum inferiorum.
An quaelibet materia in particulari appetat omnem formam substantialem? incertum est, quia dubium est an materia prima sublunaris appetat formam substantialem coeli.
Quomodo materia prima potest appetere formam substantialem cum illam non cognoscat? non refert.
Quomodo enim ignoti nulla sit cupido? ignoti nulla est cupido quae sit actus potentiae appetitivae proprie dictae, hoc verum est.
An ergo materia tantum improprie appetat formam substantialem? imo, quia tantum appetit illam appetitu metaphorico seu innato.
Quid appetitio proprie dicta? est actus potentiae appetitivae, voluntatis scilicet, vel appetitus sensitivi, quo fertur in aliquod obiectum sibi conveniens.
Divide appetitionem elicitam seu proprie dictam: dividitur in amorem simplicem, gaudium et desiderium.
Quid simplex amor? est appetitio qua res appetitur secundum se.
Quid desiderium? appetitio boni absentis.

Quid gaudium? appetitio boni praesentis, seu complacentia in bono praesenti.
Quid appetitus metaphoricus seu innatus? est ficta inclinatio qua res fertur ferri in suum bonum.
An illa possit dividi sicut vera appetitio? imo, quia etiam fictus ille appetitus alius est simplex amor fictus, alius desiderium, alius gaudium fictum.
Quaenam ex istis appetitionibus fictis habeant locum in materia prima? omnes.
Declara quod omnes habeant locum in materia prima respectu formae substantialis: quia formam substantialem secundum se appetit amore simplici, formam substantialem absentem appetit appetitu desiderii, formam autem substantialem praesentem appetit appetitu gaudii.
An materia prima appetat animam rationalem? imo.
Quomodo enim non possit naturaliter habere animam rationalem?
imo potest naturaliter animam rationalem habere.
Quomodo enim anima rationalis non possit haberi nisi per creationem? non refert.
Quomodo ergo potest haberi naturaliter cum creatio sit impossibilis naturaliter?
etiam creatio est naturaliter possibilis, nempe tunc quando creatio animae rationalis est debita materiae primae dispositae ad illam.
An materia prima habens animam rationalem etiam appetat alias formas?
imo.
Quomodo enim aliae formae sint minus perfectae quam anima rationalis? non refert quia materia prima non appetit alias formas absolute, sed solum sub conditione, si non possit meliores formas substantiales obtinere.
An materia prima appetat maiori appetitu formas perfectiores? imo.
Quomodo enim appetitus ad plures formas sit unus et idem? est unus et idem a parte rei, secundum rationem tamen est diversus, quia diversificatur ex parte termini interim ad formam perfectiorem merito praesumitur habere maiorem appetitum, et consequenter magis appetere formas perfectiores quam imperfectiores.
An sola materia prima appetat omnem formam substantialem? non.
Da ergo quod appetit omnem formam substantialem praeter materiam primam? Et dispositiones requisitae ad omnem formam substantialem.

Da quartam proprietatem: materia prima est per se ingenerabilis et incorruptibilis.
Quid ingenerabile per se? quod non potest esse terminus ad quem generationis, nec per se primo, nec etiam per partem.
Cur dicitur nec etiam per partem? quia aliquid bene potest esse ingenerabile per partem gratia suae formae substantialis, et tamen esse ingenerabile prout hic.
Quid generabile hic? est id quod potest esse terminus ad quem generationis sive per se primo, sive etiam per partem.
An anima rationalis sit etiam generabilis per generationem? non est absolute generabilis, interim est generabilis per accidens et per se primo, loquendo de generatione mutatione. generatione tamen, actione ingenerabilis est.
Contra quid distinguitur materia prima per hanc proprietatem? contra formam substantialem et corpus naturale.
Declara quod distinguatur contra formam substantialem: quia forma substantialis est per se primo generabilis et corruptibilis.
An corpus naturale sit per se generabile et corruptibile? non, quia est generabile et corruptibile per se primo, per partem tamen potest dici generabile et corruptibile, quia generabile et corruptibile est gratia formae substantialis.
An materia prima non sit generabilis et corruptibilis gratia partis integralis? proprie loquendo, non.
Quomodo enim materia prima possit deperdere aliquas suas partes integrales? non refert. quia equidem nec per se primo nec per partem quae sit forma generari potest.
Cur nequit generari gratia unionis integralis? eo quidem modo generari potest. sed talis generatio aut generabilitas non attenditur.
Quid incorruptibile? quod non potest esse terminus a quo corruptionis, nec per se primo nec per partem. materia prima, illa enim est quae hic expresse in proprietate dicitur esse incorruptibilis.
Da incorruptibile praeter materiam primam: natura angeli, quia nequit corrumpi per se primo, quia non est forma, nec etiam per partem quia non habet ullam partem a qua possit transire ad eius privationem.
De qua generatione et corruptione intelligitur haec proprietas? de generatione et corruptione physica.

Quid generatio physica? transitus subiecti a privatione formae substantialis ad formam substantialem.

Quid corruptio physica? transitus materiae a forma substantiali ad privationem eius.

Quare materia prima non est generabilis generatione physica per se? quia quod est eo modo generabile, vel debet esse forma physica, vel saltem physice compositum; autem neutrum illorum convenit materiae primae, quia nec est forma, nec compositum physice ex forma.

De qua corruptione intelligitur haec proprietas? etiam de corruptione physica.

ostendens materiam primam non posse corrumpi physice: quia sic etiam materia prima vel deberet esse forma, vel esse composita physice ex forma.

An materiae primae non insit generatio, et corruptio physica? imo, quando generatur homo, tunc inest materiae primae generatio, et similiter quando homo moritur inest ipsi corruptio.

Quomodo ergo materia prima non generatur et corrumpitur, cum bene sequatur ab inesse ad denominare: Materiae primae inest generatio, ergo materia prima generatur? nego hoc sequi ab inesse ad denominare, quia ut argumentum ab illo loco valeat, requiritur ut denominatio sit a formis inexistentibus; hoc autem hic non fit, quia illud concretum generatur denominat terminum ad quem generationis; iam autem generatio non inest materiae tanquam termino ad quem, sed inest materiae tanquam subiecto.

An hoc bene sequatur: Materiae primae inest generatio, ergo materia prima generatur subiective? imo.

Quomodo materia prima ergo non generatur, cum hoc bene sequatur: materia prima generatur subiective, ergo materia prima generatur? nego sequelam, quia est argumentum a secundum quid ad simpliciter, simile huic: Aethiops est albus secundum dentes, ergo est albus.

An materia prima non sit generabilis aut corruptibilis ulla generatione aut corruptione? imo, per Deum materia prima potest terminative generari, et etiam corrumpi.

Da casum quo materia prima per Deum generaretur terminative: si materia prima transiret a privatione subsistentiae ad subsistentiam. et similiter per Deum etiam corrumperetur si transiret natura materiae ad privationem suis.

An materia prima non possit etiam aliquo modo naturaliter generari aut corrumpi? imo.

Da modum quo potest naturaliter generari? potest generari gratia unionis integralis, quando duae materiae antea non unitae integraliter incipiunt sibi integraliter uniri. similiter corrumpetur etiam naturaliter quando aufertur unio integralis inter suas partes.

Quinto modo proprie convenit haec proprietas? secundo, ~~[illegible]~~ quia convenit omni, sed non soli, quia etiam convenit angelo.

Ad quintam proprietatem: materia prima per proportionem cum materia artificiali est cognoscenda.

Quid materia artificialis? subiectum comparatum ad formam artificialem quam recipit, et cum qua constituit compositum artificiale.

An materia artificialis debeat esse corpus naturale? plerumque quidem ita accidit, posset tamen fieri quod non.

Da modum quo potest contrarium accidere: si materia prima destituta omni forma substantiali reciperet aliquam formam artificialem, item si corpus physice simplex reciperet aliquam formam artificialem.

Quid proportio? duarum habitudinum similitudo.

Da extrema proxima proportionis hic intellectae: habitudo qua materia artificialis habet se ad formam artificialem, et habitudo qua se habet materia prima ad formam substantialem.

Declara illas duas habitudines esse similes: quia sunt similes in eo quod sicut materia artificialis non habet a se ipsa figuram artificialem, ita materia prima non habet a se ipsa formam substantialem, sed debet illam acquirere ab alio agente.

secundo sicut materia artificialis modo habet hanc, modo istam formam ar-
tificialem, ita etiam materia prima modo habet hanc modo istam formam
substantialem.
An materia prima et materia artificialis sint per omnia similes? non, nulla
enim similia sunt similia per omnia, ipse enim simile esset idem.
in quo ergo sunt dissimilia materia prima et materia artificialis? in eo quod
materia artificialis tantum constituat compositum per accidens cum forma ar-
tificiali, materia prima autem constituit compositum per se cum forma substan-
tiali, quia constituit cum illa corpus naturale.
Quam habitudinem dicit propositio per in hac proprietate? habitudinem ad causam
occasionalem, quia proportio est causa occasionalis respectu cognitionis importatae per
particulam cognoscenda.
An proportio illa sit causa occasionalis proxima respectu istius cognitionis?
non.
Da ergo propinquiorem causam occasionalem istius cognitionis: cognitio istius pro-
portionalis.
An proportio illa possit cognosci non cognita materia prima? non, quia propor-
tio cum sit relatio non potest perfecte cognosci nisi cognitis extremis, extre-
ma autem proxima sunt habitudo qua materia prima se habet ad formam
substantialem, et habitudo qua materia artificialis habet se ad formam artifici-
alem, ergo ut cognoscatur illa proportio debent cognosci illae habitudines. ulte-
rius illae habitudines cum etiam sint relationes non possunt etiam cognosci
nisi cognitis extremis illarum, nempe materia artificiali et forma artificiali
item materia prima et forma substantiali ergo a primo ad ultimum pro-
portio de qua in hac proprietate nequit cognosci nisi cognita materia prima.
Quomodo ergo hic recte dicitur quod materia sit cognoscenda per ~~[illegible]~~
proportionem cum materia prima debeat prius cognosci? totum hoc non refert
quia per hoc ad summum probatur quod prima cognitio materiae non habeatur
per istam proportionem.
An per cognitionem hic non intelligatur cognitio prima? non, sed intelligitur hic
cognitio ulterior, illa enim, postquam illa propor-
proprietas de secunda cognitione materiae et ulterioribus
tio semel cognita est determinat ulterius intellectum ad perfectiorem cogni-
tionem materiae primae.

De Formâ Substantiali.

Qualis est illa vox forma univoca an aequivoca? aequivoca, quia
proprie significat rem illam quae inest internae alteri, ut distinctio per
modum potentiae ad essentialis, improprie autem significat etiam na-
turam metaphysicam.
Qualis forma solet intelligi per formam, componens an informans?
ordinarie quidem per formam intelligitur informans, in multis tamen
occasionibus intelligitur etiam componens.
Distingue formam informantem et componentem? ~~[illegible]~~ distinguuntur quod forma in-
formans debeat comparari ad subiectum, forma autem componens ad totum quod
exsurgit ex ipsa et suo subiecto.
Quomodo se habent forma informans et componens? respectu eiusdem repugnant,
libere autem respectu convertuntur, omnis enim forma informans est componens
respectu compositi ex ipsa et subiecto, omnis etiam componens est informans
respectu sui subiecti.
Alio forma dividitur in logicam, physicam, metaphysicam, et accidentariam forma
informans an componens? utraque potest sic dividi, unde forma logica est informans
respectu comparatis est componens respectu totius logici, et conformiter dicendum est
de aliis formis iam dictis.
An forma recte dividatur in substantialem et accidentariam? imo.
Quotupliciter aliqua forma dicitur accidentaria? dupliciter, quia aliquando dicitur illa
esse accidentaria quae in entitate sua est accidens, aliquando vero illa dicitur esse acciden-
taria quae cum suo subiecto tantum constituit compositum per accidens

Quid forma substantialis latè? quæ in entitate suâ est substantia.
Declara quòd illa latius pateat quàm forma substantialis physica: quia etiam
subsistentia est forma substantialis latè, quia est forma quæ in sua entitate sua est
substantia.
Quid forma substantialis physica? actus purus qui cum materiâ primâ
constituit corpus naturale.
Quamdiu est definitum istius definitionis? forma substantialis physica accepta
acceptione mediâ, id est tam pro formâ substantiali in genere quàm pro omni-
bus inferioribus suis.
Da genus definiti in hac definitione: actus purus.
Quid actus purus? qui nec est materia prima nec ex illâ componitur.
An soli formæ substantiali competat esse actum purum? non.
Da actum purum præter formam substantialem: accedo, item intellectus, et ge-
neratim omne accidens.
Declara omne accidens esse actum purum: quia nullum accidens est materia
prima, nullum etiam accidens componitur ex illâ.
An subsistentia petri non contineatur hac definitione formæ substantialis?
non: refert.
Quomodo cum constituat petrum qui est corpus naturale? non
Quomodo ergo excluditur ab hac definitione? quia cum materiâ primâ
non constituit totum corpus naturale sed tantum unam partem.
Declara quòd materia petri non constituat integrè petrum: quia petrus ultra
suam subsistentiam et materiam primam involuit etiam naturam animæ ra-
tionalis.
An natura formæ substantialis contineatur hac definitione? non, quia
etiam illa cum materiâ primâ non constituit integrè corpus naturale, quia
corpus naturale ultra materiam primam, et naturam formæ substantialis in-
volvit etiam subsistentiam formæ substantialis.
An omnis pars formalis physica contineatur hac definitione? omnis
pars formalis physica strictè, non tamen pars formalis physica latè.
An idem sit pars formalis physica latè, et strictè? imo si comparetur ad
diversa [illegible], quia sic anima rationalis est pars formalis physica strictè
respectu petri, est tamen pars formalis physica latè tantum respectu com-
positi ex ipsa et naturâ materiæ primæ.
Quomodo cum sit omnis pars physica strictè foret etiam pars physica
latè? totum est verum et non revertitur.
Ostende ergo quòd materia prima sit pars physica tantum latè: quia est
talis pars respectu compositi ex ipsâ et naturâ formæ substantialis.
An econtra omnis pars physica latè sit pars physica strictè? non.
Da ergo partem physicam latè nullo respectu strictè: natura materiæ primæ,
item ultima forma substantialis.
Quomodo cum natura formæ substantialis constituat corpus naturale cum
materiâ primâ, et subsistentiâ formæ substantialis? non refert,
composito ex materiâ primâ et subsistentiâ formæ substantialis non differt realiter strictè ab illâ compar[at]e
quia natura formæ substantialis.
quæ est subsistentia formæ substantialis possit tantum constituere unum individuum
An individua forma substantialis possit tantum constituere unum individuum
corporis naturalis? non, quinimo una individua forma substantialis simul
constituit plura corpora naturalia.
Da talem individuam formam substantialem? hæc anima rationalis petri.
Quæ corpora naturalia constituit? partes integrales ipsius petri.
An forma substantialis quæ est species infima possit tantum constituere corpus
naturale quòd etiam est species infima? ita quidem de facto accidit, dubium autem
tamen est an per Deum possit aliter fieri. nos putamus quòd sic, quia non hic
demus implicantiam in eo quòd eadem specie forma substantialis constituat
corpora naturalia diversæ speciei.
Quomodo cum materiæ primæ diversæ speciei non possint recipere eandem specie
ex parte enim potuerint illa corpora naturalia specie differre? ex parte
materiæ primæ.
Quomodo cum materiæ primæ diversæ speciei non possint recipere eandem specie
formam substantialem? imo bene potest fieri. quia eadem materia prima
bene potest recipere formas substantiales diversissimas, ergo videtur etiam posse
fieri quod eadem specie forma substantialis recipiatur in materias primas
diversæ speciei.

Proprietates formae Substantia[lis] Lib.

Da primam proprietatem: forma substantialis est actus
purus. eodem modo actus purus est proprietas formae substantialis cum
quomodo actus purus? actus purus fundamentaliter capiendo est quod
sit ens genus; non autem capiendo formaliter proprietas
formae substantialis, quia forma substantialis est sub positivum
dicitur negationem quia [illegible] potest sumi, ut sit de essentia substantiae
simili modo sicut non esse in subjecto potest [illegible] est circa primam pro
potest etiam sumi ut sit eius proprietas sicut dictum
prietatem substantiae in logica.
An forma substantialis sit actus purus in omni genere? non quia non est actus
purus in genere logico, sed etiam in genere metaphysico. tantum ergo est actus
purus in genere physico sicut materia prima est potentia pura physica, non
autem pura logica aut metaphysica.
Quid actus purus logice? qui neque est potentia logica, neque ex illa logice
componitur. ut haecceitas huius intellectus, non enim est potentia logica neque ex
illa componitur.
Da actum purum logice universalem: nequit dari, quia actus universalis
semper est etiam potentia logica, semper respectu suae differentiae indi[viduantis]
respectu cuius debet esse potentia logica.
Quid actus impurus logice? est actus qui vel est potentia logica, vel ex
illa logice componitur. ut rationale, quia est potentia logica respectu hae[cce]
sitatis [illegible] cum qua constituit individuum. vel ex illa com[po]
An actus impurus logice debeat esse materia prima logica, vel in genere, cum ante
ponitur non est necesse, quia materia prima logica est ens in genere de rationa
lem rationale est actus impurus logice, et tamen falsum est dicere rationale
aliquid sit ens in genere, item quod componatur ex ente in genere.
Quid actus purus metaphysice? qui nec est potentia metaphysica neque
ex tali componitur. ut subsistentia angeli item petri, nec enim est natura
metaphysica neque ex illa componitur.
Quid actus impurus metaphysice? qui vel est potentia metaphysica
vel ex illa metaphysice componitur.
Da actum impurum metaphysice: haecceitas petri, quia componitur metaphy
sice ex natura petri quae natura est potentia metaphysica. vel ex illa com
Quid actus impurus physice? qui vel est materia prima, vel physice com
ponitur. ut rationale componitur enim ex materia prima physice tam
bene quam homo.
Da actum purum in omni genere: haecceitas huius intellectus.
Declara quod sit purus actus logice: quia nec est potentia logica neque ex
illa componitur logice, et simili modo ostenditur quod sit actus purus phy
sice, et metaphysice.
Da actum omnimode impurum: rationale, est enim potentia logica re
spectu suae haecceitatis, et per hoc probatur quod non sit purus actus lo
gice; et impurus: componitur etiam physice, et metaphysice, et per hoc pro
batur quod sit actus impurus physice et metaphysice.
Quomodo se habeat actus purus logice et physice: utrumque est haecceitas
huius intellectus.
Da actum purum logice non physice: haecceitas petri non est actus purus
physice quia componitur physice ex materia prima tam bene quam ipse petrus.
Da contra: anima rationalis componitur enim logice ex ente item ex substan

tia et sic non est actus purus logicè.

Quomodo se habent actus purus logicè et metaphysicè? etiam haecceitas huius intellectus est utrumque.

Da actum purum logicè non metaphysicè: haecceitas petri, non est potentialogica, nec ex illâ componitur, et sic est actus purus logicè componitur tamen ex naturâ metaphysicâ petri, et sic est actus impurus metaphysicè.

Da econtra: subsistentia angeli, item subsistentia petri, unde ante petita excedunt se.

Quomodo se habent actus purus physicè et metaphysicè? utrumque est datum itemque haecceitas huius albedinis.

Da actum purum physicè non metaphysicè: [illegible] anima rationalis, non est enim materia prima, nec ex illâ componitur.

Da econtra: non datur, quia actus purus metaphysicè nec debet esse natura metaphysica, nec ex illâ componi, ergo non debet etiam esse materia prima nec ex illâ componi, consequenter debet esse actus purus physicè.

Cur nequit esse materia prima vel ex illâ componi? quia si esset materia prima, vel ex illâ componeretur, iam etiam deberet componi ex naturâ metaphysicâ materiae, et sic non esset actus purus metaphysicè, unde ante dicta habent se ut magis et minus communia.

Quomodo se habent actus impurus logicè et physicè? utrumque est rationale, item sensitivum rationale.

Da actum impurum logicè non physicè: anima rationalis.

Da econtra: haecceitas petri, ergo ante petita excedunt se.

Quomodo se habent actus impurus logicè et metaphysicè: utrumque est rationale.

Da actum purum logicè non metaphysicè: subsistentia petri.

Da actum impurum metaphysicè tantum: haecceitas petri, unde ante petita excedunt.

Quomodo se habent actus impurus physicè et metaphysicè? utrumque est rationale.

Da actum impurum metaphysicè non physicè: forma substantialis, item haecceitas huius angeli.

Da econtra actum impurum physicè non metaphysicè: nequit dari, quia hoc ipso quo aliquis actus est impurus physicè, debet etiam esse impurus metaphysicè, quia actus impurus physicè debet esse vel materia prima vel componi ex materiâ primâ, hoc ipso autem etiam semper debebit componi ex naturâ materiae primae, et consequenter erit actus impurus metaphysicè.

Da actum purum logicè et physicè tantum: haecceitas animae rationalis.

Da actum purum logicè et metaphysicè tantum: non datur, quia actus purus metaphysicè debet etiam esse purus physicè, si enim non componatur ex naturâ metaphysicâ, non componetur etiam ex materiâ primâ.

Da actum purum physicè et metaphysicè tantum: intellectus, item albedo.

Da actum impurum logicè et physicè tantum: nequit dari, quia actus impurus physicè necessario est impurus metaphysicè, quia actus impurus physicè necessario debet esse materia prima, vel componi ex illâ, ergo debebit etiam necessario componi ex naturâ metaphysicâ materiae primae.

Da actum impurum logicè et metaphysicè tantum: anima rationalis, tantum enim est actus purus physicè.

Da actum impurum physicè et metaphysicè tantum: haecceitas petri, componitur enim physicè et metaphysicè.

Quoto modo proprie convenit haec proprietas formae substantiali? secundo, quia competit omni, sed non soli, quia competit etiam intellectui, et aliquibus accidentibus.

Contra quid distinguitur forma substantialis per hanc proprietatem? contra corpus naturale, et materiam primam, neutrum enim illorum est actus purus.

Da secundam proprietatem: forma substantialis est per se activa.

Quid ergo producit per se forma substantialis? varia accidentia, et plerumque etiam aliam formam substantialem similem.

Quid activum in hac proprietate? est aptum agere actione directa.

Cur non est idem quod aptum agere? quia sic etiam posset dici de materiâ primâ quod sit per se activa, quia probabiliter actione resultantiae producit suam quantitatem.

An debeat hic addi purè sicut materia prima dicitur passiva purè? non, quia falsum est formatam substantialem sic esse activam, ut non sit simul passiva.

Declara formam substantialem etiam esse passivam: quia forma substantialis etiam in se recipit varia accidentia per modum subiecti.
An interim non detur aliqua alia res pure activa? imo, ea talis: Deus, nequit enim Deus esse subiectum ullius formae realiter distinctae.
Quoto modo propriè convenit haec proprietas formae substantialis? etiam secundo modo; quia etiam convenit omni sed non soli; quia convenit etiam Deo, convenit etiam multis accidentibus, ut calori, frigori etc.
Contra quod distinguitur forma substantialis per hanc proprietatem? contra materiam primam quae est pure passiva.
An etiam contra corpus naturale? non, quia etiam corpus naturale est activum actione directa.

Ad tertiam proprietatem: forma substantialis quamlibet materiam appetit.

Quae materia ibi intelligitur per materiam? materia prima.
Quare per materiam ibi non intelligitur generaliter quodlibet subiectum? Quia falsum est quod forma substantialis appetat quodlibet omnino subiectum, quia non appetit angelum, qui incapax est formae substantialis.
De quo appetitu intelligitur illa proprietas, de proprie dicto, an de metaphorico? De appetitu metaphorico, non autem de appetitu proprie dicto.
Cur non de appetitu proprie dicto? quia multae formae substantiales carent appetitu proprie dicto.
Quaenam ergo formae substantiales habent appetitum proprie dictum et quae non? Solae formae substantiales cognitivae, ut anima rationalis, et formae brutorum.
An formae substantiales cognitivae appetant appetitu proprie dicto materiam primam? aliquae sic possunt appetere, non tamen omnes, quia non formae brutorum, quia formae brutorum non cognoscunt materiam primam, appetitus autem proprie dictus non fertur in incognitum.
Quaenam ergo formae possunt appetitu proprie dicto appetere materiam primam? Solae animae rationales.
An illae utroque modo appetant materiam primam? imo.
An forma substantialis appetat quamlibet materiam primam? forma substantialis in genere gratia diversorum, saltem inferiorum, appetit omnem materiam primam.
An quaelibet forma substantialis in particulari appetat quamlibet materiam primam? hoc dubium est, pendet autem ex eo an quaelibet materia prima sit capax cuiuslibet formae substantialis, quod utrimque probabiliter disputatur.
Quaenam est ratio quare forma substantialis appetit metaphorice materiam primam? quia materia prima est bonum formae substantialis, quia per illam assequitur ullum suum finem qui est constituere corpus naturale.
An forma substantialis appetat solam materiam primam? non.
Quid ergo appetit praeterea? dispositiones necessarias ad hoc ut possit materiam informare.
Quoto modo proprie convenit haec proprietas formae substantiali? secundo, quia etiam convenit omni formae substantiali, sed non soli.
Declara quod non sola forma substantialis appetat materiam primam: quia etiam multa accidentia etiam appetunt materiam primam, ut calor, frigus etc. quae non possunt naturaliter existere nisi in materia prima.

Ad quartam proprietatem: forma substantialis est per se generabilis et corruptibilis.

De qua generatione intelligitur illa proprietas? de generatione mutatione, et similiter per corruptionem intelligitur corruptio mutatio.
Quare per generationem non intelligitur hic generatio actio? quia anima rationalis est generabilis ad sensum huius proprietatis, et tamen anima rationalis non est generabilis generatione actione.
An anima rationalis sit corruptibilis ad sensum huius proprietatis? imo.
Quomodo cum anima rationalis sit immortalis? non refert, quia potest esse terminus a quo corruptionis mutationis.
Declara quod eo non obstante sit corruptibilis prout hic? quia … per se primo.
Quomodo forma substantialis [struck] generabilis est et corruptibilis, an per partem? per se primo.
Quoto modo proprie convenit haec proprietas formae substantiali? quia convenit omni sed non soli, quia convenit etiam accidentibus, ut calori, albedini etc.
Quomodo convenit omni formae substantiali cum non conveniat formae substantiali coelorum? imprimis valde dubium est an coeli sint physice simplices, an vero compositi physice ex materia prima et forma substantiali.

si coeli sint physice simplices sine ... supponit falsum. si autem coeli componantur physice ex forma substantiali, tunc dico etiam formam substantialem coelorum etiam esse generabilem et corruptibilem.

Quomodo cum hoc cohaeret Aristoteles qui dicit in Libris de coelo coelos esse ingenerabiles et incorruptibiles? nego quod propterea Aristoteli repugnemus, quia Aristoteles intelligi potest quod coeli sint ingenerabiles et incorruptibiles per modum sub ratione dispositionum quas requirit forma coeli, quae dispositiones nequeunt ab ullo agente naturali de novo produci, aut etiam destrui, alioquin si tale agens naturale daretur coeli essent naturaliter generabiles et corruptibiles.

Da ultimam proprietatem: forma substantialis per proportionem cum forma artificiali est cognoscenda.

Da extrema et proxima proportionis ibi intellectae: habitudo, qua forma substantialis habet se ad materiam primam, et habitudo qua forma artificialis se habet ad materiam artificialem.

Quid forma artificialis? est forma introducta in materiam seu subiectum per artificem.

In quo sunt similes forma substantialis et artificialis? in eo quod sicut forma artificialis debet induci in materiam ab agente extrinseco, ita etiam forma substantialis debet introduci in materiam ab agente extrinseco. secundo sicut una forma artificialis potest alteri succedere in eadem materia artificiali, ita etiam forma substantialis potest alteri succedere in eadem materia prima.

An forma substantialis et artificialis sint similes in omnibus? non.

In quo ergo sunt dissimiles? in eo quod forma artificialis sit tantum accidens, forma substantialis autem substantia; secundo in eo quod forma artificialis cum materia artificiali tantum constituat compositum per accidens, forma substantialis autem cum materia prima constituit compositum unum per se.

An haec proprietas intelligenda sit de prima cognitione formae substantialis? non, sicut in simili dictum est de materia prima circa quintam proprietatem eius. probatur non posse intelligi hanc proprietatem de prima cognitione: quia proportio illa non potest cognosci nisi cognita forma substantiali, ergo impossibile est ut ipsa per sui cognitionem determinet ad primam cognitionem formae substantialis, sicut in simili latius dictum est de proportione materiae primae, quod illa non possit nos determinare ad primam cognitionem materiae primae.

De Privatione formae Substantialis.

Quid privatio? absentia formae a subiecto capaci, quae definitio explicata est in postpraedicamentis de privative oppositis.

Quid privatio formae substantialis? est absentia formae substantialis a subiecto capaci, vel privatio formae substantialis reperta in materia prima.

Quomodo reperitur privatio formae substantialis in illa materia, cum in illa reperiatur forma substantialis? est verum quia reperitur anima rationalis, hoc tamen non refert.

Quomodo non, cum forma et eius privatio non possint simul inesse eidem subiecto? hoc est verum quando forma et privatio privative opponuntur, iam autem forma substantialis et privatio formae substantialis capiendo illam ut est principium physicum non opponuntur privative, quia obliquus formae substantialis hic sumitur confuse, possunt autem simul eidem inesse forma substantialis et privatio alicuius formae substantialis in confuso, imo semper illa simul insunt materiae primae, quia materia prima semper habet aliquam formam substantialem, et nunquam habet omnem formam substantialem simul, ergo semper habet privationem alicuius formae substantialis in confuso.

An similiter albedo et privatio alicuius albedinis in confuso insint simul eidem? imo ut hic parieti albo, cum enim hic paries albus non habeat omnem albedinem, sequitur quod habeat privationem alicuius albedinis in confuso.

Quomodo ergo finitur obliquus albedinis quando albedo et privatio albedinis
sint oppositae privative? distribuitur sic enim non possunt simul inesse albedo,
et privatio albedinis.
Da privationem eiusdem speciei: R. privationes eiusdem speciei rigorose non
dantur, quia quae eiusdem speciei rigorose sunt debent sub eadem infima specie
collocari, iam autem non dantur tales privationes, quia sic deberet dari aliqua
privatio quae esset species infima rigorose.
Cur nequit talis privatio dari? quia species debet esse sub positivum.
Da privationes eiusdem speciei eo modo quo dari possunt: ut privatio humanitatis [illegible] animae rationalis in materia prima equi, et privatio eiusdem animae rationalis in materia prima lapidis [illegible] et privatio animae rationalis

An Detur Subiectum

Ultimum formae, et an detur compositio physica ex materia prima, et forma Substantiali.

An detur aliquod subiectum ultimum? ita, quod [illegible]
formae formis, illud enim est subiectum ultimum.
An ex eo quod detur materia prima in homine bene sequatur quod etiam
detur materia prima alibi? imo, quia dum homo moritur illa materia prima
manet alibi.
An in brutis etiam detur materia prima? imo, quia in primis observamus
operationes in brutis similes illis quae fiunt in homine, ac proinde sicut in homine tales operationes fiunt ita etiam in brutis, deinde constat hominem
comedere carnes brutorum, ergo materia prima hominis fuit aliquando
in bruto, ergo in bruto etiam datur materia prima.
An ex eo etiam sequatur quod in bruto detur forma substantialis? non sequitur tam certo, quia si aliquis diceret in bruto quidem dari materiam
primam, sed non formam substantialem sed tantum accidentia ille non posset
tam clare redargui.
An ratione mere naturali evidenter probetur dari materiam primam?
non, quia si quis diceret in corporibus tantum dari aliquod subiectum ultimum, et cetera esse tantum accidentia ille non posset evidenter redargui.
Unde etiam si deus iam auferret a bruto formam substantialem et reliqua
accidentia manerent ut modo sunt nos non sciremus formam substantialem esse ablatam.
An saltem non possit probari probabiliter ratione mere naturali dari compositionem physicam ex materia prima, et forma substantiali? R. imo, quia experimur quod aqua calefacta iterum reducat se ad pristinum frigus, illa autem
reductio non potest commode alteri causae adscribi quam formae substantiali.
Cur nequit dici quod illa reductio fiat a frigore in aqua calida remanente? quia in primis esse nullum frigus conduct in aqua totaliter calida, deinde frigus ut ceterae qualitates primae non agunt in proximum suum
subiectum, sed tantum in aliquod.
Cur nequit dici quod illa reductio fiat a frigore aliquo virtuali quod est
qualitas? quia etiam tales qualitates non agunt in subiectum proprium
immediate ut patet in calore virtuali piperis, cinnamomi etc.
Quare non dicitur quod illa reductio fiat ab substantia aquae physica
simplici? quia sic non posset dari ratio cur aqua calefacta non semper
redeat se ad pristinum frigus, constat autem experientia quod non semper
fiat illa reductio.
Proba illud argumentum non esse omnino efficax: quia si quis diceret illam
reductionem fieri vel a frigore virtuali, vel etiam ab entitate aquae physica
simplici, talis non posset evidenter redargui.

Cur non sic, quia experientia constat de novo generari aquam, et etiam eamdem perire? non refert, quia possit responderi quod hoc non fit per motum substantialem, sed quod [illegible] per partibus accidentibus aqua efficit substantiam totaliter novam.

Quomodo Forma substantialis et materia prima distinguantur a Composito.

Quomodo distinguuntur inter se materia prima et forma substantialis? realiter.
Proba: quia realiter separantur a se mutuo uti contingit dum homo moritur, illud autem est certum signum distinctionis realis.
Quomodo corpus naturale distinguitur a materia prima? Est etiam realiter, quia corpus naturale ultra materiam primam involuit aliquid realiter distinctum a materia prima, nempe formam substantialem.
Proba similiter quod corpus naturale distinguatur realiter a forma substantiali: quia etiam ultra formam substantialem involuit aliquid realiter distinctum nempe materiam primam.
An corpus naturale distinguatur realiter a sua materia prima et forma substantiali simul sumptis? imo, quia ultra materiam primam et formam substantialem corpus naturale involuit in sua essentia aliquid realiter distinctum, nempe unionem physicam inter materiam primam et formam substantialem.
Unde probas admitti debere illam unionem in corpore naturali? quia possunt esse in rerum natura materia prima, forma substantialis, et debitae dispositiones in materia prima ad formam substantialem, sit tamen ut illa simul non constituant corpus naturale, ergo debet insuper requiri unio physica substantialis inter materiam primam et formam substantialem.
Proba quod non semper sufficiant materia prima et forma substantialis et debita dispositio ad formam substantialem ad constituendum corpus naturale: quia potest anima rationalis hominis defuncti sistere se praesentem materiae primae dispositae ad animam rationalem, et tamen cum illa non constitueret corpus naturale, hoc autem tantum accidit defectu unionis.
Unde probas quod possit esse praesens materiae primae dispositae ad illam anima rationalis, et tamen cum illa non constitueret corpus naturale? quia si tunc constitueret corpus naturale quando anima alicuius defuncti sic fieret, possent mortui possent naturaliter anima alicuius hominis defuncti redire ad vitam quod est absurdum.
An omnino efficaciter probetur quod in corpore naturali detur unio physica realiter distincta a materia prima et forma substantiali? non, quia omnia argumenta per quae hoc probatur possunt probabiliter solvi.
Quid potest ad nostrum argumentum iam datum probabiliter sustineri? negandum est quod anima hominis defuncti possit se sistere praesentem materiae primae ad illam dispositae.
Quo fundamento potest hoc negari? quia singulae animae rationales requirunt aliquas dispositiones sibi peculiares, ita ut singulae illae dispositiones requirant determinatam animam rationalem, eamque novam.
An corpus naturale distinguatur realiter a materia prima et forma substantiali unitis? si per materiam primam et formam substantialem unitam intelligantur materia prima et forma substantialis quae substant unioni, tunc corpus naturale distinguitur realiter ab ipsis, si autem per materiam primam et formam substantialem unitam intelligatur totum copulatum ex materia prima, forma substantiali et unione, tunc non distinguetur realiter ab illis.
Quo sensu interim verum est, corpus naturale distinguitur realiter a materia prima et forma substantiali, et unione? quando coniunctio et sumitur copulative, ab unoquoque enim istorum seorsim realiter distinguitur corpus naturale.

An in composito sit duplex unio an tantum 20.

Unica? Datur aliquod compositum reale in quo sunt plures uniones et etiam datur aliquod compositum reale in quo tantum est unica unio. Da compositum reale in quo sunt plures uniones: compositum integrale extensivum.

Proba admittendas esse plures uniones in isto: quia si esset tantum unica unio illa deberet necessario replicari, et esse in pluribus locis simul, et semper in omnibus in quibus sunt partes integrales istius totius extensivi. Cur hoc nequit fieri? quia res materialis non potest naturaliter replicari, ita ut esse in pluribus locis simul.

Da aliquod compositum reale quod tantum habet unicam unionem realem? compositum ex indivisibili natura materiae primae Christi et subsistentia divina.

Proba tantum posse esse unicam unionem in illo composito: quia alterum extremum nempe subsistentia divina est subiectum incapax realis unionis, quia si haberet unionem realem debuisset subsistentia divina realiter fuisse mutata in incarnatione Verbi divini, hoc autem est impossibile.

An in composito physico sit admittenda duplex unio physica, una in materia prima, altera in forma substantiali? aliqui probabiliter ponunt duplicem unionem physicam, unam in materia prima proxime, alteram autem in forma substantiali; probabilior tamen nobis videtur esse illa sententia quae dicit tantum esse unicam unionem physicam in indivisibili parte corporis naturalis.

Quo fundamento nos ponimus tantum esse unicam unionem physicam? quia in primis compositum reale ex genere suo non requirit plures uniones, nec potest specialis ratio dari cur compositum physicum requirat plures uniones, ergo dicendum est tantum dari unicam unionem physicam in indivisibili parte integrali corporis naturalis.

Proba compositum reale ex genere suo non requirere plures uniones: quia si ex genere suo requireret plures uniones quodlibet compositum reale deberet plures uniones habere, hoc autem falsum est, quia Christus quatenus est compositum metaphysicum habet tantum unionem in natura humana, nullam autem habet quae sit intrinseca subsistentiae divinae.

In quo subiectatur proxime unio physica? quidam dicunt illam subiectari proxime in utroque extremo, nos autem dicimus illam subiectari in uno extremo tantum.

Quodnam est fundamentum nostrae sententiae? quia non sunt multiplicanda subiecta proxima sine necessitate, unicum autem subiectum sufficit.

Quodnam est illud subiectum materia prima, an forma substantialis? etiam incertum est, quidam dicunt illam inesse proxime formae substantiali, nos autem dicimus illam proxime inesse materiae primae.

Quodnam est nostrum fundamentum? quia putamus unionem debere esse in illo subiecto in quo sunt dispositiones ad formam substantialem, illae autem insunt materiae primae.

[illegible] formae substantiali? quia multa ex illis accidentibus manent quando forma substantialis mutatur, et perit. Unde colligis illas non inesse formae substantiali? hoc autem non fieret si subiectarentur in forma, quia pereunte subiecto pereunt eius accidentia.

Qualis est unio physica materialis an spiritualis? in corporibus distinctis ab homine semper est materialis, quia tam materia quam forma ibi materiales sunt.

Qualis est unio physica in homine materialis an spiritualis? pendet ab eo in quo proxime subiectatur, si subiectatur proxime in sola anima rationali tunc erit spiritualis, in sententia autem nostra quae tenet illam proxime subiectari in sola materia tunc est materialis.

Qualis est ista unio in homine secundum illos qui dicunt illam proxime subiectari in utroque extremo? materialis.

Quare est potius materialis ratione materiae quam spiritualis ratione animae rationalis? quia res spiritualis debet esse independens ab omni materia tanquam subiecto sustentante, non est autem sic independens si vel unum subiectum habeat quod sit materia.

De Deductione formæ de potentiâ Materiæ

Quid formam educi e potentiâ materiæ? est formam pro-
duci a subiecto dependenter sustentante.
An omnis forma educatur e potentiâ materiæ? non.
Da ergo formam quæ non educitur e potentiâ materiæ: anima ratio-
nalis. unde probas? quia est spiritualis et immortalis, ut ex se demonstrat;
ergo independens est a materia, naturaliter enim existit extra
omnem materiam post mortem hominis.
Quid tum cum per hoc non probetur quod non dependeat a materiâ tamdiu
quam homo vivit? imo etiam hoc ex eo colligitur, quia quod semel natura-
liter est independens a materiâ semper est ab illâ independens.
Quomodo ergo fit quod anima rationalis semper primo producatur in mate-
riâ si ab illâ non dependeat? hoc contingit propter decretum authoris naturæ
qui non decrevit aliter animam producere nisi in materiâ prius ad illam
dispositâ.
Da formam præter animam rationalem quæ non educitur e potentiâ ma-
teriæ: natura animæ rationalis.
An subsistentia animæ rationalis etiam educatur e potentiâ materiæ? imo
quia producitur in naturâ animæ dependenter ab illâ tanquam subiecto
sustentante.
Da formam condistinctam ab animâ rationali quæ non educitur e potentiâ
materiæ: non datur.
Cur non aliquâ forma accidentaria? quia etiam formæ accidentariæ ~~[illegible]~~
omnes quando naturaliter producuntur dependent a subiecto sustentante.
An ergo accidentia angelorum educantur e potentiâ materiæ? ita.
Quomodo cum angelus non habeat materiam primam? non refert.
An ergo materia hic non sit idem quod materia prima? non.
Quomodo ergo se habent materia prima et materia hic? ut magis et minus
communia, (magis communis est materia.)
An accidens hic possit esse materia? ita.
Da accidens quod sit hic materia: quantitas respectu albedinis.
Declara esse materiam: quia est subiectum, (materia enim hic idem est
quod subiectum.)
Da quod non est hic materia: præsentia localis, et similes puri modi,
non sunt enim subiectum ullius formæ realiter distinctæ.
An accidentia supernaturalia etiam educantur e potentiâ materiæ? ita
quia dependent tam bene a subiecto sustentante quam illa quæ natura-
lia sunt.
An possit dari aliquod accidens quod non educatur e potentiâ materiæ? imo.
Da tale: albedo existens extra omne subiectum.
An formæ quæ educuntur e potentiâ materiæ educantur per eductionem pro-
priè dictam? non, quia eductio propriè dicta debet esse motus localis, etiam

autem formę non educuntur e potentia materię per motum localem. 21
ostende quod non: quia quod educitur per motum localem ex aliquo debet
prius in illo fuisse et quodammodo intus contentum, iam autem forma
quę educitur e potentia materię non extrahitur formis per motum localem,
sed quę virtualiter ante continebatur in subiecto seu materia incipit in illa
existere formaliter, et ab illa dependere.

An dentur plures formæ substantiales in

eadem materia? in aliqua materia totali bene possunt dari
diversę formę partiales informantes etiam diversam materiam
partialem.
declara hoc bene posse fieri in totali materia prima: equibus sunt plu-
res formę substantiales partiales ipsius equi, alia enim est forma capitis,
alia pectoris.
An in eadem materia secundum idem sui sint plures formę substantia-
les? ita, quidem successive.
declara quod successive: quia sic materia prima hominis post eius
mortem acquirit formam cadaveris, et postea iterum unam aliam,
unde de eo etiam controversia est.
An materia prima secundum idem sui habeat plures formas substan-
tiales simul? dubium est, nos dicimus quod non.
Quo fundamento? isto principio, non sunt multiplicanda entia sine
necessitate: nulla enim est necessitas agnoscendi plures formę sub-
stantiales in eadem materia simul.
An hoc non repugnet aristoteli? non.
Quomodo cum aristoteles doceat quod foetus humanus primo vivat vita plantę
deinde vita bruti deinde vita hominis? non repugnat.
Quomodo cum ex eo sequatur quod in homine sint simul tres illę formę
substantiales, anima plantę, anima plantę, et anima hominis? non sequitur.
Quomodo cum ex dictis aristotelis sequatur quod foetus humanus debeat prius
habuisse animam plantę? hoc non sequitur.
Quid ergo vult sibi aristoteles per illam doctrinam? vult quod homo in initio
vitę suę maxime exerceat operationes animę vegetativę, quia tunc maxi-
me crescit, secundo antequam perfecte exerceat operationes animę ratio-
nali proprias prius incipit elicere operationes animales et sentire
item moveri localiter.
Ostende ex eo non sequi quod in homine debeant esse illę tres animę: quia
omnes illę operationes bene possunt produci ab eadem forma nempe ab ani-
ma rationali, quę prius disposita est ut eliciat operationes animę vegetativę,
deinde sensitivę, et tandem illas quę sunt proprię animę rationalis.
An sic bene probetur, quod forma substantialis plantę non sit in homine, quia
sic homo esset planta? non.
Cur homo non esset planta facta illa suppositione, quia ad plantam non suffi-
cit ut aliquid habeat formam vegetativam tantum qualemcumque modo, sed
requiritur ut habeat talem formam vegetativam tantum quę sit completiva, talis
autem non est forma illa vegetativa tantum quę reperitur in homine supposito
quod sint plures formę substantiales in homine, quia forma illa plantę sine
admittit iterum aliam formam substantialem in eadem materia prima.
An homo non erit brutum si habeat formam sensitivam tantum? non, quia cum
illa forma sensitiva tantum habet insuper animam rationalem, et sic illa for-
ma sensitiva non est completiva, ad brutum autem requiritur ut habeat formam
sensitivam quę sit completiva.
An in ferro ignito non sint plures formę substantiales simul? non.
Quomodo cum in illo sit simul forma substantialis ferri, et forma substan-
tialis ignis? nego.
quidnam ergo ex istis duabus est in illo et quę non? forma substantialis
ferri est in ipso, non autem forma substantialis ignis.
unde probas ibi esse formam substantialem ferri? quia sit ferrum ex quo extrahatur

statim iterum apparebit esse ferrum, ergo etiam quando ferrum erat ignitum,
erat ibi forma substantialis ferri.
Proba illam consequentiam: quia nequit dari causa a qua de novo producatur forma
ferri quando ferrum ignitum frigescit.
Quomodo in ferro ignito non est etiam forma substantialis ignis cum de illo
exsiliant partes ignis? Hoc non refert quia partes ignis quae tunc exsiliunt
illae non erant partes ferri, sed continebantur solum in poris ferri.
Quomodo illa recte dicuntur cum in ferro candente appareat esse forma sub-
stantialis ignis per totum? Ita quidem apparet propter splendorem et calorem
ipsius ferri.
Quomodo ergo non dicimus quod forma substantialis ignis sit per totum ferrum can-
dens? Quia ut in aliquam materiam sit forma substantialis ignis non sufficit quod
in illam sint aliquae dispositiones ad formam ignis, sed requiritur ut omnes
dispositiones necessariae adsint quod hic non contingit.
Declara omnes dispositiones necessarias ad formam ignis non esse in ferro
candenti? Quia ferrum candens est densum et grave, iam autem densitas et gra-
vitas repugnant cum forma ignis, quia forma ignis requirit in sua materia
raritatem et levitatem quia ignis est rarus et levis.
An in corporibus mixtis non sint simul formae substantiales omnium elemen-
torum? Ita quidem multi medici docent, nos tamen putamus illam medicorum
opinionem falsam.
Proba illam medicorum opinionem esse falsam: quia si formae substantiales
omnium elementorum sint in quolibet corpore mixto, vel omnes sunt in eadem
parte corporis mixti, vel una est in una parte, et altera in alia, neutrum
autem istorum convenienter dici potest.
Cur nequit dici quod omnes sint in eadem parte corporis mixti? Quia hoc est
impossibile, quia forma substantialis aquae et forma substantialis repugnant
inter se quoad coexistentiam, ergo eidem simul inesse non possunt.
Cur non dicitur quod forma substantialis ignis sit in una parte integrali cor-
poris mixti, et forma aquae in una alia parte? Hoc nequit cum apparentia
dici de corporibus mixtis homogeneis, id est quae sunt eiusdem naturae per totum,
ut sunt v.g. lapides.
An per Deum possent simul esse plures formae substantiales in eadem mate-
ria? Imo, quia in primis in eadem materia replicata possunt esse plures formae
substantiales, unde eadem materia replicata hic et Romae, posset hic habere formam
aquae, Romae autem formam ignis.
An hoc nequeat fieri sine replicatione per Deum? Imo, quia saltem difficulter
defenditur quomodo hoc de facto non fiat naturaliter, ut patet de ferro can-
dente. Ergo non videtur cum ulla apparentia posse negari quin hoc sit possibile
per Deum.
Dic modum quo potest fieri per Deum ut plures formae substantiales simul
sint in eadem materia: quia fieri potest ut in materiam habentem unam formam
substantialem introducantur dispositiones connaturales pro una alia forma
substantiali quae non repugnent cum dispositionibus necessariis ad priorem formam,
tali autem casu videtur introducenda nova forma substantialis simul cum antiqua;
v.g. aqua potest multum alterari, et tamen retinens formam substantialem
aquae, sic ut dispositiones quas aqua alterata obtinet sint connaturales pro una
nova forma substantiali, tunc videtur fieri posse quod saltem per Deum
sint simul plures formae substantiales in eadem materia.
Quare ergo naturaliter tunc non sint plures formae substantiales in eadem
materia? Non potest efficax ratio naturalis istius dari, probabilis autem haec esse
videtur quia non introducitur forma substantialis nova tamdiu quam sunt dis-
positiones sufficientes pro antiqua; accedit etiam limitata capacitas materiae
quae non videtur esse sufficiens ad sustentandum naturaliter simul plures
formas substantiales.
An econtrario possit materia prima naturaliter omni forma substantiali
carere? Hoc etiam utrinque probabiliter disputari potest, nostra et communis
sententia tenet quod materia prima semper habeat aliquam formam substan-
tialem.
In quo fundatur illa opinio? In eo quod materia prima semper debeat naturaliter
loquendo habere dispositiones sufficientes ad aliquam formam substantialem.

Unde probatur ex eo quod materia prima nunquam possit esse sine calore et
frigore nunquam etiam potest esse sine humiditate et siccitate simul, quia
calor et frigus sunt contraria immediata, ergo nunquam simul absunt ab
eodem subiecto capaci; et idem est de humiditate et siccitate.
Quid hoc ad rem? Iam autem ex eo sequitur quod materia semper habeat
dispositionem sufficientem ad aliquam formam substantialem, quia sive habeat
multum sive parum de calore semper habebit dispositionem pro aliquâ formâ
substantiali.
Proba nihilominus posse fieri ut materia prima possit carere omni formâ sub-
stantiali: quia possunt ex materiâ primâ hominis v.g. expelli dispositiones
necessariae ad animam rationalem per ignem aliquem eo quod inducantur dispositiones
sufficientes ad formam ignis; tunc ergo in intermedio tempore videtur quod illa
materia hominis carebit omni formâ substantiali, quia anima rationalis
sit exclusa, et forma ignis nondum advenit.
Quid respondendum est ad illud argumentum? concedendum est quod prius tem-
pore anima rationalis excludatur quam introducatur forma ignis ut probat
evidens experientia in homine semicombusto.
Declara quod cadaver post exclusam animam rationalem, et ante adventum
formae ignis non sit destitutum omni formâ substantiali: quia tempore illo inter
medio illud cadaver licet nondum habeat dispositionem ad formam ignis, habet
tamen dispositiones ad unam tertiam formam substantialem quae tempore in-
termedio informet illam materiam.
Quid tum cum ignis non possit illam formam substantialem introducere? non
refert, quia Deus tali casu supplet defectum causae secundae, ac proinde ipse
solus producit tunc formam substantialem convenientem isti dispositioni.



Admiraris,
Lector amande,
Haec quid turris
Significare
velit? haud opus est
toti mundo
Satis est notum.
Horum est frater
Qui chartarum
Lusu semper
Se se exercent,
et progressum
studijs in suis
faciunt nullum.
Horum est frater
Delectamen
Qui repperiunt
magnum in potu
Plus et diligunt
Bacchi dona
Quam bene Libros
utiliores.
Horum est frater
Qui Louanij
Studium inceptum
mox destituunt,
atque paternam
Adeunt tecta.

Liber Secundus Physicorum

De Naturis Causisque

Divisio Eorum quae sunt.

Diuide ea quæ sunt: Diuiduntur in ea quæ sunt ob alias causas, et in ea quæ sunt naturâ.

Quodnam est diuisum istius diuisionis? ea quæ sunt.

Quid ea quæ sunt? sunt composita realia.

An non sunt idem quod res actu existentes? non.

Quomodo ergo se habent ea quæ sunt, et res actu existentes? utrumque sunt petrus et paulus qui de facto existunt.

Da ea quæ sunt prout hic, et non existunt de facto: composita realia mere possibilia ut antechristus.

Da rem actu existentem quæ non est prout hic intellectus, quia non est compositum reale.

Quibus casus est natura quando dicitur eorum quæ sunt quædam sunt naturâ? ablatiui casus, corpora enim naturalia hic sunt naturâ, illa tamen non sunt naturæ in nominatiuo.

Quid ea quæ sunt naturâ? quæ componuntur ex ~~partibus~~ naturis tanquam partibus physicis ut talibus.

Da omnia quæ sunt naturâ? omnia corpora naturalia, et illorum partes integrales.

Da compositum reale quod non est naturâ: albedo integraliter composita, non enim componitur ex partibus physicis quia est accidens.

Da substantiam realiter compositam quæ non est naturâ prout hic: angelus qui componitur realiter ex naturâ et subsistentiâ.

Cur angelus non est natura prout hic? quia non componitur physice.

Da compositum ex naturis physicis quod non est natura prout hic: in primis materia prima integraliter composita constat ex naturis physicis tanquam partibus integralibus, et tamen illa non est naturâ prout hic, quia non componitur physice ex naturis.

Da compositum ex naturis diuersæ speciei quod non est natura prout hic: compositum per accidens ex animâ rationali et animâ bruti.

Da compositum ex materiâ primâ et formâ substantiali quod non est natura prout hic: compositum per accidens ex materiâ primâ sublunari, et forma substantiali coeli, quia non componitur ex naturis tanquam partibus physicis, quia partes physicæ ut tales debent constituere compositum per se, ista autem tantum constituunt compositum per accidens.

Da compositum ex naturis diuersæ speciei ad se mutuo ordinatis quod non est natura prout hic: domus, lectus, et similia composita per accidens.

Quare illa non sunt naturâ? quia non componuntur ex naturis tanquam partibus physicis ut talibus.

Quid ergo requiritur ad hoc ut aliquid sit compositum naturale? ut sit corpus naturale vel pars integralis eius, quia partes physicæ non sunt physicæ ut sic nisi respectu illorum.

An natura humana etiam sit naturâ in ablatiuo? non.

Quomodo enim componitur ex naturâ materiæ primæ, et naturâ animæ rationalis? non refert.

Quomodo ergo non est naturis in ablatiuo casu? quia illæ naturæ metaphysicæ non sunt integræ partes physicæ, quia integræ partes physicæ ultra naturam materiæ, et naturam formæ substantialis inuoluunt etiam substantiam.

An natura humana non sit corpus naturale? non, quia corpus naturale debet etiam includere subsistentiam.

Quomodo natura humana non est corpus naturale cum componatur physice? componitur quidem physice late (sed non stricte) corpus autem naturale debet esse compositum physicum stricte.

Quid ea quæ sunt ob alias causas? quæ componuntur realiter aliter quam ex partibus physicis ut talibus: ut scamnum.

Quid sunt aliæ causæ quando dicitur aliquid esse ob alias causas? sunt partes realiter distinctæ a partibus physicis ut talibus.

Da compositum ex naturis quod est ob alias causas: materia prima integraliter composita, componitur enim ex pluribus naturis, sed illæ non sunt partes physicæ

respectu materiae sed integrales.

Da compositum ex naturis diversae speciei quod est ob alias causas: domus.

An idem possit esse natura et etiam ob alias causas? imo, tale est homo, quia est corpus naturale, et eatenus est ex naturis, deinde componitur integraliter et metaphysice et eatenus componitur realiter ex partibus distinctis a physicis.

An homo quatenus compositum logicum sit ob alias causas? non.

An homo sic consideratus sit natura? non.

Ostende hominem sic consideratum nec esse naturam nec ob alias causas: quia homo consideratus tanquam compositum logicum non est compositum reale.

Quomodo se habeat id quod est natura et id quod est ob alias causas? utrumque est datum in composito homo.

Da quod est ob alias causas et tamen non est natura: albedo integraliter composita item scamnum, sedes et similia composita per accidens.

Da contra quod est natura et non ob alias causas: non datur, quia hoc ipso quo aliquid est natura debet esse compositum physicum stricte seu corpus naturale, omne autem corpus naturale debet esse ob alias causas, quia omne corpus naturale debet componi metaphysice ex natura et subsistentia, et eatenus semper erit ob alias causas.

An compositum physicum late etiam debeat semper componi metaphysice? non, quia natura humana est compositum physicum late, quatenus componitur ex natura materiae et formae substantialis, et tamen illa non componitur metaphysice, quia id quod componitur metaphysice debet includere subsistentiam tanquam partem sui, iam autem talis natura nullam subsistentiam involvit.

Da discrimen inter illa quae sunt natura et illa quae sunt ob alias causas? Et inter illa assignat Aristoteles hoc discrimen, ea quae sunt natura habent in se principium principale motus et status: ea vero quae sunt ob alias causas non habent in se tale principium quo quidem tanquam nomine proprio appellantur.

Unde probas quod ea quae sunt natura habeant in se tale principium? quia habent in se materiam primam et formam substantialem, illa autem sunt principium principale motus et etiam status seu quietis, per statum autem hic intelligitur quies.

Quid principium principale in hoc discrimine? principium quod non praesupponit aliud principium creatum a se condistinctum tanquam se prius.

Cur dicis principium creatum? quia alioquin nulla forma substantialis esset principium principale motus aut quietis.

Ostende quod non: quia quaelibet forma substantialis praesupponit Deum tanquam principium se prius.

Cur dicitur condistinctum? quia alias iterum forma substantialis non foret principium principale.

Ostende quod non: quia forma substantialis praesupponit aliud principium non condistinctum, nempe corpus naturale quod est causa principalis quae operatur mediante forma substantiali tanquam suo instrumento.

An illa quae sunt ob alias causas non habeant in se principium principale motus et quietis? imo.

Da talia: ut scamnum, domus, et similia composita artificialia.

Declara quod illa habeant in se tale principium principale: quia etiam habent in se materiam primam et formam substantialem.

In quo consistit hoc discrimen Aristotelis in contrarietate an in contradictione? In contrarietate, quia utraque pars istius discriminis est universaliter vera.

Declarando priori parte: quia omnia quae sunt natura sive corpora naturalia habent in se materiam primam et formam substantialem tanquam principium principale motus et quietis et ab illo nomine proprio appellantur corpora naturalia.

Quomodo posterior pars discriminis potest esse universaliter vera cum iam dictum sit quod etiam composita artificialia habeant in se principium principale motus et quietis? non valet, quia equidem non habent tale principium a quo nomine proprio appellentur saltem ex toto suo genere.

An ergo domus et sedes non recte dicantur materialia? imo.

Quomodo ergo non appellantur nomine proprio a principio principali motus et quietis quod est materia? licet illa ex specie sua hoc habeant quod a tali principio possint appellari materialia, non habent tamen hoc ex toto suo genere.

Declara: quia si hoc haberent ex toto suo genere omnia illa quae sunt ob alias causas deberent hoc habere quod appellarentur materialia a materia prima, hoc autem falsum est.

Da quod est ob alias causas, et nequit materiale appellari: angelus. ille est ob alias causas quia componitur metaphysicè, ille tamen nequit appellari materialis, sed spiritualis.
Cum quo debet coniungi illa particula, quo quidem tanquam proprio appellantur? illa particula afficit utramque partem tam priorem quam posteriorem.
Declara quod priorem afficiat: quia omnia corpora naturalia habent in se principium principale motus a quo nomine proprio appellantur corpora naturalia hoc ipso quo habent materiam primam et formam substantialem, quia illa sunt naturæ ut post videbitur, et ab illis corpora naturalia vocantur nomine proprio naturalia.
Declara quod illa particula etiam afficiat posteriorem partem disiunctivè: in primis, quia illa particula coniungitur immediatè cum ista posteriori particula: et deinde nulla ex istis quæ sunt ob alias causas habent in se tale principium principale motus aut quietis a quo appellantur nomine proprio ex toto genere.

Definitio Naturæ

An illa vox natura sit univoca? non, sed æquivoce significat valde multa, quia æquivoce significat nativitatem, a qua dicitur naturalis, naturam metaphysicam, et etiam naturam physicam.
In qua significatione accipitur illa vox natura? in illa in qua significat principaliter naturam physicam, et de natura sic accepta hic agendum est.
Quid natura? R. definitur ab Aristotele est principium et causa eius movendi atque quiescendi in quo primo per se, et non per accidens inest.
Quodnam est definitum huius definitionis? natura physica prout illa comprehendit materiam primam et formam substantialem.
Quomodo se habent natura et principium physicum? utrumque est materia prima in genere, item forma substantialis in genere.
Da naturam quæ non est principium physicum: hæc materia prima, item hæc anima rationalis.
Ostende illa non esse principia physica: quia ex hac materia non oportet esse vel fieri omne corpus naturale, quia non illud quod constat materia prima distincta ab hac, similiter ex hac forma substantiali non debet esse vel fieri omne corpus naturale.
An quælibet natura universalis sit principium physicum? non.
Da naturam universalem quæ non est principium physicum: anima rationalis, item forma substantialis equi.
Declara quod illa non sint principium physicum: quia ex illis non debet esse vel fieri lapis aut lignum, et consequenter non omne corpus naturale debet esse vel fieri ex ipsis.
Da principium physicum quod non est natura: privatio formæ substantialis, illud enim non inest essentialiter corpori naturali, natura autem debet inesse essentialiter corpori naturali, ut post magis patebit, ergo ante petita excedunt se.
Da genus definiti in hac definitione: principium et causa.
An sint eadem principium et causa? non.
In quo differunt principium et causa? in eo quod causa dat alteri esse cum dependentia, principium autem dat esse sine cum dependentia, vel sine dependentia.
Quomodo se habent principium et causa? ut magis et minus communia quia omnis causa est principium, non contra.
Da principium quod non est causa: pater in divinis est principium respectu filii, non tamen causa.
Quare non? quia pater in divinis non dat filio in divinis esse cum dependentia, filius enim in divinis non dependet a patre, quia dependere imperfectionis est quod in personam divinam cadere non potest.

Declara quod illud genus definiti pateat latius quam natura: quia etiam bruti
Calor est principium et causa respectu alterius caloris, non tamen est natura, sic
similiter Deus est principium et causa respectu creaturarum, et tamen non est natura.
Quare illa non sunt natura? quia non insunt essentialiter corpori naturali
respectu cuius vel natura debet esse principium et causa, respectu motus vel
quietis in corpore naturali cui inest.
Qualis causa debet esse natura respectu motus vel quietis? materia prima debet
esse causa materialis, forma substantialis autem causa efficiens.
Quid moveri? est subiectum transire ab una forma ad aliam.
Da quod movetur: homo qui ambulat, transit enim ab una praesentia ad aliam.
An per moveri non debeat intelligi hic motus physicus? posset quidem salva con-
vertibilitate definitionis sic restringi, non est tamen ulla necessitas sic restrin-
gendi.
An moveri recte definiatur esse id cuius motus inest intrinsece? non.
Da cui motus insit intrinsece et tamen non movetur: hic motus, quia motus in ge-
nere inest huic motui quarto modo.
Cur hic motus non movetur? quia non transit ab una forma ad aliam, motus enim
est aliquid successivum quod secundum idem sui non existit pluribus instan-
tibus, id autem quod movetur secundum idem sui modo debet esse sub una forma,
modo sub alia.
An compositum ex homine et ambulatione non movetur? imo.
Quomodo enim hoc movetur essentialiter? est verum quia motus est de essentia talis
compositi, hoc ipso quo ambulatio est de essentia eius.
Quare ergo non movetur? quia particula illa essentialiter est alienans respectu
vocis movetur.
Quare illud compositum nequit moveri proprie a frigore ad calorem? quia illud
compositum secundum idem sui non existit pluribus instantibus, quia ambulatio
quae est una pars istius compositi continuo variatur, id autem quod movetur pro-
prie secundum idem sui modo debet esse sub una forma, modo sub una alia.
An omnis res quae secundum idem sui existit pluribus instantibus continuis possit
moveri? non.
Quaenam ergo tales res nequeunt moveri? Deus, item puri modi.
An id quod potest moveri possit moveri semper? non.
Quando res mobilis nequit moveri? primo instanti suae existentiae nulla res potest
moveri, quia id quod movetur debet acquirere aliquam formam, sic ut abiiciat unam
aliam prius habitam, ergo necessarium est ut prius habuerit aliam formam,
et consequenter ut prius fuerit, quia non poterat illam formam quam abiicit
habuisse nisi quando ipsum subiectum erat.
An semper secundo instanti suae existentiae possit moveri res mobilis? non, quia
si res uno instanti existat, et postea destruatur, et post hoc iterum reproducatur
primo instanti istius reproductionis non poterit moveri talis res, quia id quod mo-
vetur debet immediate ante fuisse sub illa forma quam abiicit.
An moveri recte definiatur, esse esse subiectum motus? non, quia aliquid primo
instanti suae existentiae bene potest esse subiectum motus, non potest tamen aliquid
primo instanti suae existentiae moveri.
Quale subiectum motus potest esse res primo instanti suae existentiae proximum
an remotum? potest esse subiectum remotum motus.
Da quod primo instanti suae existentiae est subiectum remotum motus. R.
Tale quid potest esse materia prima, si quantitas existens extra omne subiec-
tum habeat albedinem, et sequenti instanti acquirat nigredinem, sic ut in eodem
instanti producatur materia prima, et simul in illa materia ponatur ista quan-
titas cum ista nigredine.
An interim non possit aliquo modo tolerari illa definitio moveri est esse sub-
iectum motus? imo.
Qua ratione? si explicetur hoc modo: est esse subiectum motus quod per istum mo-
tum transit ab una forma ad aliam.
Quid quiescere hic? generaliter est non moveri, aptum tamen esse moveri,
vel consistere sub termino per motum acquisito.
Quotupliciter ergo aliquid dicitur moveri? dupliciter, scilicet privative et positive.
Quotupliciter aliquid dicitur quiescere hic? dupliciter, privative, et positive.
Quid quiescere privative? est non moveri, aptum tamen esse moveri.
Quid quies privativa? est absentia motus a subiecto capaci istius motus.
ut absentia motus a petra.
Da quod nequit quiescere privative: Deus, quia Deus non est aptus moveri.
Quomodo ergo dicitur Deus requievisse die septimo ab opere in Scriptura? sive
Deus dicitur quievisse quia cessavit ab actione, non autem ideo quia cessavit a

motu cuius erat capax.
Da rem creatam quae nequit quiescere privative: primo modo, quia non fuit apta moveri.
Quid quiescere positive? est consistere sub termino per motum acquisito.
Sic aqua quae hoc instanti acquirit calorem, sequenti instanti quiescit positive sub isto calore, supposito quod istum calorem sequenti instanti retineat.
Quid quies positiva? est consistentia mobilis sub termino ad quem per motum acquisito.
Quid a parte rei illa consistentia? nihil aliud quam unio mobilis cum termino ad quem motus, qui terminus immediate ante uniebatur isti mobili.
An debeat immediate ante fuisse unitus per eandem unionem? non est necesse, sive per eandem unionem, sive per diversam.
Verumtamen si semper fuerit unitus per eandem unionem, quiescere positive tantum tertio et quarto instanti suae existentiae potest res quiescere positive; tantum tertio et sequentibus, quia tantum secundo instanti suae existentiae potest res moveri, ut manifestum est; potest autem tantum quiescere positive postquam fuit mota.
Proba nihilominus quod unio mobilis cum termino motus possit primo instanti suae existentiae esse quies positiva: quia fieri potest quod ille terminus prius fuerit per motum acquisitus, et postea uniatur eidem mobili per novam unionem; tunc autem illa nova unio pro primo instanti suae existentiae erit quies positiva.
Da casum quo hoc naturaliter contingit: contingit tunc quando aqua acquirit calorem ab igne per motum, supposito quod ille calor postea conservetur a solo Deo; conservatio enim illa Dei tunc est nova actio distincta ab ea qua Deus et ignis simul produxerunt istum calorem; ergo etiam debet esse nova unio [illegible].
Proba illam consequentiam: quia unio ista caloris est eadem a parte rei qua producitur iste calor vel conservatur; iam autem actiones semper variantur quando variatur principium, ut contingit in casu nostro, quia ut supponitur primo Deus et simul ignis produxerunt calorem quem Deus postea conservat solus.
An possit aliqua res primo instanti suae existentiae esse subiectum quietis positivae? immo si sit tantum subiectum remotum talis quietis.
Da aliquid quod primo instanti suae existentiae sit subiectum quietis positivae: ut quando quantitas positive quiescit sub calore, prima poterit tunc primo instanti suae existentiae esse subiectum quietis positivae, si eodem instanti primo producatur quo quantitas illa quiescit positive, et tunc illa quantitas simul cum sua quiete pendet in ista materia.
An idem possit simul moveri et quiescere? idem non potest simul moveri et quiescere privative; bene potest tamen aliquando simul moveri et quiescere positive.
Quare idem nequit simul moveri et quiescere privative? quia motus et quies privativa sunt opposita privative; privative autem opposita non possunt simul inesse eidem.
Ostende quod aliquid possit simul moveri et quiescere positive: sic aqua habens quatuor gradus caloris potest positive quiescere sub quarto gradu, et interim simul moveri ad quintum gradum.
Da quod movetur et non quiescit positive: talis est omnis illa res quae movetur secundo instanti suae existentiae, quia res potest demum quiescere positive tertio instanti suae existentiae.
Da e contra aliquid quod quiescit positive et non movetur: sic aqua calida supposito quod quiescat positive sub calore, nullo autem motu moveatur.
Quid determinant illae particulae primo, per se et non per accidens? iuxta obliquum intellectum determinant verbum inest.
Cur potius quam genus definiti? quia immediatius coniunguntur cum particula inest, deinde talia adverbia magis sunt apta determinare verbum quam nomen.
Quid inesse primo? idem quod inesse immediate, sive non mediante aliquo alio.
Declara quod materia prima et forma substantialis insunt immediate corpori naturali: quia nullo mediante insunt illi.
Quomodo? cum insint mediante unione? non refert, quia non insunt mediante vel alio tanquam extremo, prout hoc debet hic intelligi.
Quid inesse per se? idem quod inesse essentialiter.
Declara quod naturae insint essentialiter corpori naturali: quia insunt illi per modum partium physicarum.
Quid inesse non per accidens? est sic inesse alteri ut constituat cum unius naturae.
Quomodo se habent id quod inest per se, et id quod inest non per accidens? utrumque est materia prima et forma substantialis respectu corporis naturalis, item materia prima respectu eiusdem.
Da quod inest alicui per se tantum: sic paries inest composito per accidens ex pariete et albedine.
Da quod inest non per accidens tantum: caput sic inest petro.
Declara quod insit non per accidens petro? quia constituit petrum tanquam cum

venit naturae.
Declara quod non insit petro per se? quia non est ipsi essentialiter sed per modum
partis integralis, verum ante posita [illegible] se.
An istae particulae primo per se et non per accidens possint determinare genus
definitionis? imo sunt a pluribus sic explicatur definitio.
Quid tunc erit causa primo? idem quod causa principalis.
Quid causa principalis hic? est causa quae non praesupponit aliam creatam
~~[illegible]~~ condistinctam se priorem.
Cur dicitur creatam? quia causa principalis hic bene praesupponit aliam causam
sed increatam quae ipsa mediante operetur, sic enim causae secundae seu creatae
praesupponunt deum qui operatur mediantibus ipsis.
Cur dicitur in definitione condistinctam? quia causa principalis hic bene prae-
supponit aliam causam non condistinctam, ut forma substantialis prae-
supponit corpus naturale cuius est pars, quod corpus operatur mediante forma
substantiali tanquam suo instrumento.
Ostende quomodo utraque natura sit causa principalis eo modo: quia materia
prima est causa principalis passiva, forma substantialis autem est causa
principalis activa.
Quid causa per se? est causa determinata ex propensione naturae suae
ad ponendum effectum ad quem comparatur.
in quo differt a causa non per accidens? non differt, quia particulae illae per se
et non per accidens, quando afficiunt genus definiti, sumuntur tanquam syn-
onima.
Quam inexistentiam significat particula *in* in verbo inest? inexistentiam
partis physicae in toto.
An gravitas lapidis non continetur hac definitione? non.
Quomodo cum sit causa quare lapis moveatur deorsum? non refert.
Ostende eo non obstante gravitatem excludi: quia gravitas non est causa
ut id moveatur atque quiescat in quo inest per modum partis physicae, quia
gravitas nulli inest per modum partis physicae, quia sola materia prima
et forma substantialis insunt per modum partis physicae.
An omnis motus quem natura causat in corpore naturali debeat ipsi
esse naturalis? non, quia materia prima etiam causat motum violen-
tum corpori naturali cui inest, ut quando lapis projicitur sursum motus
ille est violentus lapidi, seu contra naturam lapidis, et tamen causatur
a materia lapidis tanquam a subiecto sustentante.
An motus qui efficitur a forma substantiali corporis naturalis sit ipsi na-
turalis? imo, unde etiam saltus hominis sursum est ipsi naturalis, quia
fit a forma substantiali ipsius nempe anima rationali.
An ad hoc ut motus sit naturalis corpori requiratur ut efficiatur ab eius
forma? non, quia sic motus coelorum est ipsis naturalis etiamsi suppo-
natur quod coeli non moveantur a propria forma, sed ab intelligentiis
seu angelis.
An frigefactio possit esse naturalis aquae etiamsi non fieret a forma aquae?
imo, si videlicet frigus illud produceretur ab aliquo extrinseco agente.
Quomodo materia prima potest contineri hac definitione cum non sit causa
per se prout hic? imo est causa per se.
Quomodo cum non sit causa determinata? imo est causa determinata prout
hic.
Quomodo cum ipsa sit indifferens ad omnem motum? non refert, quia equidem
est determinata eatenus, quia tantum potest causare motum in illo corpore
cui inest, sic ut non possit causare motum in alieno corpore, quia non potest
esse subiectum motus recepti in alio corpore.
An forma substantialis non possit efficere motum in alio corpore? imo, ut
quando homo fert lapidem anima rationalis hominis tunc efficit motum
in lapide.
Quomodo ergo forma substantialis est determinata ad causandum motum in
corpore naturali cui inest? absolute non est determinata ad hoc ut motum
probat obiectio, sed tantum certum motum quem causat in corpore cui inest
non potest causare in alio corpore, ut ambulationem quam facit anima
petri in petro non potest causare in Joanne, quia ille motus ambulationis

respicit essentialiter extremum.
An anima rationalis etiam continetur definitione naturae? Imo. 4
Quomodo cum illa non sit causa determinata ad unum, sed libera? Est quidem causa
libera respectu multorum effectuum quos producit, interim tamen ex na=
tura sua est determinata ad plures effectus quos producit in illo corpore
naturali cui inest, ut quae naturaliter et necessario causat motum deorsum
quando homo cadit ex tecto. Similiter motum nutritionis efficit necessario
in homine quando dormit.
An forma substantialis coelorum etiam continetur definitione naturae? Valde
dubium est an coeli habeant formam substantialem, et supposito quod illam
non habeant tunc quaestio supponit falsum; supposito autem quod coeli ha=
beant formam substantialem, tunc dico etiam illam hic contineri.
Quomodo cum forma substantialis coelorum mobilium tantum causet mo=
tum, sed non quietem? Etiamsi ita esset non referret, quia particula illa atque
mutanda est in conjunctionem disjunctivam, adeoque ut aliquid contineatur hac de=
finitione satis est quod causet alterutrum, nempe vel motum, vel quietem.
An re vera forma substantialis coelorum mobilium non causet aliquam
quietem? Imo, in primis potest causare aliquam quietem positivam in tali=
bus accidentibus ut quae sub influentiis coelestibus; potest etiam causare ali=
quam quietem localem, quia cum motus coelorum non sit aeternus
saltem secundum omnes suas partes, aliquando etiam coeli quiescunt secun=
dum aliquas partes ut probabile est.
An forma substantialis coeli empyrei quod est immobile hic continetur?
Si coelum empyreum formam substantialem habeat, etiam illa continetur,
quia licet fortasse non causat motum in coelo empyreo, causat tamen quie=
tem. Hoc autem sufficit, quia particula atque mutanda est in conjunctionem disjun=
ctivam.
An anima rationalis respectu saltus sursum continetur hic? Imo, quia est causa
ut corpus naturale moveatur per saltum, corporis inquam cui primo, per se et
non per accidens inest.
Quomodo cum ille motus non sit naturalis respectu hominis saltantis? Imo est na=
turalis respectu sui.
Quomodo cum sit contra inclinationem gravitatis? R. ~~[illegible]~~ Verum et non refert.
Declara esse verum: quia gravitas inclinat ad motum deorsum.
Declara hoc non referre: quia siquidem ille motus sursum est secundum inclina=
tionem potentiae loco motivae propriae animae rationalis. Hoc autem sufficit, quia ad mo=
tum naturalem sufficit quod sit secundum aliquam inclinationem perfectam ipsius
mobilis, ita quod non debeat esse secundum omnem inclinationem eius.
An natura metaphysica humana continetur etiam definitione naturae? non.
Quomodo cum sit causa ut moveatur corpus naturale cui inest? nego prout hic,
quia natura humana non inest homini in ~~praesentia~~ existentia hic intellecta.
Quomodo cum insit quarto modo? non refert, quia siquidem non inest in existen=
tia hic intellecta, quae nimirum aliquid inest alteri per modum partis physicae.
An saltem natura materiae primae continetur hac definitione? non.
Quomodo cum illa insit per modum partis physicae homini, et causa ut id move=
atur etc.? nego quod insit per modum partis physicae stricte; materia enim
materia prima solum est pars physica late respectu hominis; natura autem debet
inesse per modum partis physicae stricte.
Quomodo ulla forma substantialis potest contineri hac definitione cum illa non
efficiat motum corpore naturali cui inest? Imo efficit motum in illo.
Quomodo cum motus quem experimur sufficienter efficiatur ab accidentibus?
nego.
An levitas in vapore non moveat vaporem sursum sine concursu formae sub=
stantialis? Imo, quia forma substantialis vaporis est forma substantialis aquae,
illa autem non potest concurrere ad motum sursum, et consequenter etiam dici=
mus quod forma vaporis non sit natura respectu istius motus sursum.
Quare ergo non dicitur idem in aliis casibus, quod nimirum motus corporum
non fiant a forma substantiali, sed ab illorum accidentibus? Si quis hoc di=
ceret omnino evidenter refutari non posset, interim quod etiam forma debeat
concurrere probatur ex eo, quia qualitates illae aliquando operantur magis, ali=
quando vero minus, quando ergo magis vehementer operantur, hoc commu=

distinctè refertur in illud quod habeant formam substantialem sibi cooperantem.

Quid sunt habentia naturam? naturam habent inquit aristoteles quaecunque tale principium habent.

Quae omnia habentia naturam? omnia et sola corpora naturalia et illorum partes integrales.

Quid refert illud relativum tale in definitione habentium naturam? principium ante definitum quod principium est natura.

Quid habere naturam? est componi ex naturis tanquam partibus physicis ut talibus.

Quomodo ergo se habent esse naturam in ablativo, et habere naturam? convertuntur.

Da subiectum naturae quod habet naturam? nequit dari.

Quomodo cum materia prima sit subiectum formae substantialis et consequenter naturae? non refert.

Quomodo ergo materia prima non habet naturam? etiamsi illi insit natura tanquam subiecto, non habet tamen naturam prout hic, quia id quod habet naturam prout hic debet habere naturam per modum suae partis physicae, sic autem materia prima non habet naturam.

An ergo non datur natura quae habeat naturam prout hic? non.

Da aliquid cui insit essentialiter natura et tamen non habet naturam? R. haec materia prima in genere.

Quare ergo non habet naturam? quia natura illi non inest per modum partis physicae.

Da cui insit natura per modum partis realis et tamen non habet naturam? materia prima integraliter composita, quia natura inest illi per modum partis integralis, non autem per modum partis physicae.

Da cui insit natura per modum partis essentialis realis, et tamen non habet naturam? compositum per accidens ex materia prima et albedine.

Da naturam quae insit interne alteri naturae? R. sic anima rationalis petri inest interne materiae primae petri.

Da naturam quae insit interne formae substantiali? sic forma substantialis capitis equi inest totali formae substantiali ipsius equi.

Da naturam quae non insit interne alteri naturae? haec anima rationalis separata.

Da materiam primam quae non insit interne alteri naturae? haec totalis materia prima petri.

Quomodo cum insit interne composito ex se, et materia prima vicini aeris? non refert.

Quomodo cum compositum ex illis duabus materiis etiam sit natura? nego.

Quomodo cum compositum ex materia prima capitis, et materia prima colli equi? non minus quam compositum ex materia prima petri, et materia prima vicini aeris? Ratio disparitatis est quia materia prima petri, et materia prima vicini aeris tantum uniuntur unione per accidens, et sic nequeunt simul constituere naturam quae debet esse sub unius naturae, aliud est de materia capitis, et de materia colli quae uniuntur unione per se.

Quid sunt secundum naturam? sunt haec ipsa et ea quae per se his competunt.

Quid refert illa particula haec ipsa? habentia naturam.

An ergo omnia habentia naturam sunt secundum naturam? imo.

Secundum quam naturam sunt habentia naturam? secundum utramque nempe tam secundum materiam primam quam formam substantialem.

Quaenam sunt secundum naturam praeter corpora naturalia? illa quae per se competunt corpori naturali.

Quot sunt modi competendi per se? quatuor assignantur ab aristotele in libris posteriorum.

An omnes illi hic intelliguntur? non.

Quinam ergo modi competendi per se intelliguntur hic? primus et quartus.

Quid ergo competere per se hic? est competere essentialiter, vel per modum effectus suae causae determinatae ex sua naturali propensione ad talem effectum.

Da materiam primam quæ non sit secundum naturam: non datur, quia om-
nis materia prima competit essentialiter corpori naturali quod constituit, adeoque
primo modo competendi per se est; similiter omnis forma substantialis com-
petit per se alicui corpori naturali, quia competit essentialiter illi cuius est
pars physica.
An id quod est secundum naturam debeat esse substantia? non.
Da ergo quod est secundum naturam, et non est substantia: v.g. calor est se-
cundum naturam respectu ignis, calor autem non est substantia sed accidens.
Ostende calorem esse secundum naturam respectu ignis? quia est effectus
ignis qui descendit ab igne secundum naturalem propensionem ipsius ignis.
An omne accidens sit secundum naturam aliquo respectu? non.
Da accidens quod nullo respectu sit secundum naturam: fides et generatim
omnis virtus supernaturalis.
Quare illa non sunt secundum naturam ullo respectu? quia a nullo agente
naturali causantur talia secundum propensionem naturalem talis agentis,
quia nullum agens naturale propendet ex natura sua ad effectum super-
naturalem.
Contra quæ distinguuntur illa quæ sunt secundum naturam? contra illa quæ
sunt contra naturam et contra illa quæ sunt præter naturam.
An quo distinguitur violentum et id quod est contra naturam? non distinguun-
tur.
Quid violentum seu contra naturam? quod fit contra propriam incli-
nationem istius ad quod comparatur, sive ut alii loquuntur quod fit ab extrin-
seco agente passo resistente.
Da aliquid violentum: sic motus lapidis sursum est contra naturam et vio-
lentus, quia est contra inclinationem lapidis et fit ab extrinseco agente
ipso lapide resistente.
Quid præter naturam? consistit esse illud ad quod alterum indifferenter
se habet, sic nimirum ut nec illi resistat, nec etiam inclinetur in istud.
Assigna aliquid præter naturam aliquo respectu: sic albedo est præter natu-
ram respectu parietis, paries enim est perinde sive habeat albedinem sive
nigredinem, non magis enim inclinatur in unam quam in alteram.
Da aliquem motum qui est præter naturam respectu sui subiecti: motus
circularis respectu elementi ignis, ad illum enim motum ignis indiffe-
renter se habet, sic ut nec ad istum motum inclinetur, nec etiam eidem
resistat.

De Distinctione Physicâ A Scientijs Mathematicis.

An physica distinguatur a scientijs mathematicis? imo.
Quomodo, essentialiter an tantum accidentaliter? essentialiter, quia
necessario differunt ex parte obiecti totalis.
Quomodo cum quantitas sit obiectum utriusque tam physicæ quam
mathematicæ? non refert, quia quantitas est duntaxat obiectum
partiale, tum respectu physicæ, tum etiam respectu mathematicæ,
ut autem aliquæ scientiæ differant specie, satis est quod vel unum obiectum
habeant solo numero diversum, sicut conceptus de petro et paulo differunt specie

licet petrus et paulus differant solo numero.
Declara physicam et mathematicam differre partiali obiecto saltem: quia mathe-
maticus demonstrat proprietates de quantitate quod non praestat physicus, unde proprie-
tates quantitatis sunt obiectum mathematicae non autem physicae.

Divide scientiam mathematicam: dividitur in mathematicam puram et mix-
tam.

Quid mathematica pura? est mathematica quae versatur circa quantitatem
non restrictam ad certum corpus naturale, neque ad accidens sensibile proprium.
Quaenam scientiae sunt mathematicae purae? geometria, et arithmetica.

Quid mathematica mixta? quae versatur circa quantitatem restrictam ad certum
corpus naturale, vel ad accidens sensibile proprium.
Quaenam scientiae sunt mathematicae mixtae? astrologia, musica, et perspectiva.
Declara de astrologia: quia considerat quantitatem restrictam ad coelos.
Declara similiter de musica: quia considerat quantitatem restrictam ad certum
accidens sensibile proprium, nempe restrictam ad sonum.
Declara similiter de perspectiva: quia illa considerat quantitatem restrictam ad
radium visualem.
Quomodo probat aristoteles hic quod physicus debeat considerare utramque natu-
ram? quia, inquit, ars imitatur naturam: ergo sicut ad artificem spectat
considerare suam materiam artificialem et formam artificialem, ita etiam
physicus debet considerare materiam primam et formam substantialem.
Quomodo sumitur ars in isto axiomate ars imitatur naturam? concretive
non autem abstractive.

Quid ars abstractive? idem quod habitus practicus.

Quid ars concretive? idem quod artifex.

Quid artifex? est agens ex directione cognitionis sibi intrinsecae. ut sutor, sar-
tor etc. opera enim ista mechanica producunt ipsi ex directione cognitionis
intrinsecae.
An ad artificem sufficiat quod agat ex directione cognitionis? non, quia sic etiam
lapis deberet esse dici artifex, quia lapis etiam agit ex directione cognitionis
sibi extrinsecae nempe ex directione cognitionis divinae.
An omne agens cognitivum sit hic artifex? non. ut v.g. brutum.
An ergo avis aedificans non sit artifex, item hirundo nidificans? non.
Quomodo cum hirundo faciat etiam pulchriorem suum nidum quam homo vix possit
meliorem? non refert, quia non agit hoc ex directione cognitionis eo modo
quo debet operari artifex.
Quaenam ergo agentia sunt artifices prout hic? agentia intellectiva, sive angeli
et homines.

Quid natura in hoc axiomate? est agens non ex directione cognitionis
sibi intrinsecae.
An idem possit esse natura et etiam ars? imo, respectu diversarum suarum
actionum, ut v.g. homo.
Declara: quia aliqua sua opera facit homo non ex directione cognitionis sic
enim homo nutritur quando nullam cognitionem habet, nimirum quando dormit
et non somniat: calceos autem et vestes homo facit ex directione cognitio-
nis sibi intrinsecae.
Da quod est natura et non ars ullo respectu. lapis, nullam enim habet cogni-
tionem, ideoque non potest agere ex directione cognitionis sibi intrinsecae.
Da quod est artifex et non natura: deus, quidquid enim deus agit hoc agit ex
directione cognitionis sibi intrinsecae. unde ars et natura excedunt se.

Quid imitari hic? est producere effectum similem alteri intendendo similitu-
dinem cum illo.
Da quod imitatur alterum: unus pictor imitatur alterum dum producit ima-
ginem aliquam similem imagini alterius prius productae.
An ergo ars non imitetur solam naturam? non, quia ars imitatur etiam artem. ut ex dictis colligitur
In quibus artifex imitatur naturam? in multis, primo sicut natura procedit
ab imperfectioribus ad perfectiora sic etiam artifex, secundo sicut natura agit
dependenter a subiecto praeexistente ita etiam artifex, tertio sicut natura pro-
ducit effectum sibi similem in specie sic etiam artifex producit effectum quem
prius mente praeconcepit. Quarto nulla opera faceret
quomodo similem esse quam

artifices ex instinctu operum agentium naturalium.
Specifica aliqua talia opera? sic quidem artifices observaverunt pisces se dirigere cum sua cauda in aqua fecerunt clavum ad navem qui similitudine dirigunt navem sicut piscis dirigit se cum sua cauda. Secundo medicinae plurimum inventae sunt occasione illorum quae observaverunt homines in brutis ex. gr. quia deprehensum sunt bestiae quae dum nimis abundant sanguine fricant se contra arbores donec effluat sanguis homines inceperunt practicare venae sectionem. Similiter usus Clysteris originem habet a brutis quae in certis circumstantiis sibi ipsis [illegible] rostro dederunt Clysteres: multa etiam medicamenta desumserunt bruta sic ut: est bestia aliqua frequens in partibus septentrionalibus quae vocatur alx quae valde est obnoxia epilepsiae seu morbo caduco; habet autem illa bestia remedium in ungula posterioris pedis ita ut dum fricat collum sua ungula liberatur ab epilepsia. inde homines inceperunt uti ungula ista alcis contra istum morbum caducum.

De Causis

An ad physicam pertineat tractare de causis? imo.
Quomodo cum hoc pertineat ad metaphysicam? non refert, quia idem tractatus bene potest pertinere ad scientias diversas.
Qua ratione pertinet ad metaphysicam tractare de causis? quia causa, vel causatum est proprietas entis, pertinet autem ad metaphysicam tractare de proprietatibus entis.
Qua ratione spectat ad physicam tractare de causis? quia scientia corporis naturalis haberi non potest nisi habita notitia causarum eius.
Quomodo cum simili argumento possit probari quamlibet scientiam debere tractare de causis? non potest eo modo probari quia disparitas inter physicam et alias scientias est ista, quia causa materialis et formalis sunt propria respectu obiecti physicae, nempe respectu corporis naturalis, unde potiori iure in physica tractatur de causis quam in aliis scientiis, deinde etiam aliae superiores scientiae deberent tractare de causis nisi praesupponerent illum tractatum esse praemissum in physica.
Quid causa? est principium quod dat esse alteri contingenter.
Da causam; deus respectu creaturarum, ignis respectu caloris.
An ambulatio respectu calefactionis? explicando hanc definitionem ubi solum continetur causa realis et per se, uti commode explicari potest, absolute ~~non~~ ambulatio non continebitur, quia ambulatio per se non concurrit ad calorem sed ad summum tantum per accidens.
Da genus definiti in definitione causae: principium.
Ostende illud genus definiti latius patere quam causam: quia pater in divinis etiam est principium respectu filii in divinis, non tamen causa, quia filius in divinis non dependet a patre, et sic ~~filium~~ patrem in divinis non dat esse ~~pat~~ filio contingens sed omnino necessarium.
Quid dare alteri esse contingens? est alteri sic dare esse ut etiam possit illud non dare.
Declara quod tale esse pater in divinis non det filio: quia pater sic dat esse filio, ut per nullam potentiam aliter fieri possit.
An ignis det contingenter esse calori? imo.
Quomodo cum ignis non possit non producere calorem? imo per deum fieri potest ut ignis calorem non producat, ut patet in fornace babilonica.

Qualiter effectus debet esse ens contingens physice, an metaphysice? sufficit quod sit metaphysice.

Quid ens contingens metaphice? quod per absolutam potentiam Dei potest esse et non esse.

Cur non dic: quod per absolutam Dei potentiam potest esse vel non esse? quia illa definitione etiam continentur Deus item entia rationis, quae tamen non sunt entia contingentia.

Quid ens contingens physice? quod per potentiam naturalem potest esse et non esse.

Declara quod effectus non debeat esse contingens eo modo, quia alias non contineretur definitione causae angelus respectu sui intellectus, quia per potentiam naturalem fieri nequit quin angelus det esse intellectui.

An animal etiam continetur definitione causae respectu hominis? non.

Quomodo cum det esse homini contingens sine cum dependentia? non dat ad sensum huius loci, quia non dat vere et realiter, quia vera et realis causalitas debet consistere inter extrema realiter distincta, iam autem homo non distinguitur realiter ab animali in ipso reperto.

An per Deum aliquid non possit se ipsum causare vere et realiter? Respondeo: nihil est certi, probabile autem est quod aliquid existens per unam actionem possit sibi ipsi dare esse per unam aliam actionem. Hoc autem non potest fieri ut aliquid sibi ipsi primo det esse.

An privatio sit causa sive defectiva respectu generationis? non.

Quare non? quia non dat vere et realiter esse generationi, quia ens privativum quale est privatio non potest realiter influere in aliquem effectum.

An causa non sit idem quod praerequisitum ad alterum? non.

Quomodo se habent causa et praerequisitum ad alterum? utrumque est Deus respectu creaturarum.

Da praerequisitum ad alterum quod non est eius causa: sic dispositiones in materia prima sunt praerequisitae ad formam substantialem, et tamen non sunt causa formae substantialis.

Da e contra causam quae non est praerequisita ad effectum: Respondeo Deus, calor est causa respectu alterius caloris, et tamen non est praerequisitus ad calorem, ergo causa et praerequisitum excedunt se.

An filiatio etiam sit causa respectu paternitatis? non.

Quia [illegible] correlationem nunquam esse causam respectu sui correlationis? quia correlationes semper sunt simul natura, causa autem semper est natura prior suo effectu.

An causa debeat esse etiam prior tempore respectu effectus? non est necesse, potest quidem ita fieri, sed non debet.

Da causam quae sit simul tempore respectu effectus: anima rationalis respectu intellectus humani.

Da causam quae sit tempore prior respectu effectus: Deus respectu caloris hodie producti.

An causa possit esse posterior tempore quam sit effectus? causa primo producens effectum non potest esse posterior tempore, sed bene causa quae conservat effectum prius ab alia productum, sic enim calor hodie productus potest conservare calorem heri productum ab alia causa.

An ad causam sufficiat quod posita ipsa ponatur effectus? non.

An saltem hoc sufficiat quod posita ipsa ponatur effectus, et ipsa sublata tollatur effectus? non, quia posita praesentia agentis ad patiens ponitur effectus, et sublata illa praesentia tollitur effectus, et tamen praesentia illa non est causa, quia generatim [illegible] modi non sunt vere et realiter causae ullo respectu.

Quomodo cum praesentia Petri sit causa formalis respectu compositi ex Petro et sua praesentia? non desistit, quia causa non est proprie dicta causa, sicut etiam nec causa materialis ex qua, quia causae non tribuunt effectui esse distinctum ab ipsis, causa autem proprie dicta debet effectui tribuere aliud esse.

Quid effectus? quod accipit suum esse ab altero contingenter sine cum dependentia. ut quaelibet creatura respectu dei.
Da aliquid quod non sit effectus? Deus a nullo enim dependere potest.
Quomodo se habent causa et effectus? Datur utrumque ut ignis, est enim effectus respectu dei, et causa respectu caloris.
Da causam non effectum? Deus.
Da contra: praesentia localis non est causa saltem proprie et stricte, bene tamen est causa capiendo causam late, quia est causa formalis respectu compositi ex se et suo subiecto.
Da aliquid quod nec sit causa nec effectus? Verum ens reale non potest dari, ens autem fictum et tale est ens rationis.
An effectus sit correlativum respectu causae? imo.
Quomodo cum effectus sit posterior natura quam causa? non refert.
Quomodo cum correlativa debeant esse simul natura? correlativa sumpta formaliter sunt simul natura, non autem quando sumuntur pro denominationibus paternitas et filiatio sunt simul natura, homo tamen qui est pater est natura prior respectu illius qui est filius.

De Causalitate.

Quid significat principaliter vox causalitas? causalitatem.
Quid causalitas? est influxus quo unum influit in alterum dando ipsi esse contingenter.
Quando non est ipsamet dependentia effectus a causa? etiam potest sic sumi causalitas passiva.
An causalitas sit aliquid distinctum a causa et effectu? imo.
An sit aliquid distinctum a causa et effectu et eorum coexistentia? imo.
Quomodo distinguitur ab illis tribus realiter an sola ratione? realiter differt ab illis simul sumptis quia possunt illa tria copulative sumpta nempe causa, effectus et ipsorum coexistentia esse in rerum natura absque eo quod intercedat causalitas inter istam causam et effectum hoc autem est signum distinctionis realis inter aliqua quando unum illorum potest realiter existere sine altero.
proba antecedens nempe quod causa et effectus et ipsorum coexistentia possint esse in rerum natura sine causalitate inter illa: quia potest hic ignis postquam causavit hunc calorem removeri ab hoc calore sic ut remaneant existentes hic calor et hic ignis, tali autem casu quando ille ignis remotus erit non intercedet amplius causalitas inter istum ignem et hunc calorem.
Quare non? quia propinquitas inter causam et effectum requiritur ad hoc ut causa possit causare effectum, non enim posset ignis hic existens producere calorem Romae.
An semper causalitas sit aliquid realiter distinctum a tribus antedictis? non, quia causalitas qua causatur primis modis ut praesentia localis non distinguitur realiter a praesentia locali quia primi modi causantur seipsis non enim sunt capaces ullius formae realiter superadditae et consequenter non possunt causari modo una causalitate modo altera realiter distincta.
Quomodo cum eadem praesentia localis modo causetur ab impetu, modo non?

nego.

Quomodo cum hoc contingit postquam lapis cecidit ad terram? nego

Quomodo cum presentiam illam ad terram primo produxit impetus

est verum, et non retexit.

Quomodo enim postea illa presentia non producatur amplius ab impetu sed ab alia causa? illa replica supponit falsum, nempe manere eandem presentiam in lapide quiescente quae erat quando lapis movebatur, quia propter hanc obiectionem eadem presentia esse non potest, quia presentia illa lapidis quiescentis non habet idem principium effectivum quod habebat illa presentia quam lapis acquisiverat per motum.

An soli puri modi causentur semper ab ipsis sine causalitate realiter superaddita? probabilius est quod non.

Quaenam ergo entitates stricte dictae etiam causantur eo modo? omnes illae quae sunt producibiles a solo Deo, ut sunt omnia illa quae debent produci per creationem.

Quare illa causantur sine causalitate ipsis realiter superaddita? quia in illis cessat ratio ob quam in alijs ponitur causalitas realiter superaddita nimirum, quia res quae producuntur per creationem non possunt modo produci ab hac causa, modo ab una alia, illa autem fuit ratio quare in alijs entitatibus stricte dictis ponatur causalitas realiter superaddita quia idem effectus modo dependet ab hac causa modo ab una alia.

An non sit etiam probabile quod res quae creantur causentur per causalitatem realiter ipsis superadditam? imo, quia etiam est probabile quod creatura possit creare, et sic etiam est probabile quod res quae creantur modo possint dependere ab hac causa modo non, adeoque habet etiam probabiliter locum in illis fundamentum propter quod ponitur causalitas realiter superaddita in alijs ~~[illegible]~~ casibus.

An res quae creantur habeant duplicem causalitatem unam realiter ipsis superadditam alteram non? hoc valde probabile est, non tantum de rebus quae creantur sed etiam de alijs quae non creantur.

Proba aliqua ratione id esse verisimile: quia quilibet effectus necessario causatur a Deo ita ut nullus detur effectus qui modo possit causari a Deo, modo non, ergo bene potest dici quod causalitas illa Dei sit realiter indistincta ab ipso effectu nempe illa causalitas quae a solo Deo egreditur. Si autem contingat quod simul concurrat aliqua creatura ad eundem effectum illa tunc concurret causalitate realiter distincta a priori causalitate quae egrediebatur a solo Deo, quia habebit aliud principium nempe Deum et creaturam simul ubi altera pro principio habebat solum Deum.

An non sit etiam probabile quod nulla detur causalitas realiter distincta a causa et effectu et illorum coexistentia? imo

Quo fundamento hoc redditur probabile? hoc trito axiomate, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, non est autem necessitas ponendi istam causalitatem realiter superadditam.

Quare illa necessitas non probatur efficaciter ex eo quia idem effectus modo dependet ab hac causa modo ab alia? quia hoc totum probabiliter potest fieri sine causalitate realiter superaddita.

Dic modum quo hoc sic potest fieri: si mutetur suo modo voluntas Dei eo modo quo divina voluntas mutari potest, ~~et~~ sic ut velit modo unam

causam conveniendo ad effectum modo unam aliam. et sic patet quod nostra sententia de causalitate realiter superaddita sit tantum probabilis est tamen multo magis communis quam opposita.

Unde colligitur incertitudo huius quaestionis, an detur causalitas realiter superaddita? quia videtur posse fieri quod dentur effectus qui causentur per causalitatem realiter superadditam, et etiam videntur possibiles qui causentur sine causalitate realiter superaddita sic ut causalitatem illam variare possit modo ante explicato propter mutatam suo modo voluntatem Dei modo ante explicato. De quorum autem numero sint effectus qui modo dantur nempe prioris generis an posterioris nos non possumus certo scire.

An causalitas supposito quod realiter distinguatur ab effectu sit entitas stricte dicta an purus modus? est purus modus.

Unde probas non esse entitatem stricte dictam? quia non est attribuenda maior perfectio causalitati quam sit necesse: non est autem necessarium dicere quod causalitas sit entitas stricte dicta.

respectu cuius causalitas est purus modus respectu causae an effectus? respectu effectus in quo proxime subiectatur.

Ostende non debere esse purum modum respectu suae causae: quia causalitas qua Deus causat aliquem effectum non potest esse purus modus respectu Dei, hoc enim foret imperfectionis si Deus esset subiectum respectu alicuius puri modi realiter distincti, sic enim Deus deberet mutari quando causat aliquem effectum quia tunc transiret a privatione causalitatis ad causalitatem realiter ab ipso distinctam.

An causalitas umquam subiectetur in causa? imo aliquando etiam in causa subiectatur.

Quo casu causalitas subiectatur in causa? tunc quando effectus subiectatur in causa, mediante enim effectu in quo subiectatur proxime causalitas remote etiam subiectatur in ipsa causa.

Da causalitatem quae subiectatur in causa: causalitas qua intellectus causat conceptum intellectivum, proxime enim subiectatur in conceptu et mediante conceptu subiectatur etiam in intellectu.

An causalitas possit etiam subiectari proxime in causa? imo, hoc etiam aliquando contingit.

Da causalitatem proxime subiectatam in causa: talis probabiliter est intellectio.

Quomodo cum illa proxime subiectetur in conceptu intellectivo? non obstat, quia eo non obstante simul etiam subiectatur proxime in ipso intellectu.

Quomodo cum eadem res non possit habere plura subiecta proxima realiter distincta? imo potest fieri, ut valde probabile est de unione physica quae pro proximo subiecto habet tam materiam primam quam formam substantialem.

proba etiam intellectionem proxime subiectari in intellectu: quia intellectio a parte rei est unio qua conceptus unitur intellectui, illa autem unio subiectatur proxime in utroque extremo scilicet tam in intellectu quam conceptu.

proba causalitatem illam esse eandem a parte rei cum illa unione: quia non est inducenda distinctio realis inter aliqua sine necessitate quae hic non apparet.

An causalitas non sit generatim idem quod unio causae cum effectu? non.

proba illam non semper esse unionem causae cum effectu: quia

in primis causalitas qua causa causat effectum a se distantem, illa non potest esse unio quia unio vera et realis solum est de quibus quilibet non potest consistere inter extrema distantia.
An quando extrema causalitatis non distant a se mutuo saltem causalitas semper debeat esse unio causae cum effectu? non quia causalitas qua Deus causat creaturas non est unio Dei cum creatura.
Utrum sit natura prius altero causalitas an effectus? causalitas aliqua ratione est natura prior effectu, et etiam aliqua ratione est natura posterior.
Qua ratione causalitas est natura prior effectu? quatenus est via per quam effectus accepit suum esse.
Qua ratione causalitas est natura posterior suo effectu? quia est pluribus modis respectu sui effectus, primus modus autem est natura posterior respectu sui modificati quia dependet a suo modificato tanquam a subiecto sustentante.
Quomodo illa recte dicuntur cum idem non possit esse natura prius et posterius respectu eiusdem? imo potest fieri sub diversa consideratione
An non possit statui aliud subiectum proximum causalitatis quam effectus? imo.
Quodnam est illud? ipsum met subiectum effectus ut cum quando ignis causat calorem in ligno sine difficultate potest dici quod calefactio illa subiectetur proxime non in ~~ligno~~ igne, nec etiam in calore sed proxime in natura materiae prima ipsius ligni sic enim non debebit dici quod idem sit natura prius et posterius respectu eiusdem.
An causalitas semper debeat habere subiectum reale? non.
Quomodo cum causalitas semper sit forma? non refert.
Quomodo non cum omnibus forma debeat habere subiectum reale? forma quidem realis debet habere subiectum reale actu scilicet vel potentia sed negamus quod causalitas semper sit forma realis, aliquando enim causalitas est tantum forma rationis tunc autem non debet subiectum reale habere.
Da causalitatem quae tantum est forma rationis: talis probabiliter est causalitas qua Deus causat naturam angeli quia illa distinguitur sola ratione a natura angeli ut ante dictum est, ideoque non magis debet habere subiectum reale quam ipsamet natura angeli.
An causalitas causet an causetur? causalitas ut sic neque proprie causat neque proprie causatur, improprie tamen potest dici causare et etiam causari.
proba proprie non posse dici causare nec causari [?] quia illa concreta causare et causari tantum connotant extrema causalitatis quando proprie sumuntur causare quidem principium, causari autem effectum.
Declara quod improprie causalitas recte dicatur causari et causare: quia causalitas dicitur causare ut id quo, quia est illud quo mediante causa causat.
Declara similiter quod recte dicatur causari ut id quo: quia est illud quo mediante effectus causatur
An variatis extremis causalitatis debeat causalitas variari? imo si varientur extrema proxima.
Quando censentur extrema causalitatis variari? quando est aliud fundamentum vel terminus, perinde autem est sive sit aliud fundamentum vel terminus totalis vel partialis.
Da causalitatem variatam: sic quando Deus cum igne produxit calorem

quem calorem postea deus conservat solus tunc variatur causalitas.
Quare tunc causalitas variatur? quia variatur principium quia quando deus et ignis concurrunt simul utrique tunc est principium calefactionis; postea autem solus deus est principium conservans istum calorem ut supposuimus.
Da causalitatem variatam propter variatum terminum causalitatis.
Tunc variatur causalitas quando ignis si primo causet hunc calorem postea autem causet unum alium numero diversum.
Quaenam est ratio quare variatis extremis causalitatis debeat variari causalitas? quia causalitas est quaedam relatio quae essentialiter respicit sua extrema scilicet tam terminum quam fundamentum; omnis autem relatio omnis debet variari variatis extremis.
Quodnam est fundamentum causalitatis? ipsemet effectus.
Quare non potius causa quae est suum principium? quia causalitas non debet proxime subiectari in principio, sed in termino seu effectu; iam autem proximum fundamentum relationis semper est suum subiectum.
An non possit dici quod causalitas solum respiciat essentialiter principium in communi, non autem hoc determinatum principium a quo de facto egreditur? non; quia hoc dicendo tolleretur omne fundamentum agnoscendi causalitatem realiter distinctam a causa et effectu; quia fundamentum istud non est aliud quam quia experimur quod idem effectus successive dependeat a diversis causis; illud autem fundamentum nullum esset si eadem causalitas posset successive egredi a diversis principiis.
An effectus non possit respicere essentialiter principium in communi et non hoc determinatum principium? imo, et sic probabiliter conceptus intellectivus humanus respicit essentialiter intellectum humanum in genere, non autem intellectum Petri aut Pauli, unde si deus voluisset idem numero conceptus qui modo formatur a Petro potuisset etiam formari a Paulo.
Quare non dicitur etiam idem de causalitate quod solum essentialiter respiciat principium in communi? quia causalitas est relatio, conceptus autem non.
An multiplicatis extremis causalitatis debeant etiam causalitates multiplicari? non.
Proba non esse necesse: quia deus et creatura agunt eadem causalitate ut post patebit; similiter ignis et materia prima ligni eadem causalitate a parte rei concurrunt ad calorem productum in ligno.
An multiplicatis terminis causalitatis debeant causalitates multiplicari? non est necesse quamvis aliqui contrarium sustineant.
Quomodo non cum eadem causalitas non possit subiectari in diversis terminis? imo potest fortasse quia probatur exemplo unionis physicae quae bene potest afficere proxime utrumque extremum ut in priori libro dictum est, ergo nihil impedit quo minus etiam eadem causalitas terminetur ad plures effectus realiter distinctos sic ut in utroque subiectetur.
An quicumque diversi effectus possint causari eadem ~~[illegible]~~ causalitate? non; quia effectus loco distantes sic causari non possunt, quia sic eadem causalitas deberet esse in pluribus locis simul.
An omnes effectus se penetrantes in eodem loco possint causari eadem causalitate a parte rei? non.

probatur quia nonnulli puri modi realiter distincti ut subsistentia et unio albedinis cum petro licet sint in eodem loco non possunt causari ei eadem causalitate a parte rei, quia ut antedictum est puri modi causantur semper ipsis, id est sine causalitate ipsis realiter superaddita; ergo hoc ipso quod illi puri modi sint realiter diversi, debent causari causalitatibus realiter distinctis, quia quae identificantur realiter diversis etiam realiter diversa sunt in creatis.

Quare dicitur in creatis? quia in deo est exceptio, natura enim divina in patre est realiter eadem cum paternitate, et eadem natura divina in filio est realiter eadem cum filiatione, et tamen filiatio et paternitas in divinis sunt realiter diversae, et tamen natura divina in patre et in filio est realiter eadem.

An non sit etiam probabile quod plures puri modi realiter distincti possint causari eadem causalitate? imo supponendo quod causalitas in ipsis non subiectetur neque ipsis realiter identificetur, sed ponendo illam causalitatem proxime in subiecto istorum purorum modorum quod antea diximus probabiliter quidem posse dici, sed opposita tamen sententia quam prius iam tradidimus magis probabilis et magis communis est.

Diuisio Causæ

Diuide causam: causa famosa divisione dividitur in materialem, formalem, efficientem et finalem.

An divisum huius divisionis sit causa a nobis ante definita? non, explicando illam definitionem ut solum competat causae physicae et proprie dictae, alioquin potest illa definitio causae etiam sic explicari ut quaelibet causa contenta his membris dividentibus contineatur etiam definitione causae.

An causa generaliter sumpta dividatur adaequate in ista quatuor membra? imo, si membra dividentia capiantur cum annexis, alias autem non.

Declara quod alias non sit adaequata divisio: quia nullo membro dividente continetur causa exemplaris.

Cui causae annectitur causa exemplaris? causae finali, est enim externa sicut causa finalis, neque physice influit in effectum sicut nec causa finalis.

Cui causae annectuntur dispositiones respectu formae substantialis? nulli, quia illae non sunt causae respectu formae substantialis sed solum sunt conditiones sine quibus forma substantialis in materia conservari non potest.

Cui membro annectitur obiectum respectu sui actus? aliquando obiectum respectu sui actus non est ullo modo causa, aliquando vero est causa proprie dicta efficiens.

Da obiectum quod non est ullo modo causa sui actus: chimaera quae est obiectum conceptus intellectivi.

Da obiectum quod est causa proprie dicta respectu sui actus: calor qui
sentitur est causa proprie dicta respectu conceptus sensitivi.
Cui membro annectitur pars integralis respectu sui totius? annectitur
causae materiali.
An causa generatim sumpta dividatur immediate in ista quatuor membra? non
Divide ergo causam immediatius: dividitur immediatius in internam et exter=
nam.
Quid causa interna? quae ex generali suo modo causandi inest interne
effectui. ut causa formalis tam informans quam componens
An etiam causa materialis sit interna? causa materialis in qua non est
interna quia illa debet esse subiectum respectu sui effectus, subiectum
autem non inest interne suae formae.
An causa materialis ex qua saltem sit interna? imo
Quid causa externa? est causa quae non recipitur intrinsece in suo ef=
fectu saltem ex toto suo genere
Quaenam causae sunt externae? causa efficiens et finalis.
An causa finalis non insit interdum suo effectui interne? imo
An tali casu causa finalis non sit etiam interna? non, quia licet tunc
insit interne suo effectui hoc tamen non habet ex toto suo genere, quia
alioquin quaelibet causa finalis deberet interne inesse suo effectui hoc autem
falsum est quia Deus est causa finalis respectu creaturarum quibus tamen
interne non inest.
An causa materialis in qua sit externa? imo, secundum definitionem causae
externae iam datae.
An ab aliquibus causa materialis in qua non dicatur esse interna? imo.
Quomodo cum illa nunquam insit interne effectui? non refert, quia illi qui
talem causam habent pro interna aliter definiunt causam internam quam
est a nobis iam definita
Quomodo illi definiunt causam internam? causa ~~[illegible]~~ cuius causalitas
ex genere suo requirit unionem inter causam et effectum.
Declara quod causa materialis in qua iuxta illam definitionem debeat dici
interna: quia causa materialis in qua ad hoc ut causet suum effectum
materialiter ex genere suo requirit uniri cum illo suo effectu quem ma=
terialiter causat.
Quid causa materialis? est subiectum comparatum ad for=
mam quam sustentat, vel ad compositum reale quod exsurgit
ex ipso et eius forma.
Divide causam materialem: dividitur in causam mate=
rialem in qua, et causam materialem ex qua
Quid causa materialis in qua? est subiectum comparatum ad formam
quam sustentat. ut materia prima respectu animae equi, item respectu
albedinis.
An omne subiectum non sit causa materialis in qua suae formae?
non, quia materia prima non est causa materialis in qua respectu
animae rationalis, quia materia prima non sustentat animam ra=
tionalem, quia forma quae sustentatur a subiecto debet ab illo depen=
dere anima rationalis autem est a materia independens.
Quid causa materialis ex qua? subiectum comparatum ad com=
positum reale quod exsurgit ex ipso et eius forma. ut materia prima
equi respectu equi.

An etiam materia prima hominis respectu hominis? imo. Respondeo cum homo non sit compositum ex subiecto et forma dependente ab ipso? non refert, quia hoc non requiritur ad effectum causae materialis?

An causa materialis sit vera et physica causa? in primis causa materialis ex qua non est vera et physica causa, ut omnes fatentur, quia causa proprie dicta debet dare esse effectui distinctum ab ipsa causa, sicut autem causa materialis ex qua producit causat suum effectum per hoc quod communicet illi se ipsam!

An causa materialis in qua sit vera et physica causa? hoc incertum est, probabilius autem nobis videtur quod sit.

proba causam materialem in qua esse veram et physicam causam? quia est plus quam conditio sine qua non respectu sui effectus, ergo debet esse vera et physica causa respectu illius.

probatur quod causa materialis in qua sit plus quam conditio sine qua non respectu sui effectus: quia materia prima est etiam conditio sine qua non respectu animae rationalis, formae autem materiales magis dependent a materia quam anima rationalis, ergo aliae formae ~~dependent~~ debent dependere a materia tanquam vera et physica causa.

An aliae formae non crearentur etiam si materia prima non esset vera et physica causa illarum? imo quia producerentur independenter a materia tanquam vera et physica causa, hoc autem videtur sufficere ad creari, quia anima rationalis propterea creatur quia producitur independenter a materia tanquam a vera et physica causa, licet dependeat ab illa tanquam a conditione sine qua non, saltem pro primo instanti suae existentiae, quia non potest naturaliter primo produci extra materiam primam.

An si causa materialis in qua esset tantum conditio sine qua non, deberet non posset dici de eius respectu caloris? imo, ut

An opposita pars nempe quod causa materialis in qua non sit vera et physica causa non sit etiam probabilis? imo.

proba hoc argumento probabili: probatur primo illo axiomate,

Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ergo neque causalitates reales debent sine necessitate multiplicari.

proba non esse necessitatem admittendi causalitatem causae materialis in qua tanquam veram causalitatem: quia omnia argumenta quibus probatur realis causalitas possunt satis probabiliter solvi.

Quid ergo responderi potest ad illud: formae materiales magis dependent a materia quam anima rationalis, ergo dependent ab illa tanquam physica causa? negari potest consequentia, ideo autem magis dependent quia non debetur illis conservatio extra materiam sicuti illa debetur animae rationali.

proba etiam non sequi quod formae brutorum crearentur si materia prima non sit vera physica causa illarum: quia equidem producuntur dependenter a materia sic ut non possint naturaliter esse extra materiam, id autem quod creatur debet naturaliter posse esse

extra materiam.
An si negetur quod causa materialis in qua fit sit vera et physica causa ii
sequatur quod liquis non erit vera et physica causa caloris? non,
quia cum sit necesse admittere veram causam efficientem creatam
non potest commode negari quod ignis sit talis causa, non est autem
necessitas quod detur additionalis ulla alia vera causa materialis
in qua et sit patet quomodo omnia argumenta quibus probatur quod
causa materialis in qua fit vera causa possint probabiliter solvi.
Quomodo potest solvi argumentum posterioris sententiae quod non sit
admittenda causalitas realis sine necessitate? respondetur potest illam
necessitatem sufficienter probari per argumenta sententiae adversae, neque
refert quod ipsa probabiliter possint solvi utique a nobis sunt
soluta, quia ex eo tantum concluditur quod haec res non sit evidenter
An causalitas causae materialis idem sit quod indistantia for-
mae a subiecto? non, quia illam indistantiam habet etiam ani-
ma rationalis a materia prima et tamen anima rationalis
non causatur materialiter a materia prima.
An causalitas causae materialis non sit aliquid positivum?
imo.
An ex eo sequatur quod non sit indistantia subiecti a forma? imo, quia
illa indistantia est negatio.
An causalitas causae materialis non sit idem quod productio formae
dependenter a subiecto? non est idem secundum rationem et essentiam
quamvis bene sit eadem a parte rei.
proba quod differat essentialiter a causalitate causae materialis, quia
causalitas causae materialis est quaedam unio essentialiter respiciens
materiam primam et formam substantialem. productio autem formae
essentialiter respicit principium efficiens et formam productam.
proba quod productio formae dependenter a subiecto et causalitas causae
materialis sint eadem a parte rei: quia non sunt multiplicanda
entia sine necessitate, nulla autem est necessitas agnoscendi distinc-
tionem realem inter causalitatem materialem et eductionem cum
utrumque istorum identificetur realiter eidem unioni.
Quomodo illa possint dici cum sit equus nunquam est idem secun-
do instanti suae existentiae sicut erat primo? hoc verum est de equo
in rigore nunquam est idem primo et secundo instanti suae existentiae.
proba quod non, quia equus habet aliam unionem physicam secundo
instanti suae existentiae quam habebat primo, cum autem unio
physica sit de essentia equi, si unio varietur equus non potest ma-
nere idem.
proba unionem debere esse aliam secundo instanti quam erat primo:
quia est alia causalitas efficiens secundo instanti quam erat primo:
quia causalitas debet variari variato principio, iam autem secundo
instanti variatur principium, quia primo instanti equus fiebat a
deo et ab alio equo, secundo instanti dependet equus a solo deo.
proba eam quod equus non maneat idem primo et secundo instanti,
quia causalitas illa identificatur unioni a parte rei, ac proinde hoc ipso
quo causalitas variatur debet etiam unio variari.
An causalitas causae materialis in qua non sit idem quod unio subiec-
ti cum forma? non est idem saltem cum quacumque unione, quia

etiam materia prima unitur animæ rationali, et tamen non causat materialiter animam rationalem.
An causalitas causæ materialis non sit idem quod inhæsio formæ accidentariæ in subiecto? non.
probatur esse adæquate idem cum illa inhæsione: quia sic forma substantialis non causaretur materialiter quia illa non inhæret materiæ per modum formæ accidentariæ, deinde illa vox inhærens non connotat causam materialem, sed potius connotat eius effectum.
Quid ergo tandem est causalitas causæ materialis in quantum? est sustentatio qua subiectum sustentat suam formam.
Quid a parte rei illa sustentatio? est unio quædam qua subiectum unitur suæ formæ a se dependenti nulla enim est necessitas distinguendi realiter illam sustentationem ab unione.
An deus non possit animam equi unire materiæ per unionem distinctam a sustentatione? etiam in eo non videtur esse implicantia.
Quomodo ergo nos dicimus quod illa sustentatio sit unio? dicimus quod sustentatio quæ de facto datur coincidat cum unione, licet fateamur per deum esse possibilem aliam quæ non coincidat cum unione.
An sola substantia sit causa materialis in quantum? non
Da ergo aliquam causam materialem in qua aliquo non sit substantia: intellectus item albedo, intellectus enim est causa materialis in quantum respectu conceptus intellectivi item albedo est causa materialis in quantum respectu suæ præsentiæ localis.
An quælibet res non sit aliquo respectu causa materialis? non quia ultimum accidens nullo respectu potest esse causa materialis quia causa materialis debet esse subiectum formæ realiter distinctæ.
An omnis substantia sit causa materialis aliquo respectu? non.
An ergo sola materia prima inter substantias sit causa materialis? non est
Da substantiam præter materiam primam quæ sit causa materialis: angelus est enim causa materialis suorum accidentium.
Da substantiam quæ non sit causa materialis ullo respectu: deus item subsistentia increata quia non possunt esse subiectum ullius formæ realiter distinctæ.
An in substantiis incorporeis detur una pars quæ causet materialiter aliam realiter stricte dictam? non.
proba quod non: quia de facto non datur ulla substantia incorporea quæ componatur ex partibus realiter stricte distinctis quarum una habeat se per modum potentiæ respectu alterius tanquam actus.
An per deum possit dari talis substantia incorporea? imo.
probatur quia talis substantia incorporea non implicat ullam contradictionem non magis quam substantia corporea quæ componatur ex partibus realiter stricte distinctis.
Quare deus nequit esse causa materialis? quia deus immutabilis est, mutaretur autem si fieret causa materialis.
Declara quod tunc deus deberet mutari: quia tunc subiectum mu

tatur quando transit ab unâ formâ ad alteram, sic autem Deus deberet transire sic incipere esse causa materialis.

An Deus non sit causa materialis suæ scientiæ item intellectus et voluntatis? non, quia causa materialis debet realiter distingui a suo effectu, iam autem Deus non distinguitur realiter a suâ scientiâ, ut nec etiam ab intellectu et voluntate.

An Deus non sit causa materialis in quâ respectu unionis hypostaticæ quâ unitur naturæ humanæ? non.

An ergo non distinguatur realiter ab illâ unione? imo.

Quare ergo non est causa materialis eius? quia non est subiectum istius unionis, quia illa unio solum subiectatur in naturâ humanâ.

An Deus non posset sibi unire albedinem? imo, quia de facto sibi Deus univit naturam humanam, ergo non apparet ratio quare non posset sibi etiam unire albedinem.

Quare tali casu Deus non esset causa materialis albedinis? quia non esset eiusdem subiectum albedinis.

An albedo non sit diversæ speciei et in eodem loco cum Deo? imo.

Quæ conditio tali casu ergo deesset Deo requisita ad subiectum? quia Deus non perficeretur per albedinem, subiectum autem debet perfici per suam formam.

Da accidens quod est causa materialis substantiæ: non potest dari, quia accidens nunquam est subiectum respectu substantiæ.

Da substantiam quæ est causa materialis accidentis: homo, est enim causa materialis respectu albedinis, caloris etc.

Da aliquid quod est causa materialis substantiæ et accidentis simul: materia prima equi est causa materialis respectu formæ substantialis equi, et accidentium ipsius equi albedinis, caloris etc.

Da causam materialem substantiæ sed non accidentis: compositum ex materiâ primâ equi, et omnibus accidentibus quæ in homine ultima-teriæ est enim causa materialis in quâ respectu animæ equi tanquam substantiæ.

Quare non est causa materialis in quâ respectu illius accidentis? quia compositum illud ut supponitur non habet in se illam formam accidentariam condistinctam.

An in materiâ requirantur aliquæ conditiones ad causandum materialiter? imo.

Assigna aliquam talem: indistantia causæ materialis a suâ formâ.

An sufficiat quod sit contigua suæ formæ? non, sed debet formam penetrare ita ut forma sit in eodem loco cum ipso subiecto.

Da aliam conditionem necessariam ad causandum materialiter: unio materiæ cum formâ.

Quomodo cum illa sit potius ipsa causalitas causæ materialis? a parte rei quidem illa est causalitas causæ materialis sed non secundum rationem.

Da aliam conditionem requisitam ad causandum materialiter: ut materia prima causet materialiter formam substantialem requiruntur etiam dispositiones in ipsâ materiâ, v.g. calor aut frigus etc.

An ad omnem causalitatem materialem requirantur aliquæ dispo-

sitiones? non; sic enim deberet dari processus in infinitum.
An quantitas sit conditio necessaria ad causandum materialiter in materia? non est conditio necessaria ad omnem causalitatem materiæ, quia non est conditio necessaria ut materia causet ipsam quantitatem.
An saltem sit conditio necessaria ut materia causet formam substantialem? de eo nihil possumus nos certi asserere; probabilius videtur quod non, quia non potest ostendi necessitas illius in ordine ad omnem formam substantialem.

Quænam causantur materialiter? omnes formæ exceptâ animâ rationali quando naturaliter existunt.
Proba: quia omnes illæ formæ quando naturaliter existunt dependent a materiâ tanquam a subiecto sustentante.
An solæ formæ causantur materialiter? non.
Da quod causatur materialiter et non est forma: homo, brutum etc.
Declara quod illa etiam causentur materialiter: quia causantur a materiâ tanquam causâ materiali ex quâ.
Dic ergo generaliter quænam causentur materialiter: omnes effectus causæ materialis.

Quid effectus causæ materialis? est forma dependens a subiecto vel compositum reale dependens a subiecto tanquam parte integrante.
An idem possit esse effectus causæ materialis in quâ et effectus causæ materialis ex quâ? imo, hoc potest fieri diverso respectu.
Da tale: compositum ex intellectu et conceptu intellectionis.
Da causam materialem in quâ respectu istius compositi: anima rationalis.
Da causam materialem ex quâ respectu istius compositi: intellectus.
Da effectum causæ materialis ex quâ non in quâ: homo, brutum etc.
Quare non sunt effectus causæ materialis in quâ ullo respectu? quia non sunt formæ.
Da effectum causæ materialis in quâ non ex quâ: intellectus, item albedo.
Quare intellectus non est effectus causæ materialis ex quâ? quia ex nullo subiecto realiter componitur tanquam parte integrante.
Unde excedunt se effectus causæ materialis in quâ et effectus causæ materialis ex quâ.
An puri modi etiam causentur materialiter? imo.
Quomodo causantur materialiter, ut id quo an ut id quod? causalitas ipsa materialis causatur materialiter ut id quo, quia illâ mediante causatur materialiter aliquis alius effectus.
Quomodo causatur præsentia localis materialiter, ut id quod an ut id quo? potest assignari utrumque: dici causari materialiter ut id quod, quia illâ mediante non denominatur materialiter causari alius effectus; potest etiam dici causari materialiter ut id quo, quia non causatur per causalitatem realiter superadditam.

An compositum causetur materialiter per se primo a causâ materiali ex quâ? non, quia neque causatur per se primo positive, neque etiam per se primo negative.

Quando caussatur aliquid positive ab aliquo per se primo? quando gra-
tia omnium suarum partium ab isto alio caussatur.
Da quod caussatur per se primo positive ab aliquo: Homo per se primo
positive caussatur a Deo, quia caussatur gratia omnium suarum par-
tium et unionum.
Quandonam censetur aliquid caussari ab altero per se primo negative? quan-
do sic caussatur ab ipso ut nihil sit in effectu quin etiam caussetur ab illa cau-
sa.
Quomodo se habet id quod caussatur per se primo positive, et id quod caussatur
negative per se primo ab aliquo? utrumque est Homo respectu Dei.
Da quod caussatur per se primo positive sed non negative: non potest
dari, quia hoc ipso quo aliquid caussatur ab altero gratia omnium
suarum partium hoc ipso nequam sit caussatur ut nihil sit in illo quin
caussetur ab eadem caussa, adeoque debet etiam caussari per se primo nega-
tive.
Da quod caussatur per se primo negative et non positive: talis est qui-
libet effectus indivisibilis respectu Dei.
Quare ille non potest caussari per se primo positive a Deo? quia quod
caussatur per se primo positive debet habere plures partes, non potest
enim gratia partium caussari id quod partes non habet.
An effectus caussae materialis ex qua saltem gratia partis debeat
caussari a caussa materiali ex qua? plerumque quidem gratia partis
caussatur non tamen semper sic caussatur.
Da effectum caussae materialis ~~ex qua~~ qui caussatur gratia partis
a caussa materiali ex qua: equus gratia suae animae caussatur a materia
prima.
Declara quod equus non caussetur per se primo a sua materia: quia
gratia materiae suae equus non potest caussari a materia, sic enim
idem caussaret se ipsum quod fieri nequit.
Da effectum caussae materialis ex qua qui ne quidem gratia partis
caussatur a caussa materiali ex qua: Homo neque gratia suae ma-
teriae neque gratia animae rationalis sic caussatur, sed solum caussatur
gratia unionis.
An caussa materialis habeat aliqua annexa? imo.
Quaenam annectuntur caussae materiali? partes integrales respectu com-
positorum integralium habent enim maiorem affinitatem cum caussa
materiali quam cum alio genere caussarum.

Quid caussa formalis? est forma complens materiam vel cum
ea constituens compositum essentiale reale per modum partis
posterius advenientis.
Divide caussam formalem: dividitur in caussam formalem
informantem et caussam formalem componentem.
Quid caussa formalis informans? est ~~forma~~ forma complens ma-
teriam. ut anima rationalis respectu materiae, et generatim omnis forma substantialis.
An sola forma substantialis sit caussa formalis informans? non.
Da ergo talem formalem caussam informantem praeter formam
substantialem: subsistentia respectu naturae metaphysicae.
An materia prima non sit semper completa? imo.
Quomodo ergo hic dicitur quod compleatur per formam substantialem

non ideo dicitur complere quia ipsa secundum se redditur completa, sed quia cum forma constituit compositum completum in certo genere.

Quid ergo formam complere materiam? est formam cum materia constituere compositum essentiale reale unius naturae.

Declara quod non debeat cum materia constituere compositum absolute completum: quia imprimis compositum illud potest esse incompletum logice, quia potest esse universale quod semper est incompletum logice.

An forma complens materiam debeat cum ea constituere compositum realiter completum? non est necesse.

Da formam complentem materiam quae cum materia constituit compositum realiter incompletum: anima rationalis capitis pueri, quia cum materia constituit caput, quod est realiter incompletum, quia est incompletum integraliter.

An forma complens materiam debeat cum illa constituere compositum essentialiter realiter completum? etiam hoc non est necesse, quia subsistentia materiae primae est causa formalis informans respectu naturae materiae primae, et tamen cum illa natura non constituit compositum essentialiter realiter completum, quia materia prima est [illegible] adhuc incompleta.

Quid causa formalis componens? est forma quae cum materia constituit compositum essentiale reale per modum partis posterius advenientis. ut anima rationalis respectu hominis.

Quomodo se habent causa formalis informans et causa formalis componens? respectu eiusdem repugnant.

Quaenam est causa istius? quia causa formalis informans debet comparari ad suum subiectum, causa autem formalis componens debet comparari ad compositum ex subiecto et forma.

Quomodo illa se habent libero respectu? utrumque est anima rationalis, est enim causa formalis informans respectu materiae primae, et est componens respectu hominis.

Da causam formalem informantem non componentem: non potest dari.
Quare non? quia causa formalis informans semper est componens respectu compositi ex se et suo subiecto.

Da causam formalem componentem nullo respectu informantem: albedo respectu compositi per accidens ex se et pariete.

Quare albedo ubi est nullo respectu causa formalis informans? quia nullam materiam complet proprie. Hic? quia albedo cum nullo suo subiecto constituit compositum unius naturae.

Da accidens quod non est causa formalis componens: albedo existens extra omne subiectum quia non constituit ullum compositum essentiale reale per modum partis posterius advenientis.

Da talem formam accidentariam naturaliter existentem: non datur.

An rationale respectu hominis sit causa formalis componens? non, quia rationale cum sua comparte quae est animal non constituit compositum essentiale reale, sed tantum constituit compositum logicum seu rationis.

An saltem rationale animae rationalis non sit causa formalis componens respectu animae rationalis? non est quidem talis causa, quia non constituit illam compositione reali, respectu autem hominis tam bene

est causa formalis componens quam anima rationalis

Quid est causalitas causae formalis informantis? est completio qua forma complet materiam.

Quid a parte rei illa completio? est unio qua forma sic unitur materiae sic ut cum illa constituat compositum essentiale reale unius naturae.

Quid causalitas causae formalis componentis? est compositio qua forma constituit compositum essentiale reale per modum partis posterius advenientis.

An differat realiter a causalitate causae formalis informantis? non, quia est eadem unio a parte rei quae prout terminatur ad materiam est causalitas causae formalis informantis, prout autem comparatur ad totum compositum sic est causalitas causae formalis componentis.

An eadem unio a parte sit causalitas causae materialis et etiam formalis? imo, eadem unio a parte rei identificatur quatuor causalitatibus nempe causalitati causae materialis in qua, causalitati causae materialis ex qua, causalitati causae formalis informantis, et causalitati causae formalis componentis.

Quid effectus causae formalis? est subiectum quod completur per formam vel compositum essentiale reale quod dependet a ~~subiecto~~ parte tanquam parte ~~adiacente~~ posterius advenientes.

Quomodo se habent effectus causae formalis informantis et effectus causae formalis componentis? Utrumque est materia prima quia respectu formae substantialis est effectus causae formalis informantis, respectu autem subsistentiae est effectus causae formalis.

Da effectum causae formalis informantis qui non est effectus causae formalis componentis: natura materiae primae est enim effectus causae formalis informantis respectu subsistentiae.

Quare non est effectus causae formalis componentis? quia non componitur realiter ex illa forma.

Da effectum causae formalis componentis non informantis: Homo respectu animae rationalis est effectus causae formalis componentis.

Quare non est effectus causae formalis informantis? quia homo est essentialiter realiter completus, iam autem effectus causae formalis informantis debet esse incompletus essentialiter realiter, quia debet per formam compleri ut ante dictum est.

Da quod habet causam formalem sed non materialem: natura materiae primae habet pro causa formali suam subsistentiam, quam etiam etiam formam substantialem, unde patet quomodo idem effectus possit habere duas causas formales informantes.

Da econtra effectum habentem causam materialem sed non formalem: albedo habet pro causa materiali parietem, non habet autem causam formalem quia neque completur realiter per aliam formam neque etiam componitur essentialiter realiter ex illa.

Da effectum habentem causam materialem ex qua, et formalem componentem: homo pro causa materiali ex qua habet materiam primam, pro causa formali componente habet animam rationalem.

Da effectum habentem causam materialem ex qua, et non formalem componentem: nequit dari.

Da econtra: etiam nequit dari, unde convertuntur effectus habentes

causam materialem. ex quâ et formalem componentem.

Da effectum qui habet causam materialem in quâ, et formalem informantem: natura animae equi habet pro causâ materiali in quâ materiam primam, habet autem pro causâ formali informante suam subsistentiam.

Quomodo ergo se habent effectus habens causam materialem in quâ, et formalem informantem: utrumque est datum nempe natura animae equi.

Da effectum habentem causam materialem in quâ tantum: albedo.

Da effectum habentem causam formalem informantem tantum: natura materiae primae.

An causa formalis sit vera et realis causa? non, neque causa formalis informans, neque etiam causa formalis componens.

Declara de causâ formali informante: quia forma substantialis est causa formalis informans respectu materiae non est tamen verisimile quod sit vera et physica causa respectu materiae, quia probabilius est materiam primam supernaturaliter aliquando existere sine omni formâ substantiali.

Proba similiter quod causa formalis componens non sit vera et physica causa: quia neque vere et physice causat compositum per se primo, neque per partem.

Proba quod non causet compositum per se primo vere et physice: quia si illud sic causaret deberet etiam causare seipsam, quia ipsamet est pars compositi.

Declara quod non causet compositum gratiâ alterius partis nempe materiae: quia sic deberet physice causare materiam quod ante negatum est.

Quare causa formalis informans non causat physice compositum gratiâ unionis? quia unionem in composito formali non causat tanquam causa formalis, quia unio nullam causam formalem habet neque informantem neque componentem.

Quid causa efficiens?

quae causat mediante actione tanquam propriâ causalitate. ut ignis respectu caloris.

Per quid excluduntur causa materialis et formalis? per illud quia causat actionem, quia illae causae non causant per actionem.

Per quid ergo causant? causa materialis in quâ causat per sustentationem, causa formalis informans causat per completionem, causa materialis ex quâ et formalis componens causant mediante compositione.

Per quid excluduntur causa finalis et exemplaris a definitione causae efficientis? etiam illae causae non causant mediante actione tanquam propriâ causalitate.

Quid actio? est realis dependentia unius ab altero non requirens ex genere suo concursum realem ullius alterius principii. ut realis factio quâ ignis producit calorem.

Quomodo autem requirat concursum causae materialis ad eundem effectum qui realis est? non refert, quia non requirit illum concursum ex toto suo genere.

Declara quod non requirat illum concursum ex toto suo genere: quia si requireret illum ex toto suo genere quaelibet actio deberet habere concursum materialem terminativum ad eundem effectum, hoc autem falsum est.

Da actionem quae non habet talem concursum seu concomitantem: actio qua deus creat naturam angeli, quia natura angeli cum non sit forma non potest habere ullum subiectum quod ipsam materialiter causet.
An intellectus etiam sit actio? imo, et generatim omnis actio vitalis.
An actio vitalis ex genere suo non requirat concursum realem alterius principii? imo.
Quomodo ergo hic dicitur quod actio non requirat ex genere suo concursum realem alterius principii? equidem recte quia licet ex aliquo suo genere requirat talem concursum realem nempe ex illo suo genere quod est actio vitalis non requirit tamen talem concursum ex suo genere hic intellecto.
Quod ergo genus hic intelligitur? illud quod spectat ad famosam divisionem causae efficientis.
Divide actionem: dividitur in productionem et conservationem.
Quid productio? actio qua efficitur res quae immediate ante non fuit.
Dividitur productio in primam productionem et reproductionem.
Quid prima productio? est actio qua efficitur res quae nunquam ante fuit: prima productio angeli, hominis etc.
Quid reproductio? est actio qua efficitur res quae ante fuit sed non immediate ante. ut reproductio Lazari resuscitati a morte.
An differant essentialiter prima productio, et reproductio eiusdem rei? non est necesse.
Da primam productionem et reproductionem quae sint eiusdem speciei: reproductio caloris facta a solo deo supposito quod etiam deus solus primo produxerit eundem calorem.
Proba primam productionem et reproductionem tali casu esse eiusdem speciei: Quia cum terminus productus sit idem, et etiam sit idem adaequatum principium non est ulla necessitas variandi illam actionem specie.
Da primam productionem et reproductionem eiusdem rei quae specie differunt: sic ut si deus cum igne primo producat calorem, et postea solus deus illum calorem reproducat, tali casu prima productio et reproductio necessario different specie.
Ex parte cuius debebunt specie differre? ex parte principii, quia prima productio habet aliquod principium quod non habet reproductio, quia prima productio supponitur procedere a deo et igne, reproductio autem supponitur fieri a solo deo.
Quid conservatio? est actio qua efficitur res quae immediate ante fuit.
Quid refert illa relativa quae? rem an actionem? rem.
Quare non actionem? quia conservatio non debet esse actio quae immediate ante fuit.
An ergo actio possit primo instanti suae existentiae esse conservatio? imo.
Da talem actionem: sic si deus et ignis simul producant primo calorem, et eundem calorem postea solus deus conservet, actio illa conservativa dei erit conservatio pro primo instanti suae existen=

tiae, erit enim actio quâ efficitur res quae immediate ante fuit.
An sic bene definiatur conseruatio est actio quâ efficitur res quae ante fuit? non, quia illâ definitione continetur etiam reproductio.
An productio et conseruatio debeant essentialiter differre? non est necesse.
Da productionem et conseruationem quae non differunt specie: productio et conseruatio angeli, quia est idem adaequatum principium et est etiam idem adaequatus terminus sicut non appareat ex quo capite deberent illae actiones specie differre.
Quare non differunt specie ex parte temporis? quia eadem actio bene potest successiue coexistere diuersis instantibus temporis sicut eadem arbor prope fluuium bene coexistit diuersis partibus aquae adfluentis.
An ergo etiam eadem numero actio possit esse productio et conseruatio? imo, quia actio quâ Deus primo producit angelum est eadem numero cum illâ actione quâ Deus eundem angelum postea conseruat.
Da productionem et conseruationem eiusdem rei quae specie differunt; sic productio quâ Deus et ignis simul producunt calorem specie differt a conseruatione quâ Deus solus postea illum calorem conseruat, differt inquam specie ex parte principii.
Quid conseruare? [redacted] stricte est efficere rem quae immediate ante fuit.
Quid conseruari? est rem effici quae immediate ante fuit.
Quid produci? est effici rem quae immediate ante non fuit.
Quid reproduci? est effici rem quae ante fuit sed non immediate.
Da aliquid quod non potest conseruari: ens rationis, quia id quod conseruatur debet effici, ens rationis autem non potest effici a quoquam.
Da ens reale quod non potest conseruari: Deus, quia Deus non potest a quoquam effici.
Da aliquid quod potest conseruari et non produci: non potest dari, quia conseruatio rei supponit productionem eiusdem rei.
Da quod potest produci et non conseruari: etiam probabile est tale non posse dari, probabiliter tamen dicitur quod sit possibilis aliquis purus modus essentialiter affixus uni instanti temporis imaginarii eodem modo sicut praesentia localis dicitur affixa essentialiter ad certam partem spatii imaginarii, et secundum hoc res sic affixa uni instanti non poterit existere pluribus instantibus sibi succedentibus, adeoque nec conseruari.
Da quod producitur et non est creatura: quod producitur stricte eo modo quo ante definita est productio tale non datur.
Quomodo tum secunda et tertia persona diuina etiam producantur? illae producuntur late, sed non stricte prout hic sumimus productionem, quia personae diuinae producuntur sine dependentia a re producente.
An causae distinctae ab efficiente etiam conseruent suos effectus? non conseruant conseruatione stricte dictâ a nobis ante definita, quia illa debet esse causalitas causae efficientis, conseruant tamen etiam aliae causae conseruatione late dictâ.

POLYMNIA.

Defini Conservationem tam late ut etiam competat aliis generibus causarum: est causalitas qua causatur res quae immediate ante habuit suum esse.

An causalitas aliarum causarum possit primo instanti suae existentiae esse conservatio? ita aliquarum sed non omnium.

Cuius causae causalitas non potest primo instanti suae existentiae esse conservatio? causalitas causae materialis ex qua, item causalitas causae formalis componentis.

Quare illae causalitates non possunt primo instanti suae existentiae esse conservationes? quia causalitates illae identificantur unionibus compositorum, ac proinde sunt de essentia ipsorum compositorum, et sic fieri non potest ut composita ista eadem manentia antea fuerint sine ista unione seu causalitate.

An causalitas causae materialis in qua possit primo instanti suae existentiae esse conservatio? imo.

Quomodo hoc potest contingere naturaliter an solum per deum? etiam naturaliter.

Explica quomodo hoc aliquando naturaliter contingat: sic ut si quando deus et ignis simul primo producunt calorem in materia ligni, quem calorem deus postea solus conservat, separato igne, tunc datur ibi causalitas causae materialis in qua quae naturaliter primo instanti suae existentiae sit conservatio caloris, quia causalitas causae materialis in qua identificatur realiter actioni causae efficientis, quandoquidem ambae simul identificentur eidem tertio, nempe unioni qua calor unitur subiecto, ac proinde sicut actio qua deus conservat solus calorem prius etiam productum ab igne primo instanti suae existentiae est conservatio causae efficientis, ita etiam causalitas materialis identificata realiter isti actioni primo instanti suae existentiae erit conservatio materialis, est enim unio a parte rei realiter distincta ab ista unione qua idem subiectum antea uniebatur eidem calori.

An similiter causalitas causae formalis informantis sit primo instanti suae existentiae conservatio? imo, hoc naturaliter contingit, cum quando aliqua forma substantialis succedit alteri in eadem materia.

Divide aliter actionem: dividitur in generationem et creationem.

Quid generatio? est productio formae dependenter a subiecto sustentante, ut productio caloris, et generatim omnis productio accidentis quae naturaliter contingit.

Da productionem substantiae quae etiam sit generatio: productio animae equi.

An sufficiat ad generationem quod sit productio formae dependenter a subiecto sustentante? non satis est quod ipsa actio dependeat a subiecto sustentante, sed terminus per actionem productus debet a subiecto sustentante dependere.

Proba non sufficere quod ipsamet actio dependeat a subiecto sustentante? quia sic etiam creatio naturae angelicae deberet dici generatio

Quia illa actio etiam dependet a suo termino tanquam a subiecto sustentante.

Quid creatio? est productio rei independenter a subiecto sustentante. ut creatio animæ rationalis.

An creatio debeat etiam esse productio formæ? non.

Da creationem quæ non sit productio formæ: creatio naturæ angeli, quia natura angeli forma non est.

Quid generari? est produci dependenter a subiecto sustentante.

Quid creari? est produci independenter a subiecto sustentante.

Quomodo se habeant id quod potest generari, et id quod potest creari? utrumque est albedo, naturaliter enim generatur, per deum autem etiam potest creari quia hoc accidit quando producitur extra omne subiectum.

Da aliquid quod potest creari et non generari: natura angeli, quia natura angeli non est forma, neque etiam ullam formam includit ratione cuius possit dici generari.

Da econtra aliquid quod potest generari et non creari: ut primus modus [illegible] præsentiæ localis, quia essentialiter dependet a subiecto sustentante, unde excedit se id quod potest generari, et id quod potest creari.

An aliquid naturaliter simul possit generari et creari? ut aliquid simul naturaliter generetur et creetur per se primo hoc fieri non potest, bene tamen potest contingere ut aliquid creetur gratia unius partis et generetur gratia alterius partis.

Da quod sic simul generatur et creatur: sic anima rationalis creatur gratia suæ naturæ, generatur autem gratia suæ subsistentiæ, quia natura animæ est independens a subiecto sustentante, subsistentia autem eius a subiecto sustentante dependet, simpliciter tamen solet dici anima rationalis creari, quia principalior pars eius, nempe natura animæ rationalis creatur.

Quid creari quando anima rationalis dicitur creari? est aliquid produci independenter a subiecto sustentante per se primo, vel saltem gratia partis. posterius autem membrum convenit animæ rationali.

Da quod creatur per se primo: natura angeli, item natura animæ rationalis.

Quid generari quando anima rationalis dicitur generari? est aliquid produci dependenter a subiecto sustentante per se primo negative, vel saltem gratia partis. posterius convenit animæ rationali, prius autem competit reliquis formis.

An differant essentialiter generatio et creatio? aliqua generatio et aliqua creatio essentialiter differunt ut potest colligi ex illis quæ dicta sunt de causalitate in genere.

Quænam ergo generatio et creatio essentialiter differunt? generatio et creatio quæ habent diversum terminum, vel diversum principium.

Quare illæ debent essentialiter differre? quia respiciunt essentia

liter diversa.
An aliqua generatio differat essentialiter ab omni creatione? imo. assigna talem: talis est generatio puri modi, quia purus modus non potest esse terminus creationis cum non possit esse independens a subiecto sustentante.
Da similiter creationem quae differt essentialiter ab omni generatione: creatio naturae angeli, quia nulla generatio potest pro termino habere naturam angeli, quia natura angeli non est forma neque per se primo neque per partem, terminus autem generationis debet esse forma per se primo vel saltem per partem.
De qua ergo generatione et creatione est controversia an differant specie an non? de illis quae habent eadem extrema videlicet idem principium et eundem adequatum terminum, itaque utrimque probabiliter disputatur an productio albedinis in subiecto sive generatio albedinis possit esse eiusdem speciei cum productione albedinis extra omne subiectum.
An de facto albedo conservetur eadem actione extra subiectum qua fuit producta dependenter in subiecto? Resp. quod non iuxta sententiam nostram de causalitate causae materialis, quia in sententia nostra productio albedinis naturaliter facta coincidit cum unione qua albedo unitur subiecto a quo dependet, ergo actio illa productiva albedinis in subiecto essentialiter differt a creatione eiusdem albedinis.
proba illam consequentiam: quia generatio illa albedinis est unio quae essentialiter respicit utrumque extremum nempe albedinem, et etiam subiectum albedinis, creatio autem albedinis illa non respicit essentialiter subiectum albedinis quandoquidem albedo quae creatur sit extra omne subiectum.
De qua ergo generatione est controversia an sit eiusdem speciei cum creatione? de illa generatione quae esset realiter distincta a sustentatione, qualis videtur per deum posse dari licet illa generatio quae de facto datur coincidat cum sustentatione.
proba aliqua ratione posse dari generationem eiusdem speciei cum aliqua creatione: Resp. quia videtur per deum posse dari actio productiva albedinis videlicet quae sit indifferens ad hoc ut habeat concomitantem sustentationem subiecti quae sustentat illam albedinem, et etiam ut possit carere tali sustentatione.
declara quod facta illa suppositione eadem actio modo erit generatio modo creatio: quia quando ad eandem albedinem simul concurrit subiectum sustentans, tunc illa actio productiva albedinis erit generatio, quando autem non concurrit illud subiectum sustentans tunc erit creatio.
An perveniat influxus subiecti in talem albedinem alter influxus

effectus non debeat necessario perire? non est necesse.

Quomodo cum sit globus aliquis dependenter a duobus funibus quorum uterque esset sufficiens ad tenendum globum, deberet cadere si alter funis abscinderetur? et hoc est verum p infero ergo similiter albedo quae dependet a duabus causalitatibus nempe sustentatione et actione productiva debet redire in nihilum perdita sustentatione: non sequitur.

Quomodo, cum sit par ratio sicut de isto globo? nego esse paritatem quoad omnia. disparitas autem est in eo quod perdita dicta sustentatione deus equidem possit conservare suum influxum effectivum si velit, quo influxu manente etiam debeat albedo manere. alter autem funis restans ex duobus antedictis quando unus est abscissus non est sufficiens ut amplius teneat globum. quod si funis ille tunc roboraretur magis tunc posset equidem globum tenere.

An causa efficiens recte dividatur in principalem et instrumentalem? imo si divisum reperiatur in membris dividentibus aliquas non, quia potest etiam dari causa principalis et instrumentalis alterius generis quam causae efficientis.

Quomodo equidem subsistit haec divisio cum detur causa efficiens nec principalis nec instrumentalis? datur quidem causa efficiens nec instrumentalis nec principalis positive sed hoc non refert, quia quando nos approbamus hanc divisionem tunc per causam principalem non intelligimus causam principalem positive sed causam principalem negative.

Quid causa principalis negative? quae mediante non denominatur alia absolute causare.

Declara causam efficientem recte dividi in instrumentalem et principalem negative: quia quaelibet causa efficiens est talis ut ipsa mediante alia denominetur absolute causare vel non: si prius erit causa instrumentalis, si posterius, erit causa principalis negative.

An causa efficiens recte dividatur in instrumentalem et principalem positive? non.

Proba illam divisionem non subsistere: quia datur causa efficiens nec instrumentalis nec principalis positive.

Da talem causam efficientem: deus se solo creans angelum.

Quaenam ergo causa efficiens recte dividitur in principalem positive et instrumentalem: causa efficiens subalterna.

Quid causa subalterna? quae denominatur causare mediante alia causa vel quae mediante alia denominatur absolute causare.

An omnis causa efficiens sit aliquo respectu subalterna? non.

Da causam efficientem non subalternam: deus se solo creans angelum.

Quid causa non subalterna? quae non denominatur causare mediante alia causa, et qua mediante alia non denominatur absolute causare.

Quid causa principalis positive quae solet famose intelligi nomine

Causa principalis? est causa quae denominatur absolute causare mediante alia causa.

Quid denominari absolute causare? est denominari causare sine particula ampliante, alienante, vel diminuente.

Quomodo se habent causa principalis positive et causa principalis negative? utrumque est Deus producens cum igne calorem.

Da causam principalem negative non positive: Deus se solo creans angelum quia non habet ullam causam efficientem sibi subservientem qua mediante denominetur efficere angelum.

Da causam principalem positive non negative: intellectus producens cum habitu conceptum intellectualem.

Ostende quod non sit causa principalis negative: quia mediante intellectu alia causa denominatur absolute causare nempe anima item homo, et per hoc patet quod antea petita excedant se.

Quid causa instrumentalis? est causa qua mediante alia denominatur absolute causare. ut intellectus, est enim causa instrumentalis qua mediante homo denominatur absolute intelligere.

An eadem causa possit esse principalis et instrumentalis? imo.

Quomodo ergo se habent causa principalis et instrumentalis? excedunt se.

Da utrumque: intellectus respectu conceptus intellectualis quem elicit mediante habitu vel specie intelligibili, est enim principalis quatenus operatur mediante specie intelligibili, et est instrumentalis quatenus mediante intellectu homo denominatur intelligere.

Da causam principalem non instrumentalem: Deus quatenus cum igne producit calorem.

Quare non est instrumentalis? quia nihil est quod denominatur causare istum calorem mediante Deo.

Da econtra causam instrumentalem non principalem: species intelligibilis qua mediante intellectus elicit intellectionem.

Quare non potest esse causa principalis? etiamsi absolute possit esse causa principalis aliquo respectu hic et nunc tamen supponitur non esse talis causa.

An Deus non sit aliquo respectu causa instrumentalis? non, quia causa instrumentalis praesupponit aliam sed principalem priorem, et a qua aliquo modo dependeat, iam autem talis dependentia in Deum cadere non potest.

An causa instrumentalis debeat mediare quoad tempus inter causam principalem et effectum? non, sed potest esse simul tempore tam cum causa principali quam etiam cum effectu.

Assigna aliquam causam instrumentalem quae sit simul tempore cum utroque ipsorum: R. anima hominis, illa est simul tempore cum homine qui est causa principalis et est simul tempore cum intellectu qui est effectus respectu ipsorum.

An causa instrumentalis debeat mediare quoad locum inter causam principalem et effectum? non, quia causa instrumentalis potest esse in eodem loco cum causa principali et effectu.

Assigna aliquam talem causam instrumentalem: anima rationalis quae est in eodem loco cum homine qui est causa et cum intellectu qui est effectus eius.

Quomodo ergo causa principalis debet mediare inter causam principalem et effectum? debet mediare natura sic videlicet ut sit aliquo modo natura posterior respectu causae principalis, et natura prior respectu effectus.
An caussa instrumentalis debeat physice dependere a causa principali necne.
Da talem quae sic non dependet: sic famulus est instrumentum domini a quo physice non dependet.
An interdum causa instrumentalis non possit physice dependere a causa principali? ita, et sic omne instrumentum creatum dependet a Deo physice.
Declara quod causa instrumentalis non semper requirat influxum causae principalis in eundem effectum: ut calor est instrumentum aquae, et mediante illo aqua calida denominatur absolute ~~[illegible]~~ calefacere, et tamen calefactio illa nullo modo exeditur ab aqua, sed solum ab eius calore.
Quomodo debent concurrere causa principalis et instrumentalis ad effectum per se an per accidens? aliquando per se, aliquando per accidens ambo, aliquando principalis concurrit per se, et instrumentalis per accidens, aliquando econtra instrumentalis per se et principalis per accidens.
Da causam principalem et instrumentalem quae ambo per se concurrunt ad effectum: Deus et ignis qualiter simul producunt calorem, quia et ignis et etiam Deus per se attingunt illum effectum.
Da causam principalem et instrumentalem quae ambae tantum concurrunt per accidens ad effectum: sic dominus mandans famulo ut conducat aliquem ad committendum homicidium est causa principalis respectu homicidii secuti, et famulus est causa instrumentalis respectu eiusdem homicidii, et tamen neuter illorum per se concurrisset ad istud homicidium, quia illud supponitur esse commissum ab uno tertio.
Da causam principalem quae concurrit ad effectum per se cuius causa instrumentalis tantum concurrit per accidens ad eundem effectum: sic ignis qui mediante suo calore efficit alium ignem concurrit tamquam causa principalis et per se ad istum ignem productum, calor tamen ignis producentis tantum concurrit per accidens ad istum ignem productum.
Quare concluditur quod iste calor producat ignem illum per se? quia nulla est necessitas admittendi quod accidens habeat vim per se effectivam substantiae, et latius probabitur post.
Da econtra causam principalem quae concurrit tantum per accidens ad effectum, cuius causa instrumentalis concurrit per se: sic aqua calida producens calorem cum calore sibi inhaerente.
Quare concluditur quod aqua ista per se producat istum calorem productum: quia aqua non est per se effectiva caloris sed potius frigoris.
An causa principalis et instrumentalis debeant diversis actioni=

bus concurrere ad effectum? non sed aliquando concurrunt ea-
dem actione, aliquando vero realiter diversis.

Da causam principalem et instrumentalem quae concurrunt eadem actione ad effectum: Deus et ignis quando simul producunt calorem.

Declara quod concurrant eadem actione: quia ut postea dicetur non est ulla necessitas admittendi diversitatem inter actionem creaturae et actionem Dei quando simul concurrunt ad eundem effectum, omnem enim quaelibet actio creaturae etiam sit creatura debet immediate dependere a Deo.

Da causam principalem creatam et instrumentalem quae concurrunt eadem actione ad effectum: sicut anima rationalis et intellectus concurrunt eadem actione ad producendum ~~[illegible]~~ conceptum intellectivum.

Da causam principalem et instrumentalem quae concurrunt diversis actionibus ad effectum: sicut ignis quando mediante suo calore producit alium ignem.

Declara quod concurrant diversis actionibus: quia actio caloris potius terminatur immediate ad alium calorem qui est dispositio ad formam novi ignis producti: actio autem egrediens ab igne terminatur immediate ad formam ignis producti.

Quomodo differunt instrumentum et causa instrumentalis? illa hic sumuntur pro iisdem.

Divide instrumentum sive causam instrumentalem: dividitur in instrumentum coniunctum et separatum.

Quotupliciter dicitur aliquod instrumentum esse coniunctum? dupliciter quia aliud est instrumentum coniunctum quoad locum, aliud vero instrumentum coniunctum quoad causalitatem.

Quid instrumentum coniunctum quoad locum? est quod debet esse indistans a causa principali ad hoc ut agat. ut calamus respectu scribentis, calamus enim debet esse indistans a scribente ad hoc ut fiat scriptio.

An instrumentum coniunctum quoad locum debeat esse in loco vicino causae principalis? hoc non est necesse, quia fieri potest ut sit in eodem loco cum causa principali, et tale instrumentum est manus respectu hominis, occupat autem manus eundem locum saltem partialiter cum homine.

Quomodo manus est instrumentum hominis cum non sit distincta ab homine? hic non requiritur ad instrumentum.

An saltem instrumentum debeat esse realiter distinctum a causa principali? hoc etiam non est necesse, quia fieri potest ut distinguatur officio tantum, et sic superior mandans omnibus aliquid quod etiam ab ipso superiore fieri potest, est debet esse causa principalis respectu operis faciendi, in quantum est mandans, et quantum autem ipse concurrit cum aliis sic etiam est instrumentum respectu sui ipsius.

Quid instrumentum coniunctum quoad causalitatem? est quod non potest agere nisi causa principali simul concurrente ad eundem effectum. tale instrumentum est intellectus respectu animae rationalis, quia conceptum intellectivum v.g. intellectus causare

nequit nisi ad eundem simul concurrat anima rationalis.

Divide similiter instrumentum separatum: dividitur in instrumentum separatum quoad locum et separatum quoad causalitatem.

Quid instrumentum separatum quoad locum? quod non debet esse indistans a causa principali ad hoc ut agat. sic impetus impressus sagittae est tale instrumentum respectu sagittarii, quia ut ille impetus causet motum istius sagittae potest localiter distare ab isto sagittario, immo etiamsi contingeret sagittarium mori immediate post impressum impetum sagittae, sagitta eodem modo moveretur acsi sagittarius viveret.

Quid instrumentum [redacted] separatum quoad causalitatem? quod producit suum effectum per se non concurrente causa principali ad eundem effectum. ut calor aquae calidae respectu caloris, quia aqua quae est causa principalis non concurrit ad istum calorem per se ut ante dictum est.

An impetus impressus sagittae non sit etiam tale instrumentum respectu sagittarii? imo, quia ut ante dictum est impetus ille potest causare motum sagittae etiam post mortem sagittarii.

An ergo impetus ille sit instrumentum utroque modo separatum? imo.

Da instrumentum utroque modo coniunctum tam quoad locum quam quoad causalitatem: intellectus respectu animae rationalis quia cum illa producit conceptum intellectivum.

Quomodo se habent instrumentum coniunctum quoad locum et quoad causalitatem? utrumque est intellectus cum quo anima rationalis producit conceptum intellectivum.

An calamus non sit etiam tale instrumentum respectu ~~sagittarii~~ scribentis? imo.

Da instrumentum coniunctum quoad causalitatem et non quoad locum: tale quid est dispositio existens in visceribus terrae quae concurrit cum sole ad producendum illic aurum argentum et similia; clarum autem est quod illae dispositiones non sint coniunctae cum sole quoad locum.

Declara quod sint instrumentum coniunctum quoad causalitatem: quia non possunt concurrere ad productionem istorum mineralium nisi concurrente simul sole ad eundem effectum.

Da instrumentum coniunctum quoad locum et non quoad causalitatem: non datur quia non apparet alia ratio ob quam instrumentum aliquod requirat indistantiam a causa principali, nisi quia requirit influxum eiusdem causae principalis in eundem effectum, et sic ante petita habent se ut magis et minus communia.

Quomodo se habent instrumentum separatum quoad locum et quoad causalitatem? utrumque est impetus impressus sagittae a sagittario quoad locum, non quoad causalitatem dispositiones illae in visceribus terrae quibus mediantibus sol producit sibi aurum argentum et similia.

Da econtra instrumentum separatum quoad causalitatem non quoad

locum: non datum

Quare non calor inexistens aquae? quia est etiam instrumentum separatum quoad locum, quia ut calor aquae agat non est necesse quod sit indistans ab aqua, quia eodem modo ageret si esset extra subiectum; hoc tamen est verum quod aqua non possit denominari aliquid mediante calore nisi ipsa in se calorem haberet, sed hoc dicimus non sufficere ad instrumentum coniunctum.

An causa principalis possit hoc modo definiri est causa principalis quae agit actionem non dependentem ab alia causa? non. quia causa principalis etiam agit actionem dependentem ab alia causa. declaratur exemplo, sic quando anima rationalis cum intellectu producit conceptum intellectivum, tunc inquam anima agit actionem pendentem ab intellectu, similiter quando Deus concurrit cum igne ad producendum calorem, Deus et ignis tunc agunt eandem actionem, ergo Deus non agit actionem independentem ab alia causa.

An causa instrumentalis possit agere actionem independentem ab alia causa? non, quia actio causae instrumentalis semper est actio creaturae, iam autem omnis actio creaturae semper dependet a Deo, adeoque etiam ab alia causa.

An recte definiatur hoc modo causa instrumentalis? est quae non agit nisi mota a causa principali? non, quia aliqua causa instrumentalis saepe producit suum effectum manens immota, quia sicut ignis est causa principalis, et calor est eius instrumentum respectu alterius caloris producendi, iam autem calor ille producens potest bene cum igne concurrere licet nullo modo moveatur ab igne.

An interim non sint aliquae causae instrumentales quae debent localiter moveri ut causa principalis mediantibus illis agat? ita, tales sunt malleus, securis, serra, et similia instrumenta artificum.

Quae est ratio quare illa instrumenta artificum debeant localiter moveri ut causa principalis agat mediantibus istis? quia non agunt nisi per impetum impressum illis a causa principali, impetus autem illis non potest imprimi sine motu.

An causa instrumentalis possit hoc modo definiri? est quae attingit effectum se nobiliorem? non, quia causa instrumentalis saepe producit effectum aeque nobilem se, saepe etiam producit effectum aeque nobilem.

Da causam instrumentalem quae producit effectum nobiliorem se: ut intellectus producens cum anima conceptum intellectivum.

Da causam instrumentalem quae producit effectum aeque nobilem: sic calor inexistens igni est instrumentum respectu ignis, et producit calorem aeque perfectum ac ipse calor est.

An instrumentalis non producat etiam aliquando effectum se perfectiorem? R. si concurrat tantum per accidens ad illum effectum, tunc hoc bene potest fieri, sic v. g. calor est instrumentum ignis concurrens cum illo per accidens ad producendum alium ignem, iam autem alius iste ignis est perfectior calore.

An causa instrumentalis possit per se attingere effectum se perfectiorem?

Hoc dubium est, de quo ex professo post instituetur una quaestio et disputatio.

An causa recte dividatur in totalem et partialem?

Primo. Quotupliciter dicitur aliqua causa totalis? dupliciter: quia alia dicitur totalis ex parte causae, alia totalis ex parte effectus. quando autem simpliciter fit mentio causae totalis intelligitur causa totalis ex parte causae.

Quid causa totalis ex parte causae? est quae se sola in suo genere et ordine est principium causalitatis quo sufficienter et integre ponitur effectus. ut deus respectu hominis.

Da causam totalem creatam: ignis producens calorem supposito quod non habeat aliam causam creatam efficientem concurrentem ad eundem calorem.

An requiratur ad causam totalem ut concurrat ad effectum sic ut non habeat ullam aliam causam? non quia causa totalis bene potest habere concurrentem aliam causam diversi generis, deus v.g. bene est causa totalis respectu caloris licet ad eundem calorem concurrat materia prima per modum causae materialis in qua.

An requiratur ad causam totalem ut non habeat aliam concurrentem eiusdem generis ad eundem effectum? non quia causa totalis bene potest habere aliam causam eiusdem generis concurrentem ad eundem effectum, quando illa causa eiusdem generis est diversi generis, ratio istius est haec quia aliter non posset esse ulla causa efficiens creata totalis, quia omnis causa efficiens creata semper habet aliam causam eiusdem generis concurrentem ad eundem effectum videlicet deum.

An deus esset causa totalis si requireretur ad causam totalem ut non haberet aliam eiusdem generis concurrentem ad eundem effectum? R. non semper tunc esset causa totalis.

Dic ergo quando tunc esset causa totalis, et quando non: esset tunc quando ipse solo produceret effectum. non esset autem causa totalis quando ~~[illegible]~~ cum deo simul concurreret aliqua creatura.

An requiratur ad causam totalem ut sola in suo genere et ordine causet effectum? non. quia sufficit quod sola in suo genere et ordine sit principium causalitatis quo sufficienter et integre ponitur effectus.

Quid causae eiusdem generis? sunt causae quae pertinent ad idem membrum famosae divisionis causae. ut deus et ignis respectu caloris quia ambo pertinent ad idem membrum famosae divisionis causae videlicet ad causam efficientem.

Quid causae diversi generis? sunt causae quae non pertinent ad idem membrum famosae divisionis causae, ut deus et materia prima respectu caloris, quia materia prima spectat ad genus causae materialis deus autem non.

Quid causae eiusdem ordinis? sunt causae quae universales vel

eque particulares. ut duo equi, duo homines.
Quid causa universalis? que eque principaliter producunt plures effectus diverse speciei. sic deus est causa universalissima.
Quid sunt causae eque universales? que causant eque principaliter multos effectus diverse speciei. ut duo homines item duo equi.
Quid causa particularis? que principaliter tantum producit unicum speciei effectum. ut calor, quia principaliter et solum producit aliquem calorem eiusdem speciei cum ipso.
Quomodo cum etiam producat speciem tangibilem sui? non est necesse agnoscere speciem tangibilem quia cum tactus non feratur nisi circa obiectum presens, illud obiectum per se ipsum sufficienter concurrit ad tactionem, ita ut non indigeat vicaria specie. illud est vero de obiecto visus ut de albedine que videtur ab oculo dum ab illo distat, ergo debet speciem visibilem ad oculum mittere, et hoc ut videat.
Da causas eque particulares: duo calores.
Cur non etiam calor et frigus? etiam illa.
Quid causae diversi ordinis? sunt causae quarum una est universalis et altera particularis vel est universalior altera. ut deus et homo.
Quomodo cum sint ambe universales? non refert, quia una est universalior altera.
Da causam eiusdem ordinis cum deo: non datur.
Da causas diversi ordinis que non sint ambe universales: deus et calor respectu caloris
An non bene sequatur
Deus concurrens cum igne non causat solus in suo genere calorem, ergo non causat solus in suo genere et ordine calorem? non, quia hoc intelligitur a posteriori quia antecedens est manifeste verum et consequens manifeste falsum.
Declara antecedens esse verum: quia deus et ignis ambo sunt causae efficientes, ergo falsum est quod deus concurrens cum igne non habeat concurrentem aliam causam eiusdem generis, ergo consequenter debet esse verum deus causans cum igne calorem non causat illum solus in suo genere et ordine, quia deus est causa totalis, ergo solus in suo genere et ordine est principium causalitatis qua integre et sufficienter ponitur ille effectus.
An hoc non bene sequatur, Johannes non est brutum, ergo Johannes non est brutum et homo? imo, videlicet negatione ex parte predicati a parte totius copulativi ad totum copulativum.
Quomodo valet illud argumentum, Johannes non est brutum, ergo Johannes non est brutum et homo cum procedatur ab una specie ad genus distributum? nego.
Quomodo cum illud totum equivaleat generi distributo? nego quod equivaleat, quia coniunctio copulativa et ibi mutatur in disiunctivam quoad sensum, ut sensus istius consequentis sit Johannes non est homo vel homines non est brutum.

Quare non sequitur similiter in casu anteposito, Deus non causat solus in suo genere, ergo non causat solus in suo genere et ordine? Ratio disparitatis est quia in hoc posteriori argumento virtute proceditur affirmative a parte totius copulativi ad totum copulativum.

Quomodo cum illud posterius argumentum etiam sit negativum? Nego. Quia in hoc posteriori argumento includitur duplex negatio, una immediate ante copulam, altera autem inclusa in voce solus, unde illa propositio Deus concurrens cum igne non causat solus in suo genere calorem, virtute includit hanc propositionem, Deus habet secum concurrentem aliam causam eiusdem generis, iam autem ex illa non licet inferre, ergo habet secum concurrentem aliam causam eiusdem generis et ordinis, ergo cum veritate istius antecedentis Deus non causat se solo in suo genere stat veritas istius, Deus causat solus in suo genere et ordine.

An hoc bene sequatur Deus causat solus in suo genere vel ordine, causat solus in suo genere et ordine? Imo.

Quare magis quam hoc, Ioannes est homo vel brutum, ergo Ioannes est homo et brutum? Ratio disparitatis est quia posterius argumentum est pure affirmativum, prius autem est quodammodo negativum propter negationem inclusam in voce solus.

An bene sequatur, Ioannes non est homo vel brutum, ergo Ioannes non est homo et brutum? Imo.

Quomodo se habent causa causans sola in suo genere, et causa causans sola in suo genere et ordine? Utrumque est Deus producens se solo hominem. Habent se ut magis et minus communia.

Da causam causantem se solo in suo genere et ordine tantum: Ut Deus cum igne causans calorem.

Declara quod non causet solus in suo genere: quia ignis concurrit in eodem genere cum ipso.

Da econtra causam causantem se solo in suo genere tantum: non potest dari.

Quare non illa quae habet secum concurrentem aliam eiusdem generis et non eiusdem ordinis? Quia hoc ipso quod habet talem concurrentem concurrit etiam se sola in suo genere et ordine.

An ut aliqua causa dicatur causans se sola in suo genere et ordine non requiratur ut non habeat aliam concurrentem in eodem genere, et aliam in eodem ordine? Non, sed alterutrum sufficit.

An causa totalis non possit admittere aliam secum eiusdem generis et ordinis ad eundem effectum? Imo, et talis est ignis producens calorem hic, supposito quod idem calor producatur ab alio igne.

Quare non requiritur ad causam totalem ut non admittat aliam eiusdem generis et ordinis ad eundem effectum? Quia passim solet disputari an possint dari plures causae totales eiusdem effectus, clarum autem est quod hoc non posset fieri si ad causam totalem requireretur ut non haberet aliam eiusdem generis et ordinis concurrentem.

Quare additur in definitione causae totalis illa particula, integre? Quia ut calor cum Deo producens immediate alterius caloris respectu totalis caloris istius producti non dicitur causa totalis, licet supponatur nullam habere concausam eiusdem generis et ordinis concurrentem ad eundem effectum.

Quaeres non est causa totalis si nulla alia causa eiusdem generis et ordinis concurrat ad eundem effectum? quia ut supponitur non causat illum effectum integre, sed solum secundum medietatem, ita ut medietatem partium integralium non causet.

At interdum non definiatur tam late causa totalis quae sola in suo genere et ordine est principium causalitatis quae ponitur effectus? imo.

At secundum illam definitionem calor ille de quo actum fuerit causa totalis? imo, sed illa acceptio causae totalis ex parte causae varianda est in usu, quia causa totalis ex parte causae absolute debet etiam esse totalis ex parte effectus, talis autem non est iste calor de quo iam actum est, quia non causat totum effectum.

Quare additur in definitione causae totalis particula illa sufficienter? ut excluderetur illa causa quae sola in suo genere et ordine esset principium causalitatis quae quidem integre poneretur effectus, sed non sufficienter.

Assigna aliquam causam quae sic causat aliquem effectum: tales sunt partes integrales unius integri ignis respectu caloris ad quatuor supposito quod singulae partes integrales istius ignis producant istum calorem per se primo realiter distinctis causalitatibus, sic tamen ut per nullam partialem eundem producerent sufficienter, quod saltem per deum bene fieri potest.

An de facto sic duae agant partes integrales unius ignis? non, quia cum bene possit eadem causalitas habere principia realiter distincta, non videtur necessarium quod idem calor intensus ad quatuor vel etiam ad octo dependeat per causalitates realiter distinctas a qualibet parte integrali istius ignis.

An ergo pars integralis istius ignis sit tantum causa partialis? imo, licet supponatur quod quaelibet pars producat istum calorem per se primo.

Quare tali casu quaelibet pars integralis istius ignis erit tantum causa partialis? quia quaelibet pars integralis ut supponitur habet aliam causam eiusdem generis et ordinis, quae etiam sit principium eiusdem causalitatis terminatae ad eundem effectum, quia ex supposito plures partes agunt eadem causalitate.

Quid causa totalis ex parte effectus? quae causat totum effectum ad quem comparatur, ut deus respectu hominis, item unus ignis respectu alterius ignis.

Quomodo unus ignis unquam possit causare alium ignem totum? imo bene potest prout hic intelligitur.

Quomodo cum unus ignis nunquam possit causare materiam primam alterius ignis? est verum et non refert.

Declara esse verum: quia materia prima non potest produci aliter quam per creationem, ignis autem sicut et aliae creaturae creare non possunt.

Declara quod eo non obstante quod unus ignis possit esse causa totalis respectu alterius ignis: quia potest equidem producere totum ignem hoc sensu, quia potest producere omnes partes integrales istius ignis producti, quia potest quamlibet partem istius formae substantialis producere, similiter unionem physicam inter materiam

primam et formam substantialem ignis.
Quomodo se habent causa totalis ex parte causae et causa totalis
ex parte effectus? utriusque est diversus respectus diversorumque effectibus
ipso producti.
Da causam totalem ex parte effectus et non ex parte causae: sit
equus cum alio equo trahens currum respectu motus istius currus.
Declara quod quilibet equus tali casu causet totum effectum: quia
cum motus ille debeat causari unica causalitate, non est ratio cur
secundum quamlibet sui partem non causetur a quolibet equo.
Quomodo recte cum possit fieri quod unus equus possit trahere
istum currum solus? non refert. In primis nos agimus de motu
talis currus qui ab uno equo seorsum trahi non potest. Deinde licet
currus ille possit trahi ab uno equo seorsim, quando tamen duo
simul concurrerent, tunc neuter adhiberet tantum conatum quam si
esset solus, et sic uterque concurrit ad totum illum motum per se
primo.
Quare unus equus cum alio trahens currum non est causa tota-
lis ex parte causae? quia uterque habet aliam concausam eiusdem
generis et ordinis quae etiam sit principium eiusdem causalitatis
qua integre ponatur ille effectus, quia quilibet equus habet alte-
rum equum pro tali principio.
Declara quod alter equus sit principium eiusdem causalitatis: quia
quaelibet pars istius motus non potest nisi unica causalitate causari.
Cur non sufficiat ad causam totalem ex parte causae ut sola in suo ge-
nere et ordine possit esse principium causalitatis qua sufficienter et
integre ponatur effectus? non, sed requiritur ut actu sit tale prin-
cipium.
Da econtra causam totalem ex parte causae quae non sit totalis
ex parte effectus? non datur quia omnis causa totalis ex parte causae
debet integre causare effectum, adeoque totum effectum, et sic esse causa
totalis ex parte effectus.
Quare causa totalis ex parte causae tantum non est calor ad qua-
tuor producens cum Deo calorem ad octo, sicut solus Deus produceret
quatuor gradus in isto calore ad octo? licet ille calor producens
dicatur interdum causa totalis late et improprie, non est tamen
causa totalis proprie quia non causat effectum de quo integre agitur.
Quid causa partialis ex parte causae? est quae sola in suo genere
et ordine non est principium causalitatis qua sufficienter et integre
ponitur effectus ad quem comparatur. Observandum autem quod quando
simpliciter petitur quid causa partialis oportebat assignare definitio-
nem iam datam.
Qualis est determinatio ex parte causae respectu istius vocis causa par-
tialis? est explanans.
Qualis est determinatio ex parte causae respectu istius causa totalis? est
etiam explanans loquendo de causa totali proprie.
Assigna aliquam causam partialem ex parte causae: pars integralis
minima virtutis magnae ignis producti, supposito quod illa pars produ-
ceret tantum attingat unam partem integralem istius ignis pro-
ducti.

Quare non erit etiam causa partialis ex parte causę [illegible] etiamsi concurrat ad totum ignem productum erit quidem ubi ante ostensum est.

An ergo causa totalis ex parte causę possit esse totalis ex parte effectus? imo.

Quomodo se habent causa partialis ex parte causę, et causa totalis ex parte effectus? Utrumque est causatum, partialis ignis videlicet concurrens cum alio ad totum ignem productum.

Da causam totalem ex parte effectus quę non sit causa partialis ex parte causę: Deus respectu hominis, caloris etc.

Da econtra causam partialem ex parte causę, quę non sit totalis ex parte effectus: talis est causa partialis ex parte causę, et ex parte effectus simul. ergo ante petita coincidunt etc.

Quid causa partialis ex parte effectus? est quę causat tantum partem effectus, ut ignis respectu alterius ignis quem tantum causat secundum aliquas partes integrales.

An eadem causa possit esse totalis et partialis respectu eiusdem effectus? imo.

Quomodo cum aliqua non possit se sola in suo genere, et ordine esse principium causalitatis quę sufficienter et integre ponitur effectus, et non esse tale principium? sub eadem plane ratione et per eandem plane causalitatem hoc fieri non potest, interim hoc potest variis aliis modis fieri.

Assigna aliquem quo possit fieri: si v.g. causa aliqua concurrat duplici causalitate ad eundem effectum sic ut respectu unius causalitatis sit sola in suo genere, et ordine principium, autem respectu alterius causalitatis, sic in exemplo si aliquis ignis esset applicatus hic et Romę, et Romę solus produceret eundem aliquem calorem, et eundem calorem idem ignis produceret hic, sed adiutus ab alio igne.

Declara quod ignis facta tali suppositione esset causa totalis respectu istius caloris: quia prout producit illum calorem Romę, sic causa totalis est, quia Romę non habet aliud comprincipium eiusdem generis et ordinis respectu istius causalitatis quam producit calorem Romę, quia supponitur agere Romę cum solo Deo qui eiusdem ordinis non est.

Declara quod iste ignis in casu posito foret etiam causa partialis respectu eiusdem caloris: quia prout causat istum calorem hic, sic habet secum concurrentem aliam causam eiusdem generis et ordinis, videlicet alium ignem qui sit principium eiusdem causalitatis.

An ut aliqua causa sit totalis et partialis respectu eiusdem effectus debeat illum causare per causalitates realiter distinctas? non, sed per unicam causalitatem etiam potest hoc contingere [illegible] modo, quia fieri potest quod aliquid sit principium eiusdem causalitatis in diversis generibus causę, sic ut in uno genere habeat aliud comprincipium eiusdem ordinis, cum alio autem genere non. et sic poterit fieri ut sit causa totalis in uno genere, et tamen non sit causa totalis in alio, et sic supposito quod anima rationalis et materia prima sint causę materiales eiusdem ordinis respectu unionis physicę per nutritionem acquisitę

anima rationalis tunc erit causa totalis, et etiam partialis respectu istius unionis, idque per eandem causalitatem a parte rei.
Declara quod erit causa totalis: quia erit causa efficiens totalis, quia in genere causae efficientis non habet aliam concausam eiusdem ordinis quae sit principium istius unionis.
Declara quod anima rationalis sit etiam causa partialis respectu istius unionis facta illa suppositione de qua ante: R. quia in genere causae materialis in qua habet aliud comprincipium eiusdem generis et ordinis, scilicet materia prima quam supposuimus ante pro exemplo esse eiusdem ordinis.
Declara quod anima rationalis effective et materialiter causet istam unionem per eandem causalitatem a parte rei: quia ut saepe dictum est uniones causantur semel ipsis tum effective tum etiam in quovis alio genere, si ergo causalitas qua anima causat unionem effective identificetur unioni, et eidem unioni etiam identificetur causalitas qua anima causat istam unionem materialiter, sequitur illas duas causalitates realiter esse easdem inter se, quia quae sunt eadem uni tertio singulari et incommunicabili, illa sunt eadem inter se, cum ergo istae causalitates realiter identificentur eidem singulari unioni sequitur illas esse easdem inter se.
In quo genere causae datur causa totalis et partialis? in omni.
Da causam materialem totalem: totalis materia prima equi respectu totalis animae equi, est causa materialis in qua totalis respectu istius animae, et est causa materialis ex qua totalis respectu ipsius totalis equi.
Da causam materialem in qua partialem: Materia prima capitis equi respectu totalis animae equi, vel etiam respectu totalis equi.
Da causam formalem totalem: anima rationalis respectu totalis materiae primae Petri quam informat, vel etiam respectu totalis Petri.
Da causam formalem partialem: anima capitis equi respectu totalis materiae primae equi, vel etiam respectu totalis equi.
Da causam efficientem totalem: Deus respectu creaturarum.
Da efficientem partialem: equus qui cum alio trahit currum.
Da causam finalem totalem: etiam Deus.
Da talem creatam: emptio chartae respectu itionis ad forum casu quo quis vadit ad forum solum ob illum finem.
Quo casu talis emptio erit tantum causa partialis respectu istius itionis ad forum? R. quando propter illam solam aliquis non fuisset iturus ad forum, sed quando cum illa debet coniungi alius finis eiusdem ordinis v.g. invisatio sociorum etc.

Divide aliter causam: dividitur in causam per se et per accidens.
An divisum istius divisionis sit causa ab initio definita? non, quia membra dividentia plus continent quam talis causa

VRANIA.

Declaratur, quia causa per accidens est unum ex membris dividentibus, illa tamen non est causa simpliciter causans prout est in initio definita.
Divisum huius divisionis est illud quod absolute denominatur causare, sive interim de vera physica causet sive non.
Quid causa per se? Est a qua secundum se sumpta dependet effectus secundum se sumptus, ut Deus respectu creaturae, ignis respectu caloris.
An causa per se debeat causare per se primo effectum? Non est necesse, quia ignis est causa per se caloris, et tamen ille calor non causatur ab igne per se primo effective, sed tantum gratia formae substantialis, non autem gratia materiae primae.
An saltem ipse effectus debeat per se primo causari a causa per se? Non est necessarium, quia ignis est causa per se alterius ignis, ignis tamen productus non dependet ab igne producente gratia materiae primae ignis producti, sed tantum gratia formae substantialis, quia materia prima ab igne produci non potest.
Quam identitatem significat principaliter per se, quando dicitur causa per se? Identitatem in genere, prout extendit se ad totalem vel partialem.
Quare non importat determinate solam identitatem totalem vel solam identitatem partialem? Quia tunc excluderetur aliqua causa per se; aliqua enim per totalem entitatem suam per se primo causat effectum, aliqua autem per partialem tantum.
Da extrema identitatis importatae per illud se. R. denominatum ipsius se, et causa et effectus.
Quare illud se non significat tantum identitatem inter denominatum ipsius se et causam? R. quia ut aliqua causa dicatur causa per se, non satis est quod ipsa gratia entitatis suae causet effectum, sed insuper requiritur ut ipsemet effectus gratia entitatis suae causetur.
Quotuplicem habitudinem dicit obliquus se quando dicitur causa per se? Duplicem, et idem est de aliis vocibus obliquis significantibus principaliter relationem.
Declara quod omnes tales significent duplicem habitudinem: quia significant unam habitudinem principaliter hoc ipso quod significant relationem (relatio enim habitudo est), et significant etiam aliquam habitudinem in vi obliqui.
Quam habitudinem significat principaliter illud se quando dicitur causa per se? Identitatem de qua ante dictum est.
Quam habitudinem significat secundario et in vi obliqui? Habitudinem proximi principii causalitatis terminatae etiam ad proximum terminum causalitatis.
Quomodo cum causa per se non debeat esse proximum principium ipsius causalitatis, non debet quidem esse proximum absolute, quia

sufficit quod gratiâ partis principiat illam causalitatem, tamen debet esse proximum hoc sensu, quia debet principiare causalitatem non mediante aliquo constituto.

An causa per se recte dividatur in causam per se ex parte causae et causam per se ex parte effectus? non, quia vel membra illa dividentia sumentur sine exclusione vel cum exclusione; neutro autem modo potest subsistere illa divisio.

Quare illa divisio non potest subsistere sumendo membra sine exclusione? quia tunc membra dividentia paterent latius quam divisum, quia datur causa per se ex parte causae, quae sit tantum causa per accidens.

Quare non valebit antedicta divisio sumendo membra dividentia cum exclusione? quia tunc membra dividentia repugnabunt cum diviso.

Quomodo cum hoc bene possit fieri in bonâ divisione, ut in divisione totius integralis, item in divisione totius physici? non refert, quia hec divisio non esset divisio integralis aut physica, sed potius deberet esse divisio superioris in sua inferiora.

Quid causa per se ex parte causae? est a quâ secundum se sumpta dependet effectus.

Quid causa per se ex parte causae tantum? est a quâ secundum se sumpta dependet effectus non secundum se sumptus. ut calor quatenus mediante calore producit siccitatem in ligno.

Quid causa per se ex parte effectus? est a quâ dependet effectus secundum se sumptus. talis est omnis causa per se absolute, calor ut F respectu alterius caloris.

Quid causa per se ex parte effectus tantum? est a quâ non secundum se sumpta dependet effectus secundum se sumptus. ut aqua calida quatenus mediante suo calore producit alium calorem; aqua enim non producit calorem per se, sed tantum gratiâ sui accidentis, videlicet gratiâ caloris inhaerentis ipsi aquae.

Qualis est determinatio ex parte causae respectu istius vocis causa per se? est amplians, et idem dicendum est de illâ particulâ ex parte effectus.

Qualis est determinatio ex parte causae tantum respectu istius vocis causa per se? alienans, et idem dicendum de istâ ex parte effectus tantum.

Qualis est determinatio ex parte causae, et ex parte effectus respectu istius vocis causa per se? est explanans.

Quid causa per accidens? est quae non est talis ut ab eâ secundum se sumptâ dependeat effectus secundum se sumptus. ut aqua calida respectu caloris producti ut F in manu hominis.

An causa per accidens recte definiatur sic, est a quâ non secundum se sumpta dependet effectus non secundum se sumptus? non, quia illa definitione non continetur causa per accidens ex parte causae tantum, ut neque etiam causa per accidens ex parte effectus tantum.

An causa per accidens recte dividatur in causam per accidens ex parte causae tantum, ex parte effectus tantum, et ex parte

vtriusq? imo.

Quid causa per accidens ex parte causæ? est a qua non secundum se sumpta dependet effectus.

Quid causa per accidens ex parte causæ tantum? est a qua non secundum se sumpta dependet effectus secundum se sumptus. Vt aqua calida respectu caloris producti in manu hominis.

Quid causa per accidens ex parte effectus? a qua dependet effectus non secundum se sumptus.

Quid causa per accidens ex parte effectus tantum? a qua secundum se sumpta dependet effectus non secundum se sumptus. Vt calor respectu siccitatis quam causat mediante alio calore prius causato.

Quid causa per accidens ex parte vtriusque? a qua non secundum se sumpta dependet effectus non secundum se sumptus. Vt ignis quatenus mediante suo calore prius causante alium calorem causat siccitatem.

Quales sunt istæ particulæ ex parte causæ, ex parte effectus, et ex parte vtriusque respectu istius vocis causa per accidens? omnes sunt restringentes.

Quomodo ergo causa per accidens, et causa per accidens ex parte causæ se habent? vt magis et minus communia. quia omnis causa per accidens ex parte causæ, est causa per accidens non contra.

Ita causam per accidens non ex parte causæ: causa per accidens ex parte effectus tantum.

An idem possit esse causa per accidens et per se? ita, et hoc in primis respectu diversorum effectuum, vt clarum est.

An hoc etiam possit fieri respectu eiusdem effectus? imo, et hoc potest fieri variis modis. si eadem causa causet eundem effectum duplici ~~qualitate~~ causalitate, sic vt vna proxime egrediatur a causa, altera vero ab accidente istius causæ, et sic forte ignis causat calorem in ligno, per se quidem quatenus causat illum calorem per causalitatem immediate egredientem ab illo igne, per accidens autem quatenus causat eundem calorem per causalitatem proxime egredientem a calore ipsius ignis.

An sit necesse interuenire plures causalitates vt causa aliqua sit causa per se, et per accidens respectu eiusdem effectus? non, declaratur enim hoc per eandem causalitatem posse fieri. quia potest aliqua causalitas immediate egredi a causa secundum se, et etiam per accidens.

an etiam id quod est causa per se in vno genere possit esse causa per accidens in alio? imo.

Quid accidens quando dicitur causa per accidens? est aliquid coniunctum alteri, de cuius entitate tamen non est.

Quam coniunctionem debet accidens hic habere cum eo cuius est accidens? generatim loquendo debet habere talem vt ob illam aliquid cui illud accidens est coniunctum etiam denominetur causa. ~~[illegible]~~

Specifica aliquas tales coniunctiones: subinde est coniunctio formae cum subiecto, subinde econtra, subinde est coniunctio accidentis cum suo coaccidente, subinde aliqua alia.
Da causam per accidens gratia accidentis quod est forma ipsi inhaerens: sic ignis causat per calorem suum tanquam accidentalium calorem in ligno
Da causam per accidens quae per subiectum tanquam suum accidens causat aliud per accidens: sic album gratia hominis causat ambulationem
Da causam per accidens quae per suum coaccidens causat aliquid: sic intellectivum dicitur per accidens velle.
An accidens hic debeat esse realiter unitum illi cuius est accidens? non.
Da accidens quod non est realiter unitum illi cuius est accidens: sic famulus est hic accidens respectu domini. item pater respectu filii.
An avus sit causa per accidens respectu nepotis? imo, potest dici esse causa per accidens ex parte causae tantum, vel ex parte effectus tantum prout volumus, quia filius avi potest considerari tanquam accidens avi, et potest etiam considerari tanquam accidens nepotis. si autem filius avi consideretur tanquam accidens nepotis, tunc avus erit causa per accidens ex parte effectus tantum respectu nepotis.
Qualis causa per accidens est intellectus respectu volitionis ex parte causae an ex parte effectus? quaestio supponit falsum, quia intellectus non est causa per accidens respectu volitionis.
Quare non cum intellectivum sit vere causa per accidens respectu volitionis? non refert.
Quare ergo intellectus non est etiam causa per accidens respectu volitionis? quia intellectus non potest absolute denominari causa respectu volitionis, ut satis constat ex dictis
An causa per se non sumatur aliter quam sit definita? imo. quia aliquando sumitur pro illa quae causat per virtutem sibi connaturalem, ut ignis quatenus mediante suo calore causat alium calorem.
Quomodo sumitur praeterea causa per se? sumitur etiam pro illa quae in sua expressione importat determinatam habitudinem ad effectum.
Assigna causam per se eo modo: ut statuarius respectu statuae, potentia progressiva respectu progressionis. quando autem simpliciter fit mentio de causa per se, intelligitur causa per se prout in initio est definita.
An causa per accidens non sumatur subinde aliter quam sit antea definita? imo
Definitur aliter: est causa quae fortuito causat effectum.
An causa per accidens possit eo modo esse causa per se respectu eiusdem effectus? imo, quia sic est ignis respectu combustionis hominis qui cecidit in ignem. quando autem simpliciter fit mentio

Causa per accidens, intelligitur causa per accidens prout ante est definita.

Dividitur aliter causam: dividitur in causam actu et causam potentia.

Quid causa actu? quae actu et de facto causat effectum ad quem comparatur. ut sol respectu luminis quod de facto producit.

Quid causa potentia? quae potest causare effectum ad quem comparatur, illum tamen de facto non causat. sic homo iam sedens est causa potentia respectu ambulationis.

Quare non etiam sol respectu luminis quod de facto producit? quia sol est causa actu respectu ~~ambulationis~~ istius luminis.

Quid tum cum bene sequatur, est causa actu, ergo est causa potentia respectu eiusdem effectus? nego sequel.

Quomodo cum recte affirmative argumentetur ab actu ad potentiam? hoc quidem est verum quando potentia sumitur sine exclusione, sic autem non sumitur hic quando dicitur causa potentia, sed tunc sumitur cum exclusione causae actu.

Dan ignis actu calefaciens non sit causa potentia respectu caloris? imo.

Quomodo cum sit causa actu respectu istius? distinguo, est quidem causa actu respectu istius caloris quem de facto producit, cum eo tamen bene consistit quod sit causa potentia respectu caloris quem non producit actu.

Assigna aliquod discrimen inter causam actu et potentiam: causa actu et effectus scilicet per se actu simul sunt, et non sunt, non sic causa potentia et effectus potentiae. particula simul significat ibi simultatem temporis, non naturae, quia causa actu est natura prior effectu, attento quod effectus ab illa dependeat.

An non sit impossibile idem simul esse et non esse? ita, hoc enim est proximum principium metaphysicum evidenter lumine naturae notum.

Quomodo ergo dicitur quod causa actu simul sit, et non sit? hoc non dicitur absolute, sed quod simul sit cum effectu, et simul etiam non sit cum effectu, in eo autem nulla contradictio est.

Sensus prioris partis discriminis est: si causa actu existat debet etiam existere effectus actu et contra.

Quare si causa actu existat debet etiam existere effectus actu? quia si causa actu existat debet existere causalitas eius, iam autem si causalitas existat debet etiam existere effectus.

Quare si causalitas existat debet existere effectus? quia causalitas vel est a parte rei ipse effectus, vel certe est purus modus istius effectus.

Da causalitatem quae sit a parte rei eadem cum effectu: causalitas qua causatur productio localis.

Quare quando talis causalitas existit debet etiam existere effectus? quia idem non potest realiter existere sine se ipso, quia existere est attributum reale.

Da causalitatem quae sit primus modus sui effectus: causalitas qua deus causat ignem.

Quare quando talis causalitas existit debet etiam existere effectus? quia primus modus non potest existere sine suo modificato.

Proba similiter quod si effectus existat etiam existere causam actu: probatur hoc modo, quia si effectus actu existat debet etiam existere causalitas per quam causatur. si autem illa causalitas existat debet etiam existere causa.

Quare si effectus actu existat debet existere causalitas? quia effectus non potest habere suum esse actu nisi per causalitatem.

Quare si causalitas existat debet existere causa actu? quia causalitas actu existens etiam respicit essentialiter causam actu, et de facto existentem.

An prior pars huius discriminis sit universaliter vera? imo.

Quomodo cum detur causa actu quae existit ante effectum? nego.

Quomodo cum ignis hodie existens possit producere calorem cras? non refert.

Quomodo cum sic causa actu existit ante effectum? nego.

Quomodo cum ignis existat ante calorem? non refert, quia ignis non est causa actu respectu istius caloris antequam actu producat istum calorem.

An effectus non possit hodie existere, et cras conservari a causa quae hodie nondum est. imo, quia sol v.g. potest hodie producere calorem, et calor ille hodie productus potest cras conservari ab igne qui cras etiam producatur.

Quomodo ergo si effectus actu sit, debeat etiam esse causa actu? quia calor ille licet supponatur esse productus hodie, nondum tamen est hodie effectus actu respectu ignis.

An non possit sagitta moveri sursum post mortem sagittarii? imo.

Quomodo ergo est verum si effectus actu sit quod etiam debeat esse causa actu? equidem est verum intellectum de causa et effectu per se prout hic intelligitur.

An ergo sagittarius non sit causa per se motus sagittae? non quod ex eo satis colligitur quia motus ille sagittae potest perseverare etiam post mortem sagittarii, iam autem causa vera et realis necessario debet existere quando existit effectus.

Quaenam ergo est causa per se motus sagittae? impetus ipsi sagittae impressus.

An aedificium non sit saepe ante architectum? imo.

Quomodo ergo est verum quod si causa actu sit debeat esse effectus et

Contra: quia ut dictum est hoc intelligitur de causa vera et reali.
Quid tum cum doctrina sit vera et realis causa finalis respectu stu-
dij? non refert, quia causa finalis realis non est absolute causa
realis (ut latius dicetur post.
Quandonam aliqua censentur esse simul? quando sic se habent ut
quandocunque unum ipsorum est, etiam alterum sit et contra.
Quando aliqua censentur simul non esse? quando sic se habent ut
quandocunque unum eorum non est alterum etiam non sit et contra.
Quomodo se habent illa quae simul sunt, et illa quae simul non
sunt? utrunque est causa actu et effectus actu: item risibile et fle-
bile.
Da aliqua quae simul sunt tantum: non possunt dari: quia si ali-
qua sic se habebant ut quandocunque unum illorum est alterum
etiam sit, et contra. talia etiam debent se sic habere ut quandocunque
unum illorum non est, alterum non sit.
Da quae simul non sunt tantum: illa etiam non possunt dari, unde
ante petita convertuntur.
Quare quae simul non sunt, etiam debent esse simul? quia quae
sic se habent ut quandocunque unum eorum non existit, alterum
etiam non existit, et contra, illa enim debent se sic habere ut
quandocunque unum existat, etiam existat alterum.
Quomodo se habent quae simul non sunt, et quae non sunt simul?
repugnant.
Quomodo cum sit perinde praedicatur simul non sunt, sive
non sunt simul? nego esse perinde.
Da rationem quare ante petita repugnant: quia illa quae simul
non sunt etiam simul sunt. si sint simul ergo falsum est quod
non sint simul.
An posterior pars discriminis sit universaliter vera? non, sed tan-
tum particulariter vera est.
Da causam potentia quae non sit simul cum effectu: homo sedens
respectu ambulationis.
Da econtra effectum potentia qui non sit simul cum sua causa
potentia: ut lumen iam productum respectu candelae, qua con-
servabitur [illegible].
An aliqua causa potentia, et effectus potentia sint simul, et num-
ita. tales sunt anima rationalis mere possibilis, et intellectus
eius, quia quandocunque existit anima Petri existit etiam intelle-
ctus, et quandocunque non existit anima Petri, etiam non existit in-
tellectus eius et contra.

Divide aliter causam: dividitur in univocam et aequivocam.
Quid causa univoca? quae producit effectum eiusdem secum
speciei. ut calor producens alium calorem, ignis producens
alium ignem.
Quid causa aequivoca? quae producit effectum diversae secum speciei.

ut Deus respectu hominis, item ignis respectu caloris.
An eadem causa possit esse univoca et aequivoca? imo respectu diversorum
effectuum, non tamen respectu eiusdem, quia idem non potest esse eiusdem
et diversae speciei cum eodem.
An omnis causa aequivoca sit aliquo respectu univoca? non.
Da causam aequivocam nullo respectu univocam: Deus, non est ullo
respectu causa univoca quia Deus non potest producere effectum eius-
dem speciei secum, non etiam potest producere alium Deum.
Da causam creatam quae nullo respectu est univoca: angelus, quia
unus angelus non potest producere alium.
Da causam univocam quae nullo respectu est aequivoca: incertum est
an ulla talis detur.
Quare calor non est talis quid? quia incertum est an calor non pro-
ducat etiam effectum diversae speciei secum, videlicet speciem sensibi-
lem sui.
An saltem calor non causet effectum diversae speciei secum? imo,
quia videlicet per modum causae formalis componentis causat com-
positum ex se et suo subiecto.
Quare species sensibilis caloris non est causa efficiens univoca
tantum? quia illa causat actione aequivoca conceptum sensitivum calo-
ris.
Quid effectus univocus? est effectus eiusdem speciei cum sua causa.
Ut calor productus ab alio calore.
Quid effectus aequivocus? effectus diversae speciei a causa a qua
producitur. Ut quaelibet creatura respectu Dei.
Quomodo se habent effectus univocus et aequivocus? utrumque est
calor productus ab alio calore, est etiam effectus univocus re-
spectu alterius caloris, et est effectus aequivocus respectu Dei.
Da effectum univocum nullo respectu aequivocum: non datur, quia
quilibet effectus est aequivocus respectu Dei.
Da effectum aequivocum nullo respectu univocum: angelus, item
materia prima.
Quid actio univoca? actio per quam producitur effectus eiusdem
speciei cum causa. Ut actio qua unus calor producit alium ca-
lorem.
Quid actio aequivoca? est actio per quam producitur effectus
diversae speciei a sua causa. Ut actio qua Deus producit ange-
lum.
An sic bene definiatur actio aequivoca, est actio diversae speciei
cum suo effectu? non, quia continetur actio univoca.
Quid si cum omnis actio univoca etiam sit aequivoca? non refert, quia
non tantum continetur actio univoca quatenus est aequivoca, sed
etiam prout est univoca, quia actio semper est diversae speciei a suo
effectu cum sit sub forma, forma autem et subiectum semper
different specie.
An eadem actio possit esse univoca et etiam aequivoca? imo.
Ut actio qua calor producit alium calorem, est etiam univoca
prout egreditur a calore, et est aequivoca prout egreditur a Deo.
Da actionem aequivocam nullo respectu univocam: Ut actio qua Deus
producit angelum, quia illa non habet ullum principium eiusdem speciei

cum effectu.

Quomodo ergo se habent actio univoca, et actio aequivoca? ut magis et minus communia, omnis enim actio univoca est aliquo respectu aequivoca, non contra.

An causa materialis possit etiam dividi in univocam et aequivocam sicut efficiens? non, quia non datur ulla causa materialis univoca, quia causa materialis vel est causa materialis in qua, vel ex qua, neutra autem univoca esse potest.

Quare causa materialis in qua numquam potest esse univoca respectu sui effectus? quia causa materialis in qua debet esse subiectum respectu sui effectus, subiectum autem semper specie differt a sua forma.

Quare causa materialis ex qua numquam est univoca? quia nunquam etiam est eiusdem speciei cum effectu, quia effectus causae materialis ex qua semper involvit aliquid diversae speciei cum sua
mâ quia involvit formam diversae speciei a subiecto suo.

An causa formalis possit dividi in univocam et aequivocam? non, quia neque causa formalis informans, neque componens.

Quare causa formalis informans non? quia cum illa sit forma sui effectus, semper debet differre specie ab illo.

Quare causa formalis componens numquam est univoca? quia effectus causae formalis componentis semper involvit aliquid diversae speciei a sua causa formali componente, videlicet ipsum subiectum.

An causa finalis possit dividi in univocam et aequivocam? ita. Da causam finalem aequivocam: Deus respectu cuiuslibet creaturae. Da etiam causam finalem univocam: ut totum integrale, homo v.g. respectu suarum partium integralium.

Causa aliter dividitur in primam et secundam.

Quid causa prima? est causa quae est independens a qualibet alia causa. ut Deus.

Quot sunt causae primae? tantum una.

Quomodo cum omnes tres personae sint causae primae? illae non magis possunt dici plures causae primae quam possunt dici plures Dii.

Quid causa secunda? quae necessario postulat aliam concausam ad hoc ut causet. et tales sunt omnes causae creatae.

Causa dividitur aliter in universalem et particularem.

Quid causa universalis? quae aeque principaliter producit effectus diversae speciei. ut Deus. ille enim est causa universalissima.

Quid causa particularis? quae non producit aeque principaliter plures effectus specie distinctos. ut calor, licet enim fortasse producat plures effectus diversae speciei de quo dubitatur, non producit tamen illos aeque principaliter.

Utrum producit principalius calor, calorem an speciem sensibilem sui? supposito quod utrumque producat? principalius producit calorem, quia producit calorem ut disponat ad formam substantialem, producit autem speciem sensibilem [illegible] sui ut cognoscatur, iam autem magis principalis finis caloris est disponere ad formam substantialem quam cognosci.

Qualis causa est homo universalis an particularis? universalis.

Da ergo plures species effectus ad quos eque principaliter efficiendos ordinatur: cognitio Dei, et amor Dei, supposito videlicet quod beatitudo constet in utroque actu simul sumpto. supposito autem quod beatitudo consistat in sola visione Dei sic dicendum est quod homo sit causa particularis.

Qualis causa est visus? universalis.

Da ergo plures species effectus ad quos efficiendos eque principaliter ordinatur: visio albedinis, et visio nigredinis, vel flavedinis.

An ergo visus non magis ordinatur ad videndam unam speciem coloris quam ad alteram? non.

Divide aliter causam: dividitur in physicam et moralem.

Quid est causa physica? a qua effectus a parte rei dependet seposita quavis estimatione. ut calor respectu alterius caloris, item ignis respectu caloris.

An si sapientes estimarent quod ignis non esset causa caloris tunc ignis desineret esse causa caloris? non.

Quid causa moralis? est agens liberum cui imputatur effectus sive neutrum ab illo dependeat physice sive non. ut homo respectu homicidii quod libere committit.

An quælibet causa physica possit esse moralis? non, ut ignis, planta, et generatim omne brutum.

Quare brutum nequit esse causa moralis? quia brutum non est agens liberum.

Quid agens liberum? quod potest agere, et non agere positis omnibus ad agendum prærequisitis.

Quænam agentia sunt libera? Deus, angeli et homines.

An omnia illa sunt eodem modo agentia libera? non, quia Deus est liber in omni sua actione, non autem angeli, et multo minus homines.

Da effectum quem necessario producit angelus: producit necessario suum intellectum et voluntatem. homo autem ulterius necessario efficit nutritionem, potest etiam necessario cadere deorsum.

An Deus sit causa moralis respectu cuiuscumque actus ad quem concurrit? non. quia Deus etiam concurrit ad actum peccaminosum, et tamen respectu istius non est causa moralis.

Quare non est causa moralis respectu peccati? quia prudenter procedendo peccatum Deo imputari non potest.

Quando ergo requiritur ut effectus aliquis imputetur agenti libero? ut illud agens liberum expresse velit talem effectum, vel saltem interpretative. neutro autem modo Deus vult peccatum.

Declara quod non velit peccatum expresse: quia expresse illud prohibet.

Quandonam censetur aliquid aliud velle interpretative? quando illud non impedit cum possit, et teneatur impedire.

Da aliquid quod vult aliquid interpretative: sic qui videt alterum peccantem, et illud peccatum non impedit quando potest, et debet censetur velle illud peccatum interpretative.

Quare dicitur quando debet ~~potest~~ impedire? quia si non teneatur equidem impedire, licet fortasse absolute possit tunc effectus ipsi non imputatur.

Quare dicitur quando potest impedire? quia si sit impossibile impedire, tunc

peccatum ipsi non imputatur.
Quomodo se habeat causa physica et moralis respectu eiusdem effectus?
Utriusque est voluntas respectu amoris dei quem libere elicit.
Da causam physicam non moralem. Unus calor producens alium calorem.
Quare non est causa moralis? quia non est agens liberum.
Da econtra causam moralem non physicam: Ut dominus respectu homicidij commissi a famulo ex mandato domini. ergo petita [illegible].
An omnis causa libere concurrens ad aliquem effectum sit causa moralis istius effectus? non, talis est [illegible] Deus respectu actus peccaminosi ad quem libere concurrit.
Quare Deus non est causa moralis istius actus? quia prudenter procedendo non potest talis actus imputari deo: quia deus nec expresse vult actum peccaminosum, neque interpretative, ut latius declarabitur post.
Qualis causalitas est causalitas moralis, realis, an tantum fictitia seu rationis? subinde est causalitas vera et realis, subinde est tantum causalitas fictitia et rationis.
Quandonam talis causalitas moralis est vera et realis? quando effectus moralis verus et realis est.
Quomodo enim tunc etiam non sit necesse ut physice egrediatur a causa morali? non refert. quia non dicimus quod physice et realiter debeat egredi a causa morali, licet causalitas realis sit.
Da causalitatem moralem realem quae physice non egreditur a causa morali: sic actio qua filius elicit amorem dei ex mandato patris est vera et realis actio quae tamen non egreditur physice a patre sed a filio.
An ergo per eandem causalitatem una causa possit causare physice alteram actionem moraliter tantum? imo.
An causa moralis non sumatur aliter? imo.
Defini aliter: causa moralis est in cuius gratiam aliquid fit. sic amicus dicitur causa moralis talis effectus etiamsi amicus iste nihil sciverit de tali effectu.
Quomodo similiter praeterea causa moralis? pro eo ad cuius praesentiam aliquid fit.
Da causam moralem eo modo: sic iuxta multos theologos sacramenta sunt tantum causae morales gratiae, [illegible] [illegible] quod physice concurrant: quando autem fit simpliciter mentio causae moralis tunc intelligitur causa moralis primo modo.
Divide aliter causam: dividitur in positivam et negativam.
Quid causa positiva? quae causat effectum ad quem comparatur actione positiva. ut ignis respectu caloris.
An causa positiva debeat causare actione positiva realiter a se egrediente? non est necesse. quia datur etiam causa moralis positiva quae realiter non influit in effectum, ut patet in domino ex cuius mandato famulus causat aliquam actionem positivam.
An causa positiva debet etiam esse ens positivum? non.
Quomodo enim actio positiva non egrediatur nisi ab ente positivo? distinguo, actio positiva [illegible] potest quidem physice egredi, [illegible] ab ente positivo; [illegible]

Sed non est necesse ut actio positiva physice egrediatur a causa positiva, tunc ergo quando physice non egreditur ab causa positiva fieri potest quod illa causa positiva sit ens negativum.

Da causam positivam quae sit ens negativum: cessans respectu ambulationis.

An ergo non bene sequatur, cessans non est ens positivum, ergo non est causa positiva? non.

Quare hic a genere ad speciem? non est a genere ad speciem, quia ens positivum non est genus respectu causae positivae, quia ut ante dictum est datur causa positiva quae ens positivum non est; hoc autem provenit ex eo quia positivum non sumitur eodem modo quando dicitur causa positiva, et quando dicitur esse positivum.

An hoc bene sequatur Joannes est homo albus, ergo est animal album? imo.

Quare magis quam hoc, cessans est causa positiva ergo est ens positivum? quia album in antedicto argumento semper sumitur eodem modo, et sic animal album est magis commune quam homo albus, positivum autem ut diximus non sumitur eodem modo, unde ens positivum et causa positiva excedunt se; non licet autem argumentari ab uno excedente et excesso particulariter sumpto ad alterum similiter particulariter sumptum.

Quid causa privativa? est quae denominatur causare effectum ratione influxus privativi, ut sol absens respectu tenebrarum.

An homo absens sit etiam causa privativa tenebrarum? non, quia homo non habet vim causandi oppositum tenebrarum scilicet lucem.

Quaenam requiruntur ut aliqua dicantur causa privativa? in primis requiritur ut possit oppositum producere, secundo ut illud necessario produxisset sublatis impedimentis si sit causa necessaria. si autem sit causa libera tunc sufficit quod potuisset oppositum causare, et debuisset illud causare ex debito saltem morali.

An absentia solis a nostro horizonte sit causa privativa tenebrarum? non, ipsa absentia non est. quia absentia non habet virtutem causandi oppositum, quia nihil potest agere.

Assigna causam privativam moralem: sic nauclerus absens est causa privativa respectu submersionis navis, posito quod debuisset illam submersionem impedire casu quo fuisset praesens.

Quid effectus privativus? est qui dependet a causa privativa ut tali.

An effectus privativus etiam debeat esse ens privativum? non.

Da ergo causam privativam respectu effectus positivi: ut nauclerus absens respectu submersionis navis, submersio enim est quidam motus localis positivus.

An effectus proximus causae privativae possit etiam esse positivus? non. sed ille debet necessario esse privativus.

Quem effectum proximum privativum causat nauclerus absens in casu ante posito? non conservationem navis circa superficiem extimam aquae.

Quare causalitas privativa non potest habere proximum terminum positivum? quia res positiva debet habere omnes causalitates per quas

Causatur proxime positivas.
An divisio causae in privativam et positivam solum habeat locum in causa efficiente? non sed etiam in aliis generibus causarum.
Da causam materialem positivam: materia prima bruti respectu bruti est causa materialis ex qua positiva, respectu formae bruti est causa materialis in qua positiva.
Da causam materialem privativam: materia prima absens respectu non bruti supposito quod brutum causasset si adfuisset.
Quare additur illud supposito quod brutum esset? quia si equidem non potuisset causari tali causa non diceretur causa privativa.
Da causam formalem positivam: ut anima rationalis respectu hominis, item respectu materiae primae hominis.
Da causam formalem privativam: anima rationalis absens respectu non hominis posito quod hominem causasset si adfuisset.
Da causam formalem informantem privativam: forma substantialis absens respectu non materiae primae posito quod materia prima posita fuisset si forma substantialis adfuisset.
An anima rationalis absens non sit sufficiens causa non existentiae materiae primae? non, quia materia prima potest sufficienter habere suum esse per aliam formam substantialem.
Da causam efficientem positivam: ignis respectu caloris, homo respectu ambulationis.
Da causam efficientem privativam: sol absens respectu tenebrarum.
Da causam finalem positivam: doctrina intenta respectu studii.
Da causam finalem privativam: doctrina non intenta respectu non studii.
An creaturae aliquid efficiant seu producant? imo.
An hoc sit certum van probabile? de aliquibus hoc est certum.
proba esse certum creaturas aliquid agere: quia certum est quod aliquando bene operatur, et aliquando male.
An hoc sit certius quam quod ignis producat calorem? imo, quia maiori apparentia posset negari quod ignis efficeret calorem quam quod homo aliquid operetur.
Quare apparentia posset negari quod ignis causaret calorem? quia diceretur quod solus deus produceret calorem ad praesentiam ignis.
Quare non posset similiter dici quod solus deus operetur ad praesentiam hominis? quia sic homo propter illam operationem non esset dignus laude vel vituperio, constat autem ex fide hominem ob suas actiones laude vel vituperio dignum esse.
An materia prima agat aliquid? imo saltem probabiliter.
Qua actione agit materia prima directa an resultantiae? resultantiae.
proba non agere actione directa: quia est pure passiva.
proba materiam aliquid agere actione resultantiae: quia probabiliter sic causat suam quantitatem.

Dicitur probabiliter quia ut ostendetur in metaphysica valde probabile etiam est quod quantitas non distinguatur realiter a materia prima. Contra autem illa suppositione non poterit ab illa causari quia inter causam et effectum debet esse distinctio realis.

Proba quod per resultantiam quantitas causetur a materia si realiter distinguatur a materia sua: quia aliae res etiam producunt suas connaturales proprietates ut ignis calorem, aqua frigus, anima rationalis intellectum; ergo idem etiam dicendum est de materia, videlicet quod ipsa in se producat suam quantitatem.

Quid actio resultantiae? est actio qua producitur aliquid pertinens ad perpetuum et naturale complementum ipsius causae. ut actio qua homo producit in se risibilitatem, item actio qua aqua producit in se frigus, ignis calorem in se.

An etiam actio qua ignis producit calorem in ligno sit talis? non, quia calor productus in ligno non spectat ad perpetuum et naturale complementum ignis producentis.

Quid Complementum ibi? est perfectio accidentaria rei.

Quid complementum naturale? est complementum naturaliter debitum rei ad quam comparatur.

Quid perpetuum et naturale complementum? est complementum naturale sine quo res non potest unquam esse in suo statu naturali. ut calor respectu ignis.

Da complementum naturale non perpetuum: sic partes integrales acquisitae per nutritionem sunt complementum naturale respectu hominis qui nutritur, illae tamen non spectant ad perpetuum complementum ipsius hominis, quia homo potest esse in statu suo perfecto naturali sine istis partibus integralibus.

An aliquod complementum possit esse perpetuum et non naturale? imo quia bene potest fortuito contingere ut aliquod attributum conveniens rei praeter naturam semper illi insit.

An terminus actionis resultantiae debeat esse perpetuum et naturale complementum suae causae? non est necesse, sed satis est quod spectet ad perpetuum et naturale complementum causae.

Quaenam spectant ad perpetuum et naturale complementum causae? in primis ipsum perpetuum et naturale complementum causae, deinde illa res quae tanquam medium per se ordinatur ad tale complementum.

An per actionem resultantiae non debeat produci aliquod connaturale causae? non est necesse, imo terminus talis actionis potest esse contra naturam respectu causae.

Assigna talem actionem resultantiae: talis est actio qua lapis cadit deorsum per aerem, actio inquam qua lapis tunc producit praesentiam in medio aere; praesentia illa est contra naturam respectu ipsius lapidis.

Declara quod nihilominus illa propositio praedicatur per actionem resultantiae: quia per illam actionem producitur aliquid quod tanquam medium seu via spectat ad perpetuum et naturale complementum ipsius lapidis producentis.

Contra quam actionem distinguitur actio resultantiae? contra directam.

Quid actio directa? est actio qua producitur aliquid quod non spectat ad perpetuum et naturale complementum suae causae. Ut actio qua calor ignis producit alium calorem in ligno.

An eadem actio possit esse resultantiae et directa? imo, talis est actio qua ignis producit in se calorem (quia respectu ignis est resultantiae,) respectu Dei vero est actio directa.

Quomodo se habent actio resultantiae et directa? ut magis et minus communia? quia omnis actio resultantiae est etiam directa respectu Dei, quia in primis omnis actio creaturae, et communiter actio resultantiae etiam procedit a Deo, iam autem per nullam actionem potest produci aliquid quod spectet ad perpetuum et naturale complementum ipsius Dei.

Da actionem directam nullo respectu resultantiae: ut actio qua Deus se solo producit angelum.

Quare non est ullo respectu actio resultantiae? quia non datur ullum principium istius actionis ad cuius perpetuum et naturale complementum pertineat talis terminus.

An aliqua actio possit esse resultantiae et simul directa respectu eiusdem agentis? imo.

Da modum quo hoc potest fieri: si per unicam actionem producatur duplex terminus quorum unus pertineat ad perpetuum et naturale complementum suae causae, alter autem non.

Qualis debet esse actio per resultantiam immanens an transiens?

Omnis actio per resultantiam debet esse immanens saltem late, ratio est, quia terminus actionis ne quidem late immanentis non potest pertinere ad perpetuum et naturale complementum suae causae.

Quotuplex actio immanens? duplex, late et stricte.

Quid actio immanens stricte? est actio cuius terminus proxime recipitur in principium a quo immediate egreditur. Ut intellectio qua intellectus producit in se conceptum intellectivum.

An ipsamet actio immanens stricte debeat etiam immediate recipi in principium a quo proxime egreditur? non est necesse, quia intellectio in omnium sententia est actio immanens strictissime, et tamen non secundum omnes recipitur in principium a quo proxime egreditur. Declaratur quod non, quia aliqui dicunt quod recipiatur immediate illa actio in solo conceptu intellectivo.

An in sententia nostra intellectio non recipiatur etiam immediate in intellectu? imo, quia in sententia nostra actio qua intellectus producit in se conceptum intellectivum identificatur realiter unioni, qua conceptus intellectivus intellectui unitur, iam autem illa proxime sub-

reperiatur in utroque extremo secundum nos, et communiter etiam illa
actio.
An actio resultantiae debeat esse actio immanens stricte? non est necesse
an possit esse actio immanens stricte? imo.
Quomodo se habent actio resultantiae, et actio immanens stricte?
utrumque est actio quam natura angeli producit in se intellectum.
Da actionem stricte immanentem quae non est actio resultantiae: ut
actio quam intellectus producit in se conceptum intellectivum.
Quare illa non est actio resultantiae? quia per illam non producitur
aliquid pertinens ad perpetuum et naturale complementum ipsius
causae, quia conceptus intellectivus per illam actionem productus
neque est perpetuum et naturale complementum istius intellectus
tanquam medium subservit ad tale complementum intellectus acqui-
rendum.
Declara quod conceptus non sit perpetuum et naturale complementum
intellectus: quia intellectus potest existere in statu suo perfecte
naturali etiamsi careat omni conceptu, ut contingit quando homo dor-
mit, et non somniat.
Declara quod conceptus intellectivus etiam non deserviat tanquam
medium ad perpetuum et naturale complementum intellectus acquiren-
rendum: quia intellectus bene potest habere omne suum naturale
complementum etiamsi non producit illos conceptus, aut aliquid
aequivalens.
Da econtra actionem resultantiae quae non est immanens stricte: ut
actio qua aqua producit in se frigus. frigus enim illud productum re-
cipitur immediate in solam naturam materiae primae cum tamen fri-
gefactio illa egrediatur immediate a natura formae substantialis.
An actio resultantiae non debeat saltem esse immanens late? imo
alias enim terminus talis actionis non potest pertinere ad perpe-
tuum et naturale complementum suae causae.

Quid actio immanens late? est cuius terminus proxime recipi-
tur in principium a quo immediate egreditur, vel in totum quod
talis principii vel in totum quod illud principium integraliter com-
ponit, vel in aliquid aliud quod causa requirit habere intra se ut talis
actio exerceatur.
Quotuplex est actio immanens late? quadruplex ut patet.
Da exemplum primi membri: omnis actio stricte immanens.
Da secundi: actio qua aqua producit in se frigus, quia terminus istius
actionis scilicet frigus non recipitur in ipsam formam substantialem
sed in subjectum formae substantialis, videlicet in materiam primam
aquae.
Da tertii: actio qua aqua integraliter composita ratione unius suae
partis integralis producit frigus in alia parte integrali.
Quare illa debet dici actio immanens? quia etiam illa actio resultantiae est

da exemplum quarti membri: actio quâ vivens homo &c. concoquit
alimentum existens in stomacho.
Quare illa actio debet dici immanens? quia illa est actio vitalis, actio
autem vitalis alibi definitur actio directa immanens.
An actio quâ ignis produceret calorem in ligno intra quem existens
esset etiam actio immanens laté? non.
Quare minus quam concoctio alimenti? quia ignis ex naturâ suâ non
requirit lignum habere intra se ut possit istud calefacere, sicut homo requi-
rit alimentum habere intra se, ut possit illud disponere ad suam formam.
Contra quam actionem distinguitur actio immanens? contra transeuntem.
Quotuplex actio transiens? duplex, alia stricte, alia laté.
Quid actio transiens laté? est actio quae non est immanens stricté.
Quomodo cum sit actio quâ aqua producit in se frigus erit actio tran-
siens? est verum sed non refert.
declara esse verum: quia illa non est immanens stricte attento quod
egreditur a formâ, vel terminus recipiatur in materiam, et non in for-
mam.
An eadem actio possit esse immanens laté, et transiens laté? imo.
Quid actio transiens stricte? est actio quae ne quidem est immanens la-
té. ut actio quâ ignis producit calorem in ligno, quia ne quidem laté
est immanens.
Quanam actione agunt substantiae resultantiae an directâ? resultantiae, et
etiam directâ.
An omnes substantiae agant per resultantiam? non, quia non subsisten-
tes, et uniones substantiales.
An formae substantiales agant aliquid per resultantiam? imo, scilicet
dispositiones connaturales, sic forma substantialis aquae producit frigus
in materiâ primâ.
An anima rationalis producat etiam sic per resultantiam suas dispositio-
nes? imo, saltem aliquando, ut patet quando homo aegrotus convalescit.
Quomodo cum inde sequatur quod homo nunquam naturaliter moreretur? nego.
Quomodo cum semper anima eius poterit introducere dispositiones suas con-
naturales? nego quod poterit semper.
Quare non tam bene quam aqua possit semper introducere frigus? etiam
aqua non semper introducit frigus, quia non tunc quando forma substantia-
lis eius perit per nimium calorem, et aliam dispositionem
deinde anima rationalis dependet a pluribus conditionibus ut possit suas dis-
positiones producere, quam dependeat forma aquae. quasdam autem conditio-
nes requirantur ut anima rationalis possit restituere pristinas disposi-
tiones, hoc spectat ad medicinam.
Quare non dicitur quod frigus in aquâ producatur a solo Deo, et non a for-
mâ substantiali aquae? quia cum necessarium sit dicere quod creatura aliquid
agat, non potest ullo fundamento negari quod forma substantialis effec-
tive concurrat ad illud frigus aquae.
An sola viventia iuxta aristotelem habeant in se principium motus? imo
aliquo sensu.
Quomodo ergo est verum quod aqua efficiat in se frigus? quia aristoteles
ibi solum agit de principio directivo motus, tale autem principium habent sola

sola corpora animata.

An substantia per resultantiam etiam efficiat substantiam? imo. natura metaphysica probabiliter efficit sic suam subsistentiam. forse etiam anima rationalis sic efficit unionem sui cum materia prima.

An substantiae etiam agant actione directa? imo producunt etiam actione directa substantiam, et etiam accidens.

Da substantiam quae actione directa producat substantiam: sic probabiliter forma substantialis ignis producit aliam formam substantialem ignis sibi similem. probatur, quia non est maior ratio negandi talem activitatem formae substantiali ignis respectu alterius sibi similis, quam sit ratio negandi activitatem calori, omnes autem admittunt quod calor sit causa alterius caloris, ergo idem dicendum est de forma ignis respectu alterius ignis.

An una anima rationalis producat per se aliam? non.

Quomodo ergo una forma ignis potest per se producere aliam formam ignis? est manifesta disparitas inter animam rationalem et formam ignis, quia anima rationalis debet creari, nulla autem creatura creare non potest: ex parte autem formae ignis nullum est impedimentum quominus producatur ab alia sibi simili.

An formae substantiales materiales non producantur a solo Deo aliquando? imo.

Da casum quo hoc contingit: hoc contingit saepe in formis animalium imperfectorum, v.g. mures, glires saepe producuntur etiam in navibus in mari ut constat experientia, etiamsi ex terra nulla similia animalia fuerint advecta.

Si in aliquibus casibus sit dicendum quod forma substantialis producatur a solo Deo, cur non dicitur quod ita fiat semper? ratio diversitatis est quia in casibus iam dictis nulla datur causa creata quae per se possit illam formam substantialem producere, merito ergo tunc ad Deum recurritur. aliud est dicendum quando adest alia causa creata quae est sufficienter proportionata tali effectui.

An substantia etiam producat accidens actione directa? imo, sic anima rationalis producit actus intellectus, et voluntatis.

Quare non dicitur quod illi actus producantur a solo intellectu et voluntate sine concursu animae? quia non apparet ratio quare anima rationalis possit esse poena vel praemio digna propter illos actus nisi concurrerit ad illos effective.

Cur non Deo quia non impedit tales actus? quia non apparet ratio quando tales actus impedire possit, si non haberet vim agendi aliquid actione directa.

An ignis producat etiam calorem extra se actione directa? probabilius est quod sic, oppositum tamen etiam probabile est.

Probatur hoc: quia ignis in primis producit calorem in se, ergo etiam videtur quod habeat vim producendi calorem extra se. secundo quia experimur quod ignis multo plus calefaciat et longius agat extra se quam aqua bulliens et ferventissima. signum ergo est calorem ignis non concurrere solum ad istum calorem producendum sed iuvari etiam a forma ignis.

Proba nihilominus aliam partem quod ignis non producat calorem extra se: probatur, quia calor igni inexistens est sufficiens causa ~~totalis~~ caloris producti, ergo non debet recurri ad formam ignis tanquam simul concurrentem. non sunt etiam multiplicandae causae sine necessitate.

Unde fit quod calor ignis vehementius agat quam calor aquae? quia calor aquae obtunditur per humiditatem istius aquae

Calor autem ignis acuitur quodammodo per siccitatem istius ignis, unde siccitas solet dici lima quodammodo caloris.

An si ignis non agat extra se, oporteat communiter dicere quod nulla substantia agat extra se? non, quia sunt alia agentia de quibus est certius quod agant extra se, quam quod sic agat forma ignis.

Da aliquam substantiam quae certius agat extra se quam forma ignis: sic certius autem saltem probabilius videtur quod piper secundum substantiam suam producat in ore hominis calorem.

Quare non dicitur quod calor ille productus in ore hominis producatur tantum ab accidentibus? quia nullum reperitur accidens in pipere cui talis caloris productio adscribi possit.

Quare non calor inexistens piperi? quia piper non habet calorem tam intensum quam illum habeat quam calor hominis in suo ore productus a pipere.

quare non dicitur quod calor in ore hominis producatur a qualitatibus piperis occultis? quia non est necessitas agnoscendi qualitatem occultam productivam talis effectus, quandoquidem forma substantialis possit ad talem effectum sufficere.

An forma substantialis coelorum producat aliquod accidens actione directa? imo, quia producit hic lumen, frigus, item calorem.

An effectus illi producti a coelis debeant etiam ab iisdem conservari? non est necesse.

in qua ergo causa conservatur calor productus a coelo, vel frigus? a solo Deo saepissime.

proba illas qualitates non debere conservari a coelo: quia illae qualitates productae a causis sublunaribus non debent iisdem causis sublunaribus conservari. Arg. calor in hieme productus aliquando in ligno destructo igne, et nulla causa creata calefactiva succedente in locum ignis aliquo tempore perseverat, tunc autem non potest assignari alia causa conservans istum calorem praeter Deum.

An interdum formae substantiales non conservent effectum ab alia causa productum? imo, hoc contingit quando inveniunt suum effectum prius ab alia causa productum, ut v.g. quando ignis invenit calorem productum in ligno, illum eundem solet conservare, melior enim est conditio possidentis, unde potius tunc conservat istum antiquum calorem quam producat totaliter novum.

An ut forma substantialis sublunaris agat debeat simul concurrere forma coeli? non est necesse quia ignis sine concursu coeli sufficiens videtur ad producendum calorem, alioquin posset dici quod ignis posset applicari stramini et illud non comburere quod ridiculum videtur.

An accidentia etiam sint activa? imo

Quaenam accidentia sint activa? omnes qualitates primae speciei, quia omnes illae debent ornare substantiam quoad operationem, ut patet ex definitionibus qualitatis primae et secundae speciei.

An qualitates tertiae speciei etiam sint activae? aliquae sic, et aliquae non.

Quomodo aliquae sint activae cum omnes ornent substantiam unde secundum se non refert, licet ex eo bene sequatur quod non ornent substantiam principaliter quoad operationem, possunt tamen operationi multae qualitates tertiae speciei ex fine suo secundario.

Quaenam qualitates tertiae speciei sint activae? qualitates tertiae speciei sensibiles, vel quae producunt aliam sibi similem ut calor et frigus, vel producunt aliam speciem sui ipsius, ut albedo, odor, sonus, et similes.

Quaenam qualitates tertiae speciei non sint activae? qualitates tertiae speciei insensibiles ut sunt actus potentiae appetitivae et cognitivae, nulla enim est necessitas attribuendi illis aliquam activitatem.

Quare illi actus non producunt habitus sibi correspondentes? quia habitus sufficienter producuntur a potentiis, ita ut non sit necesse attribuere activitatem actibus respectu potentiarum.

An qualitates quartae speciei etiam sint activae? non, nulla activa est, quia qualitates quartae speciei sunt huiusmodi, quibus non est necesse adscribere ullam activitatem.

Quaenam accidentia praeter qualitates sint activa? nulla omnino, quia nulla est necessitas attribuendi illis aliquam activitatem.

Unde colligis quantitatem non esse activam? quia nulla est necessitas attribuendi ipsi aliquam activitatem.

Unde colligitur quod relatio non sit activa? quia etiam nulla est necessitas attribuendi ipsi activitatem.

Quare entia reliquorum praedicamentorum non sint activa? quia sunt huiusmodi qui activi non sunt.

An impetus sit activus? ita, probatur ex eo quod sit qualitas secundae speciei, quae principaliter data est substantiae ut eam ornet quoad operationem tanquam principium accidentarium primarium.

Quid impetus? est qualitas secundae speciei naturae sua transiens apta movere versus quamlibet situs differentiam.

Unde constat dari impetum? experientia, quia experimur lapidem proiici sursum, vel etiam lateraliter iuxta arbitrium proiicientis.

Proba ex illa experientia recte inferri dari impetum: quia postquam lapis est extra manum hominis pergit moveri etiamsi proiiciens moriatur, Homo autem nequit amplius concurrere ad motum, ita ut motus ille nulli alteri causae possit adscribi.

Quare non potest dici quod aer a tergo propellens lapidem sit sufficiens principium istius motus? quia cum ventus etiam validissimus vix possit movere lapidem lateraliter ad aliquot passus non est credibile quod solus aer intrans in locum a lapide prius relictum moveat illum tanta vehementia.

An saltem ipse aer intrans in locum lapidis non faciat aliquid ad motum lapidis? imo.

Quare non dicitur quod lapis in casu antedato moveatur a solo deo? hoc sufficienter convinci non potest quod sic non fiat ille motus, saltem tamen

Cum possimus sufficientem causam secundam assignare non oportet recurrere ad deum.
Quare gravitas non est impetus? quia gravitas neque est qualitas naturā suā transiens neque etiam movet versus quamlibet situs differentiam.
Quare potentia volandi in ave non est impetus? quia etiam illa non est naturā suā transiens.
Unde colligitur impetum esse qualitatem naturā suā transeuntem. experientia, quia experimur motum lapidis projecti lateraliter paulatim minui, istius autem diminutionis causa est diminutio impetus.
An conveniens sit factum ab authore naturae quod impetus desinat paulatim? ita, nisi etiam hoc esset possemus globum projicere hinc usque romam.
An idem impetus possit movere versus quamlibet situs differentiam? imo.
An ergo per eundem numero impetum lapis possit moveri sursum et deorsum? imo.
Declara quod resultus lapidis sursum fiat per eundem impetum, quo lapis fuit motus deorsum: quia non potest assignari causa novi impetus per quem lapis postea moveatur sursum.
Quare non dicitur quod terra in quam lapis cadit imprimat ipsi novum motum distinctum a priori impetu? quia res non efficit ~~motum~~ impetum nisi mediante motu, terra autem in quam lapis cadit non movetur, ergo illa non est quae imprimit impetum.
Unde probatur quod impetus non imprimatur rei nisi mediante motu? experientia, ut enim homo lapidem projiciat necessarium est ut ipse manum suam torqueat et moveat. similiter quando quis projicit lateraliter pilam contra murum per eundem impetum quo lapis movetur a projiciente versus murum, per eundem in quam revertitur a muro versus projicientem.
Quare murus in quem lapis impingit non imprimit ipsi impetum? quia etiam murus ille manet immotus.
Quare pila cadens supra lapidem potius quam quae cadit supra lutum? quia cum lutum sit corpus molle admittit aliquo usque intra se ipsam pilam cadentem et sic impetus paulatim desinit qui ante erat impressus lapidi, lapis autem cum sit corpus plane durum totaliter resistit ipsi pilae et impetui eius, unde reflectitur tunc sursum pila.
An duo globi per motum incidentes in se mutuo non magis resiliant a se mutuo quam si cum simili impetu inciderent in murum? ita, maxime si sint globi paris magnitudinis et habeant sibi utrinque impressum parem impetum.
Quare adduntur istae limitationes? quia si unus globus sit notabiliter maior altero, vel habet notabiliter maiorem impressum impetum tali casu fert alterum globum secum.
Unde contingit quod in casu quem nos ponimus unus globus incidens in alium occurrentem magis resiliat quam si incideret in murum? ratio est quia globus incidens in murum non accipit a muro novum impetum, ergo solum resilit per impetum antiquum quem habebat ante, globus autem incidens in alium globum occurrentem ab isto globo occurrente accipit novum impetum qui iunctus cum antiquo multo fortior est quam antiquus solus.

Cur quam est ratio quod pila per impetum impressum potius moveatur versus hanc partem, quam versus illam? totum provenit a determinatione imprimentis impetum, nisi contingat postea obstaculum in medio.

Quaenam sint causae effectivae impetus? gravitas, levitas, potentia loco motiva propria animalibus, deinde unus impetus producit alium impetum.

in quo subiecto unus impetus producit alium impetum, an in proprio, an in alieno? in alieno, et etiam in proprio.

declara quod in alieno: probatur quando ~~lampis~~ lapis cadit supra nostrum caput.

declara quod etiam producat alium in subiecto proprio: quia lapis quando cadit deorsum cadit celerius in fine quam in principio, istius autem maioris celeritatis in fine non potest alia causa dari, nisi quia gravitas in initio se solo produxit primum impetum motivum deorsum, ille impetus iam productus postea cum gravitate producit maiorem impetum quam fuerat in ~~illo~~ initio productus a gravitate, et sic communiter paulatim procedit vehementiori motu, motibus suum crescit crescente suo principio.

unde constat lapidem cadere celerius in fine quam in initio? hac experientia, quo lapis cadit ex loco altiori eo imprimit vehementiorem impetum, et laedit vehementius caput nostrum si cadat supra illud.

Quale universale est impetus genus an species infima? est genus.

da ergo impetus diversae species: impetus corporeus, et impetus spiritualis.

proba spiritualem impetum dari: quia datur impetus in angelis.

declara illum debere esse spiritualem: quia adaequatum subiectum eius spirituale est, res autem materialis non potest pro adaequato subiecto habere rem spiritualem.

An impetus motivus sursum, et impetus motivus deorsum non sint etiam diversae speciei impetus? non quia idem impetus potest esse motivus sursum, et deorsum, unde ex contrarietate effectuum non semper colligitur contrarietas causarum, idem etiam intellectus potest elicere assensum et dissensum eiusdem propositionis.

An detur in qualibet creatura potentia ad conficiendum quodlibet, an hoc sit tantum probabile an vero certum? est certum, nulla enim est apparentia agnoscendi talem potentiam seu virtutem naturalem.

An interim non sit admittenda aliqua potentia obedientialis in creaturis? imo

Quotuplex est potentia obedientialis? duplex, nempe alia activa, alia passiva.

Quid potentia obedientialis passiva? est potentia apta in se recipere aliquam formam tantummodo ad hoc elevatur a causa superioris ordinis, et talis est in anima rationali, et in angelis respectu gratiae supernaturalis, et hoc certum est ex fide.

Quid potentia obedientialis activa? est potentia apta efficere aliquem effectum tantummodo ad hoc elevatur a causa superioris ordinis.

An aliqua talis admittenda sit in rebus creatis? imo, quia cum intellectu et voluntate debet admitti potentia activa per quam efficiunt actus supernaturales et hoc apud theologos extra controversiam est.

An omnibus rebus creatis sit admittenda talis potentia obedientialis activa

ad producendum quodlibet? non, quia in primis talis virtus non est ad-
mittenda in rebus quae nullam activitatem habent, quales sunt huius
modi.
proba in re non activa non esse admittendam talem potentiam obedien-
tialem activam: quia videtur inconceptibile quare res nullo modo activa
posset fieri activa, mere per intrinsecam dei voluntatem.
An in qualibet re activa sit admittenda potentia obedientialis ad produ-
cendum omne producibile? de illa re sunt duae probabiles sententiae, ma-
gis communis est quae affirmat hoc posse fieri, et secundum illam sen-
tentiam lapis posset producere totum mundum si deus vellet.
proba quod detur talis potentia obedientialis activa in qualibet re ac-
tiva: quia non potest ostendi ulla implicantia in eo quod deus utatur
qualibet creatura activa ad producendum omne producibile, et quo ar-
tifex est perfectior eo potest operari cum imperfectiori instrumento
declara posterius: quia non potest quidquam assignari in quo praecise
consistat illa inchoatio virtutis.
Quare non in eo quod habet vim naturalem producendi aliquos effectus
eiusdem generis? hoc non sufficit, quia vel illa responsio fundatur in eo
quia actus supernaturales sunt eiusdem generis proximi cum natura-
libus, et hoc est falsum quia actus supernaturales intellectus differunt
genere proximo ab actibus naturalibus. si autem responsio fundetur in eo
quod actus supernaturales conveniant in eodem genere remoto, tunc
iterum quaelibet res activa habet virtutem naturalem inchoatam ad
producendum omne producibile, quia quilibet effectus conveniunt in aliquo
genere remoto videlicet ente.
An intellectus possit efficere actum voluntatis per dei potentiam? imo,
quia potest omne producibile producere, ergo etiam actum voluntatis.
An ex eo sequatur ulterius quod intellectus possit amare, et voluntas
intelligere? non, quia amare non est quomodocunque producere actum
amoris, sed est producere actum amoris vitaliter in se; iam autem eo
modo intellectus actum amoris producere non potest, sicut nec voluntas
actum intellectus.
An opposita sententia quae tenet quamlibet rem non posse sic elevari
ad producendum omne producibile non sit etiam probabilis? imo. quia etiam
potest ostendi implicantia in eo quod detur aliqua talis creatura quae
elevari non possit ad producendum omne producibile.
Quid respondendum est ad fundamentum istius posterioris sententiae? certum
est deum posse cum qualibet creatura efficere, quod non implicat con-
tradictionem, ergo si certo probetur quod detur aliqua creatura, vel
dubium sit, quae sic elevari non possit, standum est pro omnipotentia di-
vina quod ~~[illegible]~~ nempe illa possit cum qualibet creatura sic concurrere
ad producendum omne producibile: in forma autem ad argumentum
dico etiamsi non videamus manifestam implicantiam in eo quod detur
aliqua creatura quae non possit elevari ad omne producibile, tamen non
esse talem admittendam, quia multa implicant contradictionem quae nos
nescimus contradictionem implicare, ac proinde nisi detur aliqua ratio
magis particularis dicendum est deum posse cum qualibet creatura con-

concurrere ad producendum omne producibile.

Quomodo causa efficiens debet se habere quoad perfectionem respectu sui effectus? aliqua causa efficiens est perfectior suo effectu, et hoc est extra essentiam: aliqua autem causa efficiens est æque perfecta ac effectus. dubium autem est an detur causa efficiens per se quæ sit imperfectior suo effectu.

Da causam efficientem perfectiorem suo effectu: deus respectu cuiuslibet creaturæ.

Da quæ sit æque perfecta ac suus effectus: forma substantialis ignis respectu alterius formæ.

An causa efficiens possit producere effectum se perfectiorem saltem per accidens? imo, quia sic animalia per accidens producuntur a cœlis, et forma ignis a calore.

An causa efficiens possit producere effectum per se, se perfectiorem: hoc incertum est. probabilior autem nobis videtur sententia affirmativa.

proba hoc posse fieri: probatur in primis exemplo causæ materialis quæ causat materialiter effectum se perfectiorem, anima enim equi est perfectior materia prima, a qua tamen materialiter causatur, et tamen anima est perfectior quam materia, ergo similiter videtur dicendum quod effectus perfectior possit per se produci a causa efficiente imperfectiore.

An aliquid possit dari alteri id quod non habet? non.

Quomodo ergo res imperfectior potest efficere perfectiorem cum sic deberet dare quod non habet? nego.

Quomodo enim daret maiorem perfectionem? non refert, quia licet illam perfectionem non habeat formaliter, habet tamen illam virtualiter, causa autem non debet habere formaliter perfectionem effectus, sed sufficit quod illam habeat virtualiter ut patet in causis æquivocis.

An ex hac doctrina sequatur non posse probari deum esse perfectiorem creaturis? non.

Quomodo enim hic non colligatur ex eo quod producat creaturas? licet non colligeretur ex illo capite, colligitur tamen sufficienter ex eo quod habeat perfectionem infinitam. deinde licet non colligatur causa creata esse perfectior effectu ex eo quod illam producat, aliud tamen est de deo qui solus omnem effectum potest producere.

An de facto detur aliqua causa efficiens imperfectior suo effectu? de eo nihil certi definiri potest, valde autem nobis probabile videtur quod sic.

Assigna aliquam causam efficientem imperfectiorem suo effectu: talis probabiliter est species intelligibilis respectu conceptus intellectivi.

proba illam esse imperfectiorem conceptu: quia conceptus reddit intellectum formaliter intelligentem.

An illud exemplum non sit certum? non, quia neque certum est quod species intelligibilis physice concurrat, neque etiam est certum quod sit imperfectior conceptu, unde non potest aliquod certum exemplum dari.

An quo quodlibet res est perfectior eo sit magis activa? non, quia angelus est multo perfectior bruto, qui tamen non potest effectum tam perfectum producere quam producat brutum, similiter materia prima est perfectior calore, non potest tamen effectum tam perfectum producere quam producat calor.

An ex nostra sententia sequatur quod accidens possit per se producere substantiam? non

Quomodo cum res imperfectior bene possit producere perfectiorem secundum nos? licet aliqua res imperfectior hoc fortasse possit, non sequetur tamen quamlibet id posse, ac proinde non sequitur etiam quod accidens producat substantiam.

An non est certum quod accidens per se substantiam producat? eadem re nihil est certi, nos putamus quod non, hoc fundamento, quia nulla est necessitas attribuendi ~~a~~ talem activitatem respectu substantiae.

Quomodo cum potentia nutritiva et generativa producant substantiam? incertum est an illae ~~[illegible]~~ potentiae a parte rei substantiae non sint, deinde etiam non est certum quod illae potentiae physice attingant substantiam.

An illae potentiae non ponantur in secunda specie qualitatis? imo

Quomodo ergo non est certum quod sint accidentia? quia nullo modo est certum quod qualitates secundae speciei realiter a substantia differant, unde de intellectu et voluntate etiam valde probabile est quod differant sola ratione a natura animae rationalis vel angeli.

An requirantur etiam certae conditiones ad agendum? imo.

Aliquae conditiones requisitae ad agendum: prima est: agens et patiens debent esse diversa, dissimilia, et sibi mutuo approximata.

Quare agens et patiens debent esse diversa? quia ut commune axioma habet, idem non agit in se ipsum.

An intellectus non producat in se ipso conceptum intellectivum? imo.

An similiter aqua non producat in se frigus? imo.

Quomodo ergo subsistit illud axioma? siquidem subsistit quia non intelligitur plane generaliter illud axioma.

De qua ergo actione intelligitur axioma? de actione directa et physica.

Declara non esse contra istud axioma quod aqua producat in se frigus. quia illa actio qua aqua producit in se frigus est actio resultantiae, axioma autem hoc intelligitur de actione directa.

An actio qua intellectus producit in se conceptum intellectivum non sit directa actio? ita.

Quomodo ergo non est contra hoc axioma quod intellectus producat in se conceptum intellectivum? quia actio qua intellectus producit in se conceptum intellectivum, illa non est actio physica, axioma autem intelligitur de actione directa et physica.

Quid actio physica hic? est actio terminata ad terminum sensibilem habentem contrarium. ut actio terminata ad calorem.

Quid actio non physica? est actio terminata ad terminum qui vel non est sensibilis, vel non habet contrarium. Ut actio qua intellectus producit in se conceptum intellectivum, quia conceptus intellectivus sensibilis non est.

Da actionem terminatam ad terminum sensibilem quae physica non est. Ut actio terminata ad lumen, lumen enim non habet contrarium.

An aliquod agens possit in se ipso lumen producere actione directa? non, sed actione resultantiae hoc bene potest fieri, ut ignis liberando se a corporibus opacis intermixtis bene producit per resultantiam in se ipso lumen.

Quare ignis non producit ipsum lumen quando agit actione reflexa? Colligitur a posteriori hoc non fieri, quia aliàs deberet illa actio continuo augeri sine fine, quia si ignis per lumen quatuor graduum posset actione reflexa producere in se ipso quintum gradum luminis, illud lumen postea cum illo lumine quinque graduum poterit producere sextum gradum, et postea cum lumine sex graduum poterit producere septimum, et sic consequenter, quae omnia sunt contra experientiam, unde patet non esse omnino necessarium sic limitare axioma sicut communiter limitatur, sed sufficeret hoc modo limitari idem non agit in se ipsum actione directa terminata ad terminum sensibilem.

Quae est ratio quare idem non possit agere in se ipsum tali actione? quia sic idem ageret ad destructionem sui ipsius, cum tamen agentia naturalia agant ut vel se ipsa, vel saltem suam speciem faciant esse perpetuam.

Quomodo ergo luminosum non potest agere actione directa in se ipsum, cum illud non agat ad conservandum se, neque ad conservandam speciem? imo etiamsi sic agit, et etiamsi fortasse non ita agat per lumen, agit tamen sic per calorem, calefactio autem coniuncta illuminationi, illa tendit ad conservationem individui vel speciei.

Secunda conditio est agens et patiens debent esse dissimilia, ratio istius est quia simile non agit in simile, scilicet actione univoca et physica.

An unum calidum non possit agere in aliud calidum? imo.

Quomodo ergo simile non agit in simile? unum simile logicum bene agit in aliud simile logicum, sed hoc non est contra axioma quia illud intelligitur de simili physico.

Quid simile logicum? qualitas eiusdem speciei cum altera, vel res affecta tali qualitate. Sic calidum ad sex gradus bene potest agere in calidum ad duos gradus tantum, sicut etiam ignis calidus ad octo bene potest ulterius calefacere hominem ante calidum ad quatuor.

Quid simile physicum? est qualitas eiusdem speciei aequalis inte-

similis cum alia ad quam comparatur, vel vero affecta tali qualitate. sic calor octo graduum est similis physice alteri calori octo graduum, et similiter calor ad quatuor est similis alteri calori ad quatuor.

An etiam subiectum caloris ad quatuor sit etiam similis physice alteri subiecto caloris ad quatuor? imo quia illud est vere affectum qualitate physice simili.

Quid similia physice? sunt qualitates eiusdem infimae speciei aeque intensae, vel vere affecta talibus qualitatibus.

Quid dissimilia physice? qualitates diversae speciei, vel inaequaliter intensae, vel vere affecta talibus qualitatibus.

An sit universaliter verum quod simile physice non possit agere in aliud simile physice? non.

De qua actione intelligitur illud axioma simile non agit in simile? de actione univoca et physica.

Quare dicitur de actione univoca? quia actione aequivoca bene potest aliquid agere in simile, quia fieri potest quod tale simile physice habeat coniunctum aliud principium, quod sit multo fortius ad agendum actione aequivoca, et sic fortasse aqua tantum frigida ad quatuor gradus per suam formam substantialem potest producere quintum gradum frigoris, similiter piper, quod apparet vix habere unum aut alterum gradum caloris producit tamen calorem satis notabilem in lingua.

Quare simile non agit in simile actione univoca et physica? quia sic frustraretur finis agentis ob quem agit in patiens actione univoca et physica.

Quis est finis istorum agentium? finis est ut communicent formam substantialem patienti, ut v.g. finis ignis ob quem agit in lignum est ut introducat in materiam ligni formam substantialem ignis.

Declara quod ille finis frustraretur si simile ageret in simile actione univoca et physica: quia si calidum ad quatuor v.g. produceret quintum gradum caloris in alio calido ad quatuor, tamen non disponeret ad formam substantialem, sed in ordine ad unam aliam quae videlicet requireret plures gradus quam quatuor.

Da aliam rationem ob quam simile non agit in simile actione univoca et physica? multi non improbabiliter assignant hanc, quia gradus intensionis sunt diversae speciei, ita ut secundus gradus differat specie a primo, et tertius similiter a primo et secundo, et sic consequenter, supposita autem illa sententia calidum ad quatuor non potest producere quintum gradum in alio gradu ad quatuor, quia calidum ad 4 non habet virtutem effectivam quinti gradus qui supponitur esse perfectior et diversae speciei a reliquis quatuor, nos tamen illum modum defendendi, quod simile non possit agere in simile minus probabilem reputamus, quia putamus gradus intensionis eiusdem qualitatis esse eiusdem speciei.

An luminosum ad quatuor possit agere in aliud luminosum ad quatuor intendendo lumen eius ulterius? aliqui quidem hoc videntur affirmare ex eo quod lumen non agat actione physica, lumen enim non habet con-

trarium, nos tamen putamus quod non.
Qua ratione dicimus quod luminosum ad quatuor non possit agere in aliud
luminosum ad quatuor: quia si hoc posset fieri possent duo luminosa
intendere mutuum lumen usque ad summum, etiamsi ante actionem
solum habuissent lumen unius gradus.
Declara quod hoc sequeretur: quia si unum luminosum ad unum
gradum posset secundum gradum luminis producere, illud alterum lu-
minosum iam factum ad duo posset reagere in primum luminosum
ad unum, et in eo producere secundum gradum, et inde ulterius illud
luminosum ad duo posset producere tertium gradum, et sic consequen-
ter, ac proinde sequitur quod possint se intendere quoad lumen usque
ad summum, hoc autem experientiae repugnat.
An calidum ad quatuor non possit agere actione conservativa in aliud
calidum ad quatuor? imo.
Quare magis quam actione de novo productiva alterius caloris? ratio
disparitatis est, quia per hoc quod quartus gradus conservetur, nullo
modo evertitur finis agentium de quo ante dictum est, sed ille finis
potius per talem actionem conservativam promovetur. everteretur
autem ille finis si produceret quintum gradum, uti ante ostensum
fuit.
An agens debeat prius tempore fuisse dissimile patienti antequam
agat? hoc non est necessarium, nec sequitur ex iam dictis.
Proba non esse necessarium: quia agens primo instanti suae existentiae
bene potest agere, tali autem casu non fuit ante dissimile patienti.
Quid intelligitur hic per patiens? subiectum formae productae ab
agente, sive subiectum termini actionis ab agente producti.
An non omne agens habeat sibi correspondens aliquod patiens? non.
Da agens sine patiente: Deus creans angelum.
An ergo patiens non sit correlativum agentis? non.
Quidnam ergo est correlativum agentis? effectus ab agente productus.
An calidum ad tria possit agere in calidum ad sex? non, quia si calidum
ad tria ne quidem possit agere in aliud calidum ad tria, multo minus
poterit agere in aliud calidum ad sex. probatur consequentia quia si finis
agentis everteretur agendo in aliud calidum ad tria, multo clarius ille
everteretur si ageret in calidum ad sex.
An calidum ad tria possit agere in frigidum ad duo? non, neque etiam
in frigidum ad tria, quia frigidum ad duo tantum debet esse calidum
ad sex, adeoque si calidum ad tria ageret in frigidum ad duo, ageret etiam
in calidum ad sex quod fieri non posse iam ante dictum est.
Quare frigidum ad duo debet esse calidum ad sex? quia subiectum ca-
pax caloris aut frigoris necessario habet octo gradus caloris, vel
octo gradus frigoris seorsim, vel octo gradus mixtos partim ex ca-
lore, partim ex frigore.
Tertia Conditio est: agens debet esse approximatum patienti, ratio
est, quia ut habet etiam tritum axioma: agens non agit in distans

non agendo per medium. sic calor hic existens non potest calefacere corpus romae.

An agens debeat esse praecise in eodem loco cum patiente? non, neque eidem cum patiente proximo, sed sufficit quod vel sit in eodem loco, vel in spatio sibi contiguo.

Da agens quod est in eodem loco cum patiente: forma substantialis aquae producens frigus in materia prima aquae.

Declara quod sit in eodem loco cum patiente? quia patiens ibi est materia prima, forma autem substantialis semper debet penetrare materiam quam informat.

An non sunt aliqui casus in quibus agens agit in patiens a se distans? imo, unus talis casus est si producat aliquem effectum in spatio intermedio.

Da agens quod eo modo agit in patiens distans: sic sol producit hic in terra lumen, a qua tamen terra multum distat.

Quare non dicitur quod sol tantum producat lumen in spatio sibi proximo, et illud lumen aliud lumen donec veniatur ad nos? quia oppositum probatur per experientiam, quia experimur quando sol per aliquod foramen mittit suum lumen, et illuminat aliquod cubiculum, in tali inquam casu multo plus luminis producitur in illa parte cubiculi quae directe respicit solem quam in aliis partibus eiusdem cubiculi, maius autem lumen debet ibi produci partim a sole.

Proba non posse dici quod tantum producatur a lumine vicino: quia illud lumen versus quamlibet partem cubiculi aequaliter activum est, ac proinde deberet aequaliter producere lumen versus quamlibet partem, quod experientiae repugnat.

An similiter calor non agat in distans quando agit per medium? imo, interim de calore res non est tam clara quam de sole.

Quomodo cum ignis magis calefaciat hominem stantem ex opposito ignis quam stantem ad latus? nego, quia supposita paritate distantiae ignis aequaliter producit calorem in orbem, versus quamlibet ~~[illegible]~~ situs differentiam, interim tamen si quis diceret ignem solum producere calorem in spatio proximo, et quod ille calor productus produceret alium ulterius, ille non posset tam clare redargui.

Da alium casum quo agens possit agere in patiens a se distans: sic agens partiale agit in patiens a se distans, etiamsi non agat per medium. sic centrum magni ignis agit etiam in aerem vicinum igni, et tamen illud centrum non agit in partes intermedias ignis.

Unde constat quod centrum ignis non agat simul in partes intermedias ignis? quia ut ante dictum est circa praecedentem conditionem, simile non agit in simile, iam autem centrum ignis est simile quoad calorem cum aliis partibus ignis.

Unde constat quod quando magnus ignis calefacit quod solae exteriores partes non calefaciant hominem adstantem? quia si ita fieret, sic ignis taliter orbicularis in cuius medio non esset ignis deberet aeque calefacere ac si ibidem esset ignis. hoc autem repugnat experientiae. secundo in globo ferreo clarum est quod producat maiorem impetum si sit plane solidus ex toto ferro, ut [illegible] quam si interius sit concavus, ergo simile est partes inte-

vires istius globi ferrei etiam conducere ad istum maiorem impetum producendum.
An agens totale unquam agat in distans non agendo per medium? non; loquimur autem de agente per se.
Quae est ratio quare nunquam hoc possit fieri naturaliter ut agens totale agat in distans per se non agendo per medium? resolvendum hoc est in naturam agentium naturalium.
An anima rationalis existens in pede non producat in capite conceptum intellectivum? imo.
An etiam producat conceptum intellectivum per totum medium intercedens inter caput et pedes? non. quia homo intelligit in solo capite ut hic supponimus.
Quomodo ergo anima rationalis existens in pede hominis non agit in distans non agendo per medium? agit quidem in distans positive sed non agit tamen in distans negative, quando autem dicitur quod agens non agat in patiens distans non agendo per medium, hoc intelligitur de distante negative, non autem de eo quod tantum distat positive.
Quid distans positive? est distans inter quod et aliud ad quod comparatur intercedit aliquod intervallum. sic nos hic positive distamus a Italia. quia inter nos hic existentes et Italiam intercedit aliquod intervallum.
Quid distans negative? quod non est coniunctum alteri neque per penetrationem neque per localem contiguitatem, sic etiam nos negative distamus a Italia.
An non coincidant distans positive, et distans negative? non.
Da unum quod non sit alterum: anima rationalis existens in pede hominis distat a capite eiusdem hominis ~~[illegible]~~ positive, non tamen distat ab illo negative.
Declara quod non distat ab illo negative: quia anima rationalis existens in pede etiam coniungitur capiti per penetrationem.
An causa per accidens possit agere in distans non agendo per medium? imo.
An divinitus possit aliqua causa totalis per se agere in distans non agendo per medium? imo, quia in eo non potest ostendi ulla implicantia, imo satis difficile est ostendere quomodo aliquando naturaliter hoc fiat, ut pluribus dicitur in libris de generatione.

An deus etiam aliquid agat? imo
An hoc sit probabile an verum et certum? est certum abstrahendo a tempore.
Dem. quia creatura est evidenter certum quod sit producta a deo? de prima omnium, quia prima creatura non potuit esse producta a quoquam alio.
Quare non a se metipsa? quia est inconceptibile quod aliquid producat alterum nisi ipsum producens prius, saltem natura sit.
Quare prima creatura non potuit fuisse producta ab alia creatura? quia hoc ipso quo supponitur prima non potuit ab alia

creaturâ fuisse producta, quia sic illa alia creatura debui-
sset ab ipsâ prius fuisse.
An plures creaturae negatiuae primo potuissent se mutuo pri-
mo producere? non. potuissent quidem se mutuo producere pri-
mo instanti suae existentiae modo altera illarum prius saltem
naturâ habuisset esse ab aliâ causâ nempe a deo, alias
hoc est impossibile.
An actio dei sit intrinseca ipsi deo? non.
In quo ergo subiecto subiectatur actio dei? in effectu producto
quia cum actio creaturarum in illo effectu subiectetur non po-
test dari sufficiens ratio quare in eodem non subiectetur etiam
ipsa met actio dei.
An volitio dei subiectetur in creaturâ? non.
Quomodo ergo actio dei potest subiectari in creaturâ cum eadem
sit cum volitione dei? nego.
Quomodo cum volitio Dei sit efficax? non refert.
Declara non sequi propterea quod debeat esse ipsa met actio:
quia ut dicatur esse efficax satis est quod efficaciter applicet
omnipotentiam ipsius dei ad ponendum effectum, et eatenus
verum est quod diuinae voluntati non possit resisti.
An si actio dei esset interna deo non sequeretur deum esse
mutabilem? imo quia actio adueniret deo in tempore, cum autem
deberet esse formaliter respectu dei necessario sequitur quod deus
mutaretur per aduentum talis actionis.
An ergo sit euidenter certum actionem dei non subiectari in deo?
non.
Quomodo cum sit euidenter certum deum non posse mutari?
etiamsi sit euidenter certum quod deus non possit mutari muta-
tione reali potest tamen deus bene mutari mutatione rationis.
illi autem authores qui ponunt actionem dei in ipso deo iden-
tificant a parte rei illam actionem deo.
Declara quod in alio casu deus bene possit mutari muta-
tione rationis: sic mutatur quando moritur petrus, tunc enim
deus transit a coexistentia verum petro ad priuationem talis
coexistentiae.

An deus producat omnes creaturas? producit
omnes mediate vel immediate, aliquas necessario
producit immediate et hoc est euidenter certum ex
dictis quaestione praecedenti.
An deus producat omnes creaturas immediate? hoc quidem cer-
tum non est, sed multo probabilior est sententia affirmatiua
quod nimirum omnes immediate producat.
proba deum producere immediate omnes creaturas: quia deus
est perfectissimus dominus omnium creaturarum, perfectissi-
mum autem eius dominium hoc exigit ut omnes creaturas de-

pendeant immediate ab ipso.
proba oppositam sententiam, nempe non esse necesse quod Deus immediate concurrat ad omnem creaturam: quia generalis ratio creaturae non involvit illam immediatam dependentiam a Deo: quia creatura tantum debet esse ens per participationem, sed quod participat suum esse ab alio hoc autem etiam erit, verum etiamsi immediate tantum dependeat ab alia creatura, et non a Deo.

declara hoc non derogare perfectioni dominii ipsius Dei: quia rex ille perfectius dominatur alicui provinciae cui non potest semper adesse, et in qua potest ponere substitutum loco sui, quam dominetur illi cui ipsemet semper debet adesse praesens; ergo similiter videtur, quod Deus perfectiori modo erit dominus si possit ponere aliam creaturam quae loco Dei et de eius voluntate concurrat ad alias creaturas.

An ex hac posteriori sententia sequatur quod aliquid possit exsistere invito Deo? non, quia etiam illa creatura quae non dependeret immediate a Deo tanquam causa efficiente dependet nihilominus a voluntate Dei permissiva, quia nimirum Deus posset si vellet aliam creaturam causantem ipsam immediate impedire ne talem effectum causet.

Quo fundamento potissimum fuit inducti aliqui theologi ut defenderent hanc sententiam posteriorem? ut sic facilius defenderent quod Deus non sit author peccati.

declara hoc facile defendi in hac sententia? quia cum secundum hanc sententiam Deus non concurrat immediate ad actum peccati non magis debet dici causa peccatorum quam in creatis pater sit causa peccatorum filii quae non tenetur impedire. verum tamen vide? ob hoc neque ob aliud fundamentum recedendum est a prima sententia quae tenet Deum immediate concurrere ad omnem effectum.

Quomodo Deus concurrit immediate immediatione suppositi an immediatione virtutis? immediatione virtutis et etiam aliquo modo immediatione suppositi.

Quid causa immediata immediatione virtutis? est causa comparata ad effectum per se quidem causat mediante virtute sibi connaturali.

declara Deum eo modo esse causam immediatam: quia quaecunque causat, causat per omnipotentiam suam quae est virtus connaturalis ipsius Dei.

Quotuplex est causa immediata immediatione suppositi? duplex:

declara: quia alia est immediata immediatione suppositi positive, alia vero est immediata immediatione suppositi negative.

Quid causa immediata immediatione suppositi positive? est suppositum a quo immediate egreditur actio ad quam comparatur.

An Deus sit eo modo causa immediata? imo, quia Deus est suppositum a quo immediate egreditur omnis actio.

Quid causa immediata immediatione suppositi negative? est suppositum quod causat effectum ad quem comparatur non mediante alio supposito.

An deus sit etiam eo modo causa immediata? imo respectu aliquorum effectuum, non tamen respectu omnium.

respectu quorum effectuum deus est eo modo causa immediata? respectu omnium quos solus producit.

respectu quorum effectuum deus non est eo modo causa immediata? respectu illorum quos producit mediantibus aliis suppositis, ut respectu caloris quem producit cum igne.

An deus tantum primo producat creaturas, an vero etiam easdem conservet? etiam conservat.

Quomodo conservat mediate an immediate? etiam immediate sicut easdem immediate produxit.

probatur quod illas immediate conservet: quia est eadem ratio de immediata conservatione quae est de immediata productione ac proinde sicut ad perfectissimum dei dominium pertinet ut primo immediate omnem creaturam producat, ita etiam ad idem dominium dei spectat ut easdem immediate conservet.

An ergo deus omnes res creatas conservet immediate? non

Quas ergo res creatas deus non conservat? illas quae tantum existunt unico instanti, quia quod conservatur debet retinere suum esse immediate ante habitum, ergo debet immediate ante fuisse et consequenter ad minimum existere duobus instantibus continuis.

An aliqua res creata possit existere pluribus instantibus et non conservetur? imo.

Da modum quo hoc potest fieri: si res existat primo hoc instanti, et sequenti destruatur, et post unam horam iterum reproducatur per unum instans tantum.

Cur in illo secundo instanti talis res non conservatur? quia ut ante dictum est id quod conservatur debet habuisse suum esse immediate ante, talis autem res de qua agitur habuit quidem suum esse ante, sed non immediate.

Quomodo deus conservat creaturas eadem actione an diversa? Aliquando eadem, aliquando diversa.

Da casum quo deus eadem actione conservat creaturam qua illam primo produxit: sic eadem actione qua produxit primo angelum eundem postea conservat, quia cum sit idem adaequatum principium producens et conservans, item idem adaequatus terminus productus et conservatus, non est ulla ratio variandi conservationem et illam distinguendi a prima productione.

Da casum quo deus conservat creaturam distincta actione a prima productione: sic quando deus cum igne producit primo calorem quem postea conservat solus, conservatio illa est specie distincta a prima productione.

ex parte cuius differunt tali casu specie prima productio et conservatio? ex parte principii, quia actio primo productiva respicit deum et ignem essentialiter tanquam sua principia, actio autem

conservativa respicit essentialiter suo principio solum deum.

An conservatio debeat esse eadem cum prima productione quando est idem adaequatum principium? non.

Ex parte cuius poterunt fieri, seu differre? ex parte terminissi, videlicet vel prima productio, vel conservatio habeat aliquem terminum partialem diversum, ut contingeret si deus cum igne hoc instanti producerent unum gradum caloris, et sequenti instanti eundem conservarent producendo simul unum alium gradum caloris.

An deus conservet albedinem eadem actione extra subiectum qua deus produxit illam dependenter a subiecto? de facto hoc deus non praestat eadem actione, quia actio qua deus de facto produxit albedinem dependenter a subiecto, illa coincidit cum sustentatione et unione qua subiectum unitur albedini, iam autem cum tali actione productiva non potest coincidere actio qua albedo ponitur extra subiectum, quia actio per quam albedo ponitur extra subiectum non respicit essentialiter subiectum albedinis quandoquidem sit independens ab albedine.

An possit fieri ut deus eadem actione conservet albedinem extra subiectum qua illam prius produxit in subiecto, et dependenter ab illo subiecto? imo.

Dic modum quo hoc posset contingere: si deus produceret albedinem dependenter a subiecto per actionem realiter distinctam a sustentatione, quae etiam actio non necessario requireret habere sustentationem adiunctam, sed haberet se ad illam permissive, sic ut modo possit habere adiunctam sustentationem, modo non habere, in tali enim actione non potest ostendi ulla implicantia.

An officium causae materialis aliter suppleri possit quam per aliam causam materialem? proprie agendo de suppletione dicimus quod non, improprie autem, et late loquendo hoc bene potest fieri, quia fit hoc si deus liberet illam albedinem a dependentia quam habet a subiecto continuando eundem suum influxum effectivum.

Declara quod tamdiu debeat effectus durare quam durat ille influxus: quia influxus ille dependet ab effectu omnimoda necessitate tanquam purus modus a suo proximo modificato, ac proinde est impossibile ut maneat ipse influxus si effectus perierit.

An deus concurrens cum creatura debeat illam physice praedeterminare? non.

An ergo non sint admittendae praedeterminationes physicae? non.

Quid intelligitur ordinarie per praedeterminationem physicam in hac materia? qualitas aliqua data creaturae per modum auxilii transeuntis instar impetus qua posita non potest creatura non agere, et sine qua non potest agere.

Unde probas talem praedeterminationem physicam non esse admittendam in causis creatis? quia neque est admittenda in causis necessariis, et multo minus in causis liberis.

Ostende illam non esse admittendam in causis necessariis: quia absque omni fundamento fingitur quod ignis verbi gratia non esset sufficiens

ad producendum calorem sine adventu novae qualitatis.
An non sequeretur processus in infinitum si talis qualitas esset
necessaria? imo, quia cum illa qualitas quae est physica praedeter-
minatio etiam sit creatura, illa deberet ulterius habere suam
aliam physicam praedeterminationem, et illa ulterius novam, quia
omnes istae praedeterminationes creaturae sunt, ergo non potest esse
de generali ratione creaturae requirere aliquam physicam praedeter-
minationem ad hoc ut possit agere.
An non sit aliqua peculiaris ratio propter quam talis praedeter-
minatio physica non possit admitti in causis liberis? imo.
assigna illam rationem: quia illa praedeterminatio physica evertit
libertatem causae secundae, quia ad libertatem causae secundae requiri-
tur ut possit agere et non agere positis omnibus ad agendum prae-
requisitis, sed tamen talem aptitudinem non potest habere ulla cau-
sa secunda posita illa physica praedeterminatione, quia ut patet
ex definitione physicae praedeterminationis, sine illa creatura non
potest agere et cum illa non potest non agere, ergo falsum est
quod cum illa stet aptitudo ad agendum et non agendum positis
omnibus praerequisitis.
An non sufficiat ad libertatem causae secundae quod possit non agere
ablata praedeterminatione physica? non, quia sic posset etiam susti-
neri quod ignis esset liber ad calefaciendum.
Quomodo cum non possit omittere calefactionem in ligno praesente?
potest illam calefactionem omittere ablata praesentia ipsius ignis
ad lignum adeoque in sensu diviso saltem potest non agere ignis in lig-
num praesens, quia ablata illa praesentia potest non agere.
An a causa indifferente et indeterminata possit exire determina-
tus effectus? non.
An ex eo non sequatur quod causa libera indigeat physica praede-
terminatione ad effectum? non.
Quomodo cum sine illa non possit fieri determinatio ad certum
effectum? imo.
Ostende quod illa determinatio possit aliter fieri: quia creatura po-
test determinari ad certum effectum per ipsam actionem.
An creatura antequam agat non debeat esse prius ante ipsam ac-
tionem determinata? non, hoc enim non est necessarium in causa
libera quia illa determinat se ad speciem actus per ipsammet
suam actionem.
An quod determinatur non debeat ab alio determinari? non, quia
fieri potest quod determinetur a semet ipso, sic homo enim se ip-
sum determinat ad ambulandum vel non ambulandum prout vult
ita ut non indigeat ulla physica praedeterminatione praevia.
Unde determinatur causa necessaria [illegible] ad certam speciem
effectus? partim ex natura sua, partim ex circumstantiis in qui-
bus ponitur causa secunda.
Da exemplum quis eo modo determinatur: calor determinatur ex na-
tura sua ad producendum calorem, et non ad producendum frigus.

An ex nostrâ doctrinâ non sequatur quod causa creata sit primum
agens liberum? non.
Quomodo cum non indigeat ullo alio extrinseco determinante? non
valeret quia hoc non sufficit ad primum agens liberum, quia ad illud
insuper requiritur ut sit independens ab omni alio quod tamen creatu-
ræ convenire non potest, quia illa semper debet esse dependens a Deo.
An creaturæ non sint instrumenta Dei? imo.
An ex eo non sequatur quod indigeant physicâ prædeterminatione? non.
Quomodo cum instrumenta artificum ut securis et malleus in-
digeant impetu artificis instar physicæ prædeterminationis? non refert.
Quare non dicitis quod omnia instrumenta Dei indigeant simili
quasi impetu, id est physicâ prædeterminatione? non est eadem ratio
de securi et malleo quæ est de aliis instrumentis.
Quænam ergo est disparitas inter illa? quia cum securis et mal-
leus sint instrumenta valde indifferentia ad plurimos effectus de-
bent per impetum determinari ad unum potius effectum quam alium,
alia autem instrumenta magis ex naturâ suâ determinata sunt
ad suos effectus ut patet in igne qui ex naturâ suâ satis deter-
minatus est ad calefaciendum ut proinde non indigeat aliquâ
qualitate prædeterminante.
An Deus non sit causa universalis et creaturæ causæ particulares?
aliquæ creaturæ sunt particulares et aliquæ universales, nulla tamen
est tam universalis quam sit ipse Deus.
An causa magis universalis non debeat reliquas applicare ad agen-
dum? non est necesse, et consequenter non est ipsis necessaria physica
prædeterminatio.
Unde ergo poterunt illæ causæ creatæ poterunt applicari ad agen-
dum? causæ liberæ se ipsas sic applicare poterunt. causæ autem
necessariæ ex naturâ suâ vel circumstantiis sic determinatæ sunt.
An non sit contra Aristotelem tollere physicas prædeterminationes?
putamus quod non. non volumus tamen operose explicare verba
Aristotelis quia etiamsi esset a parte contrarius nobis, non referret
quia authoritas Aristotelis debet cedere maiori authoritati et me-
liori rationi.
An sanctus Thomas non admiserit illas physicas prædetermi-
nationes? putamus etiam quod non, interim obscure locutus est
sanctus Thomas, et etiamsi aperte admisisset illas prædetermina-
tiones nos tamen non sequeremur ipsum, quia habemus meliorem
rationem quam ipse.
An ergo non sit absurdum non adhærere sanctis patribus et doctoribus?
si omnes ipsi consentirent tunc esset absurdum ab illis dissentire,
sed quando inter se non consentiunt tunc est impossibile cum omni-
bus consentire, ergo non possumus ad hoc teneri, quia ad impos-
sibile nemo tenetur.
An ut causæ secundæ agant debeant determinari per efficacem
Dei volitionem? non.
An hæc quæstio non sit eadem cum quæstione præcedenti? non

In quo conveniat haec quaestio cum praecedente? in eo quod inqui-
ratur in utraque an creaturae efficaciter determinentur ad agendum.
In quo differt haec quaestio a quaestione praecedenti? in eo quod in prae-
cedenti quaestione quaeratur an creaturae determinentur ad agendum
per physicam praedeterminationem quae sit qualitas intrinseca crea-
turae; in hac autem quaestione inquiritur an creatura efficaciter deter-
minetur non per aliquid intrinsecum creaturae sed per aliquid extrin-
secum, nempe per efficacem volitionem Dei.
Quo argumento probant aliqui talem determinationem esse admit-
tendam? hoc, quia creaturae magis dependent a Deo quam potentia
progressiva humana a voluntate humana; sed autem potentia progres-
siva efficaciter determinatur ad ambulandum per volitionem huma-
nam, ergo videtur etiam quod creatura simili modo determinetur
per volitionem divinam.
Proba nihilominus talem determinationem extrinsecam Dei non esse
admittendam: quia etiam talis determinatio praejudicat libertati hu-
manae.
Declara hoc: quia posita illa praedeterminatione non potest non poni
effectus, ergo stante illa voluntas creata non habet aptitudinem
ad agendum et non agendum. efficaci enim volitioni Dei nemo po-
test resistere.
Quid respondendum est ad fundamentum sententiae adversae? etiamsi
creatura magis dependeat a Deo quam potentia progressiva a vo-
luntate, non ideo tamen sequi debere sic determinari per extrinse-
cam volitionem Dei; quia ille modus determinandi evertit li-
bertatem causae secundae.
Ostende eo non obstante magis dependere creaturas a Deo quam
potentia progressiva dependeat a voluntate humana? in primis quia
quaelibet creatura dependet a Deo tam quoad suum esse quam in
ordine ad omnem suam operationem, neutro autem modo dependet po-
tentia progressiva a voluntate humana.
Declara quod potentia progressiva humana non dependeat a vo-
luntate humana secundum suum esse: quia utraque illa potentia
est a parte rei eadem cum natura animae rationalis. Debet autem esse
distinctio realis inter causam efficientem et effectum, vel si realiter
differant illae potentiae tum inter se tum a natura animae, tunc
neutra ex illis potentiis efficit alteram.
Declara similiter quod potentia progressiva non dependeat quoad
omnem suum actum a voluntate: quia aliquos actus elicit po-
tentia progressiva independenter ab omni volitione humana, ut con-
tingit cum aliquando dormientem ambulare.
An si daretur talis efficax volitio qua Deus determinaret crea-
turas ad omnes suos actus non sequeretur quod Deus esset cau-
sa peccati? dicimus quod sic.
Probatur: quia homo qui mandat vel consulit peccatum alteri
censetur causa moralis peccati consentienti ex mandato vel con-

silio suo ergo videtur quod deus multo magis esset causa peccati si ad illud per efficacem volitionem impelleret creaturam, quia non obstante consilio posset creatura facere oppositum istius quod consulitur, non posset autem facere oppositum istius ad quod determinatur per efficacem volitionem ipsius dei.

An deus et creatura concurrant eadem actione ad effectum? ita frequenter non tamen semper, quia non concurrunt simul eadem actione quando effectus producitur a solo deo, quia tali casu non concurrunt.

An quando deus et creatura concurrunt ad eundem effectum concurrant eadem actione? dicimus quod sic, quia non sunt multiplicandae actiones sine necessitate quae hic non apparet.

An actio creaturae non debeat etiam effici a deo? imo, quia deus efficit omnem creaturam.

Quomodo deus efficit actionem creaturae immediate, an mediante alia actione? immediate, id est non mediante alia actione.

Quare non dicitur quod illam efficiat mediante alia actione? quia ad actionem non datur alia actio realiter distincta, quia cum actio debeat recipi in suum terminum una actio si deberet recipi in aliam actionem realiter distinctam, iam autem unus purus modus non potest esse subiectum alterius realiter distincti.

An ex eo sequatur quod deus et creatura debeant concurrere eadem actione? imo supposito quod creatura cum deo concurrat quia cum actio creaturae debeat immediate dependere a deo sequitur quod illa etiam debeat esse actio dei, et consequenter quod deus et creatura concurrant eadem actione.

An sic bene probetur quod sit eadem actio dei et creaturae quia alias actio creaturae non foret libera? non.

Quomodo potest esse libera actio creaturae supposito quod non dependeat immediate a deo? quia licet posita actione dei terminata ad ipsam actionem causae secundae non possit non poni actio causae secundae, hoc tamen non obstat, quia ad actionem liberam tantum requiritur ut positis omnibus ad agendum praerequisitis quae sunt prius praevia sic egrediatur a suo principio ut possit non egredi cum iisdem praerequisitis, iam autem in casu nostro actio dei terminata ad actionem creaturae non esset prius praevia respectu actionis creaturae.

Quomodo cum ex illa suppositione actio creaturae habeat suum esse per actionem dei? non refert, quia licet eatenus actio dei foret natura prior actione causae secundae, quia tamen actio dei deberet dependere tunc ab actione creaturae tanquam purus modus a suo modificato eatenus esset natura posterior, et consequenter non esset aliquid prius praevium.

An eadem actio possit habere plura principia realiter distincta? imo. et hoc iam probatum est, quia deus et creatura eadem actione concurrunt ad effectum creaturae.

Quomodo cum eadem forma non possit habere plura subiecta
proxima proxima realiter distincta? imo hoc etiam probabiliter
fieri potest.
Da talem formam: talis probabiliter est unio physica, quia illa
immediate afficit utrumque extremum nempe materiam primam et
formam substantialem.
Quomodo eadem actio potest habere plura principia realiter distin=
cta, cum eadem praesentia localis non possit respicere spatia reali=
ter diversa? probabilius est hoc etiam posse fieri.
An ergo per eandem praesentiam possimus esse praesentes hic et
in foro? imo. in eo non potest ostendi implicantia.
Unde ergo colligis quod non semper habeamus eandem praesen=
tiam, quando hinc ad forum ambulamus? quia continuo exer=
cemus novam actionem loco motivam realiter identificatam
praesentiae, ergo debemus continuo novam praesentiam acquire=
re.
Quomodo equidem eadem actio potest habere plura principia re=
aliter distincta cum non possit habere plures terminos rea=
liter distinctos? imo etiam potest habere plures terminos rea=
liter distinctos, quia non apparet ratio quare eadem actio non
possit habere plures terminos realiter distinctos quam unio
possit afficere proxime et immediate utrumque extremum.
An actio Dei et creaturae licet sint eadem a parte rei non dif=
ferant tamen secundum rationem? imo, quia tam est fundamen=
tum concipiendi illas diversas ratione quam risibile et flebile
in homine.
An saltem possit dici actio Dei dignior actione causae se=
cundae? imo, quia nimirum oritur a principio digniori, dignitas
autem actionis aestimatur ex parte principii.

Quâ Ratione

Deus prâebeat suum Concursum Causae Creatae

Quid Concursus hic? est causalitas qua una causa con=
currit cum alia ad eundem effectum. ut concursus
quo Deus concurrit cum igne ad producendum simul calorem.
Da causalitatem duarum creaturarum quae sit concursus:
Causalitas qua anima et intellectus simul Concurrunt ad
conceptum intellectivum.
Da causalitatem creaturae quae non est concursus: non potest
dari, quia omnis causalitas creaturae est concursus facta com=
paratione ad Deum, quia creatura non potest ullum effectum

causae simul ad eundem deus simul concurrat.
Da ergo causalitatem quae nulla comparatione sit Concursus:
non potest dari.
Quare non illa qua deus solus produxit angelum? quia etiam
illa est concursus.
Quomodo cum supponatur deus solus angelum efficiens? non
refert, quia etiamsi ex eo bene sequatur quod cum Deo non con-
currat alia causa efficiens concurrit nihilominus cum Deo alia
causa diversi generis nempe ipsemet angelus qui est causa exem-
plaris sui ipsius.
An concursus non sumatur aliquando strictius quam est definitus?
imo.
Defini Concursum stricte: est causalitas causae efficientis quae
cum una alia causa efficiente concurrit ad eundem effectum.
Da causalitatem quae non est eo modo Concursus: causalitas qua
solus deus efficit angelum.
An sint eadem offerre Concursum et praebere concursum? non.
Quid praebere Concursum? est actu cum alio Concurrere.
Quid offerre Concursum? est paratum esse ad exhibendum concur-
sum.
Utrum deus concursum suum creaturis offerat an vero praebeat? prae-
bet semper quando creaturae aliquid agunt, quia semper debet cum
illis concurrere effective ad eundem effectum.
An deus aliquando offerat Concursum suum creaturis quem non prae-
bet? imo. quia sic nobis iam offert suum concursum ut eamus am-
bulatum et tamen concursum ad ambulandum non praebet.
Unde colligis quod illum concursum non praebeat? ex eo quia si illum
Concursum praeberet actu ambularemus, quia concursus ille sine
ambulatione subsistere non potest. eodem modo
An deus offerat suum Concursum omnibus causis creatis? non.
quia aliter offert Concursum causis necessariis, aliter vero libe-
ris.
Quomodo deus offert suum Concursum causis necessariis? offert
illis suum concursum ad illam speciem effectus ad quam causa
illa necessaria ex natura sua, vel adiunctis circumstantiis est de-
determinata sic ut calori offert suum Concursum ad Calefacien-
dum, quia tales causae ex natura sua ad talem effectum deter-
minatae sunt.
Quomodo offert deus suum Concursum causis necessariis casu in-
libero? libere.
An possit ergo illis etiam suum Concursum negare? imo, et sic
de facto illum negavit igni in fornace babilonica, potest enim deus
dispensare tale quodammodo in suo decreto, quo decrevit concurrere cum
causis necessariis iuxta illarum exigentiam.
Quomodo deus offert suum concursum causae creatae liberae? offert
Concursum ad unam speciem actus, et etiam ad aliam speciem

ipsi oppositam v.g. ad amorem alicuius obiecti et etiam ad odium
eiusdem Deus offert nobis suum concursum ad ambulandum et quie-
scendum ita ut possimus uti illo concursu quem volumus.
Quare Deus ita agit aliter cum causis liberis quam cum necessa-
riis? quia sine ista praeparatione utriusque concursus non posset stare
libertas creaturae quoad speciem actus quia homo v.g. non posset
esse liber ad amorem et odium alicuius obiecti nisi haberet paratum
Dei concursum ad utrumque quia sine Dei concursu creatura nihil
potest omnino agere.
An non sit imperfectio Deo quod creatura possit uti eius concur-
su prout vult? non.
Quomodo cum homo per hoc dominetur Deo trahendo illum ad
talem effectum ad qualem vult? quod trahat sic Deum pro libi-
tu sine dubio foret imperfectio pro Deo nisi talis connexio proveni-
ret ex ipso Dei decreto, qui decrevit ab aeterno omnipotentiam suam
quodammodo creaturis ut ipsae possint illa uti ad quemcunque effec-
tum voluerint ita ut iam creatura libera utatur potentia
Dei simili vero modo sicut voluntas utitur suis habitibus hoc
autem esset imperfectionis pro Deo nisi hoc ipsum conveniret decreto
Dei libero quo decrevit sic se accommodare causis creatis iuxta
illarum exigentiam.
An ad hoc ut possit fieri effectus requiratur ut Deus offerat
concursum ad effectum oppositum? non ut enim Calor producat aliquem
Calorem non debet habere paratum Dei Concursum ad producendum
frigus.
Quomodo ergo causae liberae debet praeparari Concursus ad utrumque
oppositum? Causae liberae non debet praeparari ille duplex Concursus
ad hoc ut unus ex illis duobus effectibus possit fieri sed debet praepa-
rari ille duplex Concursus ad hoc ut creatura sit libera quoad
speciem, sicut ut possit utrumque oppositorum efficere.
An Deus etiam praeparet plures Concursus causae creatae ad plures
effectus individuos sic ut unum ex pluribus individuis possit eligere?
non.
Quomodo cum sine illis creatura non possit esse libera quoad individuum?
non refert.
An ergo creatura de facto non sit libera quoad individuum? non,
unde quod hoc potius individuum amoris eliciat voluntas quam
unum aliud solo numero diversum, hoc non provenit a creatura
sed hoc debet refundi in determinationem ipsius Dei.
Quomodo ergo creatura est libera? est libera quoad speciem et
etiam quoad exercitium non autem quoad individuum sicut enim
creatura non solet unum individuum ~~possit~~ ab alio plane simile
distinguere ita etiam non potest unum prae alio eligere.
An decretum Dei de concurrendo cum causis liberis non evertat illa-
rum libertatem? non.
Quid est a parte rei illud decretum? nihil est aliud quam voli

tio Dei quâ voluit seu decrevit concurrere cum creaturis liberis ad illud ad quod se voluerint determinare.
An illa volitio Dei non sit ab aeterno? imo.
An stante illâ volitione seu decreto possit non fieri effectus causae liberae qui de facto fit? non.
Quomodo ergo causa creata manet libera stante illo decreto Dei? quia licet illud decretum seu volitio Dei sit tempore prius quam effectus causae secundae liberae, est tamen naturâ posterius ipso effectu causae liberae, ideo enim Deus voluit seu decrevit concurrere ad hunc effectum causae liberae, quia ab aeterno praevidit quod causa libera se ipsam libere esset determinatura ad hunc effectum, ad causam autem liberam sufficit quod possit agere et non agere positis omnibus ad agendum praerequisitis id est naturâ prioribus.
Declara amplius quomodo antedictum Dei decretum non noceat libertati creaturae: quia in primis non nocet libertati creaturae antequam ponatur effectus creaturae, quia antequam ponatur effectus nullo modo potest influere in ipsum ut videtur per se clarum. Deinde decretum illud seu volitio Dei non nocet libertati effectus causae creatae quando fit ipse effectus creatus.
Declara quod non noceat libertati effectus quando fit ipse effectus: Quia sicut visio quâ petrus videt paulum ambulantem non impedit quo minus paulus ambulet libere, ita etiam volitio antedicta Dei non impedit quo minus effectus creaturae fiat libere quando fit.
Declara esse parem rationem in utroque casu: quia ideo visio quâ petrus videt paulum ambulantem non impedit quo minus paulus ambulet libere quia visio illa petri est naturâ posterior ambulatione pauli, ita etiam volitio illa Dei, seu decretum Dei de concurrendo cum creaturâ ad hunc effectum v.g. ad ambulationem est naturâ posterior ipsâ met ambulatione, ideo enim decrevit Deus concurrere ad ambulationem cum petro, quia vidit petrum se determinaturum ad illam ambulationem.
An sit in potestate nostrâ praescientiam Dei reddere falsam? non, hoc enim impossibile est.
An Deus non praeviderit ab aeterno quod hic essemus in hac scholâ hac horâ? imo. quia hoc est verum, scivit autem ab aeterno omne verum.
An nos non potuissemus nos absentare ab hac scholâ hac horâ? imo.
Quomodo ergo non potuimus reddere praescientiam Dei falsam? quia supposito quod nos non fuissemus futuri in hac scholâ, tunc Deus non praevidisset ab aeterno nos futuros in hac scholâ, unde potuimus facere ut Deus non praevidisset aliquid ab aeterno quod de facto praevidit si nimirum essemus aliud facturi.
Quomodo hoc est verum cum ad praeteritum non detur potentia? ad praeteritum quidem non datur potentia supposito quod praeteritum

sit, sed hoc non praeiudicat libertati quia sufficit quod absolute potuissemus impedire ne talis scientia praeextitisset.

An si faceremus aliter quam Deus praevidit Deus non falleretur? imo.

Quomodo ergo possumus oppositum facere cum consequenter Deus possit falli? nego hoc sequi sed ex eo [illegible] sumendum, sequitur quod possimus efficere ne Deus ab aeterno praevidisset quod ab aeterno praevidit.

An praedefinitio Dei noceat libertati Causae secundae? non.

Quid praedefinitio Dei? est volitio qua Deus vult aliquem effectum fieri a creatura antequam absolute praevideat quod creatura se determinabit ad talem effectum.

An [illegible] posita illa praedefinitione creatura possit omittere effectum praedefinitum? non, non enim potest efficaci voluntati Dei resistere.

Quomodo ergo talis praedefinitio non praeiudicat libertati Causae creatae? quia etiam talis praedefinitio licet sit tempore prior quam actus praedefinitus est tamen natura posterior, quia illa volitio in qua consistit praedefinitio est natura posterior scientia Conditionata Dei, et ulterius illa scientia Conditionalium sive media est natura posterior [illegible] futuritione obiecti, ideo enim Deus novit aliquid futurum sub conditione, quia posita illa conditione res illa est futura.

Quotuplex est scientia in deo? Communiter a theologis statuitur triplex, una vocatur simplicis intelligentiae, altera vocatur scientia media seu Conditionalium, tertia autem vocatur scientia visionis.

In quo differunt illae tres scientiae Dei? in eo quod per scientiam simplicis intelligentiae Deus cognoscat omnia possibilia, per scientiam mediam Deus novit futura sub Conditione, per scientiam autem visionis Cognoscit futura absolute.

Unde probatur quod detur scientia media Conditionalium in Deo? ex scriptura sacra quae significat Deum aliquando praedixisse futura sub Conditione quae Conditio tamen nunquam erat ponenda, sic enim praedixit Davidi quod Ceilitae essent tradituri Davidem casu quo David ad illos accederet. David autem audita illa Dei praedictione non accessit ad illos.

An Deus possit aliquid praedefinire ante omnem suam scientiam? non, quia ut ante dictum est praedefinitio Dei est volitio Dei, omnis autem volitio Dei praesupponit Cognitionem in Deo, quia etiam respectu Dei habet locum illud axioma, nihil [illegible] volitum nisi praecognitum.

Quam scientiam necessario praesupponit praedefinitio Dei? scientiam simplicis intelligentiae.

An etiam necessario praesupponat scientiam Conditionalium? hoc controversum est apud theologos, aliqui dicunt talem praedefinitionem non posse dari quae non praesupponat scientiam Dei mediam.

Quo fundamento nititur illa sententia? quia inquiunt praedefinitio quae non praesupponit scientiam Dei mediam vel est fallibilis vel impediret

libertatem causae secundae: si enim causa creata libera possit non ponere effectum praedefinitum, praedefinitio Dei foret fallibilis; si autem non possit non ponere effectum praedefinitum, tunc everteretur libertas causae secundae.

Quo fundamento nititur opposita sententia? quia existimat posse stare simul quod Deus praedefiniat effectum causae liberae ante suam scientiam mediam sic ut creatura sit quidem effectum positura infallibiliter sed tamen libere.

Ostende quomodo hoc possit fieri? quia Deus scit se habere infinitos modos quibus possit creaturam inducere ad hunc vel illum effectum ponendum, sic ergo potest praedefinire effectum et deinde statuere modum quo velit creaturam inducere ad talem effectum. Habet autem modos plurimos in manu sua quibus infallibiliter inducet creaturam ad ponendum talem effectum tam bene ac si praevidisset quid creatura esset factura in his vel illis circumstantiis.

An Deus possit eodem praedefinire actus malos creaturarum sicut bonos? non. quia praedefinitio actus mali argueret Deum esse authorem actus mali, hoc autem repugnat Deo. unde non potest studiose Deus quaerere modum quo creaturam inducat ad actum malum. non est autem inconveniens in eo quod studiose Deus inquirat media et modos quibus inducat hominem ad actum bonum.

An Deus et creatura determinent se mutuo ad effectum? Imo.
An hoc contingit in omni casu? non.
Quando contingit et quando non? quando solus Deus producit aliquem effectum tunc non debet intervenire ulla determinatio causae secundae v.g. quando Deus solus producit angelum, tunc non interveniret determinatio, quia natura ipsum determinat potius ad productionem angeli quam ad productionem lapidis.
Quandonam Deus et creatura determinant se mutuo ad effectum? quando simul concurrunt ad eundem effectum.
Quotuplex est determinatio in hac materia? duplex.
Declara? quia alia est determinatio quoad speciem, alia vero quoad individuum.
Utra ex illis determinationibus convenit Deo, et utra creaturae? creaturae convenit Deum determinare quoad speciem effectus; Deo autem convenit creaturam determinare quoad effectum individuum.
Quid determinatio quoad speciem effectus? est sublatio indifferentiae qua causa quae erat indifferens ad plures species effectus producendas limitatur ad unam ex illis.
An ut creatura determinet Deum quoad speciem effectus debeat aliquid producere in Deo per quod ipsum determinet? non.
Proba hoc non posse admitti? quia si eo modo fieret illa determinatio Deus deberet mutari, quia transiret a privatione ipsius effectus ad ipsum effectum.
Quomodo ergo determinat creatura Deum quoad speciem? aliter Deum determinat causa necessaria, aliter vero causa libera.

Quomodo Causa necessaria determinat Deum quoad speciem effe-
ctus? per hoc quod ipsa ex natura sua vel ex adiunctis circumstantiis
ad speciem determinata.
An Deus sic proxime determinetur ad speciem effectus? non, quia
propinquius determinatur a visione sua qua videt causam illam ne-
cessariam esse ex se vel ex adiunctis circumstantiis determina-
tam quoad speciem.
An Deus proxime determinetur ab illa visione? non.
A quo ergo Deus tali Causa determinatur proxime ad speciem
effectus? a suo decreto quo decrevit cum causis creatis con-
currere iuxta illarum exigentiam.
Quomodo causa creata libera determinat Deum quoad speciem ef-
fectus? per hoc quod sic sit constituta ut si ipsa sola posset pro-
ducere certam speciem illa causa creata sola esset talem spe-
ciem productura.
Per quod Deus videt causam liberam creatam sic constitutam? in eo
explicando valde laborant theologi.
An Deus videat aliquid in ipsa causa libera per quam ipsa sic sit de-
terminata antequam agat? non, quia non potest assignari quiddam
illud sit.
Quomodo ergo fit illa determinatio qua causa libera determinat Deum
quoad speciem effectus? Deus videt per infinitam suam vim intelli-
gendi et cognoscit omne verum, ergo etiam debet cognoscere an causa
libera si sola posset agere et producere effectum an illum esset pro-
ductura an non, quia alterutrum illorum etiam est verum.
An ab illa cognitione Deus determinetur proxime ad illam speciem
effectus a causa libera? non.
A quo ergo Deus determinatur proximius? determinatur etiam proxi-
mius a suo decreto.
An creatura concurrens cum Deo ~~[illegible]~~ semper determinet eum
quoad speciem effectus tantum? non.
Proba quod non: quia [illegible] determinat Deum quoad individuum.
Quomodo cum ipsa creatura unquam sit ad individuum determinata
ex se? imo individuum etiam est eo modo determinata.
In casu quo creatura sic determinata est, tunc quando agit actione
conservativa ~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~~ prius existentem
Quia tunc determinata est ad effectum individuum prius existentem.
Et consequenter tunc creatura determinat Deum quoad individuum.
An creatura determinet Deum quoad speciem actionis? ordinarie non,
aliquando tamen sic determinat.
Proba ordinarie sic non determinare: quia quod alterum determi-
nat ad speciem actionis, ipsum debet prius saltem natura esse deter-
minatum ad eandem speciem, iam autem ordinarie talem determi-
nationem ad eandem speciem actionem non habet creatura, quia si esset determinata ad speciem ac-
tionis deberet esse determinata ad individuum effectum, iam autem
ordinarie eo modo determinata non est.

Declara quod tunc deberet esse determinatum quoad individuum effectum: quia si adhuc esset indifferens ad plures effectus individuos, etiam esset indifferens ad plures species actionis cum illi diversis effectus indi- vidui producantur actionibus diversae speciei.
Quandonam creatura determinat Deum quoad speciem actionis? quando determinat ~~ipsum~~ deum ad effectum individuum, hoc autem contingit quando agit actione conservativa.
Quandonam creatura determinat Deum ad effectum individuum primo producendum? nunquam quia quod determinat ad effectum individuum primo producendum hoc ipsa ~~non~~ debet saltem natura prius esse determi- natum ad talem individuum effectum producendum, sic autem non est determinata creatura.
Quomodo Deus determinat creaturam quando concurrit cum illa? determinat ipsam tunc ad individuum, cum enim creatura sit indiffe- rens seu indeterminata quoad plures effectus contentos sub eadem specie quod unum potius individuum producatur quam alterum hoc debet refundi in [illegible] causam primam.
Quid determinatio qua Deus determinat creaturam ad individuum? est sublatio indifferentiae qua creatura quae erat indifferens ad plu- res effectus eiusdem speciei limitatur ad producendum unum ex illis.
An Deus tantum determinet creaturam ad individuum effectum? non, quia etiam ipsam simul determinat ad speciem actionis, quia creatura etiam ad speciem actionis indifferens est.
An si Deus determinans Creaturam ad effectum individuum non deter- minet etiam ipsam simul ad speciem effectus? non.
Quomodo cum species includatur in quolibet suo individuo? non refert
Quomodo ergo Deus determinans creaturam ad individuum non deter- minat ipsam simul quoad speciem? quia quod determinat alterum quoad speciem debet determinare tale quid quod erat prius indifferens quoad speciem, iam autem quando creatura determinatur a Deo quoad indi- viduum tunc non erat indifferens quoad speciem, quia creatura prius determinavit Deum quoad speciem, ergo ipsa erat adhuc prius deter- minata quoad speciem, quia quod determinat alterum ad speciem ef- fectus debet ipsum ~~non~~ saltem natura prius sic esse determina- tum.

An Concursus Causae primae sit indifferens? potest aliqua ratione dici indifferens saltem improprie.
An Concursus ~~Dei~~ Dei ideo dicatur indifferens quia concurrit ad generalem rationem entis? non.
Proba hoc non recte dici: quia Concursus Dei cum sit idem a parte rei cum actione causae secundae tam debet terminari ad effectum individuum secundum se totum sicut ad quem determinatur Concur- sus Causae secundae.
An sit possibile quod aliquid producat generalem rationem entis et non producat individuum? non, quia cum generalis ratio entis identi- ficetur realiter cum singularibus est impossibile ut producatur non pro- ducto ullo singulari, unum enim realiter eorundem non potest effici

sine altero, quia esse est attributum reale, quodcunque autem attri-
butum reale quod convenit uni realiter, convenienter etiam convenit
alteri.
Cuiusnam ratione ergo concursus Dei potest esse indifferens? dicitur in-
differens extrinsece ex parte potentiae illa qua procedit ille concursus,
illa enim omnipotentia Dei de se est indifferens ad omnes effectus,
unde quod potius producat hanc speciem effectus quam illam, hoc pro-
venit ex determinatione causae secundae, stante videlicet quando causa
secunda simul concurrit ad istum effectum.
An deus simili modo determinetur a creatura sicut sol a calore? non
est similitudo per omnia inter istas duas determinationes.
In quo ergo est disparitas? in eo quod deus determinetur a creatura
ad talem effectum ad quem ipse deus indifferens erat, sol autem non
determinatur sic a calore, quia sol ex natura sua, vel ex adiunctis
circumstantiis est determinatus ad speciem effectus, ut cum calore
lutum induret et cum calore ceram emolliat.

An deus concurrens ad actum peccati possit dici causa
peccati? non.
An hoc sit probabile an vero certum? est certum, et oppositum
dicere esset summa blasphemia.
An possit etiam ratione naturali probari quod deus non sit author
peccati? imo, quia peccare sine dubio imperfectionis est quae non po-
test cadere in perfectissimum ens.
An omnes eodem modo defendant quare deus concurrens ad actum
peccati non sit causa peccati? non, sunt enim illa de re variae
theologorum et philosophorum sententiae.
An deus ideo recte dicatur non peccare quia non concurrit immedia-
te ad actum peccati? hoc quidem aliqui dixerunt, et si verum esset
quod deus non concurreret immediate ad actum peccati, valde fa-
cile tunc esset defendere quomodo deus non sit causa peccati; stan-
te enim illa suppositione non est potior ratio dicendi quod deus sit
causa peccatorum quae committunt homines quam pater sit causa
peccatorum filii quae non tenetur impedire; nos tamen hunc modum
non probamus, quia putamus deum concurrere immediate etiam
ad actum peccati.
An deus ideo recte dicatur non peccare quia non est subiectus ulli
legi? non.
Quomodo enim homines tantum peccant quia agunt contra
aliquam legem superioris? non refert.
Quomodo ergo poterit peccare deus qui non habet superiorem?
Ex eo quod deus non habeat superiorem bene quidem sequitur quod
deus non possit peccare contra ullam legem positivam, sed
per hoc non probatur quare deus agens contra dictamen rectae
rationis non peccaret, quia homines eo modo peccarent etiamsi

non daretur ulla lex positiva, quia illud iudicium naturale rectæ
rationis obligat suum subiectum instar legis.
An Deus concurrens ad actum peccati ideo dicatur non peccare quia
tantum concurrit ad generalem rationem entis? non.
Proba illum modum non valere: quia falsum est quod Deus suo
concursu tantum attingat generalem rationem entis, hoc enim
est impossibile, generalis enim ratio entis attingi non potest, nisi etiam
simul attingatur aliquod individuum entis.
An Deus ideo recte dicatur non esse causa peccati, quia peccatum
est tantum aliqua negatio? non.
Proba illum modum defendendi non valere: quia ille modus non dat
rationem sufficientem quare homo potius peccet quam Deus, quia
uterque concurrit ad totum illud positivum quod reperitur in peccato,
neuter autem physice concurrit ad illam negationem, quæ in peccato
reperitur.
Quare non potest dici quod negatio illa in qua consistit formale pec-
cati consequatur actum positivum prout est ab homine, non au-
tem prout est a Deo? ita quidem respondent authores illi qui defendunt
illum modum, sed minus recte, quia sufficientem rationem dare non pos-
sunt.
Quare non tam bene consequatur eandem entitatem illa negatio prout
illa entitas est a Deo tam bene quam consequatur eandem prout est
ab homine. Deinde etiam generaliter verum non est quod peccatum
sit tantum negatio, de quo plura apud theologos.
Quænam ergo tandem erit ratio quare Deus non sit causa peccati?
quia ad hoc ut aliquid sit causa peccati absolute et simpliciter
debet esse causa moralis peccati. Stultus enim concurrendo ad ac-
tum peccaminosum etiamsi sit causa physica talis actus, non po-
test propterea dici causa peccati quia non est causa moralis
illius?
An possit admitti quod Deus sit causa physica actus peccaminosi? imo
concedo. Cum ex eo sequatur absurdum, videlicet quod Deus sit cau-
sa peccati? nego sequelam.
Quare non tam bene quam hoc

Joannes est homo albus, ergo
Joannes est homo? quia homo est aliquid magis com-

mune quam homo albus, causa autem peccati et causa physica pec-
cati habent se ut excedentia et excessa.
Da utrumque scilicet quod sit causa peccati, et quod sit causa physi-
ca peccati? homo libere concurrens ad actum homicidii.
Da causam peccati quæ non est causa physica peccati? dominus respec-
tu homicidii a famulo commissi ex eius mandato.
Da causam physicam peccati quæ non est causa peccati: stultus physice
concurrens ad aliquem actum peccaminosum.
Quare cum Deus sit causa physica peccati non est etiam causa mora-
lis peccati? Quia libere concurrat ad actum peccati? fatendum est

Deum liberè concurrendo, quia concurrit vi sui decreti quo decrevit ab aeterno concurrere cum creaturis iuxta illarum exigentiam quod decretum est ipsi liberum, unde modis ille defendendi Deum a peccato, quia concurrit per modum causae naturalis et necessariae non subsistit.

Quare Deus non est causa moralis peccati si liberè concurrat ad istud? quia Deus neque vult peccatum expressè, neque interpretativè.

Unde probas quod Deus non velit peccatum expressè? quia illud severè prohibet quae severa prohibitio non potest consistere cum volitione peccati ipsius.

Unde probas Deum concurrentem ad actum peccati non velle illud interpretativè? ex eo quod concursus eius in actu primo seu potentia per quam Deus concurrit sit indifferens, et habeat iustam causam concurrendi cum creatura ad actum peccati, hinc Deo imputari non potest ad vituperium quod liberè concurrat cum creatura ad actum peccati.

Ostende aliquid facere ad rem quod concursus eius in actu primo sit indifferens et probatur aliis exemplis moralibus, quia sicut venditor qui vendit ensem non censetur causa moralis homicidii ab emptore commissi, quia videlicet venditio illa ensis de se indifferens est ad bonum et malum usum, quia emptor gladii potest illo uti ad bonum finem, sicut ut defendat se contra latrones in via, potest autem eodem uti ad malum finem, sicut ad occidendum alterum iniustè, sed venditori tamen illa iniusta occisio imputari non potest. et sic etiam omnipotentia Dei indifferens est ad bonum actum, et etiam ad malum, quod ergo de facto concurrat ad malum actum hoc provenit ex determinatione creaturae cui quodammodo Deus subiecit suam omnipotentiam ut utatur illa pro suo libitu.

Quaenam est iusta causa ob quam Deus potest actu concurrere ad peccatum sine peccato? ut salvetur libertas creaturae.

An famulum excuset a peccato homicidii mandatum domini? non, unde talis famulus non habet iustam causam concurrendi, quia quando Deus et dominus temporalis talis famuli mandant talia fieri, tunc potius obediendum est Deo quam hominibus.

An Deus tantum causet efficienter? non.

In quo ergo alio genere praeterea Deus est causa? in genere causae finalis et exemplaris, ut probabitur infra, quando agemus de causa finali et exemplari.

An Deus non sit causa in omni genere? non.

In quibus ergo generibus Deus non potest esse causa? in genere causae materialis, neque etiam in genere causae formalis.

Ostende quod non possit esse causa in genere causae materialis: quia Deus non est subiectum reale ullius formae, quia esse subiectum reale formae imperfectionis est, quia id quod est subiectum rea=

le forma debet posse perfici per formam, Deus autem non potest per illam formam perfici.
Quomodo per hoc probatur quod Deus non possit esse Causa materialis ex qua? quia illa non debeat esse subiectum sui effectus? etiamsi non debeat esse subiectum effectus debet tamen esse subiectum alicuius alterius nempe Compartis suae cum qua Constituit effectum Causae materialis ex qua: v.g. paries non est subiectum respectu Compositi ex pariete et albedine, est tamen subiectum respectu albedinis.
Quare Deus nequit esse Causa formalis? quia sic Deus deberet esse forma realis, quod fieri non potest, quia forma realis debet perfici per subiectum, Deus autem perfectibilis non est per quodquam.
An subsistentia filii in divinis non sit forma? est quidem forma rationis respectu naturae divinae, sed non est forma realis ullo respectu.
Quare non est forma realis respectu naturae humanae cum ab illa realiter distinguatur? non refert, quia non est forma respectu naturae humanae, unde tantum afficit illam extrinsece.
An ergo Compositio metaphysica non sit essentialis? in Christo non est essentialis, quia natura humana et subsistentia divina non habent se per modum actus et potentiae, in reliquis autem compositis Compositio metaphysica essentialis est.

AN deus possit se solo causare quemlibet effectum? non.
Da effectum quem Deus non potest Causare se solo: homo, brutum.
Quare Deus se solo non potest Causare hominem? quia homo essentialiter respicit plures Causas creatas, nempe materiam primam et animam rationalem, quia illae sunt partes essentiales hominis.
An aliquos saltem effectus Deus possit se solo Causare? non.
Quare Deus nequit se solo causare albedinem? quia ad hoc ut Causetur albedo, debet ipsa met albedo concurrere cum Deo per modum causae exemplaris, et sic semper quandocunque aliquis effectus causatur ipse met effectus per modum causae exemplaris concurrit ad se ipsum.
An saltem Deus se solo possit aliquos effectus efficere? imo.
Da effectum quem Deus potest efficere se solo: indivisibilis albedo.
An ex hoc non sequatur quod Deus se solo possit Causare albedinem? non.
An non sequatur: Deus efficit albedinem, ergo
Causat albedinem? imo.
Quare non sequitur similiter:
Deus solus efficit albedinem, ergo
Deus solus causat albedinem? quia illud posterius argumentum virtute procedit ab una specie ad genus distributum ratione negationis inclusae in particula solus.
Declarando sensum istius argumenti: Deus solus efficit, ergo
solus Causat:

Quia effectus istius esse Deus efficit, et nulla alia causa efficit actum Deo; ergo Deus causat, et nulla alia causa causat cum Deo; ubi proceditur a causa efficiente ad causam distributam, ut patet.

An Deus se solo possit efficere terminos actionum vitalium? imo saltem aliquos.

An dentur aliqui effectus quos Deus non potest se solo efficere? imo. tales sunt generatim omnes illi qui essentialiter respiciunt aliam causam efficientem secundam.

Da effectum qui essentialiter respicit causam efficientem secundam; actio qua ignis v.g. producit calorem respicit essentialiter ignem a quo egreditur, fieri ergo non potest ut egrediatur a solo Deo.

An omnes puri modi sint tales ut non possint effici a Deo solo? non.

Da purum modum qui potest effici a solo Deo: v.g. aliqua praesentia localis potest effici in petro a solo Deo. soli ergo illi puri modi qui essentialiter respiciunt causam secundam ~~efficientem~~ efficientem non possunt fieri a solo Deo.

An Deus se solo possit efficere terminum actionis vitalis? sunt aliqui termini actionis vitalis de facto producti a solo Deo qui actione vitali potuissent produci a creatura.

Assigna talem terminum: v.g. forma substantialis equi ab initio producti, illa enim potuisset produci via generationis ab alio equo, neque de eo est controversia apud philosophos.

De quibus ergo terminis actionis vitalis disputatur an possint effici a solo Deo? de terminis cognitionis et appetitionis, videntur enim essentialiter respicere potentiam appetitivam, et cognitivam.

An etiam oppositum non sit probabile? imo, quia non sunt alliganda entia entibus essentialiter sine necessitate, quae hic non potest ostendi subesse, et secundum hoc Deus potest conceptum intellectivum ponere in lapide, vel etiam extra omne subiectum, quod in opposita sententia fieri non potest.

An Deus se solo possit producere actum odii ipsius Dei secundum hanc posteriorem sententiam? hoc utrinque probabiliter disputari potest.

An ergo possit probabiliter defendi quod Deus possit se ipsum odisse? certum est quod non.

Quid ergo amplius requiritur ut Deus se ipsum odisset quam ut produceret actum sui ipsius? insuper requiritur ut produceret illum vitaliter, ut autem Deus sic produceret actum odii sui ipsius nullo modo fieri potest.

Quo fundamento sustinetur quod Deus non possit producere se solo actum odii sui ipsius? quia actus ille odii non habet sufficientem bonitatem quae possit Deum movere ut solus ponat talem actum.

Declara illam rationem non concludere efficaciter: quia agendo de bonitate physica videtur quod actus odii tam bene habeat illam sufficientem quam multi alii effectus, nec refert quod non habeat bonitatem moralem quando libere elicitur a creatura, quia illa non est necessaria ut moveretur deus ad ponendum talem actum, sicut deus bene potest alios effectus se solo producere qui carent bonitate morali, quia physica bonitas sufficit.

An deus possit etiam supplere defectus causarum secundarum? bene potest supplere defectum causae secundae efficientis.

Da casum quo deus supplet talem defectum: quando deus producit solus aliquam formam substantialem, cum non adest causa secunda quae talem formam possit producere, et sic de novo producitur forma substantialis vini in aqua, in qua ante non fuerunt vires vini, ideo deus dicitur supplere defectum causae secundae.

An deus possit etiam supplere defectum causae materialis? hoc pertinet ad modum loquendi, et hinc aliqui negant, et aliqui affirmant.

Quo fundamento negatur quod deus possit talem defectum supplere? quia causa supplens defectum alterius, debet esse eiusdem generis cum illa causa, cuius defectum supplet, iam autem deus causa materialis esse non potest.

Quo fundamento nititur altera sententia? quia putat sufficere ut deus dicatur supplere defectum causae materialis quod tam multum praestat conservando effectum quam si causa materialis adesset.

An detur aliqua causa in rerum natura quae possit creare? imo.

An hoc sit tantum probabile an vero certum? est certum, quia certum est deum posse creare, quia de facto multa entia a deo producta sunt per creationem, ut natura angeli, item natura materiae primae quae non possunt aliter produci quam per creationem.

An creatura possit etiam creare? una creatura bene potest creare aliam creaturam per accidens.

Quid creare? est producere aliquam rem independenter a subiecto sustentante.

Ostende quomodo una creatura possit creare alteram per accidens? fit quando homo generat hominem, homo generans saltem per accidens creat animam rationalem hominis geniti.

Unde probas quod non creet illam per se? hoc non potest evidentia ratione probari, quod probatur tamen sufficienter per authoritatem.

An de facto aliqua creatura creet aliquando per se? non est necessitas hoc admittendi.

Quomodo cum ignis de facto creet calorem in hostia consecrata? nulla est necessitas hoc admittendi.

Quomodo cum tali casu debeat creari ille calor? in primis hoc in-
certum est, deinde ut hoc esset certum, non est tamen certum quod debe-
ret creari ab igne.

Quomodo vero est certum creari ibi calorem cum calor ibi non ha-
beat subiectum? etiam probabile est quod calor ibi habeat subiectum.

Quomodo cum fides doceat ibi esse accidentia sine subiecto? fides
quidem docet aliqua accidentia ibi esse sine subiecto, sed non docet
quaenam in particulari sint ista accidentia quae ibi sunt sine subiecto,
aliqui enim sustinent quantitatem distingui realiter a natura ma-
teriae primae, et secundum illos quantitas panis erit ibi extra sub-
iectum, calor autem, albedo, et similia accidentia erunt ibi in sub-
iecto nempe in quantitate panis; alii autem dicunt quod quanti-
tas a parte rei identificatur naturae materiae primae, et secundum
illos non manet ibi quantitas panis aut vini, et consequenter
iuxta eosdem calor item albedo, et similia accidentia sunt ibi extra
subiectum. Si prior sententia est vera tunc non creatur ibi
calor quia calor ibi productus dependet a quantitate tanquam
subiecto sustentante, secundum autem aliam sententiam calor ibi
est extra subiectum, et consequenter calor ibi debet creari.

An supposito quod creetur quaeratur quod creetur aliquid non.

A qua ergo causa tunc potest dici creari? a solo Deo occul-
tante illud mysterium.

An sit possibilis aliqua creatura quae possit naturaliter creare tan-
quam causa per se? principalis controversia de eo puncto est
in hac materia, in qua etiam sunt duae probabiles sententiae contra-
riae; una tenet talem creaturam esse possibilem, et illam nos
iudicamus esse probabiliorem, altera autem sententia negat talem
creaturam esse possibilem.

Quo fundamento nititur sententia quae admittit talem creaturam
esse possibilem quae possit naturaliter creare? quia nulla ratione
potest convinci requiri virtutem infinitam ad creandum, ergo ad crean-
dum sufficit virtus finita, si autem illa sufficiat non est ratio
dicendi quod non possit convenire creaturae.

Proba ad creandum non requiri virtutem infinitam: quia creatio
solum differt a generatione in eo quod generatio requirat habere
influxum causae materialis terminatum ad eundem effectum
quem influxum non requirit creatio; iam autem influxus ille causae
materialis etiam est finitus.

Proba illum influxum esse finitum: quia non est ratio dicendi
quod ille potius debeat dici infinitus quam influxus causae effi-
cientis; cum ergo et influxus causae efficientis et causae materia-
lis ambo sint finiti, creatio utrumque quodammodo involvens, seu
supplens causae materialis influxum, non debet esse infinita, et
consequenter non est ratio quare requirat virtutem infinitam in suo

principio et sic Deus potuit convertere creaturas.
An per creationem non fiat ens ex non ente? imo.
An ex eo non sequatur quod requiratur infinita virtus ad creandum? non.
Quomodo enim inter ens et non ens sit infinita distantia? nego.
Quanta ergo est distantia inter ens et non ens? tanta quanta est
perfectio istius entis de quo agitur, ut inter hominem et non ens
tanta est distantia quanta est perfectio hominis.
An inter Deum et non ens sit infinita distantia? imo, quia Dei per-
fectio infinita est, omnes autem creaturae solum finite distant a non
ente.
An per generationem ex non ente non fiat etiam ens? R. affirma-
tive.
An eo non obstante non sit possibilis creaturae generatio? R. affir-
mative, ergo quamvis est ex parte istius argumenti etiam est pos-
sibilis creatio creaturis.
An Deus non sit causa universalissima solus? imo.
Quomodo ergo ipsi soli non est possibilis creatio? Cum causae univer-
salissimae debeat correspondere effectus universalissimus? non refert,
quia effectus creationis non est magis universalis quam effectus
generationis.
proba quod non: quia effectus generationis sub se continet multo
plures species quam effectus creationis, quia pauca sunt ea
quae creantur, nempe natura angeli, natura animae rationalis et
natura materiae primae, reliqua autem res creatae generantur quae
sunt quodammodo in numero infinitae.
An creatio ideo sit impossibilis omni creaturae quia debet esse pro-
ductio entis ut ens est? non.
proba illam non recte assignari: quia creatio non potius est productio
entis ut ens est quam generatio.
An creatio ideo non dicatur recte productio entis ut ens est, quia
per illam producitur generalis ratio entis ut sic? non.
proba hoc non recte dici: quia generalis ratio entis abstracta ab in-
ferioribus illa secundum se produci non potest, quia est impossibile
ut producatur universale, nisi simul producatur aliquod singulare.
An per creationem ideo dicatur produci ens ut ens est, quia per illam
producitur ens gratia omnium suorum inferiorum? non, quia
falsum est quod ens gratia omnium suorum inferiorum produ-
catur per creationem, quia ens gratia istius inferioris quod est
Deus non producitur per creationem, quia Deus creari non potest.
An ens gratia omnium inferiorum creatorum producatur per
creationem? non, quia multa inferiora entis producuntur
per generationem, ut sunt omnia accidentia, et formae substan-
tiales exceptâ animâ rationali, quae sunt in maiori numero

quam sunt illae res quae producuntur per creationem. Si
proba aliquo meliori argumento quod creatio sit impossibilis omni
creaturae? quia agentia creata habent aliquam actionem sibi
propriam quae non competit aliis agentibus ergo similiter deus
debet etiam habere aliquam actionem sibi propriam quae non possit
competere creaturis, illa autem actio non potest esse alia quam
creatio.
proba quod res creatae habeant sic aliquam actionem sibi peculiarem
sic plantae habent sibi peculiarem vegetationem sic ut illa non
competat entibus inferioris ordinis ut puta lapidibus, bruta similiter
habent sibi propriam sensationem homines autem ratiocinationem
sic ut illa non competat entibus inferioris ordinis ut puta brutis
plantis etc. ergo idem dicendum est de deo quod habeat aliquam ac=
tionem sic ipsi peculiarem ut non possit convenire creaturis, illa
autem actio non potest esse alia quam creatio.
declara tamen illud argumentum non esse efficax: quia facile
posset responderi quod deus hoc habeat sibi proprium et peculiare
quod possit agere independenter ab omni alio agente, hoc enim nulli
creaturae convenire potest.

Quotupliciter sumitur Causa finalis? dupliciter,
scilicet pro fine formali et pro fine obiectivo.
Quomodo vox finis significat illa univoce an aequivoce?
aequivoce.
Quodnam est famosius analogatum vocis finis finis obiectivus
an formalis? obiectivus, ille enim est aliquid ultimum in certo
ordine, quod magis famose significatur per vocem finis quam fi=
nis formalis qui est potius aliquod principium.
Quid est finis formalis? efficax volitio consequendi rem
aliquam per certa media. ut efficax volitio consequendi doc=
trinam per studia per ambulationem item consequendi sanita=
tem.
Quare talis volitio vocatur finis formalis? quia per modum
formae inhaeret voluntati.
An insit proxime voluntati an tantum remote? utroque modo inest.
declara: quia illa volitio est actio quam voluntas elicit sive
actum efficacem, illa autem actio identificatur realiter unioni
qua actus ille efficax unitur voluntati, iam autem unio illa
proxime subiectatur in utroque extremo nempe in voluntate, et actu
isto efficaci sicut unio inter materiam primam et formam sub=
stantialem proxime subiectatur in materia, et etiam in forma sub=
stantiali et mediante forma substantiali etiam remote in materia.
unde possimus scire an aliqua volitio nostra sit efficax? ex eo
quod res ipsa nos moveat ad adhibendum media, seu ad ponendum

aliquem alium effectum et sic colligimus ex nostra ambulatione quod habeamus actum voluntatis efficacem quo volumus ambulare.

An similiter etiam certo deprehendamus actus voluntatis inefficaces? non, sic enim quando videmus aliquem hominem non possumus scire an aliquem actum odii an vero amoris inefficacem eliciamus circa istum hominem.

An subinde tamen non colligamus etiam in nobis tales actus inefficaces? imo colligimus autem illos ex sensibili alteratione quam in nobis experimur ut v.g. homo iratus contra aliquem ex sua alteratione quam percipit utcunque colligit se malum affectum erga alium.

An differant essentialiter actus voluntatis efficax, et actus voluntatis inefficax? sed de re nihil est certi. Valde probabile est quod non, et quod idem actus modo possit esse efficax modo inefficax.

Declara modum quo hoc potest fieri: quia possunt aliquando habere actum inefficacem non occurrentes idonea media in ordine ad certum effectum obtinendum tunc autem actus ille erit inefficax. si autem post occurrant idonea media tunc poterit fieri efficax v.g. irato homini tamdiu quam non sit modum quo possit nocere inimico potest habere actum voluntatis inefficacem quo noceat inimico. si autem post occurrat aliquis modus quo possit ipsi nocere prior ille actus inefficax fiet efficax.

Quo fundamento defendi potest quod volitio efficax differat essentialiter ab inefficaci? quia verisimile est quod differat essentialiter ex parte modi tendendi sicut hoc etiam solet probabiliter dici de actibus intellectus.

Quomodo se habet finis obiectivus ad finem formalem? tanquam obiectum ad actum qui versatur circa ipsum.

An finis obiectivus sit aliqua res simplex, an vero conflata ex pluribus? conflatur ex pluribus.

Divide ergo finem obiectivum: dividitur in finem cuius, finem cui, et finem quo.

Quid finis cuius? est illa res quam intendimus consequi per certa media. sic sanitas est finis cuius respectu intendentis consequi sanitatem per ambulationem vel per pharmacum.

Quare talis finis vocatur finis cuius? quia est illud gratia cuius obtinendi media adhibentur.

Quid finis cui? est illa res cui intendimus consequi finem cuius. sic v.g. quando petrus intendit sibi consequi sanitatem per ambulationem ipsemet petrus est finis cui.

An ipsemet intendens finem sit semper finis cui? non.
Da casum quo hoc non est: sic quando medicus intendit acquirere sanitatem ægroto. tunc medicus non est finis cui, sed ipsemet ægrotus, quia medicus non intendit sibi acquirere sanitatem per adhibitionem pharmaci sed ægroto.
An etiam res inanimata possit esse finis cui? imo. sic ignis est finis cui quando intendimus ipsi acquirere augmentum per adhibitionem novorum lignorum, et ob eandem rationem etiam bruta bene possunt esse finis cui.
Quid finis Quo? est consecutio qua quis consequitur finem cuius. sic consecutio sanitatis respectu istius qui intendit illam consequi per ambulationem.
An finis quo non sit idem quod finis formalis de quo ante dictum est? non.
Quomodo ergo se habet finis quo ad finem formalem? tanquam obiectum ad suum actum, quia finis formalis seu efficax volitio finis cuius non tantum versatur circa finem secundum se, sed maxime circa eius consecutionem.
Quid a parte debet esse consecutio finis cuius, seu finis quo? debet esse talis coniunctio cum fine cuius ut propter illam aliquis possit dici possidere ipsum finem cuius.
An ergo talis coniunctio non sit semper eadem? non, quia inter se diversæ res diversis modis possidentur, aliquæ enim ut possideantur debent haberi tanquam forma a subiecto, aliquæ debent haberi tanquam obiectum a suo actu, aliquæ debent sic haberi ut in habente sit moralis aliqua potestas ad utendum talibus rebus pro libitu.
Da finem qui debet haberi tanquam forma a subiecto: sic sanitas, item doctrina debent haberi ab illis qui intendunt illa consequi per media ad hoc ut censeantur illa possidere.
Da finem qui ad hoc ut obtineatur debet haberi tanquam obiectum a suo actu: ut deus obtineatur ab homine debet clare cognosci ab homine, unde in clara visione dei consistit possessio ipsius dei, quæ est nostra suprema, et supernaturalis beatitudo.
Da finem qui ad hoc ut obtineatur debet haberi cum potestate morali utendi pro libitu: sic divitiæ quas quis intendit consequi per mercaturam, aut aliam artem, tunc quis censetur esse consecutus ut quando sic illas obtinet ut possit illis uti pro libitu, nisi videlicet quis a natura vel iure impediatur.
Divide aliter finem: finis alius intenditur tanquam efficiendus per media, alius vero solum ut acquirendus.
Da exemplum prioris: sanitas v. g. intenditur ut efficienda per

pharmacum, vel etiam ut efficienda per accidens per ambulationem.
Da finem qui solum intenditur ut acquirendus: sic solent intendi divitiæ.
De quo fine verum est illud axioma posito fine cessant media? de fine acquirendo.
Quis est sensus istius axiomatis, posito fine cessant media? quando finis est obtentus tunc non debent amplius adhiberi media ad illum obtinendum.
Quomodo cum homo consecutus doctrinam adhuc possit studere ut doctrinam conservet? non refert, quia tali casu homo non studet ut acquirat doctrinam primo, sed ut eandem conservet, quæ conservatio tali casu nondum habetur.
De quo fine verum est illud axioma, quod primum est in intentione est ultimum in executione? etiam verum est hoc de fine acquirendo.
Quomodo finis dicitur esse in intentione? tanquam obiectum in suo actu.
Quid executio finis? idem quod obtentio ipsius finis.
Declara quod finis non debeat ultimo esse secundum se? quia aurum v. g. quod quis intendit consequi per mercaturam potest diu extitisse antequam aliquis intenderet consecutionem eius.
Quid executio generaliter? idem quod actio considerata ut imperata est.
An omnis actio non sit aliquo respectu executio? imo.
Divide aliter finem: dividitur in finem actionis et finem rei productæ.
Quid finis actionis? terminus per actionem productus, ut calor est enim finis calefactionis.
An finis actionis recte dicatur finis internus? imo.
An ideo dicatur internus quia interne inexistit actioni? non quia falsum est quod terminus actionis inexistat interne actioni.
Quare ergo terminus actionis dicitur finis internus actionis? quia est aliquid essentialiter respectum per actionem.
Quid finis rei productæ? est usus vel officium quod præstat res producta: inhabitatio respectu domus. ad hoc enim fit domus ut illa inhabitetur.
Divide aliter finem: dividitur in proximum et remotum.
Quid finis proximus? ad quem destinantur media nullo alio fine mediante.

sic calor est finis proximus respectu calefactionis.

Quid finis remotus? est finis ad quem destinantur media mediante alio fine. sic divitiae sunt finis remotus respectu studii supposito quod quis per studium primo intendat acquirere doctrinam, et mediante doctrina ulterius divitias.

Qui fini applicatur illa divisio in proximum et remotum? maxime applicatur fini cuius, potest nihilominus applicari fini cui et fini quo.

Da finem cui proximum? aegrotus qui sibi intendit acquirere sanitatem per pharmacum.

Da finem cui remotum: medicus qui primo aegroto intendit acquirere sanitatem et deinde sibi pecuniam.

Da finem quo proximum? sic consecutio sanitatis est finis quo proximus respectu intendentis consecutionem sanitatis mediante pharmaco, vel ambulatione.

Da finem quo remotum? consecutio divitiarum respectu intendentis consequi doctrinam per studium, et mediante consecutione doctrinae consecutionem divitiarum.

Divide aliter finem: dividitur in finem ultimum et non ultimum.

Quid finis ultimus? est finis qui non destinatur ad alium ulteriorem finem. sic Deus est finis ultimus creaturarum.

Quid finis non ultimus? qui destinatur ad alium ulteriorem finem. ut doctrina respectu studii supposito quod illa ulterius ordinetur ad acquirendum divitias vel ad placendum Deo.

An sint eadem finis remotus et finis ultimus? non.

Quomodo se habent? excedunt se. utrumque est Deus respectu intendentis consequi doctrinam ut placeat Deo.

Da finem ultimum non remotum: Deus respectu amoris Dei.

Da econtra: divitiae respectu intendentis consequi doctrinam per studium et mediante doctrina divitias supposito quod divitiae illae ulterius ordinentur ad placendum Deo.

Quis finis causat per se formalis an obiectivus? obiectivus, ille enim est qui movet voluntatem ad sui prosecutionem.

An ut finis obiectivus finaliter causet requirantur aliquae conditiones? imo.

Da cognitionem requisitam ad causandum finaliter? primo requiritur cognitio ipsius finis, quia causalitas causae finalis est quidam actus voluntatis quo voluntas vult finem, cum autem voluntas non possit ferri in incognitum sequitur quod obiectum in quo voluntas ferri debeat ipsi proponi per cognitionem.

Qualis cognitio requiritur ad causandum finaliter? imperfecta scilicet sensitiva vel intellectiva.

proba non sufficere cognitionem sensitivam finis: quia cum
voluntas sit potentia spiritualis debet habere ductorem seu
directorem qui etiam spiritualis est.

Qualis cognitio debet esse quae requiritur ad causandum finaliter
iudicativa an apprehensiva? videtur quod etiam cognitio apprehensiva
sufficiat quamvis ea de re nihil sit certi.

proba sufficere cognitionem apprehensivam: quia cognitio apprehensiva
bruti qualis canis est cum apprehendit offam tanquam bonam illa sufficit
ut moveat canem ad prosecutionem talis offae, quia canis non
potest habere cognitionem iudicativam, ergo videtur idem dicendum
de homine quod videlicet etiam per cognitionem apprehensivam possit
moveri ad prosecutionem alicuius obiecti.

Declara illud tamen argumentum non esse efficax? quia potest dici
esse magna ratio disparitatis inter hominem et canem, nimirum canis
non potest habere cognitionem iudicativam, et hinc debuit moveri
per cognitionem apprehensivam, aliud est de homine qui capax
est cognitionis iudicativae, unde in illo potuit requiri iudicium
de bonitate aliqua finis ad hoc ut finis obiectivus possit causare
finaliter in esse.

Quale debet esse illud iudicium supposito quod interveniat verum
an falsum? etiam falsum iudicium de bonitate obiecti potest suf-
-ficere et hoc satis patet experientia.

An posita illa cognitione finis statim sequatur causalitas cau-
sae finalis? non.

Quinam ergo actus solent intercedere antequam sequatur causa-
litas causae finalis? aliquis simplex et inefficax amor obiecti,
deinde imperium quo voluntas imperat intellectui ut dispiciat
an expediat talem finem efficaciter intendere, deinde inquisitio
intellectus an hoc expediat, deinde iudicium intellectus quo intellectus
iudicat illud expedire, postea tandem sequitur efficax actus vo-
luntatis quo voluntas efficaciter appetit illum finem.

An omnes illi actus semper interveniant? non, imo quando
homo peccat, tale iudicium quo homo iudicaret expedire abso-
lute excercere actum peccati, tale inquam iudicium esset haereti-
cum, ac proinde omnis peccans deberet censeri haereticus quod
ipsum repugnat principiis fidei, unde sufficit iudicium quo aliquid
iudicatur esse iucundum, quod iudicium etiam de actu peccami-
noso est verum.

An finis obiectivus sit vera et realis causa? non, quia finis
quando finaliter causat saepe non existit, quod autem non existit
vera et realis causa esse non potest.

An saltem quando finis existit tunc debeat esse vera et realis

Causalitas non, quia quando finis existit non debet habere alium influxum quam quando non existit, ac proinde sicut quando non existit non potest vere et realiter influere, ita etiam non potest vere et realiter influere quando existit.

An finis non sit obiectum voluntatis? imo.

An obiectum non debeat influere physice in actum qui versatur circa ipsum? hoc generaliter non esse necesse, quia etiam ens rationis quod est impossibile, adeoque realiter existere non potest, etiam bene potest esse obiectum actus intellectus, ergo videtur etiam dicendum quod obiectum actus voluntatis non debeat physice influere in actum voluntatis.

An unquam obiectum physice influat in actum? imo probabiliter; sic enim calor qui est obiectum tactus physice influit in actum quo tactus percipit ipsum calorem.

In quo consistit causalitas finis formalis? in efficaci imperio quo finis formalis seu efficax intentio imperat adhibitionem mediorum in ordine ad finem obtinendum, an illud imperium sit aliquid reale, an vero aliquid fictitium? potest sumi ut sit aliquid reale, potest etiam sumi ut sit aliquid fictitium.

Quandonam illud imperium erit aliquid reale? quando capitur pro ipsamet fine formali seu intentione finis, tunc enim erit actus voluntatis qui realis entitas est.

Quandonam illud imperium erit aliqua entitas ficta? quando capitur pro actu aliquo intermedio inter intentionem finis et actum imperatum ab illa: frustra enim fingitur talis entitas intermedia.

An cognitio ipsius finis sit principium talis imperii? non, quia saepe cognoscitur finis absque eo quod adhibeantur media opportuna ad consecutionem ipsius finis.

An simplex amor sit principium per se talis imperii? non, quia ut patet experientia talis simplex amor seu velleitas conditionata saepe habetur absque eo quod sequantur alii actus in ordine ad obtinendum finem; sola ergo efficax intentio, qua quis omnibus attentis absolute vult finem, illa est quae efficaciter imperat tum aliis potentiis tum etiam ipsi voluntati, ut ponant illa quae sunt opportuna ad consequendum finem.

An voluntas per suam intentionem efficacem eius efficaciter imperet omnibus aliis potentiis? non, dantur enim aliquae potentiae in homine quibus voluntas nullo modo imperare potest, dantur aliquae quae voluntati obediunt ad nutum et dantur aliquae quae obediunt, sequuntur imperium voluntatis, subinde etiam rebellant contra voluntatem ita ut detrectent sequi imperium eius.

Specifica potentias in homine quae nullo modo obediunt voluntati: gravitas et potentia nutritiva.

Declara de gravitate: qui quando gravitas habet omnia requisita ut causet motum deorsum velit nolit homo cadet deorsum.
Declara similiter de potentiis nutritivis: quia illae potentiae maxime perficiunt suos actus quando homo dormit, tunc autem non datur ullum imperium voluntatis in tales potentias, secundo quantumvis homo vellet hoc vel illo modo nutriri propitendam non nutrietur aliter.
Da potentiam quae obedit voluntati ad nutum? potentiam progressivam ambulamus enim quando et quo volumus, et sequeretur magna confusio pro hominibus si hoc aliter fieret ut si quando nos vellemus ire ad forum nostra potentia progressiva duceret nos ad [illegible].
Cur quam potentiae obediunt voluntati medio modo? phantasia et intellectus, item appetitus sensitivus qui dicitur obedire voluntati politice, hoc est sicut cives obediunt regi, sicut enim illi aliquando faciunt imperata a rege, et aliquando contra illum rebellant ita etiam faciunt potentiae iam dictae in hominibus, quia experientia patet, quia experimur aliquando ferventer et attente orare velle orare deum, et tamen vix dicimus unum pater noster quin iterum distrahamur ad cogitandum de equis et aliis nugis. Similiter motus appetitus sensitivi non semper potest compescere voluntas pro libitu suo stante motu irae, similiter dolorem non possit semper voluntas compescere appetitui, quia obiectum inferens dolorem magis efficax est ad causandum dolorem quam voluntas possit impedire, unde stultum et tyrannicum esset si cogeretur homo ab abstinendum a dolore quando ei manus comburerentur.
An non solet communiter et vere dici, propter nostrum cogitare nihil mutatur in re? imo.
An eadem ratione non possit etiam dici, quod propter nostrum velle nihil mutetur in re? imo.
Quomodo ergo nos dicimus quod propter nostram volitionem efficacem tam multa mutentur in rebus? quando dicitur quod propter nostrum cogitare aut velle nihil mutetur in rebus hoc verum est hoc sensu, quia per actus intellectus aut voluntatis nihil physice ponitur extra illas potentias, cum eo tamen consistit quod voluntas per suam volitionem efficacem imperet actus aliarum potentiarum.
An voluntas non imperet illos actus physice illos efficiendo? Hoc quidem aliqui dixerunt sed minus recte, quia nulla est necessitas agnoscendi physicum illum influxum actuum voluntatis in actus aliarum potentiarum.
Dic ergo modum alium quo voluntas possit efficaciter imperare illos actus: ad hoc ut illos efficaciter imperet, satis est quod

determinet ipsam animam rationalem, sut ipsa mediantibus alijs
potentijs ponat actus quos voluntas poni desiderat: Ergo deter-
minatio fit hoc modo: anima per actus voluntatis determinat
se ipsam ut cum alijs potentijs ponat actus quos voluntas poni
desiderat.

An finis formalis seu efficax volitio finis propriè finaliter
causet? non, sed magis propriè causet finaliter finis obiectiuus.
proba finem formalem non tam propriè causare finaliter: quia finis
formalis non est qui moueret voluntatem ut ponat media ad obti-
nendum finem formalem quia finis formalis habetur antequam
media adhibeantur, causa autem finalis propriè dicta debet volun-
tatem mouere ut ponat media in ordine ad finem obtinendum.

Secundum quod esse causat finis an secundum esse intentionale
an vero secundum esse obiectiuum? potest aliquo modo vere dici
quod causet secundum esse reale seu obiectiuum et etiam potest
aliquo sensu vere dici quod causet secundum esse intentionale et
hinc facile considerari possunt diuersae sententiae doctorum quorum
aliqui dicunt quod finis causet secundum esse intentionale, alij negant et
finem causare secundum suum esse reale siue obiectiuum.

Quotuplex esse intentionale finis? duplex, quia aliquando acci-
pitur pro ipsamet intentione seu efficaci volitione ipsius finis
alias autem accipitur esse intentionale finis pro fine obiec-
tiuo considerato secundum ea quae cognoscuntur in ipso fine obiec-
tiuo.

De quo esse intentionali est verum quod finis causet secun-
dum esse intentionale? est verum de esse intentionali consi-
derato posteriori modo, non autem de esse intentionali conside-
rato priori modo, quia esse intentionale finis est ipsa in-
tentio seu efficax volitio finis, iam autem ante probatum
est quod intentio illa non causet propriè finaliter, quia quod
propriè finaliter causat, debet mouere voluntatem ut ponat
media in ordine ad acquirendum finem qui nondum habetur,
iam autem finis formalis seu esse intentionale finis sumptum
pro fine formali semper habetur antequam voluntas ponat
media in ordine ad finem obtinendum.

Declara nihilominus quod finis causet secundum esse inten-
tionale posteriori modo consideratum: quia finis obiectiuus
non causat finaliter secundum id quod habet a parte rei, sed
secundum illud quod intellectus in ipso cognoscit, unde si
intellectus in ipso cognoscat bonitatem siue hoc sit verum
siue falsum finis ille obiectiuus poterit finaliter causare
ubi tamen sic causare non posset si finis ille reuera ha-
beret suam bonitatem, intellectus autem hoc nesciret.

Distingue similiter duplex esse reale seu obiectiuum finis.
quia esse reale, seu obiectiuum finis aliquando accipitur pro
illo esse quod finis obiectiuus habet a parte rei, aliquando vero
accipitur pro illo esse quod intellectus in ipso cognoscit.
De quo esse reali est verum quod finis causet secundum
illud? de esse obiectiuo seu reali considerato posteriori modo
non autem de esse obiectiuo considerato priori modo.
Declara quod hoc sit verum de fine obiectiuo posteriori modo
considerato: quia ut ante dictum est finis causat secundum
illud quod intellectus in ipso cognoscit siue sit verum siue
falsum, unde esse obiectiuum seu reale finis coincidit cum
esse intentionali finis, quod ante diximus finaliter causare
Declara quod finis non causet secundum suum esse reale
priori modo: quia ut etiam ante dictum est finis non causat
secundum esse illud quod habet a parte rei, quia si a parte
rei finis esset optimus putaretur autem esse malus non
posset finaliter causare.
An causa finalis possit diuidi sicut causa efficiens? imo
potest enim diuidi in causam finalem per se et per
accidens, in totalem et partialem, in instrumentalem et
principalem, in univocam, et aequiuocam, in primam et
secundam repetendo scilicet diuisionem in membris diuiden-
tibus.
Quomodo potest hic habere locum diuisio in causam per se
et per accidens cum omnis causa finalis sit tantum cau-
sa per accidens? aliquo sensu omnis causa finalis est
tantum causa per accidens, aliquo sensu autem potest
causa finalis aliqua dici causa per se.
Quo sensu verum est quod omnis causa finalis sit causa
per accidens? hoc sensu, quia a nulla causa finali fi-
naliter causante physice et realiter egreditur causalitas
causae finalis ut probatum est ante de utroque fine, vide-
licet de fine formali et de obiectiuo.
Quo sensu nihilominus potest dici aliqua causa finalis
causa per se? hoc sensu quia causat finaliter non median-
te aliquo suo accidente, et sic bonitas finis eo modo causat
finaliter per se, res autem cui talis bonitas accidentaliter
competit causat finaliter tanquam causa finalis per acciden-

Quid effectus causae finalis? effectus dependens a causa
finali habens rationem causae respectu eius.
Quinam effectus causantur finaliter a causa finali? varii
imprimis inventio mediorum, consultatio de mediis inqui-
sitio mediorum electio medii, et eiusdem adhibitio obtenti.

finis, gaudium de fine obtento.
An non interveniant plures actus quando finis causat? imo quia debet intervenire cognitio finis et bonitatis eius.
An praedicti actus semper interveniant quando finis finaliter causat? non, quia interdum contingit unicum tantum esse medium idoneum, et illud sufficienter esse notum, tunc autem non est opus inquisitione mediorum, nec consultatio de illis.
An quando actus illi interveniunt sint effectus causae finalis? non.
proba illos posse intervenire absque eo quod sint tales effectus: quia isti actus inquisitio mediorum, inventio eorundem et consultatio de iisdem subinde praecedit ipsam intentionem efficacem finis, tali autem casu non sunt effectus causae finalis, quia effectus causae non potest praecedere ipsam causalitatem per quam causatur, iam autem causalitas causae finalis est ipsamet efficax intentio finis, ergo actus qui praecedunt istam intentionem non sunt effectus causae finalis.
proba illos actus interdum praecedere ipsam efficacem intentionem finis: quia ita ordinarie contingit in hominibus qui prudenter deliberant de rebus magni momenti.
Quid inquisitio mediorum? est aggregatum ex variis actibus intellectus tendentibus ad hoc ut sciri possit quaenam media sint opportuna in ordine ad finem obtinendum.
An ipsamet non sint obiectum inquisitionis mediorum? non quia subinde quaeruntur media et non inveniuntur.
Quidnam debet esse obiectum inquisitionis mediorum? hoc non potest generaliter determinari, sed debet prudentis arbitrio relinqui, subinde illa inquisitio fit petendo auxilium et informationem ab aliis viris prudentibus, subinde examinatur quomodo alii in causa simili processerint, subinde aliter prout ferunt diversae circumstantiae.
Quomodo se habet inquisitio mediorum ad inventionem mediorum? tanquam effectus ad suam causam finalem, ideo enim media quaeruntur ut inveniantur.
Quid inventio mediorum? est prima cognitio mediorum.
Quomodo cum is qui invenit media potuerit illa prius antea cognovisse? est verum, quia potest fieri quod illa aliquando cognoverit, et postea sit oblitus, tunc autem etiam dicitur illa invenire sicut dicimur invenire cultrum quem ante perdidimus, licet illum ante satis cognoverimus.
Quomodo ergo inventio mediorum dicitur esse prima cognitio mediorum? hoc non debet intelligi de prima absolute, sed vel debet esse prima absolute, vel secunda seu ulterior praesupponens quidem aliquam priorem eiusdem obiecti, sic ut illa virtualiter non amplius permaneat.

Quando non censetur amplius virtualiter permanere? quando quis est oblitus istius, ita ut non possit hic et nunc iterum reminisci nisi adhibita inquisitione.

Quid est consultatio de medijs? etiam est aggregatum ex varijs actibus intellectus tendentibus ad hoc ut sciri possit quaenam media sint hic et nunc magis opportuna ad obtinendum finem.

An media sint obiectum consultationis? imo. de illis enim maxime deliberandum est ~~[illegible]~~

Quaenam ex illis sint magis opportuna ad finem obtinendum.

Cuius potentiae actus est consultatio de medijs? actus intellectus sicut etiam inquisitio mediorum, et inventio eorundem.

Cuius potentiae actus est electio medij? est actus voluntatis.

Defini electionem medij. est volitio qua voluntas ex pluribus medijs per intellectum propositis acceptat unum ex illis reliquis neglectis.

An talis electio semper interveniat quando aliquid causat finaliter? non.

Proba non debere semper intervenire: quia contingit interdum esse unicum tantum medium inventum tanquam opportunum in ordine ad obtinendum finem, tunc autem non potest habere locum proprie dicta electio a nobis ante definita, quia proprie dicta electio manifeste praesupponit fuisse plura media inventa.

An electio medij sit necessaria supposito quod unicum medium sit inventum? non, quia voluntas poterit abrumpere intentionem finis, et sic poterit non sequi acceptatio unius istius medij quod inventum est esse conveniens in ordine ad finem obtinendum.

Quis effectus sequitur post factam electionem medij? tunc sequitur executio, seu adhibitio ipsius medij in ordine ad obtinendum finem.

Cuius potentiae actus est illa executio? potest pertinere ad varias potentias, subinde ad intellectum, aliquando ad ipsam voluntatem, aliquando etiam ad potentiam loco motivam.

An sint eadem effectus causae finalis et medium? non

Quid ergo medium? medium est quod praesupposita electione adhibetur tanquam utile ad obtinendum finem.

Da effectum causae finalis qui non est medium: ipsa met electio medij et effectus causae finalis qui electionem medij praecedunt, ut sunt saltem aliquando inquisitio mediorum, inventio eorundem, et consultatio de ipsis.

An econtra aliquid possit esse medium, et non effectus causae finalis? imo. tale est malleus aut securis ~~[illegible]~~ prius facta ad alium finem, nunc autem adhibentur ad aedificandam domum.

Quomodo ergo se habent effectus causæ finalis et medium?
expedivit se.
An omni agenti conveniat agere ob finem? non
Quid agere ob finem? est agere ex intentione finis in=
trinseca ipsi agenti.
Quare dicitur intrinseca ipsi agenti? quia alias quælibet crea=
tura posset agere ob finem, quia quælibet creatura agit ex in=
tentione intrinseca Deo.
Quibus creaturis convenit agere ob finem proprie? angelis et
hominibus et etiam animabus rationalibus separatis quæ reducun=
tur ad homines.
An lapidibus et lignis non conveniat agere ob finem? non.
proba illis non convenire agere ob finem? quia illa non ha=
bent ullam cognitionem neque præsupponunt cognitionem intrin=
secam sibi vel in eodem subiecto per quam dirigantur, hoc au=
tem requiritur ut aliquid agat ex intentione finis sibi intrinseca.
proba hoc requiri ut aliquid agat ex intentione finis sibi in=
trinseca: quia intentio finis proprie dicta debet esse actus
voluntatis voluntas autem non potest ferri in incognitum
ergo obiectum voluntatis debet prius fuisse ipsi propositum per
aliquam potentiam cognitivam in eodem subiecto, ergo requiritur
cognitio in isto agente quod agit ob finem.
An omnia agentia cognitiva agant ob finem? non.
Quænam non agunt? bruta.
An hirundo ædificans non agit ob finem? dicimus quod non, et
idem est de cane currente ad ostiam.
Quare canis sic currens ad ostiam non tam bene agit ob finem
quam homo vadens ad prandium? quia homo tunc agit ex in=
tentione proprie dicta sibi intrinseca, canis autem non.
Quare minus canis quam homo? quia intentio proprie dicta de=
bet esse actus voluntatis.
Quare non sufficit quod sit actus appetitus sensitivi qui etiam
habet locum in cane? quia intentio proprie dicta necessario præ=
supponit aliquam spiritualem cognitionem in eodem subiecto,
actus appe=
titus autem spiritualem cognitionem non supponit actus appe=
titus sensitivi, quia in bruto bene potest dari actus appeti=
tus sensitivi in bruto tamen non potest dari ulla spiritualis cog=
nitio.
Quare requiritur aliqua spiritualis cognitio in eo quod agit ob
finem proprie? quia per illam cognitionem debet aliquid cognosci
quod per cognitionem materialem cognosci non potest.
Quidnam est illud? proportio quam habent media in ordine
ad finem obtinendum.
Quare illa proportio non potest cognosci per cognitionem materia=
lem? quia cognitio materialis tantum versatur circa sensibilia

iam autem illa proportio sensibilis non est.
An ergo hirundo non praecognoscat quaenam materia sit apta ad
aedificandum et quae non? quomodo hirundo et reliqua bruta in si-
milibus negotijs procedant difficile est nobis exacte scire, quia bru-
ta nos docere non possunt illum suum modum agendi. Videtur
autem difficile dicere quod bruta vnant ad suas actiones sicut
vnus lapis qui cadit deorsum, ex alia autem parte communis
sententia fuerit illa non barbaris ob finem ob rationem ante a nobis
datam.
An omnia agentia quae agunt ob finem agant eodem modo
ob finem? non, quia aliter agit Deus ob finem, aliter vero
agunt ob finem angeli, quia Deus quamlibet suam actionem
facit ob finem, angeli autem et homines non.
Quare Deus elicit omnem suam actionem ob finem? quia Deus
perfectissime operatur, omnia nimirum agit propter se met ipsum
tanquam ob finem.
Quas actiones efficiunt angeli non ob finem? natura angeli pro-
ducit suam subsistentiam non ob finem, item suas potentias
intellectum, voluntatem et potentiam loco motivam supposito
quod sint accidentia realiter distincta.
Quare hoc debet praesupponi? quia si non sint accidentia rea-
liter distincta tunc non producuntur vera et reali actione a
natura angeli, quia idem se ipsum non producit.
Vnde probas quod natura angeli non producat suas potentias ob
finem? quia intentio finis est actus voluntatis, qui actus vo-
luntatis praesupponit et voluntatem, et caeteras potentias esse
productas, iam autem id quod fit ob finem praesupponit ipsam in-
tentionem finis, adeoque debet esse posterius ipsa intentione.
An ergo non omnes actus intellectus et voluntatis sint ob
finem in angelo? non.
Da actum intellectus in angelo quem angelus non elicit ob
finem: prima cognitio angeli.
Quare angelus primam suam cognitionem non elicit ob finem?
quia prima cognitio angeli necessario est prior ipsamet intentione
seu actu voluntatis quo voluntas appetit finem, quandoquidem voluntas non possit ferri in
incognitum, iam autem id quod ab aliqua causa fit ob finem
debet esse posterius ipsa met intentione finis.
An homines agant omnia opera sua ob finem? non.
An homines habeant plura opera quam angeli quae non agunt
ob finem? imo. talia sunt casus deorsum, nutritio, et similia.
proba illa non fieri ab homine ex intentione finis? quia illa fiunt
independenter ab omni intentione humana, vnde licet homo vellet
non cadere deorsum eo minus non cadet, similiter homo perfectissime
nutritur tempore somni, tunc autem non habet vllam intentionem

Similiter quando homo subito dolet ex aliquo vulnere, ille dolor non fit ab homine ex intentione finis.

An eadem actio modo possit esse ob finem, modo non? imo.

An hoc habeat locum in quolibet agente ob finem? non, in quo agente ob finem hoc non habet locum? in Deo, quia Deus quamlibet actionem suam, et semper producit ob finem.

In quo ergo agente habet locum actio quae modo est ob finem, modo non? maxime habet talis actio locum in homine.

Ostende quomodo eadem actio modo possit esse ob finem, modo non respectu hominis? sic intellectio non fit iam ob finem ab homine, posset tamen fieri ob finem si potentia intellectiva inciperet subesse imperio voluntatis sicut eodem imperio modo subiacet potentia progressiva.

An in angelo possit habere locum talis actio? imo, licet non tam frequenter quam in homine.

Dic modum quo etiam in angelo possit habere locum talis actio? sic ut illuminatio aliqua angeli inferioris potest primo fieri in angelo ab aliquo superiori, sic ut non sit tunc ob finem ab isto angelo qui illuminatur, potest tamen ille angelus qui illuminatur illam illuminationem libere continuare.

An illa vox exemplar sit univoca an aequivoca? est aequivoca quia aequivoce significat exemplar formale et exemplar obiectivum.

Quid exemplar formale? est conceptus qui determinat agens rationale ad productionem sui obiecti vel similis ex intentione eius. Ut conceptus quo faber concipit aliquam domum sic ut per talem conceptum determinetur ad illam ipsam domum vel similem producendam.

Quid exemplar obiectivum? est entitas illa quam agens rationale intuetur, sic ut ex eius intuitu determinetur ad illud ipsum vel simile producendum.

Quomodo se habet exemplar obiectivum ad exemplar formale? tanquam obiectum ad suum actum.

An eadem res possit esse exemplar formale et obiectivum? imo da eandem talem rem: tale est omne exemplar formale creatum, quia est exemplar obiectivum si comparetur ad Deum.

Da exemplar formale quod non est obiectivum, dubium est an ullum tale detur.

De quo exemplari formali maxime dubium est an detur an non tale quod non sit obiectivum? R. de exemplari formali divino.

Quo fundamento dicitur quod illud non sit exemplar obiectivum ullo respectu? quia nihil potest produci simile conceptui divino.

Quo fundamento nihilominus potest sustineri oppositum? dicendo quod verum quidem sit quod non possit dari conceptus creatus

formaliter similis conceptui divino, potest tamen dari aliquis
virtualiter saltem similis, hoc autem dici potest sufficere ad exem-
plar obiectivum.
Da exemplar obiectivum quod non est formale: domus, lapis etc.
Quare non sunt exemplar formale ullo respectu? quia non sunt
conceptus, solus autem conceptus est exemplar formale.
An omnis conceptus sit aliquo respectu exemplar formale? non. ut quilibet
conceptus sensitivus, quia exemplar formale debet esse conceptus
intellectivus ut postea latius dicetur.
An omnis conceptus intellectivus sit exemplar formale? non.
Da conceptum talem: talis est conceptus intellectivus pure
speculativus ut conceptus intellectivus de Deo formatus ab
homine.
Quare talis conceptus intellectivus non potest esse exemplar
formale? quia debet determinare agens rationale ad producendum
obiectum eius, vel saltem aliquid simile obiecto, iam autem
nequaquam Deus produci potest, neque aliquid simile Deo.
An conceptus intellectivus quem homo format de creatura sit
semper exemplar formale? non, ut conceptus quem format
homo de angelo, quia homo neque potest producere angelum neque
quidquam simile angelo.
An conceptus cuiuslibet hominis de domo sit exemplar formale?
non, quia quilibet homo non potest aedificare domum ad instar
illius quam concipit, conceptus autem qui est exemplar forma-
le sic debet repraesentare aliquod obiectum operabile, ut ipsemet
qui format exemplar formale possit illud idem obiectum, vel
saltem aliquod simile producere.
An quaelibet res possit esse exemplar obiectivum? non. ut ens ra-
tionis, quia nequaquam ipsum ens rationis potest produci, neque aliquid
simile enti rationis.
An quodlibet ens reale sit exemplar obiectivum? non. ut Deus, quia
neque ipse Deus causari potest, neque quidquam simile Deo.
Qua ratione aliqui sustinent oppositum? quia dicunt sufficere quod
possit produci aliquid virtualiter saltem simile Deo.
An omnis creatura sit exemplar obiectivum? imo. nimirum respectu
Dei, Deus enim potest quamlibet creaturam producere ex intuitu
ipsiusmet creaturae.
An omnia agentia utantur causa exemplari? non.
Quaenam agentia utuntur causa exemplari et quae non? agentia ra-
tionalia ut sunt Deus, angeli, et homines utuntur causa exemplari,
non autem agentia irrationalia ut sunt bruta, multo minus la-
pides aut ligna, quia in lapidibus et lignis non datur ulla cognitio.
An hirundo fabricans suum nidum non agat iuxta exemplar?

non.

Quare minus quam faber fabricans aliquam domum pro homine? quia exemplar formale debet esse conceptus intellectivus, qui datur in fabro, non autem in hirundine.

Unde probas exemplar formale debere esse conceptum intellectivum? quia debet repraesentare aliquam identitatem vel similitudinem inter suum obiectivum et effectum producendum, illa autem identitas nec similitudo potest repraesentari per alium conceptum quam intellectivum.

Quare non potest repraesentari per conceptum sensitivum? quia conceptus sensitivus non potest repraesentare nisi sensibilia, iam autem identitas, item similitudo, non sunt sensibilia.

An Deus, angeli et homines agant eodem modo iuxta exemplar? non, quia Deus quemlibet suum effectum producit iuxta exemplar, non autem angeli et homines.

Quos effectus producit angelus non iuxta exemplar? suas potentias intellectum, voluntatem, et potentias loco motivas.

Quare angelus non producit illa iuxta exemplar? quia angelus producit illa antequam habeat ullam cognitionem.

An homo non habeat plures effectus quos producit sine exemplari quam angelus? imo, quia homo producit easdem potentias quas producit angelus sine exemplari, et insuper potentias nutritivas, gravitatem, item actus potentiae nutritivae, et actus gravitatis sine exemplari, quia illae potentiae operantur independenter ab omni cognitione.

An ut agens agat iuxta exemplar debeat agere libere? non est necesse, quia etiamdum agens agit necessario potest agere iuxta exemplar.

Da agens necessario quod agit iuxta exemplar: sic v.g. stultus aliquis supposito quod sciat artem pingendi poterit iuxta exemplar a se formatum pingere aliquam picturam, idque necessario.

Quare ergo etiam bruta non possunt agere iuxta exemplar? quia non possunt repraesentare sibi aliquid insensibile, hoc autem requiritur ut aliquid agat iuxta exemplar.

An requiratur aliqua convenientia inter exemplar obiectivum et effectum? imo.

Quanta debet esse illa convenientia? vel debet esse omnimoda identitas vel saltem similitudo physica et moralis.

Quodnam agens producit eundem effectum cum exemplari obiectivo? Deus et ille solus, quia Deus ex intuitu individui effectus determinat se ipsum ad illud idem individuum producendum.

An ergo secundum hoc quaelibet res creata sit causa exemplaris sui ipsius? imo.

Proba angelum et hominem non agere simili modo sicut Deus iuxta exemplar? quia homo et angelus non producunt effectum eundem numero cum exemplari obiectivo, quia homo et angelus non distinguunt inter

individua eiusdem speciei et sic non possunt esse determinare ad producendum praecise idem numero individuum quod prius conceperunt.
Unde ergo provenit quod potius producant hoc individuum quam istud? ex determinatione causae primae.
Quomodo vero dictum est quod homines non distinguant unum individuum ab alio cum bene distinguant Petrum a Paulo? distinguunt illa individua per suorum accidentium.
An inter exemplar obiectivum creaturis, et effectum requiratur similitudo rigorosa? non.
probatur quia quando architectus concipit aliquam domum ut ad instar istius aedificet unam aliam non est rigorosa similitudo nec identitas inter domum antiquam et domum novam, quia illa domus nova et antiqua differunt ex parte figurae, figurae autem illae cum sint puri modi diversorum subiectorum necessario specie rigorosa differunt.
An exemplar obiectivum quod agens rationale intuetur debeat esse actu existens in rerum natura? non, quia artifex potest sibi fingere unam domum, quam nunquam a se visam, et ad instar istius fabricare unam novam.
An pictor volens depingere Petrum subinde non aberret a scopo? imo quia contingit aliquando quod subinde potius pingat Paulum quam Petrum.
Quomodo ergo requiritur tanta similitudo inter exemplar obiectivum et effectum? in tali casu quando pictor sic errat, pictor habet varia exemplaria formalia, et etiam obiectiva. primo ergo volens depingere Petrum videt et concipit Petrum, sed non perseverat sub illo conceptu Petri, sed inter pingendum mutat conceptum Petri, et format conceptum Pauli et sic consequenter depingit Paulum et non Petrum.
An non possit hoc etiam contingere retento eodem conceptu Petri? non ita praecise iuxta illum conceptum operetur, sed facile fieri potest ut non operetur iuxta illum conceptum, quia potentia loco motiva quae est in manu non semper exacte obedit homini.
Quid agere iuxta exemplar? est agens rationale ex intuitu exemplaris obiectivi determinare se ad illud ipsum vel simile producendum.
Quomodo exemplar determinat agens quoad speciem an quoad exercitium? solum quoad speciem, non autem quoad exercitium.
Declara quod non quoad exercitium: quia posito quod faber intueatur aliquod exemplar obiectivum manet equidem postea liber ut aedificet iuxta illud, et etiam ut non aedificet.
Declara nihilominus quod exemplar determinet agens quoad speciem, quia stante exemplari non potest agens facere effectum oppositum illi qui repraesentatur per exemplar formale.

Utrum exemplar causat exemplariter formale an obiectivum? utrumque, magis tamen proprie exemplar obiectivum quam exemplar formale, quia causa exemplaris est illa ad cuius instar aliud fit, iam autem effectus causae exemplaris magis fit ad instar exemplaris obiectivi, quam ad instar exempla

ris formalis quia domus v.g. quae aedificatur ab artifice magis simi- 80
lis est alteri domui quam preconcepit artifex quam exemplari for-
mali seu isti domui quam preconcepit artifex.

Declara ulterius: quia domus quae aedificatur est eiusdem speciei saltem physice et moralis cum illa domo quam preconcepit artifex, differt autem illa domus quae aedificatur toto genere ab exemplari formali seu conceptu quo concipitur ipsa domus, quia exemplar illud formale est aliqua qualitas intellectus.

An ad hoc ut exemplar obiectivum exemplariter causet requirantur aliquae conditiones? imo talis est cognitio qua cognoscatur ipsum exemplar obiectivum. non enim potest exemplar obiectivum movere agens ad causandum nisi mediante sui cognitione.

An similiter exemplar formale ut exemplariter causet debeat ipsum reflexe cognosci? non

Quaenam cognitio vocatur reflexa? illa qua potentia cognitiva cognoscit se ipsam vel aliquid sibi intrinsecum vel saltem aliquid resultans ad cognitionem.

Da cognitionem reflexam: cognitio qua intellectus cognoscit se ipsum, item cognitio qua intellectus per unam suam cognitionem cognoscit aliam suam cognitionem.

Proba non esse necessariam talem cognitionem reflexam exemplaris formalis ad causandum exemplariter: hoc sufficienter probatur experientia, quia licet artifex bene experiatur quod concipiat v.g. domum ad cuius instar fabricat aliam, non experitur tamen artifex se habere aliquem conceptum quo concipiat suum conceptum sive exemplar formale.

An nos saepe non habeamus multos conceptus quorum postea non recordamur? imo, et hoc satis experientia patet, nemo enim nostrum est qui vespere posset dicere omnes conceptus quos habuit toto die, imo nequidem illos quos habuit ultima hora.

Quomodo ergo recte probatur experientia a nobis allata de architecto quod exemplar formale non debeat reflexe cognosci ad hoc ut causet exemplariter? quia licet plerumque obliviscamur conceptuum nostrorum quando transierunt ad aliquod tempus, possumus tamen ordinarie saltem illos sufficienter deprehendere immediate postquam transierunt, iam autem nequidem tunc architectus deprehendit in se illam cognitionem reflexam qua cognoscat ipsum suum exemplar formale. postea si tunc architectus non deprehendat illam reflexam cognitionem non habet ullum fundamentum ex quo possit colligere se talem cognitionem reflexam habuisse.

Quid effectus causae exemplaris? est effectus qui fit a causa exemplari exemplariter causante. alii dicunt est effectus qui fit mediante exemplarisatione tanquam propria causalitate, qui etiam consequenter sic breviter definiunt causam exemplarem, est quae causat exemplarisatione tanquam propria causalitate.

Quid exemplarisatio? idem quod directio qua exemplar dirigit agens rationale ad producendum ipsum exemplar obiectivum, vel saltem aliquid

sibi simile. dirigit autem ut dictum est, determinando agens rationale quoad speciem, non autem determinando illud quoad exercitium.
Da aliquid quod non est effectus causae exemplaris? Deus ipsemet sub rationis quia nullius respecti sunt effectus.
Da effectum qui nullo respectu est effectus causae exemplaris? non potest dari, quia quilibet effectus est exemplar obiectivum sui ipsius, Deus enim ex intuitu individui effectus determinatur ad producendum illud idem numero individuum.
Quomodo cum debeat esse distinctio realis inter causam et effectum? hoc quidem est verum agendo de causa reali et physica, sed causa exemplaris non est vera et physica causa ut post latius dicetur.
An requiratur realis distinctio inter exemplar formale et obiectivum? non.
Quomodo cum exemplar obiectivum debeat esse obiectum exemplaris formalis? est verum sed non refert.
Quomodo non cum obiectum debeat realiter distingui ab actu qui versatur circa ipsum? nego quod hoc sit generaliter necessarium.
Da conceptum qui habet se ipsum pro obiecto? conceptus divinus quo deus concipit omnes res, si enim concipiat omnes res ergo etiam conceptum divinum, et consequenter conceptus divinus habet se ipsum pro obiecto saltem inadaequato.
An conceptus possit etiam se habere pro obiecto adaequato? imo, quia hoc probatur eodem exemplo conceptus divini, conceptus enim divinus quo deus concipit omnes res est virtualiter multiplex, quia possunt in ipso assignari tot partes quasi virtuales quot sunt eius obiecta, ergo poterit etiam assignari pars virtualis istius conceptus quae habeat se ipsam pro obiecto adaequato.
Qualis ergo distinctio tantum debet intervenire inter ~~obiectum~~ conceptum et eius obiectum? tantum distinctio officii.

An causa exemplaris vere et physice causet effectum? non.
Quomodo cum causet effectum per veram et physicam causalitatem? non refert.
proba quod causet per veram et physicam causalitatem: quia causat per causalitatem causae efficientis, quae vera et physica causalitas est.
Quomodo ergo dicitur quod causa exemplaris non sit vera et physica causa? quia causalitas illa physica per quam causat non egreditur vere et physice a causa exemplari, quia neque egreditur vere et physice ab exemplari obiectivo neque etiam ab exemplari formali, quia exemplar obiectivum subinde est idem cum effectu seu exemplato, vera autem et physica causa debet esse realiter distincta ab effectu.
An saltem tunc sit vera et physica causa quando realiter ab effectu distinguitur? non.
proba me quidem esse veram et physicam causam? quia tunc non debet aliter influere in effectum quam influat tunc quando non distinguitur realiter.

proba similiter quod exemplar formale non sit vera et physica
causa? quia exemplar formale est quidam conceptus intellectivus qui
nihil potest agere, vel si aliquid agat, nihil tamen physice producit
extra intellectum.
An exemplar formale saltem tunc sit vera et physica causa quan-
do effectus est in ipso intellectu? non, quia tunc etiam non debet ali-
ter influere tanquam exemplar formale quam influat tunc quando
effectus est extra intellectum.
Ad quod genus causae ex quatuor famosis reducitur causa exempla-
ris? ad causam finalem cui maiorem convenientiam habet cum
illa. [illegible]
An plura genera causarum concurrant ad eundem effectum?
imo.
An ad quemlibet effectum concurrant aeque multa genera causa-
rum? non.
Quot genera causarum debent ad omnem effectum concurrere?
tria, nempe causa efficiens, finalis et exemplaris.
Da effectum ad quem concurrunt plura genera causarum quam
ista tria: homo, spiritum.
Quae genera causarum concurrunt insuper ad hominem, et bru-
tum? causa materialis et formalis.
Da effectum ad quem concurrunt tantum tria genera causarum?
indivisibilis albedo posita extra omne subiectum.
Quare non etiam albedo integraliter composita? quia licet illa non
habeat directe causam materialem aut formalem habet tamen
partes integrales quae reducuntur ad causam materialem.
Quot causas realiter distinctas habet indivisibilis albedo posita
extra omne subiectum? tantum duas nempe deus et ipsa met albedo,
deus enim est causa efficiens, et finalis albedinis, ipsa met autem
albedo est causa exemplaris sui ipsius, uti ante dictum fuit, quia
quaelibet res creata est exemplar obiectivum sui ipsius.
An quando plura genera causarum concurrunt ad eundem effe-
ctum unus generis causae prius tempore concurrat ad eundem
effectum? non, quia effectus non potest existere prius tempore
quam concurrant ad ipsum omnes causae sibi necessariae, agimus
autem de causis necessariis primo producentibus effectum.
An unum genus causae concurrat natura prius quam alterum
ad eundem effectum? non, agendo de actuali concursu, quia effectus
non potest prius natura existere per unam causam quam per
alteram, quia cum causalitas sit prius modus effectus non potest
causalitas existere nisi effectus existat, si autem effectus existat
debent existere omnes causalitates necessariae per quas effectus
debet existere.
An ergo causa finalis non prius causet quam reliquae causae? non.
Quomodo ergo solet ordinarie dici quod finis sit primum in inten-
tione? ~~[illegible]~~ per hoc solum intentio finis dicitur debere esse prior

respectu electionis mediorum, aliorumque effectuum qui sequuntur ad electionem mediorum; non autem quod finis actu conveniat
quia prius quam reliquae causae
quia quandocumque aliqua causa actu convenit ad effectum per se, effectus debet esse; si autem effectus sit etiam omnis causalitatis necessario, per quas debet effectus existere, etiam debent esse.

An quando unus effectus est productus non possit postea accedere alia causa conservans? imo, unde resolutio nostra ante data intelligitur de causis primo causantibus.

An plures causae possint se mutuo causare? imo aliquae causae possunt se mutuo causare eiusdem generis, an diversi? aliquae causae eiusdem generis possunt se mutuo causare, et etiam aliquae diversi generis.

Quomodo possunt illae se mutuo causare per se, an tantum per accidens? non tantum per accidens, sed etiam per se.

In quo eodem genere causae possunt duae causae se mutuo causare per se? in genere causae finalis, efficientis et exemplaris.

Da duas causas finales causantes se mutuo finaliter? materia prima, et forma substantialis.

Quomodo cum una sit causa materialis alterius, et altera formalis? non refert.

Quomodo enim ex eo sequitur quod causent se mutuo in diverso genere causae? non refert, quia bene possunt aliqua causare se mutuo in aliquo diverso genere causae, et insuper in aliquo eodem genere causae.

Declara quod materia prima et forma substantialis causent se mutuo in genere causae finalis? quia et forma substantialis est propter materiam, et materia vicissim est propter formam substantialem tanquam suum finem.

Quomodo possunt duae causae efficientes possint se mutuo causare supernaturaliter an vero naturaliter? in primis supernaturaliter, de eo enim nullum dubium est quin hoc possit fieri per deum.

Declara quod hoc etiam possit fieri naturaliter: quia sic de facto efficiunt se mutuo gratia partis compositum ex anima rationali et intellectu, et compositum ex anima rationali et voluntate, compositum enim ex anima et intellectu gratia animae efficit compositum ex anima et voluntate, et econtra compositum ex anima et voluntate efficit compositum ex anima et intellectu, quia efficit intellectum, illiusque unitas animae, ergo debet dici efficere compositum ex anima et intellectu.

An duae causae efficientes condistinctae possint etiam causare se mutuo? imo per deum, quia deus facere potest ut hic ignis producat alium ignem, et postea alius ignis reproducat illum ignem a quo prius productus est, imo non potest evidenti ratione naturali ostendi hoc de facto ita non contingere.

An non possit naturaliter contingere ut duae causae efficientes causent

se mutuo? imo aliud modus quo hoc naturaliter fieri potest, si causa efficiat aliquem effectum, et post ab illo effectu conservetur, ut calor potest aliquem valorem producere et post conservari ab isto calore producto.
An duae causae exemplares possint se mutuo causare? imo per deum quia potest per deum fieri ut pictor aliquis pingat imaginem instar alterius, et postea si prior illa imago destruatur poterit illa per deum reproduci a pictore pingentis ad instar posterioris.
An duae causae materiales possint etiam se mutuo causare? non, neque enim hoc possunt facere duae causae materiales in qua, neque ex qua.
Quare duae causae materiales in qua non possunt causare se mutuo? quia sic una materia deberet esse subiectum alterius, et econtra altera vicissim deberet esse subiectum prioris, quia causa materialis in qua debet esse subiectum sui effectus.
An saltem per deum hoc posset fieri ut duae causae materiales in qua causent se mutuo? imo, quia dantur binae formae rationis quae sunt sibi mutuo forma, et subiectum, ut spirituale et cognitivum, utrumque enim est differentia contrahens respectu alterius ut latius docetur in metaphysica. ergo nihil vetat quominus etiam per deum dentur formae realiter distinctae quarum utraque possit esse subiectum alterius.
An duae causae materiales ex qua possint sibi mutuo esse causae? non.
Quomodo hoc non potest fieri naturaliter an supernaturaliter? neque naturaliter neque etiam supernaturaliter.
Quare hoc ne quidem potest fieri per deum? quia etiam per deum fieri non potest ut idem sit totum et pars respectu eiusdem.
An duae causae formales possint sibi mutuo esse causae? duae causae formales informantes videntur per deum posse sese mutuo causare, eo modo sicut hoc diximus de duabus causis materialibus in qua.
An per deum possint etiam causare se mutuo duae causae formales componentes? non, quia sic idem deberet etiam esse totum et pars respectu alterius, quia causa formalis componens est pars, et effectus eius est totum.
An in aliquibus diversis generibus causarum possint duo quaepiam causare se mutuo? imo.
In quo diverso genere causae possunt duo quaepiam se causare?
In primis in genere causae materialis et formalis.
Da causam materialem et formalem causantes se mutuo? sic causant se mutuo materia prima et forma substantialis equi.
An causa materialis et finalis causent etiam se mutuo? imo ut materia prima, et forma substantialis.
Quomodo cum illa sint potius causa materialis et formalis? sunt quidem causa materialis et formalis sunt tamen nihilominus etiam causa materialis et finalis, quia forma non est tantum causa formalis materiae, sed etiam est causa finalis eius, materia

prima eadem est propter formam substantialem tanquam suum finem.

An causa formalis et finalis possint se mutuo causare? imo, ut materia prima et forma substantialis, quia materia prima non tantum est causa materialis respectu formae substantialis, sed etiam est causa finalis eius, quia forma substantialis est propter materiam tanquam suum finem.

An causa materialis et efficiens possint etiam se mutuo causare? imo saltem per Deum, quia forma substantialis equi v.g. potest per Deum efficere materiam primam, et post dependere ab illa materia tanquam a subiecto sustentante.

An causa formalis et efficiens possint etiam causare se mutuo? imo.

Quomodo per Deum tantum an etiam naturaliter? etiam naturaliter.

Da causam formalem et efficientem se mutuo naturaliter causantes: natura materiae primae et subsistentia, quia subsistentia materiae causat formaliter naturam materiae primae, subsistentiam autem materiae illa causat efficienter illam subsistentiam.

Da causam efficientem et finalem causantes se mutuo: intellectus et conceptus intellectivus, quia intellectus est causa efficiens respectu conceptus intellectivi, conceptus autem est causa finalis respectu intellectus.

Da causam materialem et exemplarem causantes se mutuo: naturaliter talis non datur, per Deum tamen dari potest.

Ostende: quia conceptus qui est exemplar formale per Deum poni potest in subiecto respectu cuius est exemplar formale.

An exemplar obiectivum, et causa materialis possint se mutuo causare? non, quia exemplar obiectivum et eius effectus non possunt differre specie physica et morali, causa materialis autem et eius effectus semper specie physica et morali differunt.

An ex eo quod duae causae causent se mutuo non sequatur quod idem sit causa ipsius? non.

Quare non iuxta illud [illegible] axioma, quidquid est causa causae est etiam causati causa? hoc axioma debet intelligi supposito quod intercedat realis distinctio inter causam, et effectum quod non fit in proposito.

An iuxta illud axioma pater non debeat dici causa peccatorum filii? non.

Quomodo cum sit causa filii, et realiter distinguatur a peccatis filii? non refert, quia in causa morali etiam non semper habet locum dictum axioma, quia non tunc quando causa causae non tenetur peccata illius causae impedire.

An idem non debeat esse prius et posterius natura respectu eiusdem supposito quod duo possint causare se mutuo? imo, quia in quantum aliquid est causa sic est natura prius respectu illius respectu cuius est causa, in quantum autem alterius vicissim

est causa effectus, sic ipsum est natura posterius eodem.

Quomodo ergo possunt duo se mutuo causare cum idem non possit esse prius et posterius eodem? imo sub diversa consideratione idem sic potest esse natura prius et natura posterius eodem, erit enim natura prius in quantum est causa et natura posterius in quantum est effectus respectu eiusdem.

An omnia genera causarum debeant concurrere ad eundem effectum? non est necesse.

Quot genera causarum debent ad minimum concurrere ad eundem effectum? ad minimum tria, nempe efficiens, finalis et exemplaris, materialem autem et formalem causam non debet omnis effectus habere.

Da effectum qui habet causam materialem non formalem: albedo.

Da econtra: natura materiae primae pro causa formali habet suam subsistentiam, item formam substantialem.

Quare non habet causam materialem? quia non est forma et sic non habet causam materialem in qua, neque componitur ex forma et suo subiecto et ideo non habet causam materialem ex qua.

Da quod habet causam materialem in qua et formalem informantem: natura animae equi, habet enim pro causa materiali in qua materiam primam et habet pro causa formali informante suam subsistentiam, unde excedunt se effectus habens causam materialem in qua et habens causam formalem informantem.

Quomodo se habent effectus habens causam materialem ex qua et effectus habens causam formalem componentem? utrumque est homo et generatim omne corpus naturale.

Da effectum habentem causam materialem ex qua tantum: non datur.

Da econtra, componentem, non datur. unde ante petita convertuntur.

Da effectum habentem causam materialem ex qua et effectum habentem causam materialem in qua? anima equi, habet enim pro causa materiali ex qua naturam animae et pro causa materiali in qua materiam primam.

Da econtra effectum habentem causam formalem informantem et componentem: materia prima quia habet pro causa formali componente subsistentiam suam, pro causa formali informante habet formam substantialem.

An plures causae eiusdem generis possint concurrere ad eundem effectum? imo quia sic duae causae partiales concurrunt ad eundem numero effectum, ut duo equi trahentes eundem currum sic concurrunt ad eundem motum currus, neque de eo est controversia, sic enim in quolibet genere causae possunt dari plures causae partiales concurrentes ad eundem effectum.

An possint etiam plures causae totales concurrere ad eundem effectum? imo, quia sic ad eundem hominem concurrunt causa materialis totalis, formalis etc.

An non possint plures causae totales eiusdem generis possint con-

currere ad eundem effectum? imo.
Da plures causas totales eiusdem generis concurrentes ad eundem effectum: ut quando Deus et ignis sic concurrunt ad eundem numero calorem, quia attento quod illi sint causae diversi ordinis, utraque concurrit tanquam causa totalis.
An plures causae totales eiusdem generis et ordinis possint concurrere ad eundem effectum? imo.
Quomodo hoc potest fieri naturaliter an vero supernaturaliter? etiam naturaliter.
Ostende quomodo hoc possit fieri naturaliter: quia unus ignis potest iam producere aliquem calorem et eundem calorem potest unus alius ignis post conservare, tali autem casu uterque ille ignis erit causa totalis.
An plures causae totales eiusdem generis et ordinis possint causare eundem effectum simul? imo.
Quomodo hoc potest fieri naturaliter an per Deum? etiam naturaliter, quia possunt duae causae finales totales sic concurrere ad eundem effectum. potest enim quis ire ad forum ob duos fines totales, ad audiendum nova et emendum chartam, sic ut propter utrumque finem seorsim esset iturus ad forum, tali autem uterque iste finis erit totalis.
An similiter possint sic etiam dari duae causae exemplares totales? imo, quia possunt dari duae imagines plane similes, et pictor ex intuitu utriusque potest moveri ad pingendam unam tertiam imaginem, sic ut utraque prior imago sit exemplar obiectivum respectu tertiae imaginis.
An duae causae efficientes totales possint etiam concurrere ad eundem effectum? imo per Deum, quia per Deum fieri potest ut ignis hic producat aliquem calorem, et eundem numero calorem etiam producat alius ignis, tali autem casu uterque iste ignis erit causa totalis simul respectu eiusdem numero caloris.
Unde hoc scis, quod non accidat aliquando naturaliter? quia sic deberet naturaliter replicari calor hic et Romae, hoc autem supponimus esse impossibile, et probabitur in quarto libro Physicorum.
Quomodo possint sic dari plures causae totales cum in casu nobis posito neuter ignis erit causa totalis respectu istius caloris? imo uterque erit causa totalis.
Quomodo uterque habeat ignis aliquam causam eiusdem generis et ordinis concurrentem ad eundem effectum? non refert.
Quomodo cum causa totalis non admittat consortium alterius causae totalis eiusdem generis et ordinis? imo etiam admittit tale consortium.
Quomodo cum causa totalis debeat sola in suo genere et ordine

MELPOMENE.

causare effectum ad quem comparatur? nego hoc requiri ad causam totalem, si enim hoc requireretur tunc cessaret disputatio an plures causae totales eiusdem generis et ordinis possint simul causare eundem effectum.

Quid ergo requiritur et sufficit ad causam totalem? ut sola in suo genere et ordine sit principium talis causalitatis qua sufficienter et integre ponatur effectus.

Declara hoc posse fieri etiamsi habeat aliam concausam similem concurrentem ad eundem effectum: quia hoc bene poterit fieri si utraque illa causa concurrat distincta causalitate, sic enim fieri poterit quod utraque causa sola in suo genere et ordine sit principium diversae causalitatis qua sufficienter et integre ponatur effectus.

An possint etiam dari plures causae materiales totales respectu [redacted] eiusdem effectus? imo ut anima rationalis et intellectus respectu compositi per accidens ex anima rationali intellectu et conceptu.

Quomodo illae sunt causae totales cum utraque habeat causam materialem concurrentem? non refert, quia illa altera causa materialis est causa diversi ordinis.

An dentur plures causae materiales totales ex qua eiusdem ordinis et eiusdem effectus? non.

An dentur plures causae materiales in qua totales respectu eiusdem effectus? tales possunt etiam dari per deum, quia per deum fieri potest ut duae materiae primae causent materialiter eandem numero formam substantialem, una hic et altera Romae.

An etiam hoc non possit fieri naturaliter? non.

Quomodo cum tales causae sint anima rationalis et intellectus respectu conceptus intellectivi? nego, quia anima rationalis non est vera causa materialis in qua respectu conceptus, quia forma non dependet a subiecto remoto tanquam causa materiali in qua, sed solum sic dependet a subiecto proximo.

Declara formam non dependere a subiecto remoto tanquam causa materiali in qua; sic v.g. intellectus hominis non dependet a materia prima, quia naturaliter potest esse extra materiam, tunc nempe quando homo moritur.

Quomodo non dantur tales causae materiales in qua respectu eiusdem effectus cum tales sint materia prima et forma substantialis respectu unionis physicae? illae quidem sunt causae totales ex parte [redacted] effectus sed non sunt totales ex parte causae quia utraque habet aliam concurrentem eiusdem ordinis secum.

Quomodo cum materia prima et forma substantialis sint causae diversi ordinis respectu unionis? nego, quia ambo suscipiunt unionem immediate ut supponimus.

An possint etiam dari plures causae formales totales respectu eiusdem effectus? imo ut intellectus et conceptus respectu compositi per accidens ex anima intellectu et conceptu.

Quomodo cum sic intellectus esset causa materialis et formalis respectu eiusdem effectus? in eo nullum inconveniens est.

An possint etiam dari plures causae formales informantes respectu eiusdem effectus? imo ut anima rationalis et ~~[illegible]~~ anima bruti quae successive informant eandem materiam primam

An duae causae possint simul causare eundem effectum? imo. ut subsistentia materiae primae et forma substantialis respectu naturae materiae primae.

Quales causae illae sunt totales an partiales? totales, quia diversi ordinis sunt.

De Quatuor Generibus causarum secundum Aristotelem earumque proprietatibus.

Da definitionem Aristotelicam causae materialis? est ex quo quippiam eo fit pacto ut insit.

Quodnam est definitum istius definitionis? causa materialis ex qua.

Per quid excluditur causa materialis in qua? per illam partem: ex quo quippiam fit, item per illam particulam ut insit, quia ex causa materiali in qua nec fit quippiam nec causa materialis in qua inest, secundum inexistentiam hic intellectam.

Quam habitudinem dicit particula ex hic? habitudinem ad partem praeiacentem.

An causa materialis in qua non sit pars praeiacens respectu sui effectus? non, quia non est pars respectu sui effectus, quia est subiectum respectu sui effectus, subiectum autem nunquam est pars formae quia debet esse condistinctum a sua forma.

Declara quod materialis in qua etiam non insit suo effectui ad sensum huius loci: quia per particulam insit in hac definitione intelligitur inexistentia interna, tam autem subiectum non inest interne suae formae.

An sola materia prima sit causa materialis ex qua hic definita? non.

Da talem causam praeter materiam primam: angelus respectu compositi per accidens ex angelo et intellectu.

An omnis substantia aliquo respectu sit causa materialis ex qua? non, quia non deus, quia deus non est subiectum ullius formae realis, causa autem materialis hic definita debet esse subiectum formae realis quia debet cum illa compositum reale constituere.

An omnis substantia creata sit aliquo respectu causa materialis ex qua? non. ut unio substantialis physica, quia etiam illa non est subiectum respectu ullius formae realis.

Quid quippiam in hac definitione? est compositum essentiale reale, ut homo in quantum est compositum physicum aut metaphysicum.

An etiam homo quatenus est compositum logicum aut integrale? non.

Quare non in quantum est compositum logicum? quia sub illa consideratione non est compositum reale.

Quare non etiam in quantum est compositum integrale? quia sic consideratum non est compositum essentiale.

An animal ergo non sit causa materialis hic definita respectu
hominis? si animal consideretur in quantum est superius respectu
hominis eatenus non est causa materialis respectu
cuius componitur ex animali, quia homo quate=
nus componitur ex animali non est compositum reale.
Qua ratione animal potest dici causa materialis hic definita
respectu hominis? si animal capiatur pro natura metaphysi=
caliter et homo pro composito metaphysico.
Da compositum reale quod non est quippiam hic albedo integra=
liter composita intensive, aut extensive.
An albedo sic composita non sit compositum essentiale? imo quia
componitur etiam logice, compositio autem illa essentialis est.
An non bene sequatur, albedo est compositum essentiale, et
albedo est compositum reale, ergo
albedo est compositum essentiale reale? non,
Quare non sequitur a divisis ad coniuncta? quia aliter sumitur
particula essentialis in antecedente, aliter in consequente, quia in
consequente determinat illud reale ita ut significetur compo=
sitionem illam esse realem in quantum est essentialis, hoc autem
nullo modo importatur per antecedens.
An illa particula ut insit sit necessaria ad convertibilitatem
definitionis? non, quia quod causa materialis ex qua debeat inesse
hoc satis importatur per particulam ex quo, quia per illam
significatur quod debeat inesse per modum partis praeiacentis.
Quare ergo non additur frustra illa particula ut insit hic? quia
servit ad maiorem explicationem
Quomodo valet haec definitio causae materialis cum etiam con=
tineatur accidens? non refert.
Da accidens contentum hac definitione: quantitas respectu com=
positi per accidens ex ipsa et albedine.
An etiam albedo sit causa materialis hic definita? imo respectu
compositi per accidens ex albedine et praesentia locali eius.
Quomodo illud compositum est quippiam, hic enim non sit sub
unius natura? non refert, quia hoc non requiritur ad quippiam,
unde quando dicitur quod quippiam sit compositum essentiale tunc
intelligitur compositum essentiale late prout comprehendit etiam
illud quod est accidentarium.
An omne accidens sit causa materialis ex qua? non. ut ulti=
mum accidens ut praesentia localis albedinis, quia non est sub=
iectum ullius formae realiter distinctae cum qua possit constituere
compositum essentiale reale.
Per quid excluduntur reliqua genera causarum ab hac definitione?
per particulam illam ex qua, nullum enim datur aliud genus
causae ex quo tanquam parte praeiacente fiat effectus praeter cau=
sam materialem ex qua.

Da definitionem Aristotelicam causae formalis: est ratio
quidditatis.
Utrum causa ibi definitur formalis informans an componens?
sola componens.
Da causam formalem hic definitam: anima rationalis respe=

tu hominis.
Quare non continetur informans? quia illa nunquam est de essentia sui effectus, ratio autem quidditatis debet esse de essentia sui effectus.

Quid ratio in definitione causae formalis? est forma complens alterum per modum posterioris adiacentis.
Da rationem prout hic: anima rationalis respectu hominis.
An rationale prout est differentia hominis etiam sit hic ratio? imo.
An ergo ~~differentia~~ differentia logica continetur hac definitione respectu speciei quam constituit? non, excluditur quia non est quidem ratio quidditatis.

Quid quidditas? est compositum essentiale reale.
In quo differt quidditas hic, et quippiam in altera definitione? non differunt.
Ostende ergo quod rationale prout est differentia hominis non sit ratio quidditatis: quia rationale solum constituit hominem prout est compositum logicum, sub illa autem consideratione homo non est compositum reale.
An omnis causa formalis componens hic continetur? non.
Da unam non contentam: illa quae est materialis simul in eodem composito, ut intellectus respectu compositi ex anima intellectu et corpore.
Quare intellectus non est causa formalis hic definita respectu istius compositi? quia non est ratio prout hic, quia non complet illud compositum, quandoquidem relinquat locum alteri causae formali nempe corpori in eodem composito.
An omnis forma sit aliquo respectu causa formalis hic definita? non.
Da unam: anima rationalis separata.
Quare non est causa formalis hic definita respectu compositi ex se et aere? quia anima rationalis separata non informat aerem, causa autem formalis componens debet informare suum compositum.
Da formam accidentariam quae nullo respectu est ratio quidditatis: albedo posita extra omne subiectum.

Da definitionem aristotelicam causae efficientis: est id unde est primum principium mutationis aut quietis.
An illa definitione continetur quaelibet causa efficiens? non, ut deus creans angelum, qui a deo producente angelum non est principium mutationis aut quietis cum per talem actionem nihil mutetur.
Unde fit quod aristoteles non definiverit omnem causam efficientem? quia aristoteles erronee existimavit mundum fuisse ab aeterno, et nullam dari creationem, hoc supposito recte procedit sua definitio.

Quid primum principium mutationis? prima existentia mutationis.
Quomodo cum sic non continebitur causa efficiens respectu continuationis motus? imo etiam continebitur, quia ipsa ubi est continuatio motus est principium existentiae novi motus, cum motus secun=

dum idem sui non perageret in suo esse?
per quod excluduntur alia genera causarum ab hac definitione? per particulam unde.

Quid unde ergo ibi? idem est quod a principio producente, iam autem ab aliis generibus causarum licet etiam procedat mutatio et quies, non tamen procedit ab illis tanquam principio producente.

Da definitionem aristotelicam causae finalis? est id cuius gratia omnia fiunt. definitur ibi finis obiectivus cuius est sanitas hic continetur? imo.

Respondeo cum non fiant omnia propter sanitatem? omnia absolute non fiunt propter sanitatem, omnia tamen in certo genere possunt dici fieri ob sanitatem.

Quid fieri hic? idem est quod produci capiendo produci late sit ut etiam comprehendat conservari.

Quid gratia hic? potest sumi ut sit idem quod bonitas, potest etiam sumi ut idem sit quod efficax intentio.

Quis erit sensus definitionis capiendo gratiam pro bonitate? finis est id cuius bonitate allicientae omnia fiunt.

Quis erit sensus capiendo gratiam pro efficaci intentione? sensus est, finis est id ex cuius efficaci intentione omnia fiunt.

Quam habitudinem dicit obliquus cuius hic? distinguo, si gratia hic sumatur pro efficaci intentione, tunc dicit habitudinem obiecti ad suum actum, quia finis est obiectum efficacis intentionis; si autem gratia hic capiatur pro bonitate tunc obliquus cuius dicit habitudinem subiecti ad suam formam.

Da definitionem aristotelicam causae exemplaris: est id ad cuius instar aliquid fit.

Quænam causa exemplaris ibi definitur? causa exemplaris, seu exemplar obiectivum.

Cur non etiam exemplar formale? quia effectus causae exemplaris non fit ad instar exemplaris formalis quandoquidem exemplar formale toto genere differat ab effectu.

Da primam proprietatem causarum: multa sunt sibi invicem non per accidens causae.

Quis est sensus istius proprietatis? sensus est ad eundem effectum concurrunt plures causae realiter distinctae.

Da plures causas realiter distinctas concurrentes ad eundem effectum: materia prima et anima rationalis respectu hominis.

An ad omnem effectum concurrant plures causae realiter distinctae? imo.

Quomodo cum tales non concurrant ad naturam animae rationalis? imo etiam concurrunt, ut ipsemet natura animae rationalis, et deus.

An natura animae rationalis habeat plures causas realiter distinctas creatas? imo, ut ipsamet natura animae rationalis quae est cau

sa exemplaris sui ipsius et subsistentia naturae animae ratio-
nalis.
An quilibet effectus habeat plures causas realiter distinctas adae-
quatas? non. ut indivisibilis albedo posita extra omne subiectum.
Quare dicis indivisibilis? quia si albedo illa sit integraliter com-
posita tunc habebit plures causas quia ultra se ipsam habebit
pro causa creata suas partes integrales quae videntur tenere
causam materialem.
An quilibet effectus debeat etiam causari per causalitates rea-
liter distinctas? non.
Quomodo cum debeat habere plures causas ut iam dictum est?
non refert.
Quomodo cum causae non dicantur plures nisi causent per
diversas causalitates? imo dicuntur plures licet per eandem
causalitatem causent.
Quomodo cum duo parietes non essent duo alba si haberent eun-
dem numero albedinem? imo etiam tali casu duo parietes sunt
duo alba quia ut concreta multiplicentur sufficit quod multi-
plicentur subiecta formae principaliter significatae, ut autem
multiplicentur substantiva debent multiplicari res principaliter
significatae.
Declara unum effectum non debere causari per causalitates
realiter distinctas? quia indivisibilis albedo posita extra subiectum
unica causalitate causatur.

Cum quod proxime coniungitur illa particula non per accidens
in hac proprietate? commodissime cum particula causae.
Quae causae non per accidens? sunt causae per se.
Quae causae per se? sunt causae a quibus secundum se simpliciter
dependent effectus secundum se simpliciter.
An salvata proprietatis veritate particula non per accidens possit
etiam coniungi cum particula eiusdem? imo quia utrumque verum
est multiplicantur causae per se respectu eiusdem effectus et etiam
dantur causae realiter distinctae respectu eiusdem effectus per se.

Da secundam proprietatem: causae sunt sibi mutuo causae.
Quid causas esse sibi mutuo causas? est causas sic se
habere ut una sit effectus alterius et contra.
An conveniat omnibus omnino causis esse sibi mutuo
causas? non. ut homo et deus, quia homo non potest esse causa
respectu dei sicut licet enim deum habere causam.
Da causas quae sunt sibi mutuo causae: materia prima et anima
quia scilicet materia prima causat animam genere materialiter, ani-
ma autem eodem genere causat materiam formaliter.
In quo genere dantur causae sibi mutuo causae, in eodem genere
an diverso? in aliquo eodem genere et etiam in aliquo diverso.
Da causas sibi mutuo causas in eodem genere: materia prima
et forma substantialis.
Quomodo cum sint sibi mutuo causae in diverso genere ut iam
dictum est? non refert, quia possunt aliqua sibi mutuo esse

causae in eodem genere et simul in diversis.
In quo genere causae illae causae sunt sibi mutuo causae? in genere causae finalis.
An in omni genere dentur causae sibi mutuo causae? non.
In quibus generibus causae non possunt causare se mutuo? in genere causae exemplaris et in genere causae formalis non possunt causae sibi mutuo esse causae. Et quia non potest aliquid esse causa formalis respectu exemplaris formalis, neque etiam e converso respectu exemplaris obiectivi: quia causa formalis necessario distinguitur realiter physice a suo effectu, simul autem effectus exemplaris obiectivi non potest realiter distingui ab exemplari obiectivo.
Declara quod causa formalis et exemplar formale non possint se mutuo causare: quia causa formalis informans respectu ultimi accidentis nec etiam potest dari causa formalis componens respectu conceptus qui est exemplar formale.

Da tertiam proprietatem: idem est contrariorum causa.
Da aliquod idem quod est contrariorum causa: materia prima est causa caloris et frigoris; deus autem omnium contrariorum est causa.
An contraria sumantur hic eodem modo sicut in postpraedicamentis? salva quidem veritate proprietatis possent sic sumi, sed ordinarie tamen sumuntur hic latius.
Quid contraria hic? sunt effectus tam dissimiles ut prima fronte videantur debere procedere a diversis causis.
Quomodo se habent contraria hic et contraria in postpraedicamentis? utrumque sunt albedo et nigredo: calor et frigus.
Da contraria hic quae non sunt contraria in postpraedicamentis: homo perfectus et homo monstruosus.
Da e contra contraria in postpraedicamentis quae non sunt contraria prout hic: assensus divinus et dissensus divinus respectu eiusdem obiecti.
Ostende non esse contraria hic: quia contraria hic debent esse effectus; illi autem actus iam dati in deo non sunt effectus quandoquidem sint ipse deus.
In quo genere causae datur eadem causa contrariorum? probabiliter in omni.
Da eandem causam materialem contrariorum: materia prima respectu caloris et frigoris.
An possit dari causa materialis quae sit causa contrariorum simul? imo.
Quomodo cum contraria non possint simul eidem subiecto inesse? non refert.
Quomodo erit eadem causa materialis in qua potest simul causare contraria? quia contraria hic non debent repugnare quoad inexistentiam.
Da eandem causam quae sit simul causa materialis contrariorum: materia prima sic est simul causa respectu caloris et frigoris itemque

Quomodo cum calor et frigus remissum non sint contraria?
ubi sunt contraria prout hic.
Quomodo cum simul eidem insint? non refert, quia equidem sunt effectus tam dissimiles ut plurimi posuere videantur debere procedere a diversis causis.
Da eandem causam materialem seu quasi contrariorum: materia prima respectu cadaveris et hominis vivi.
Da eandem causam formalem contrariorum? anima rationalis respectu hominis perfecti et monstrosi.
Da eandem causam efficientem contrariorum: deus est causa efficiens omnium contrariorum.
Da eandem causam efficientem creatam contrariorum: intellectus respectu assensus et dissensus eiusdem propositionis.
Da eandem causam finalem contrariorum: deus etiam est causa finalis contrariorum.
Da eandem causam finalem creatam contrariorum: felicitas reipublicae respectu remunerationis bonorum et punitionis malorum.
An detur etiam causa exemplaris contrariorum? probabile est talem dari et deus est probabiliter exemplar obiectivum contrariorum.
Declara non esse certum: quia valde dubium est an debeat dici quod deus sit exemplar obiectivum respectu creaturarum, quia certum est quod deus non sit formaliter similis quoad speciem cum creaturis, an autem eminentialis aliqua similitudo quam habet deus cum creaturis dicenda sit sufficiens, hoc utrumque probabiliter controvertitur.
An detur idem exemplar formale contrariorum? non, conceptus enim qui est exemplar formale prout causat exemplariter unum contrariorum non est idem cum se ipso prout causat alterum contrariorum.

Divisio eorum quae fiunt

Da primam divisionem eorum quae fiunt: eorum quae fiunt alia semper eodem modo fiunt, alia plerumque, alia praeter haec.
Quodnam est subiectum istius divisionis? ea quae fiunt.
Quid ea quae fiunt? sunt effectus comparati ad causam efficientem a qua de facto procedunt. calor fit ab igne. deus non fit.
Da creaturam quae non fit: antechristus, et similes creaturae mere possibiles.
An albedo hic actu existens fiat at materiam primam? non, quia

materia prima non causat albedinem efficienter.

Quid fieri semper eodem modo? est quid sic fieri ab aliqua causa ut ab eadem actu existente non possit non fieri naturaliter loquendo: eclypsis lunae respectu interpositionis terrae inter solem et lunam fit sic.

Quomodo cum illa non sit causa efficiens respectu eclypsis lunae? est causa efficiens per accidens.

Quid fieri ut plerumque? est sic fieri ab aliqua causa efficiente ut saepius quidem natum sit fieri quam non fieri non tamen semper. ut frigus fit enim plerumque ab aqua quia notabiliter saepius aqua est frigida quam calida non tamen semper.

Quid aliquid fieri praeter hoc? est aliquid sic fieri ab aliqua causa ut ab illa actu existente neque semper neque plerumque fiat.

Divide illa quae fiunt praeter hoc: dividuntur in illa quae fiunt promiscue et in illa quae fiunt raro.

Quandonam censentur aliqua fieri promiscue? quando moraliter loquendo aeque saepe fiunt a causa actu existente, ac non fiunt. sic ambulatio fit promiscue a Petro supposito quod moraliter loquendo aeque frequenter ambulet ac non ambulet.

An debeat praecise aeque frequenter ambulare ac non ambulare? non est necesse sufficit quod vices quibus fit ambulatio non excedant notabiliter vices quibus non fit, neque econtra.

Quandonam excessus censetur notabilis? Valde varie de eo loquuntur scriptores, nobis probabile videtur quando vices quibus aliquid fit excedunt ad tertiam partem vices quibus non fit quod tunc excessus censeatur notabilis.

Quid fieri raro? est sic fieri ab aliqua causa ut ab illa actu existente saepius non fiat quam fiat. homo biceps raro fit.

Da secundam divisionem eorum quae fiunt: eorum quae fiunt aliqua fiunt alicuius gratia alia non.

In quo differunt divisionem hanc divisionibus praecedentibus? non differunt.

Quid fieri alicuius gratia? est fieri ex intentione finis. Da quod fit sic: ambulatio quando fit ab homine ob sanitatem.

An equus currens ad aquas non agat alicuius gratia? imo.

Quomodo cum bruta non agant ob finem? non agunt quidem proprie ob finem ut ante dictum est, agunt tamen alicuius gratia prout hic.

Quomodo cum non habeant intentionem? non habent intentionem proprie dictam, habent tamen intentionem late prout hic sumitur intentio.

Defini ergo intentionem de qua hic? est efficax volitio consequendi finem vel naturalis propensio qua res aliqua propendet in suum bonum.

Declara intentionem sic late sumptam etiam sic convenire brutis: quia etiam brutis datur aliqua naturalis propensio in suum

bonum, unde naturaliter feruntur in potum illo indigeant, sicut etiam naturaliter fugiunt res nocivas sibi disconvenientes.
An lapis cadens deorsum non agat alicuius gratia? imo, quia agit tali casu ex naturali propensione qua fertur in locum suum naturalem tanquam suum bonum.
Quid non fieri alicuius gratia? est non fieri ex intentione finis? sic quando lapis laedit hominem illa laesio non fit a lapide alicuius gratia prout hic, quia neque illa laesio fit ex intentione praedicta neque etiam ex naturali propensione qua lapis feratur in laesionem tanquam suum bonum.

Ad tertiam divisionem: eorum quae fiunt, alia fiunt per electionem quaedam non.
An divisio huius divisionis etiam coincidat cum divisione praecedenti? imo.
Quid fieri per electionem? est fieri tanquam medium libere acceptatum ad obtinendum finem: sic ambulatio ordinarie fit per electionem ab homine.
Ea quod fit per electionem a bruto? non datur, quia in bruto non datur libertas.
An solus homo agat per electionem? non. et deus et angeli.
An homo quemlibet suum effectum producat per electionem? non quia multos suos effectus producit necessario uti nutritionem, lapsum deorsum etc.
Quid fieri non per electionem? est fieri non tanquam medium libere acceptatum ad obtinendum finem. sic calor fit non per electionem ab igne, omnes actus brutorum fiunt non per electionem a brutis.
Quare dicitur a brutis? quia etiam a deo fiunt illi actus brutorum per electionem.
An sicut homines producunt aliquos effectus non per electionem ita bruta producunt aliquos per electionem? non.
Quae est ratio disparitatis? quia etiamsi homines sint liberi in ordine ad aliquos suos effectus non sunt tamen liberi in ordine ad omnes, et hinc aliquos effectus producunt non per electionem; bruta autem non sunt libera in ordine ad ullum omnino effectum, et hinc non producunt ullum effectum per electionem.
A

De fortuna

An vulgares et philosophi sumant eodem modo fortunam? non quia vulgares sumunt fortunam pro effectu, philosophi autem pro causa.
Quid fortuna apud philosophos? est causa per accidens in

his quae per electionem alicuius gratia fiunt.
Da fortunam: homo fodiens respectu inventionis thesauri.
Ad quod genus causae debet pertinere fortuna? ad genus causae efficientis.
Qualis causa efficiens debet esse fortuna per se an per accidens? in quantum est fortuna sic debet esse causa per accidens.
Quid causa per accidens hic? est causa quae non est talis ut ab ea secundum se sumpta dependeat effectus secundum se sumptus.
Quomodo cum ibi contineatur quaelibet causa per accidens? non refert.
Quomodo cum fortuna debeat esse causa per accidens ex parte effectus? non refert.
Per quid restringitur ergo causa per accidens ad illam quae est per accidens ex parte effectus? per particulam quae sequitur in definitione, in his quae per electionem alicuius gratia fiunt.
An fortuna non possit etiam esse causa per accidens ex parte causae? imo.
An fortuna non possit esse causa per se respectu effectus fortuiti? imo hoc fieri potest.
Quomodo cum debeat esse causa per accidens respectu effectus fortuiti? non refert.
Quomodo cum idem non possit esse causa per se et per accidens respectu eiusdem effectus? imo hoc potest fieri non tantum per diversam causalitatem sed etiam per eandem.
Da fortunam quae sit causa per se et per accidens respectu eiusdem effectus? homo fodiens respectu inventionis thesauri.
Ostende quomodo sit causa per se et per accidens respectu istius inventionis? quia quatenus causat illam inventionem mediante fossione sic est causa per accidens respectu illius.
Ostende quod etiam sit causa per se respectu istius inventionis: quia inventio illa thesauri non est aliud quam prima cognitio thesauri, illa autem prima cognitio etiam physice egreditur a fodiente.
An causa per accidens non possit aliter sumi quam sit a nobis definita? imo potest enim accipi pro causa per accidens morali.
Quid causa per accidens moralis? est agens liberum comparatum ad effectum non intentum nec praevisum, nec facile praevisibilem raro autem coniunctum alteri effectui per se moraliter causato ab eadem causa.
Quid causa moralis per se? est causa comparata ad effectum intentum et praevisum vel saltem facile praevisibilem qui prudenter imputatur isti causae.
Quid effectus intentus? est effectus qui est obiectum intentionis. sic sanitas est effectus intentus respectu istius qui vult acquirere sanitatem per ambulationem
Quid effectus praevisus? est effectus qui est obiectum praevisionis

Quid effectus facile prævisibilis? est effectus qui potuit prævideri si adhibita fuissent illa quæ potuissent et debuissent adhiberi.
An homo fodiens sit etiam fortuna respectu inventionis acriculæ? non.
Cur minus quam respectu inventionis thesauri? quia fortuna debet comparari ad effectum notabilem, thesaurus autem est effectus notabilis non acricula.
An ergo fieri possit quod respectu eiusdem effectus unus homo sit fortuna, alter non? imo, quia v. g. inventio unius assis est effectus notabilis respectu pauperis, non est autem notabilis respectu divitis.
Per quam partem definitionis importatur quod effectus fortuitus debeat esse notabilis? non importatur per ullam partem expressam sed subintellectam
Quando effectus censetur notabilis? tunc quando pro ipso obtinendo fuissent adhibita media si fuisset prævisus [illegible].
An homo etiam sit fortuna respectu effectus intenti? non, unde si fodiens intendat invenire thesaurum non erit fortuna respectu inventionis thesauri.
Per quam partem definitionis importatur quod fortuna debeat comparari ad effectum non intentum nec prævisum? si causa per accidens capiatur posteriori modo nempe pro causa per accidens morali, tunc importatur per genus definitæ quod est causa per accidens. si autem per causam per accidens intelligatur causa per accidens priori modo tunc non importatur per ullam particulam expressam sed subintellectam comparata ad effectum notabilem non intentum etc.

Ubi debet homo fodere ut sit fortuna respectu inventionis thesauri in loco ubi est thesaurus, an in loco ubi non est? neque præcise in loco ubi est neque præcise in loco ubi non est.
Declara quod homo fodiens in loco ubi est thesaurus non sit fortuna respectu inventionis thesauri: quia homo fodiens in tali loco semper invenit thesaurum, ac proinde falsum quod inventio thesauri sit effectus raro coniunctus cum fossione in loco ubi est thesaurus
Declara quod homo fodiens in loco ubi non est thesaurus non sit fortuna respectu inventionis thesauri: quia talis homo nunquam inveniet thesaurum.
Quomodo ergo homo est fortuna respectu inventionis thesauri? quando consideratur sine illis circumstantiis, abstrahendo nimirum ab eo an fodiat in hoc vel illo loco, fodienti enim sic considerato raro accidit inventio thesauri.
Cuius modi inexistentiam significat particula *in* in definitione fortunæ? non significat aliquam alicuius modi nominati, sed significat coniunctionem.
Qualis debet esse illa coniunctio? illa coniunctio varia est, aliquando est coniunctio formæ cum conforma eiusdem subiecti

aliquando est localis aliqua contiguitas etc.

Da extrema coniunctionis significatae per particulam in effectus fortuitus et effectus intentus, et requisitus quem eadem fortuna ponit simul cum effectu fortuito. Unde quando homo dicitur fortuna respectu inventionis thesauri, inventio thesauri et fossio sunt extrema coniunctionis.

Quid fieri per electionem. Hic: est fieri tanquam medium libere acceptatum ad obtinendum finem.

Quid fieri per electionem alicuius gratia? est fieri libere tanquam medium acceptatum ad obtinendum finem, idque ex intentione utentis.

An omnia agentia possint esse fortuna? non.

Quaenam agentia non possunt? omnia agentia non libera, lapides bruta etc.

Unde colligitur quod fortuna debeat esse causa libera? ex definitione fortunae, in qua indicatur quod debeat habere aliquem effectum factum libere, quia effectus qui per electionem fit libere fit.

An omne agens liberum possit esse fortuna? non. Ut Deus, quia Deus non potest comparari ad effectum non intentum et requisitum cum Deus praevideat totum quod praevideri potest.

An solus homo ergo sit fortuna? non, quia etiam angelus subinde est fortuna, ut et diabolus quando tentat hominem ad malum si homo ipsius tentationis occasione faciat bonum opus tunc erit fortuna respectu illius boni operis.

Divide fortunam: dividitur in bonam et malam.

Quid bona fortuna? est fortuna comparata ad effectum notabiliter bonum. Ut homo fodiens respectu inventionis thesauri.

Quid mala fortuna? est fortuna comparata ad effectum notabiliter malum. Ut homo ambulans respectu fractionis tibiae.

An fortuna dividatur adaequate in bonam et malam? imo

Quomodo cum neutro membro continetur ~~[illegible]~~ fortuna indifferens? quaestio supponit falsum, quia fortuna debet comparari ad effectum notabilem, id est notabiliter bonum vel notabiliter malum.

Quid actio fortuita? est causalitas per accidens in his quae per electionem alicuius gratia fiunt. Ut fossio qua mediante fodiens invenit thesaurum.

Quomodo recte definita est actio fortuita cum contineatur etiam illa quae comparatur ad effectum non notabilem? Ergo quia eaedem particulae quae subintelliguntur in definitione fortunae, etiam debent subintelligi in definitione actionis fortuitae.

Quaenam sunt extrema proxima actionis fortuitae? quaestio

supponit falsum.
Quomodo cum omnis actio debeat habere extrema proxima? non refert.
Quomodo ergo actio fortuita non habet etiam extrema proxima? in quantum precise est actio sic etiam habet proxima extrema, non autem in quantum est actio fortuita, quia ut sic est essentialiter causalitas per accidens, unde debet terminari ad effectum remotum quem causat mediante effectu intento et praeviso.
An relatio fortunae non habeat proxima extrema? imo.
Quaenam sunt proxima extrema relationis fortunae? ipsa fortuna et effectus fortuitus.
Quare illa sunt potius extrema proxima relationis fortunae quam actionis fortuitae? quia inter quaelibet res bene potest fingi aliqua relatio proxime consistens inter illas, aliud est de extremis actionis fortuitae, quia actio fortuita essentialiter hoc habet quod debeat terminari ad effectum fortuitum qui tantum producatur remote per illam actionem, nempe mediante effectu intento et praeviso.
Qualis actio debet esse actio fortuita positiva an privativa? plerumque quidem est actio positiva, potest tamen etiam absolute esse actio privativa.
Ostende quomodo possit esse actio privativa? quia alicui pure omissioni potest etiam coniungi aliquis notabilis effectus respectu cuius ille qui pure omittit poterit etiam esse fortuna.
An ergo non requiratur ulla actio positiva ad hoc ut fortuna causet effectum fortuitum? actio quidem fortuita non requirit ut sit positiva sicut iam dictum est interim tamen necessario actio fortuita aliquam actionem positivam praesupponit nempe praesupponit illam actionem positivam per quam fortuna ponitur in suo esse, et sine qua fortuna existere non potest.
An praesupposita existentia fortunae non requiratur actio positiva ad fortunam? imo etiam tunc requiritur aliqua actio actio positiva.
Cuius potentiae actio tunc siquidem prerequiritur ad fortunam? necessario aliqua actio intellectus, fortuna enim debet comparari ad effectum intentum vel praevisum, vel saltem facile praevisibilem.
Quid tum cum ad hoc ut effectus sit praevisibilis non requiratur aliqua actio positiva? imo requiritur cognitio certi obiecti in quo hic et nunc facile possit cognosci ipsemet effectus praevisibilis.

An sicut prosequitur actio intellectus ad fortunam, ita etiam prosequatur actio voluntatis? non.
Quomodo enim sine actione positiva voluntatis effectus non possit esse intentus? non potest quidem positiva actione effectus esse intentus, sed potest aliquis effectus esse libere omissus, et illi liberae omissioni coniungi aliquis effectus fortuitus, hoc autem sufficit, sicut enim qui positive vult aliquem effectum censetur causa moralis illius, ita etiam qui libere omittit aliquid ad quod tenebatur censetur causa moralis per se respectu illius omissionis.
Quid effectus fortuitus? est effectus causae per accidens in his quae per electionem alicuius gratia fiunt. Ut inventio thesauri respectu fodientis.
Quare non etiam inventio acicula respectu fodientis? quia inventio aciculae non est effectus notabilis.
Quid tum cum hoc non ponatur in definitione? non refert, quia hoc subintelligitur hic sicut in definitione fortunae.
An etiam fossio respectu fodientis sit effectus fortuitus? non.
Quare non enim effectus procedat a fortuna? non refert quia hoc non sufficit ad effectum fortuitum, quia effectus fortuitus debet esse effectus per accidens.
Qualis effectus debet esse effectus fortuitus positivus an privativus? potest esse positivus ut patet in inventione thesauri de qua iam saepe dictum est, potest etiam esse privativus.
Da talem effectum: amissio bursae respectu hominis ambulantis.
An fortuna recte dicatur ab Aristotele videns et caeca? imo.
Qua ratione fortuna dicitur videns? dicitur videns si comparetur ad effectum per se, quia ille effectus est intentus et praevisus, aut saltem facile praevisibilis.
Qua ratione dicitur caeca? dicitur caeca si comparetur ad effectum fortuitum, ille enim effectus nec intentus, nec praevisus est.

De Casu

Qualis est vox Casus univoca an aequivoca?
aequivoca, quia aequivoce significat casum generatim dictum, et casum specialiter dictum.
Quid casus generatim dictus? est causa per accidens in his quae alicuius gratia fiunt.
Quomodo cum non excludatur fortuna? non debet excludi

sicut homo non debet excludi a definitione animalis.
Quomodo se habet fortuna ad casum generatim dictum? ut minus
commune ad magis commune.
Quomodo se habet fortuna ad casum speciatim dictum? tanquam
species ad suam conspeciem sub eodem genere.
Quid fieri alicuius gratia hic? est fieri ex intentione finis
capiendo intentionem finis late.
Quare non est fieri ex intentione finis stricte? quia etiam bruta
agunt ex intentione finis prout hic, imo etiam lapides, et ligna
Quid ergo hic agere ex intentione finis? est vel agere ex inten-
tione finis proprie dicta vel saltem ex naturali propensione ad
talem effectum.
Da effectum quem lapis hic producit ex intentione finis: sic
producit motum deorsum quando cadit.
Da effectum quem lapis producit non ex intentione finis:
sic ut causat laesionem in homine supra quem cadit.
Quid casus speciatim dictus? est causa per accidens in his
quae per naturam alicuius gratia fiunt. ut equus currens ad
lapsus respectu fractionis tibiae
Quid fieri per naturam in hac definitione? est fieri non libere.
in quo differunt causa per accidens hic, et causa per accidens
in definitione fortunae? non differunt.
An eaedem particulae quae subintelliguntur in definitione etiam
subintelligantur hic? imo
Quomodo cum casus speciatim dictus non habeat effectum
intentum, et praecisum? habet prout hic.
Quomodo cum lapis non possit habere effectum intentum? lapis
quidem non habet effectum intentum intentione proprie dicta, habet
tamen intentione late dicta.
Da eo modo effectum intentum lapidis: sic casus deorsum
est effectus intentus respectu lapidis, quia naturaliter in talem
effectum propendet lapis.
An idem agens possit esse casus speciatim dictus et etiam for-
tuna? imo.
Quomodo cum idem agens non sit liberum, et non liberum?
idem quidem agens non est liberum et non liberum absolute, ve-
rumtamen bene potest idem agens respectu unius effectus esse agens
liberum, et respectu alterius necessarium
An respectu eiusdem effectus idem agens possit esse fortuna et
casus ~~respectu~~ speciatim? imo. ut tegularius operans in tecto si
cadat deorsum, et cadendo laedat hominem infra respectu illius
laesionis erit fortuna, et erit etiam casus speciatim dictus.
Declara quomodo ille tegularius sit fortuna respectu illius laesionis?
quia, quatenus illa laesio coniungitur cum libera operatione in tecto
sic tegularius est fortuna respectu istius laesionis, quatenus autem

TALÏA.

ista laesio coniungitur cum casu deorsum, secundus est casus speciatim dictus singularis respectu istius laesionis.

Da aliquid quod potest esse casus speciatim dictus, et non fortuna: lapis, item equus, quia nullum effectum producunt liberè.

Da econtra agens quod potest esse fortuna, et non casus speciatim dictus: angelus.

An angelus non producat etiam aliquos suos effectus necessario? imo.

Da effectus quos necessario producit angelus: intellectus, voluntas

Quare ergo angelus non potest esse casus speciatim dictus quatenus mediante potentia producit aliquem effectum raro? quia non potest aliquis effectus angeli assignari quem angelus sic raro producat

An angelus non agat etiam mediante impetu? imo.

Quare ergo quatenus agit mediante impetu non potest esse casus speciatim? quia impetus quem angelus producit est effectus liber angeli, adeoque quatenus angelus agit mediante impetu sic est potius fortuna.

An impetus qui imprimitur angelo ab alio angelo non possit habere aliquem effectum raro coniunctum? imo.

Quare ergo tali casu angelus cui imprimitur talis impetus non potest esse casus speciatim dictus respectu talis effectus sic raro coniuncti? quia ex suppositione licet ille impetus non sit liber effectus angeli, ideo tamen angelus non potest esse casus speciatim dictus, quia impetus ille non efficitur ab angelo, iam vero ut aliquid sit fortuna vel casus debet producere aliquem effectum raro mediante effectu quem producit ipsum agens.

Quid actio casualis? distinguo, actio casualis late est causalitas per accidens in his quae alicuius gratia fiunt, ut fossio qua mediante fodiens invenit thesaurum.

Quomodo cum sit actio fortuita? non refert, quia omnis actio fortuita etiam est casualis late.

Quid actio casualis stricte? est causalitas per accidens in his quae per naturam alicuius gratia fiunt, ut cursus equi ad pascua quo mediante equus frangit sibi tibiam.

Quid effectus casualis late? est effectus causae per accidens in his quae alicuius gratia fiunt, effectus autem casualis stricte est effectus causae per accidens in his quae per naturam alicuius gratia fiunt.

Da effectum casualem stricte: fractio tibiae respectu equi currentis ad pascua.

An omne agens possit esse fortuna vel casus speciatim dictus? non.

Da agens quod nec potest esse fortuna, nec casus speciatim dictus:

vt deus.

Quare deus non potest esse fortuna? quia non potest comparari ad ullum suum effectum nec intentum nec praevisum.

Quare deus non potest esse casus specialiter dictus? quia deus libere concurrit ad omnem suum effectum; casus autem specialiter dictus debet habere aliquem effectum necessarium cui raro coniungatur alius effectus.

De frustraneo

Quid frustra? est illud quod non efficit illud ob quod erat et ad quod aptum erat. vt ambulatio instituta ad obtinendam sanitatem quam tamen non assequitur.

Quaenam requiruntur ad frustra? vt sit medium idoneum vt obtineat finem intentum; secundo vt re ipsa non assequatur illum finem.

Quid vanum? est medium destinatum ad obtinendum finem quem non est natum assequi. vt ~~[illegible]~~ lotio Ethiopis ad hoc vt fiat albus.

Quid temerarium? est medium destinatum ad obtinendum finem quem quidem natum est assequi, sed non satis prudenter. vt saltus per fenestram vt aliquis citius sit in terra.

Qua occasione agit Aristoteles de his tam dictis? quia habent aliquam connexionem cum causa, et cum eo quod est effectus causae finalis.

De Monstro

Quid monstrum? famose est ~~individuum~~ corpus animatum habens a natura notabilem deformitatem toti speciei extraneam. vt homo biceps.

Quare monstrum restringitur ad corpus animatum? quia cum corpora animata sint magis notabilia facilius notatur in ipsis aliquis defectus quam in inanimatis.

An miles qui amisit pedem in bello sit monstrum? non, quia non habet illam notabilem ~~notabilem~~ deformitatem a natura, sed accidens qui accidit post nativitatem eius.

An homo habens sex digitos in una manu sit monstrum? non. probabilius non debere dici monstrum: quia illa deformitas non est notabilis.

An illud individuum quod habet a natura notabilem pulchritudinem sit monstrum? non, sed hoc potius dicitur miraculum naturae.

An homo niger etiam sit monstrum? non.

Quomodo cum nigredo sit una notabilis deformitas in homine? est quidem notabilis in aliquibus, sed non in omnibus, quia non credunt esse deformitatem pro Aethiope; imo apud ipsos albedo censetur deformitas, unde ipsi depingunt diabolos albos sicut nos nigros.

An homo niger nobis sit monstrosus belga? imo, quia secundum illius residentiam censetur illa deformitas ~~est~~ esse extranea et notabilis.

An homo monstrosus sit unus homo an vero duo? potest fieri quod sit tantum unus, et etiam quod sint duo; quando autem est dubium an sit tantum unus an duo.

Quo casu certum est esse tantum unum? tunc quando solum habet aliquem defectum vel quia caret brachiis aut tibiis.

Quando est certum quod sit duplex homo? quando omnia bene membra sunt duplicia.

Quid agendum sciri an sit unus homo aut tantum duo? si sit certum quod sint duo monstrum debet baptizari secundo; si autem sit dubium debet semel baptizari absolute, et post semel sub conditione si sit alius homo vel quando monstrum habet duo capita tantum.

Cur ex quam causa aliquando nascantur talia monstra? res illa ad medicos spectat, et generaliter dicunt fieri vel ex copia aut inopia materiae. multum etiam confert imaginatio mulieris gravidae. exempla passim obvia sunt.

finis

Liber Tertius Physicorum

De Motu

Quare in tertio libro agit aristoteles de motu? quia cum ex professo in his libris physicorum agatur de corpore naturali hic agendum est de proprietatibus eius inter quas una est motus.

Unde probas motum esse proprietatem corporis naturalis? actualis motus non est eius proprietas sed aptitudo ad moveri.

Declara actualem motum non esse eius proprietatem: quia actualis motus non convenit corporibus necessario sed contingenter.

Ostende aptitudinem ad moveri esse proprietatem corporis naturalis: etiam hoc certo probari non potest quod sit proprietas corporis naturalis cuiuslibet.

Quare hoc non probatur sufficienter ex definitione naturae? quia non est certum quod illa particula atque habeat vim coniunctionis copulativae, quia multi sustinent illam habere vim disiunctivae.

An aptitudo ad moveri vel quiescere sit proprietas corporis naturalis? imo.

Unde probatur? ex definitione naturae.

Quid est motus? definitur hic actus mobilis ut mobile est. ut motus coeli.

Quotupliciter sumitur actus? dupliciter pro actu informante, et pro actu componente.

Utro ex illis sumitur hic? sumitur pro forma informante.

Quid est actus mobilis hic? idem quod forma informans ipsum mobile.

An omnis actus mobilis sit motus? non.

Da ergo actum mobilis qui non est motus: albedo hic est actus parietis et tamen albedo non est motus.

Quare non? quia licet albedo sit actus mobilis non tamen est actus mobilis ut mobile est, quia non respicitur a mobili ut tali.

Defini aliter motum: est transitus subiecti ab una forma ad aliam.

Quomodo cum transitus idem sit quod motus? nego.

Declara ergo transitum latius patere quam motum? quia una substantia completa etiam potest transire in aliam sine motu.

Declara in exemplo: sicut substantia panis transit in substantiam Christi et tamen per illum transitum non mutatur panis quia id quod mutatur per transitum debet manere sub termino ad quem sed panis

autem non manet sub termino ad quem in casu nostro.
Quomodo recte sic definitur motus cum terminus motus non debe-
ant esse formae? quilibet terminus motus non debet esse forma ne-
cessario tamen quilibet motus habet aliquem terminum a quo et
aliquem ad quem qui sit forma
Declara alioquin non generaliter esse verum quod terminus
motus debeat esse forma: quia homo v.g. est terminus ad
quem per se generationis, et tamen homo non est forma; simili-
ter alimentum est terminus a quo nutritionis et tamen non est
forma; ergo solum debet esse verum de terminis per se pri-
mo quod debeant esse formae, non autem de terminis per partem
aut etiam de terminis per accidens.
Quomodo hoc est verum de terminis per se primo cum termi-
nus per se primo possit esse privatio formae? non refert.
Quomodo ergo recte dictum est quod terminus per se primo
motus debeat esse forma? equidem recte quia forma capitur
hic tam late ut etiam privationes comprehendat.
An quaelibet res possit esse subiectum motus? non.
Dic generatim quaenam res non possint esse subiectum motus.
illae quae non possunt transire ab una forma ad aliam.
Specifica: deus, item puri modi
Quare deus non potest esse subiectum motus? quia deus non
potest ab una forma reali transire ad aliam formam realem
quia quod ab una forma reali ad alteram transit debet vel ac-
quirere aliquam perfectionem, vel aliquam perfectionem amittere
neutrum autem potest habere locum in deo.
An saltem deus possit transire ab una forma rationis ad
aliam? imo quia sic transit deus quando moritur petrus,
tunc enim transit a coexistentia cum petro ad negationem
talis coexistentiae.
Quare puri modi non possunt esse subiectum motus? quia
non sunt capaces ullius formae realis ipsis superadditae, non
possunt ergo ab una tali forma reali ad aliam transire.
Quid terminus motus? est id quod acquiritur mobili vel deper-
ditur illi per motum
Quare non sic est forma quae per motum acquiritur vel de-
perditur? quia non est necesse ut quilibet terminus motus sit
forma.
Divide terminum motus: dividitur in terminum a quo motus,
et ad quem motus.
Quid terminus a quo motus? est res illa quae deperditur motu

mobili per motum.

Quid terminus ad quem motus? est illa res quae mobili acquiritur per motum.

Assigna in aliquo exemplo terminum a quo et terminum ad quem motus: sic v.g. quando aqua transit a frigore ad calorem, terminus ad quem est calor, et terminus a quo est frigus.

An motus sit idem quod actio? non.

An actio et motus essentialiter differant? imo, quia actio et motus respiciunt essentialiter diversa quia motus respicit essentialiter terminum a quo, quem non respicit essentialiter actio.

An necessario concomitentur se motus et actio? non.

Da actionem quam non concomitatur motus: talis est actio qua Deus produxit angelum.

Proba illam actionem non debere motum concomitari? quia quando creatur angelus non datur ibi aliquod subiectum quod debeat ab una forma ad aliam transire.

Quomodo cum ille angelus transeat a non esse ad esse? angelus proprie non transit ad esse a non esse, quia angelus ante non praeexistebat, id autem quod acquirit aliquem terminum per motum debet prius extitisse, quia prius debet fuisse sub termino a quo motus.

An econtra possit dari motus quem nulla nova actio positiva concomitetur? imo

assigna aliquem talem motum: ut motus aeris a lumine ad privationem eius sive tenebras.

Proba tunc non debere intervenire aliquam actionem positivam de novo: quia cum tenebrae non sint aliquod ens positivum non est ulla nova actio positiva necessaria ut tenebrae acquirantur, sufficit ergo aliqua actio privativa in illo casu.

Da casum quo actio et motus concomitantur se mutuo: dum aqua transit a frigore ad calorem, quia motum illum concomitatur actio productiva ipsius caloris.

An omnem actionem positivam creaturae concomitetur aliquis motus? imo, de facto iam sic accidit naturaliter loquendo, quia creatura non potest quidquam producere nisi dependenter a subiecto sustentante, quando autem illud subiectum iam praeextiterit necessarium est ut subiectum illud mutetur tali casu.

Declara tamen hoc non esse necessarium absolute, et etiam naturaliter loquendo: sic v.g. angelus primo instanti suae existentiae producit intellectionem quam intellectionem non concomitatur

motus angeli, quia ut supponitur angelus elicit illam intel-
lectionem primo instanti suae existentiae; ergo non praeextitit ante
intellectionem, et consequenter non transit tali casu angelus
a privatione intellectionis ad intellectionem.
An omnis forma subiecto per motum acquiratur? non.
Quaenam forma non acquiritur subiecto per motum? illa quae
simul producitur cum ipso subiecto.
An quando terminus ad quem motus est positivus debeat habere
motus coniunctam novam actionem positivam? hoc etiam necessa-
rium non est.
Quare non requiritur tunc nova actio terminata ad istum ter-
minum ad quem? quia fieri potest quod terminus ad quem fuerit
productus prius.
Declara in exemplo: sic quando nutritur homo terminus ad quem
nutritionis est anima rationalis; iam autem illa anima rationa-
lis quae tunc acquiritur in materia prima alimenti non producitur
tunc de novo, sed illa infuit homini ab initio suae existentiae.
An saltem praesentia termini ad quem debeat tunc de novo pro-
duci? non est necessarium.
Quomodo cum sine illa terminus ad quem non possit esse prae-
sens subiecto motus? non refert quia fieri potest quod forma
antea fuerit praesens in eodem spatio, tunc autem non est opus
nova actione terminata ad istam praesentiam.
An saltem sit necessaria nova actio terminata ad unionem ter-
mini ad quem cum subiecto? ne quidem illa est necessaria, quia
etiam illa unio potuit extitisse ante illum motum.
Declara dando casum in quo hoc accidat: sic tamquam si anima
rationalis esset unita materiae primae Romae, sed eadem materia
esset hic replicata Lovanii, posset tunc Lovanii acquirere istam ma-
teriam eandem animam rationalem simul cum eadem unione
quam prius habuit Romae.
Qua apparentia potest sustineri quod motus coincidat cum ac-
tione? dicendo quod quando intervenerit actio positiva terminata
ad terminum ad quem, quod motus tunc sit illa actio positiva
habens coniunctam deperditionem termini a quo, sed ordinarie
motus non solet sic considerari, sic enim posset coincidere
cum quiete positiva a parte rei.

An motus coincidat cum passione? non
declara quod illa non sit generaliter eadem: quia receptio qua sub-
iectum recipit formam primo instanti sue existentie illa non
potest coincidere cum motu
Qualis res est motus positiva an negativa? potest dici quod sit
aliquid negativum potest tamen etiam subinde considerari tan-
quam sub positivum
declara motum prout ordinarie consideratur esse sub negativis:
quia ordinarie consideratur motus tanquam aggregatum ex
acquisitione termini ad quem, et deperditione termini a quo
sic autem consideratus motus debet esse sub negativum, quia
involvit unam partem negativam nempe deperditionem ter-
mini a quo.
Quomodo consideratus motus potest esse sub positivum? si acci-
piatur pro acquisitione termini ad quem habens coniunctam
deperditionem termini a quo.
Utrum est prius tempore in motu acquisitio termini ad quem
an deperditio termini a quo? neutrum est prius tempore
proba quod acquisitio termini ad quem non sit tempore prior:
quia si ita prius tempore acquireretur in materia prima
forma cadaveris quam expelleretur anima rationalis de-
berent simul tempore inesse eidem forma cadaveris et anima
rationalis.
proba hoc non posse fieri: quia anima rationalis et forma
cadaveris sunt formae repugnantes.
Quare non potest dici quod acquisitio termini ad quem sit
tempore posterior quam deperditio termini a quo? quia tunc
quando homo moreretur deberet materia prima carere omni
forma substantiali nimirum tunc quando perdit formam
antiquam, tunc enim nondum habet novam supposito quod ac-
quisitio termini ad quem sit tempore posterior ergo restat
ut sint simul tempore acquisitio termini ad quem et
deperditio termini a quo.
An acquisitio termini ad quem, et deperditio termini a quo
sint simul natura? non.
Utrum ergo ex illis est natura prius altero? acquisitio ter-
mini ad quem est natura prior deperditione termini a quo

quia ideo expellitur forma antiqua quia introducitur nova.
An in illo priori naturae quo acquisitio termini ad quem est natura prior deperditione termini a quo non insint simul forma nova et antiqua? non

Quomodo ergo tunc insit forma nova et antiqua nondum expulsa? illud instans naturae quo acquisitio termini ad quem est natura prior, solum est instans rationis in quo neque concipitur forma antiqua expulsa, neque etiam adhuc inexistens. sed tunc praescinditur ab utroque, quia neque potest cum fundamento concipi ut inexistens, neque etiam ut absens.

Quomodo debeant opponi termini motus? non est necessarium quod opponantur, frequenter quidem opponuntur contrarie, privative, vel etiam contradictorie non tamen semper.

An sit necessarium terminos eiusdem motus saltem repugnare? R. non est necesse quod repugnent quoad inexistentiam.

Da motum cuius termini non repugnant absolute: talis est motus intellectus quando transit a conceptu Petri ad conceptum Pauli

Declara terminos istius motus non repugnare absolute quoad inexistentiam: quia illi duo conceptus bene possunt simul inesse eidem intellectui

An non debeant ullo modo repugnare termini motus? imo, in quantum scilicet sunt termini motus, quia terminus a quo debet excludi propter adventum termini ad quem, licet absolute uterque terminus possit simul inesse si intelligens vellet.

De Infinito

Qua ratione agitur hic de infinito? quia forte finitum vel infinitum est aliqua proprietas corporis naturalis
vox infinitum est vox aequivoca, aliquando enim sumitur pro eo quod non habet finem, secundo sumitur pro eo quod non habet finem distinctum a principio et medio, et pro eo cuius finem non [illegible] sequitur, denique pro infinito in essentia.
Da infinitum in prima acceptione: punctum eo modo infinitum

est
Da infinitum in secunda acceptione: circulus est eo modo infinitus.
Da infinitum in tertia acceptione: supremum coelum, illius enim finem non facile possunt assequi homines.
Da infinitum in quarta acceptione: deus.
Da sic creaturam: non datur.
Quare non illa quae haberet perfectiones infinitas? quia etiam talis non esset infinita in essentia, quia ens infinitum in essentia debet omni imperfectione carere hoc autem creatura convenire non potest.
Quam ergo imperfectionem debet habere omnis creatura? dependentiam ab alio.
In qua ex illis acceptionibus infiniti accipitur infinitum hic? in nulla.
Quotuplex est infinitum de quo solet agi hic? duplex, infinitum actu, et infinitum potentia.
In quo differunt infinitum actu, et infinitum categorematicum? non differunt, sicut etiam non differunt infinitum potentia, et infinitum syncategorematicum.
Quid infinitum potentia sive syncategorematicum? est quod constat partibus succedentibus, sine ~~fine~~ vel quod potest sine fine dividi vel sine fine augeri.
Divide infinitum potentia: dividitur in infinitum potentia successivum, in infinitum potentia divisione, et infinitum potentia additione
Quid infinitum potentia successivum? quod constat partibus succedentibus sine fine. tempus aeternum si daretur, immo in aliquorum sententia etiam quodlibet tempus est tale.
Quid infinitum potentia divisione? quod potest sine fine dividi. ut quodlibet continuum in sententia aristotelis quia aristoteles componit continuum ex divisibilibus sine fine. ut latius dicetur in metaphysica.
An omne infinitum actu non sit infinitum potentia divisione? immo.
Quomodo cum sit omne infinitum actu debeat etiam esse infinitum potentia? omne infinitum actu sive categorematicum est infinitum potentia sive syncategorematicum.
Quid infinitum potentia additione? est quod potest sine fine augeri. ut quilibet numerus est eo modo infinitus, quia quilibet numerus potest sine fine augeri

Quomodo infinitum potentiâ additionis dicitur infinitum intrinsice an extrinsice? extrinsice, quia dicitur infinitum ex eo, quod detur aliqua potentia quae illud infinitum augere possit.
An similiter infinitum potentiâ divisionis sit etiam extrinsice infinitum? imo. quatenus videlicet tale est
Quare additur illa clausula? quia infinitum potentiâ divisione simul etiam est infinitum actu ut dictum est, et eatenus est intrinsice infinitum, sed tamen quatenus dicitur infinitum potentiâ divisionis dicitur tale extrinsice, sumpto a potentia sibi extrinseca per quam sic potest dividi in infinitum.
Quid infinitum actu? generatim est quod constat partibus simul existentibus sine fine. dubium est. an de facto ullum tale detur, imo etiam dubium est an tale sit possibile. interim numerus infinitus hominum si daretur esset infinitum actu.
An infinitus numerus angelorum etiam esset infinitum actu si daretur? imo.
An aggregatum ex omnibus hominibus possibilibus sit infinitum actu? non, quia partes infiniti actu debent existere simul omnes autem homines possibiles non existunt simul.
Da definitionem aristotelicam infiniti actu: est cuius semper aliquid extra rationem quantitatis accipi potest. ut numerus infinitus hominum si daretur, item quantitas in infinitum extensa si daretur.
An haec definitio sit convertibilis cum praecedenti? non. quia prior definitio est latior.
Da ergo contentum priori definitione, et non posteriori: infinitus numerus angelorum, item animarum rationalium si daretur.
Ostende tale infinitum non contineri hac definitione aristotelica: quia excluditur per genus definiti quod est quantum permanens.
Quare genus definiti restringitur ad quantum permanens? ut excludatur tempus aeternum si daretur, quia illud est quantum successivum.
An infinitum actu debeat esse quantum continuum permanens? non est necesse, quia bene potest esse quantum permanens discretum.
Da infinitum actu quod est quantum continuum permanens:

Linea in infinitum extensa si daretur.
Da infinitum actu quod est quantum discretum: infinitus nu=
merus hominum partes enim talis infiniti non ita copulantur
termino communi sicut partes continui.
Quomodo sumitur quantum hic [illegible] sicut est genus definiti
subintellectum concretum an abstractum? sumitur late sicut com=
prehendit quantitatem abstractam et concretam.
Quare quantitas abstracte sumpta non potest hic subintelligi
pro genere definiti? quia tunc aggregatum ex infinitis homi=
nibus non esset infinitum actu hac definitione contentum, quia
falsum est quod tale aggregatum sit quantitas sumpta abstrac=
tive.
Quare pro genere definiti non potest subintelligi quantum con=
cretum sumptum tantum? quia sic sumendo linea in infini=
tum extensa non esset infinitum actu, quia non est quantum
permanens sumendo quantum concretum.
Quid refert relativum cuius? genus definiti verificatum
pro definito.
Quam habitudinem dicit obliquus Cuius? habitudinem totius
integralis ad partem.
Declara dando sensum definitionis: quia sensus est infinitum
actu est quantum permanens, ex quo tanquam toto integrali
semper aliquid potest accipi extra.
An ergo totum essentiale quod haberet infinitas partes essentia=
les contineretur hac definitione? non, quia licet ex tali toto
possent accipi infinitae partes essentiales, non tamen infinitae
partes integrales.
Quid aliquid in hac definitione? est pars integralis finita
et condistincta.
Quare aliquid restringitur ad partem integralem finitam?
quia procedendo per partes infinitas bene potest exhauriri infi=
nitum actu, quia quodlibet infinitum potest dividi in duas par=
tes aequales.
An interim absolute loquendo per aliquid non possit intelligi pars
integralis infinita? imo.
Quomodo cum non continebitur illud infinitum quod nullas habet

partes infinitas? quaestio supponit falsum, quia omne infini-
tum habet infinitas partes infinitas, unde poterunt infinitis
partes infinities extrahi ex infinito. interim tamen tales par-
tes extrahendo non oportet capere partes infiniti nimis magnas,
quia non licet capere duas medietates, imo nec etiam mille-
simam partem, sic enim millies trahendo haberemus finem.
An ergo minimum infinitum habeat etiam infinities infinitas
partes? ~~imo~~ quaestio supponit falsum, quia quolibet infinito assig-
nato medietas ipsius erit etiam infinita.
Quare infinitum non potest constare duabus medietatibus finitis?
quia ex duabus medietatibus finitis non potest aliud exurgere
quam finitum, quia finities tantum procedendo per partes fini-
tas venitur ad finem, unde falsum est quod sine fine possit
aliqua pars accipi ex tali toto.
An quarta pars infiniti possit esse infinita? non, neque quarta
neque millesima, nec centesima millesima.
An infinitum possit sine fine dividi per partes proportionales?
imo.
Quid partes proportionales? sunt partes quae se habent ad totum
tanquam dividuum ipsius. ut duae lineae pedales respectu lineae bipe-
dalis, item duae lineae semipedales respectu lineae pedalis.
An omne totum possit dividi per partes proportionales? non.
Da totum quod non potest eo modo dividi: numerus ternarius, item
numerus quinarius.
Quare numerus ternarius non potest sic dividi in duas partes
quarum unaquaeque contineat unum cum medio? quia unitas in
ratione numeri est indivisibilis.
Quid partes communicantes? sunt partes non condistinctae.
An iuxta Aristotelem infinitum actu dividatur sine fine per par-
tes proportionales et communicantes? imo.
Quid partes non communicantes? sunt partes condistinctae.
Da totum quod dividitur in partes non communicantes: sic divi-
ditur linea pedalis quando dividitur in duas partes semipe-
dales.
Da divisionem factam per partes proportionales: talis esset
divisio qua lignum bipedale primo divideretur in partes peda-
les, et pars pedalis ulterius in partes semipedales, et pars
semipedalis ulterius in duas quartas, et sic consequenter.
An infinitum actu etiam non possit dividi sine fine in partes

equales? imo quia divisio sine fine facta per partes proportionales necessario trahit secum divisionem sine fine in partes equales.

Quare ergo aristoteles voluit infinitum actu posse dividi in partes equales et non communicantes potius quam per partes proportionales et communicantes? quia iuxta aristotelem homo et generatim omne continuum potest sine fine dividi per partes proportionales et communicantes, homo tamen iuxta aristotelem non est infinitum actu quia secundum ipsum non potest dividi sine fine in partes proportionales et non communicantes.

An in hoc aristoteles recte censuerit? non, sed in sententia eius de compositione continui ex indivisibilibus sine fine necessario sequitur quod omne continuum sit infinitum actu, quia omne continuum non tantum per partes proportionales et communicantes, sed etiam per partes equales et non communicantes potest dividi sine fine.

An interim non sit aliquis modus excludendi quodlibet continuum ab hac definitione? imo si per aliquid intelligatur talis pars integralis que seorsim potest existere ab aliis, in tales enim partes non potest sine fine dividi lignum pedale licet supponatur quod componatur ex indivisibilibus sine fine.

Quomodo aristoteles hic definit infinitum actu cum valde probabile sit illud esse impossibile? non refert, quia impossibilia tam bene definiri possunt quam possibilia.

Quomodo equidem potest definiri infinitum cum infinitum sit ignotum? etiamsi denominatio vocis infinitum non sit nobis notum formalis tamen ratio infiniti nobis ignota non est.

An de facto detur aliquod infinitum actu? Et de facto non datur infinitum actu quantitativum secundum aristotelicum intelligendo per infinitum actu quantitativum tale quod potest sine fine dividi in tales partes que seorsum possunt existere.

proba de facto tale infinitum quantitativum de facto non dari quia neque supremum coelum est actu infinitum, neque aliquod corpus contentum intra supremum coelum.

proba nullum corpus contentum infra supremum coelum esse infinitum actu: quia cum ipsum supremum coelum sit finitum non potest continere infinitum, quia infinitum non potest concludi

intra finitum.

Qua ratione probas supremum coelum non extendi in infinitum per spatia imaginaria? hoc non potest ulla ratione naturali probari saltem efficaciter quia licet probabile sit infinitum actu esse possibile potuit Deus illud producere si voluerit an autem voluerit vel non, non possumus nos colligere per rationem.

Unde probatur quod de facto non detur infinitum actu? maxime videtur hoc probari ex scriptura quae indicat Deum fecisse omnia in pondere et mensura, consequenter non fecisse aliquod infinitum

An aristoteles recte probet de facto non dari infinitum actu? non, quia si daretur infinitum actu illud deberet esse immobile iam autem omne corpus naturale est mobile.

Declara illam rationem aristotelis non concludere: quia etiamsi daretur infinitum actu illud bene posset esse mobile.

Quo motu posset esse mobile infinitum actu si daretur? posset mobile motu alterationis.

An etiam posset esse mobile motu locali? imo.

Quo motu locali posset esse mobile? in primis motu conversionis.

An etiam posset esse mobile motu translationis? imo.

Quomodo cum non possit de uno loco in alium transire? imo

Quomodo cum infinitum si daretur deberet omnem locum occupare? nego. probatur hoc non esse necessarium, quia media pars infiniti etiam est infinita, clarum autem est medietatem illam non occupare omnem locum, sed dimidium tantum istius loci quem occupat totum.

Quomodo supremum coelum non est de facto infinitum cum illud nihil tangat aliud? non refert, quia equidem non extenditur sine fine per spatia imaginaria, ut ante ex scriptura probatum est.

An extra omnes coelos non concipiamus spatium imaginarium extensum infinitum? imo.

Quomodo ergo de facto non datur infinitum actu, nempe illud spatium imaginarium? quia spatium illud imaginarium vel est ipsa met immensitas Dei vel est aliquod ens rationis, utroque autem casu excluditur a definitione aristotelica infiniti

Declara utroque casu excludi spatium imaginarium a definitione

ne infiniti: quia non est quantum, adeoque excluditur per genus definiti quod est quantum.

An aggregatum ex omnibus animabus rationalibus non sit infinitum actu saltem late? non quia cum mundus solum duraverit tempore finito impossibile est ut sint animae rationales sine fine.

An si mundus fuisset ab aeterno non essent de facto infinitae animae rationales? Hoc ex eo non sequitur, quia potuisset esse ab aeterno mundus et animae rationales hominum mortuorum iterum ad corpora redire, et sic finitae animae rationales sufficerent ad continuandam durationem mundi in infinitum.

An sit possibile infinitum actu per deum? Hoc utrimque probabiliter disputatur, multi enim authores sunt pro una parte, multi etiam sunt pro parte opposita: et similiter pro utraque parte sunt valde fortes rationes.

Quibus argumentis probatur pars affirmativa scilicet quod sit possibile infinitum actu? In primis est illud tritum quia nihil est denegandum omnipotentiae divinae quod non implicat contradictionem, infinitum actu autem non implicat contradictionem, sed quia altera sententia facile negat illud suppositum, ideo non multum fidendum est isti argumento.

Proba aliqua meliori ratione esse possibile infinitum actu? quia cogitationes hominum et angelorum per totam aeternitatem futurae erunt infinitae, deus autem potest omnes illas cogitationes producere simul si vellet.

Unde probas quod deus possit producere omnes illas cogitationes simul? quia non dependent a tempore, et consequenter possunt in quolibet tempore simul existere.

Unde probatur quod illae cogitationes per totam aeternitatem futurae sint numero infinitae? quia si tantum essent finitae numero possent tandem perveniri ad finem aeternitatis, hoc autem est impossibile.

Quomodo potest solvi probabiliter illud argumentum? Dicendum est quod illae cogitationes hominum et angelorum possent durare per totam aeternitatem etiamsi tantum essent finitae quoad numerum si v.g. eaedem cogitationes quae semel extiterunt postea iterum reproducerentur, quod facile potest fieri per omnipotentiam dei.

Proba aliquo argumento esse possibile infinitum actu: quia ut docetur latius in libris de coelo mundus potuit fuisse ab aeterno, hoc autem supposito potuisset deus ab aeterno hucusque singulis instantibus creare unum angelum aut animam

rationalem quod si Deus fecisset produxisset iam infinitas ani-
mas rationales aut angelos.
Declara argumentum desumptum ab aeternitate mundi non esse
efficax ad probandum possibile esse infinitum actu? quia in fide-
libus negari potest mundum potuisse esse ab aeterno.
An eo supposito argumentum sit efficax? non, quia etiam eo sup-
posito Deus non potest plura producere quam sint possibilia, pro-
babile autem est infinitum actu non esse possibile, uti sustinet sen-
tentia adversa contra quam proponitur istud argumentum.
Quibus argumentis nititur sententia negans infinitum actu
esse Deo possibile? potissimum isto, quia infinitum actu implicat
contradictionem.
Quo argumento probatur quod infinitum actu implicat contra-
dictionem? fortissimum est hoc: si essent possibiles infiniti homi-
nes possent disponi per modum pyramidis ita ut in cuspide istius
pyramidis esset tantum unus homo, postea autem sequeretur
ordo duorum hominum, postea trium et sic consequenter in in-
finitum procedendo, atqui hoc implicat contradictionem manifes-
tam, ergo impossibile est dari infinitos homines.
proba illos infinitos homines posse sic disponi sicut dicitur:
quia non potest sufficiens ratio dari, quare infiniti non tam
bene possent sic disponi quam finiti.
proba hoc implicare contradictionem manifestam: quia ex tali
dispositione sequeretur quod prima linea infinita in tali pyra-
mide tantum superaret in uno homine ultimam lineam fini-
tam.
Declara in eo esse manifestam contradictionem: quia ex nu-
mero finito addita unitate non potest fieri infinitum, quia
extrahendo tantum duas partes finitas, tolleretur totum,
ergo non posset procedi sine fine per partes finitas in tali to-
to.
Unde probatur illud argumentum non esse omnino efficax? quia
si illud esset efficax probaret etiam Deum non esse immensum
nec aeternum, unde ab omnibus solvendum est illud argumentum.
proba ergo hoc argumentum posse retorqueri contra immensi-
tatem Dei: quia omnia puncta spatii imaginarii quae Deus occu-
pat possunt sic concipi constitui ut Deus sit in uno puncto,
postea in circulo immediate ambiente illud punctum, deinde in
alio circulo paulo maiori ambiente immediate circulum priorem,
et sic consequenter sine fine, ita ut ultimus circulus finitus

superaretur tantum in parte finita a primo circulo infini-
to, hoc autem contradictionem implicat.
An in nostra piramide Deus non noscat ultimam lineam fi-
nitam, et primam infinitam? non.
Quomodo cum ex eo sequatur dari aliquid quod non cognosca-
tur a Deo, etiamsi a Deo sit productum? nego hoc sequi.
proba Deum non cognoscere in ista piramide ultimam lineam
finitam: quia Deus non cognoscit quidquam in ista pira-
mide quod ibi non est, iam autem in ista piramide nec da-
tur ultima linea finita, nec prima infinita.
proba illam responsionem non debere censeri absurdam: quia in
sententia quae componit continuum ex divisibilibus sine fine
oportet etiam admittere quod Deus non cognoscat in continuo
illam partem quae sit ulterius divisibilis, et consequenter
Deus non novit ultimam divisionem quam potest facere cum
isto continuo, quia videlicet ibi non datur ultima divisio
possibilis, ergo similiter in piramide nostra Deus non cognoscet
ultimam lineam finitam, quia ibi non datur ultima linea
finita, et ob eandem rationem non cognoscet etiam primam
lineam infinitam, quia ibi non datur prima linea infinita.
An si non esset possibile infinitum actu sequeretur quod poten-
tia Dei non esset infinita? non.
Quomodo non, cum sequatur quod non possit producere infi-
nitum actu? non refert.
declara quod eo non obstante poterit dici infinita Dei omnipo-
tentia: quia identificatur a parte rei naturae divinae quae infi-
nita est, quod autem potentia Dei debeat etiam esse infinita ex
parte termini quem potest producere hoc nullo efficaci argu-
mento probari potest.
An Deus possit producere omne producibile? imo.
An ex eo sequatur quod Deus possit producere infinitum actu?
non, quia prius oporteret probare quod infinitum actu esset pos-
sibile.
An ex eo quod Deus possit producere infinitum numerum suc-
cessive recta sequatur quod Deus possit producere infinitum actu?
non, quia ad infinitum actu non sufficit ut constet partibus suc-
cedentibus sine fine, sed debet habere partes simul existentes
sine fine.
Quomodo recte cum si possit tale infinitum producere successive,
posset etiam illud producere simul? nego hoc sequi.

Quomodo cum non sint res possibiles producibiles successive sed non simul? nego.

proba ergo aliquas tales res esse possibiles successive, sed non simul: quia possibiles sunt puri modi essentialiter affixi diversis partibus temporis imaginarii, qui proinde puri modi non magis possunt simul existere quam illae partes temporis imaginarii.

proba esse possibiles tales puros modos essentialiter affixos diversis partibus partibus temporis imaginarii: quia de facto bene dantur puri modi essentialiter affixi diversis partibus spatii imaginarii, ergo videtur a paritate rationis sequi quod possint dari tales puri modi essentialiter affixi diversis partibus temporis imaginarii.

proba antecedens nimirum dari plures modos essentialiter affixos diversis partibus spatii imaginarii: quia tales puri modi sunt praesentiae locales, ut v.g. praesentia quam Petrus habet hic, et praesentia quam habet Petrus, vel aliquis alius in foro, quidem praesentia quam habet Petrus hic essentialiter respicit hoc spatium, ita nempe ut per deum non possit esse extra illud spatium, et similiter praesentia quae est in foro, etiam essentialiter respicit illud spatium quod est in foro.

An non possit aliquid essentialiter respicere alterum et tamen illi non coexistere? imo. quia sic v.g. nos iam producimus conceptum de Antechristo qui essentialiter respicit antechristum, et tamen nos per conceptus non coexistit antechristo.

Quomodo recte infertur quod praesentia ad hunc locum non possit esse extra hunc locum quia respicit hunc locum essentialiter? ex quocumque respectu essentiali non recte infertur coexistentia illius quod respicit et istius quod essentialiter respicitur ut recte probat obiectio, datur tamen certus respectus essentialis qui necessario requirit coexistentiam utriusque extremi, et talem respectum dicimus esse quem habet praesentia localis ad spatium imaginarium in quo reperitur, talem etiam respectum essentialem haberet puris modis essentialiter affixis certis partis temporis imaginarii

An aliqua non possint essentialiter respicere eandem partem
spatii imaginarii, et tamen non coexistere? imo [illegible] praesen-
tia quam habuit petrus heri in hoc loco, et praesentia quam
habuit petrus hodie essentialiter respiciunt eandem partem spa-
tii imaginarii, et tamen non existunt.
An possint existere in eodem spatio res essentialiter respicien-
tes diversas partes spatii? imo: quia petrus potest simul ha-
bere in suo intellectu, adeoque in eodem spatio duos conceptus
quorum unus repraesentat hanc partem spatii imaginarii
et alius conceptus aliam partem spatii imaginarii.
An similiter possint res essentialiter respicientes diversas partes
temporis imaginarii existere simul? imo quia tales res sunt
etiam duo conceptus quorum unus repraesentaret hanc par-
tem temporis imaginarii quae modo existit, alius autem aliam
partem temporis imaginarii.
An deus posset tales conceptus simul producere? imo, quia
etiam homo bene producit illos simul.
Quomodo ergo ex eo quod aliqua essentialiter respiciant
diversas partes temporis imaginarii sequitur quod non possint
simul produci a deo? hoc non sequitur ex quocunque respectu
essentiali ut recte probat obiectio, sequitur tamen hoc bene
ex tali respectu essentiali qui necessario requirit coexisten-
tiam utriusque extremi, tam autem respectus ille essentialis
quem habent prius modus ad certam partem temporis ima-
ginarii, ille est posterioris generis, adeoque essentialiter require-
ret coexistentiam utriusque extremi.
An deus posset omnes entitates possibiles stricte dictas
simul producere? imo: quia cum tales res sint independen-
tes a tempore nulla potest dari ratio sufficiens quare per
deum tales res non possint existere simul.
An deus possit producere assensum et dissensum eiusdem
propositionis? ita.
An ergo deus possit assentiri et dissentiri eidem propositioni?
non
declara hoc non secuturum si deus produceret simul assensum
et dissensum et dissensum eiusdem propositionis: quia ad hoc ut
aliquis assentiatur alicui propositioni debet vitaliter elicere

assensum propositionis, Deus autem concurrens cum homine ad aliquem assensum non elicit vitaliter istum assensum, nihil ergo impedit quo minus homo replicatus hic et Romae assentiatur alicui propositioni hic et Romae dissentiatur eidem.

Qualis nos essemus albi an nigri si Deus produxisset omne producibile? essemus utrumque, quia deberet omnia contraria produxisse in eodem subiecto quae in illo possent produci.

An possemus nos mutuo videre si Deus produxisset omne producibile? non, quia tunc inter me et te deberet totus mundus esse intermedius exceptis fortasse aliquibus suis modis essentialiter affixis alicui spatio, quia cum omnes res totius mundi possint habere praesentiam hoc loco Deus non potest omne producibile produxisse nisi produxerit praesentiam omnium rerum quae hic praesentes esse possint ex quo sequitur quod totus mundus deberet esse in uno calamo si Deus produxisset omne producibile.

An si Deus produxisset omne producibile possit adhuc aliquid producere? imo.

An Deus possit producere creaturam tam perfectam ut post non possit facere perfectiorem? utrumque probabiliter disputatur.

Proba partem affirmativam quod possit: quia Deus potest producere totum quod potest producere ut videtur per se clarum, supposito autem quod Deus hoc faciat, tunc debuit produxisse creaturam perfectissimam, alias non fecisset totum quod potuisset.

Quo argumento nihilominus probatur opposita pars? quia non est possibilis perfectissima creatura, Deus autem tantum potest producere id quod est possibile.

Proba non esse ~~quam~~ possibilem perfectissimam creaturam: quia data qualibet creatura Deus semper poterit facere aliquam aliam perfectiorem, quia in infinitum imitabilis est essentia divina, ac proinde data quacunque creatura possibilis est alia quae imitetur perfectius essentiam divinam quam prior.

An Deus possit producere creaturam infinitae perfectionis essentialis? si per creaturam infinitae perfectionis essentialis intelligatur illa quae caret omni imperfectione talis creatura ne quidem per Deum dari poterit, quia omnis creatura necessario habet hanc imperfectionem dependere ab alio.

An sit possibilis saltem aliqua creatura quae habet perfectiones
sine fine? de illa idem dicendum est quod de infinito actu, unde
si illud sit possibile uti probabile esse ante ostendimus erit etiam
possibilis talis creatura de qua quaestio, si autem non sit possibile
infinitum actu, tunc etiam non erit possibilis talis creatura
de qua quaestio.

An id quod habet plures numero perfectiones semper sit perfec-
tius quam id quod habet pauciores numero? non.
proba: quia una simplex perfectio potest aequivalere vel etiam
superare plures realiter distinctas, imo caeteris paribus per-
fectius est aliquid secundum idem sui posse praestare multa quam
gratia diversarum partium.

finis

Liber Quartus De Loco

Qua occasione agitur hic de loco? quia esse in loco est aliqua proprietas corporis naturalis.

Quotupliciter sumitur locus? dupliciter, pro loco vulgari, et pro loco philosophico.

Quid locus vulgaris? est spatium imaginarium penetrans locatum.

Quid locus philosophicus? est superficies ambiens locatum

Da tuum locum vulgarem: spatium imaginarium me penetrans.

Da tuum locum philosophicum: superficies aeris me proxime ambiens.

An quis possit mutare locum philosophicum, et non locum vulgarem. Ita quod mutat sic locum: turris, manet semper in eadem parte spatii imaginarii, frequenter tamen mutat locum philosophicum, quia aer proxime ambiens turrim continuo per ventum mutatur, et sic continuo succedit alia et alia superficies.

An econtra aliquis possit locum vulgarem et non philosophicum? imo. Ut Cerevisia contenta in vase quando vas transffertur hinc ad forum.

Declara quod tali casu mutet locum vulgarem: quia transit ab una parte spatii imaginarii ad aliam partem spatii imaginarii.

Declara quod Cerevisia in eodem casu non mutet locum philosophicum: Quia superficies concava vasis quae proxime ambit cerevisiam supponitur manere eadem.

An locus sit verum ens reale? Locus vulgaris non est verum ens reale.

Quomodo cum spatium imaginarium sit verum ens reale? nego, sed dicimus illud esse ens rationis, quia tale spatium etiam datur extra omnes coelos, item tale spatium erat hic antequam conderetur mundus.

Quo fundamento nihilominus dicunt aliqui spatium imaginarium esse ens reale? quia putant illud spatium nihil aliud esse quam ipsam immensitatem Dei quasi extensam per omnia ubicunque potest dari aliquod corpus.

An locus philosophicus sit aliquod verum ens reale? est ens

reale hoc sensu quia potest realiter existere, non debet tamen esse sub fassione id est unius naturae, quia potest esse aggregatum per accidens ex variis superficiebus, quae simul ut non constituunt sub unius naturae.
An interim locus philosophicus non possit etiam esse sub unius naturae? imo. ut locus philosophicus hominis totaliter immersi intra aquam, omnes enim partes superficiei aquae proxime ambientes talem hominem uniuntur unione per se.
Da locum philosophicum qui tantum est aggregatum per accidens: locus philosophicus proxime ambiens hominem sedentem in scamno.
Ostende quod sit tantum aggregatum per accidens: quia illa superficies componitur ex pluribus aliis quae non uniuntur unione per se.
Unde probas quod superficies scamni et superficies aeris non uniantur unione per se? quia non magis possunt uniri unione per se quam ipsarum subiecta, sicut ergo aer et scamnum non uniuntur per se, ita etiam nec quantitates in ipsis subiectatae, interim secundum illos qui dicunt omnem materiam primam immediate uniri alteri, secundum illos etiam potest dici quod quaelibet superficies sit sub unius naturae.
Quomodo est divisum loci in proprium et communem?
Locus philosophicus totalis ex parte locati.
Quotupliciter dicitur locus aliquis esse partialis? dupliciter partialis et etiam totalis.
Quid locus partialis ex parte loci? est superficies quae ambit locatum gratia alicuius partis tantum.
Quid locus partialis ex parte locati? est locus qui tantum ambit aliquas partes locati.
An similiter locus totalis alius sit totalis ex parte locati alius ex parte loci.
Quid locus totalis ex parte loci? est superficies quae ambit locatum gratia omnium suarum partium.
Quid locus totalis ex parte locati? est superficies quae ambit omnes partes locati.
Da locum partialem utroque modo: superficies scamni in qua sedet homo, quia nec secundum omnes suas partes ambit locatum, neque ambit omnes partes locati.
Da locum utroque modo totalem: superficies proxime et adaequate ambiens hominem.

Quis locus totalis dividitur adequatè in proprium et communem? locus totalis ex parte locati.
Quid locus proprius? in quo primo quippiam est. ut superficies proxime et adequatè ambiens petrum est locus proprius respectu petri.
Quam inexistentiam significat particula in? inexistentiam certi modi, nimirum qua locatum est in loco.
An non possit etiam significare inexistentiam subiecti in sua forma? non, quia nec locus vulgaris nec philosophicus est forma respectu sui locati.
Declara locum vulgarem non esse formam respectu sui locati: quia ille est sub rationibus quod non potest verè subiectari in ente reali quale est locatum.
Declara similiter locum philosophicum non esse formam respectu sui locati: quia locus philosophicus est quidem superficies adeoque forma, non est tamen forma respectu locati, quia non inhaeret interne locato.
Cui ergo interne inhaeret locus philosophicus? corpori continenti.
Declara in aliquo exemplo. sicut superficies concava vasis illa inhaeret interne ipsi vasi, non autem inest interne corpori contento puta cerevisiae aut aquae.
Quando censetur aliquid esse primo in alio prout hic? quando continetur in illo adequatè. sic petrus primo est in superficie ipsum proxime et adequatè ambiente.
Quando censetur aliquid in altero contineri adequatè? quando omne et solum continetur in ipso.
Quando censetur contineri omne? quando nullam habet partem quae non continetur in ipso.
Quandonam censetur aliquid contineri solum in altero? quando illud alterum nihil praeterea continet nisi ipso mediante vel penetrante.
An concava superficies coeli lunae contineat adequatè elementum ignis? imo.
Quomodo cum etiam contineat aerem, terram, et aquam? non refert.
Quomodo non cum ex eo sequatur quod non contineat solum elementum ignis? nego
Declara ergo quod contineat solum elementum ignis eo non obstante: quia tantum continet illa tria, aerem, terram et aquam mediante elemento ignis.

An duo diversa possint contineri in eodem adequate seu primo? imo.
Quomodo cum unum tali casu continebitur solum? nego,
Et dico quod utrumque continebitur equidem solum.
Quomodo cum illud non contineatur solum quod continetur cum altero? imo poterit etiam solum contineri ad sensum huius loci.
Da duo diversa quae sunt primo in aliquo eodem loco: sic ut si petrus et paulus penetrarent adequate se mutuo superficies proxime ambiens utrumque contineret utrumque adequate, ideoque contineret utrumque solum ad sensum huius loci.
Declara: quia verum est dicere de utroque quod sic contineatur ab ista superficie ut nihil aliud nisi ipso mediante vel penetrante.
An non possit etiam fieri naturaliter ut duo quippiam sint primo in eodem loco seu adequate? imo, quia ita de facto naturaliter accidit.
Declara quod superficies ambiens petrum de facto contineat plura: quia sic continet quantitatem petri, et etiam ipsam substantiam petri.
An utrumque istorum sit hic quippiam? imo.
Quid ergo quippiam in definitione Loci proprij? est quantitas circumscriptive extensa, vel res predita tali quantitate.
An quantitas hic non debeat esse corporis quantificativum? non, quia potest esse superficies, vel etiam linea cum naturaliter extensa, unde superficies proxime ambiens aliquam aliam superficiem non esset vacuum licet non ambiret ullam corpoream substantiam.
An omnis quantitas sit hic quippiam? non.
Da quantitatem quae non est hic quippiam? quantitas cuius omnes partes se penetrarent in puncto, quia non est quantitas extensa ut supponitur.
An naturaliter possit dari locus proprius continens tantum unum locatum? non, quia semper continebit quantitatem et subiectum quantitatis.
An per deum possit fieri ut locus proprius tantum contineat unum locatum? imo, quia hoc fiet si per deum ponatur quantitas extra omne subiectum.
Quomodo cum continebit quantitatem et aggregatum ex quantitate et accidentibus? non refert quia equidem non continebit plura condistincta.
Quid locus communis? est in quo cuncta sunt corpora.
Quomodo cum sic tantum posset dari unus locus communis?

nego.

Quid ergo cuncta corpora in hac definitione? idem quod plura- 3
da locum Communem: concava superficies aeris respectu ele-
menti aquae et terrae.
Quomodo sumitur et ibi quando dicitur quod sit locus communis
respectu aquae et terrae copulative an copulatim? copulati-
ve.
Quare nequit sumi Copulatim? quia superficies concava aeris
respectu aggregati ex terra, et aqua copulatim sumptis esset lo-
cus proprius non autem communis.
declara esse locum proprium respectu istius aggregati? quia
illud aggregatum est quippiam prout hic est continetur adaequa-
te in ista superficie.
An idem possit esse locus proprius et communis? imo diversa
comparatione ut patet ex iam dictis, quia concava superficies
aeris est locus proprius respectu aquae et terrae sumendo eas co-
pulatim, est autem locus Communis si et sumatur copula-
tive.
An locus ambiens petrum sit etiam locus communis? imo
quia est locus communis respectu partium integralium, id est
respectu capitis, colli etc. sumendo et copulative
An locus petri non sit etiam locus Communis respectu solius
capitis petri? non considerando videlicet caput petri per modum
unius.
proba non posse dici quod sit locus Communis respectu istius:
quia locus communis debet comparari ad plura.
An non bene sequatur locus petri est locus communis res-
pectu capitis, et respectu colli ergo
est locus communis respectu capitis? non.
Quomodo cum sequatur bene,

Joannes est probus et doctus, ergo
Joannes est doctus? verum est non refert.

Quomodo ergo non sequitur argumentum prius cum sit simi-
le posteriori? consequentia etiam prioris argumenti potest va-
lere, sed debet aliquid tunc subintelligi nimirum illa parti-
cula simul cum aliquo alio ut sensus argumenti sit locus
petri est locus communis respectu capitis et colli, ergo est lo-
cus communis respectu capitis simul cum aliquo alio, quia
respectu unius aliquid locus communis esse non potest. Unde
deceptio est a modo argumentandi a toto copulativo ad partem

Quando una pars sola non potest convenire alteri extremo.

Qualis locus esset concava superficies coeli lunae respectu aquae et terrae casu quo annihilarentur corpora intermedia? in tali casu non esset locus communis neque proprius.

Quare non esset locus proprius terrae et aquae consideratis per modum unius? quia illud aggregatum facta illa suppositione non contineretur primo seu adaequate in tali superficie.

Quomodo cum contineretur omne et solum? contineretur quidem omne sed non solum.

Quomodo nihil contineretur solum cum non esset aliud quod contineatur simul? etiamsi actu nihil contineatur simul potest tamen aliquid contineri simul.

Quid tum cum hoc non impediat quo minus contineatur solum? hoc quidem non impedit quando illud alterum continendum deberet penetrare prius contentum, vel contineri mediante illo; iam autem in casu nostro illa superficies posset continere aliud locatum quod nec penetraret terram aut aquam, neque etiam contineretur mediante terra vel aqua, nimirum aliud corpus quod impleret spatium intermedium inter coelum lunae et globum confectum ex terra et aqua.

Quare superficies concava coeli lunae non esset locus communis respectu globi confecti ex terra et aqua si corpora intermedia annihilarentur? quia facta illa suppositione talis superficies esset vacuum ut latius patebit circa materiam de vacuo.

An ergo superficies continens totum locatum non dividatur adaequate in locum proprium et communem? non ut colligitur ex dictis, quia datur talis superficies quae est vacuum.

Quid communitas Loci Communis? est convenientia qua locus aliquis convenit pluribus corporibus.

Quid proprietas loci proprii? est continentia qua superficies aliqua continet primo quippiam seu adaequate.

Ad primam proprietatem Loci: locus continet id cuius est locus, nihil autem est ipsius rei.

Cui loco competit haec proprietas proprio an communi? utrique, quia uterque locus tam proprius quam communis continet id cuius est locus, et neuter est aliquid ipsius rei.

An vterque locus non spectet ad locatum tanquam continens ad contentum? imo.
Quomodo ergo recte dicitur quod nihil sit ipsius rei? equidem recte, quia per hoc non significatur quod nullo modo pertineat ad locatum, sed solum quod non sit internus locato.
An vterque locus non sit aliqua forma? imo, quia est superficies, adeoque quantitas.
Quomodo ergo non insit interne locato? quia licet aliquo respectu locus debeat esse forma non est tamen necesse quod sit forma respectu locati.
respectu cuius ergo subiecti locus est forma? respectu corporis continentis, vnde concava superficies coeli lunae illa non est forma respectu elementi ignis, sed respectu ipsius coeli lunae.
Quid continere in hac proprietate? est alterum ambire sic vt ipsi realiter non vniatur.
An solus locus contineat alterum prout hic? non.
Da ergo quod contineat alterum, et non est locus: sic vas continet cerevisiam.
Quare vas non est locus? quia non est superficies.
An extima superficies globi contineat globum prout hic? non.
Quomodo cum ambiat globum? non refert.
Quare ergo non continet globum prout hic? quia id quod continet alterum prout hic non potest ipsi realiter vniri, iam autem superficies vltima globi vnitur realiter ipsi globo.
An extima superficies globi sit locus respectu interiorum partium globi? non,
Quare non cum vltima illa superficies ambiat partes interiores globi, et ipsis realiter non vniatur? verum est quod ambiat partes interiores, verum etiam est quod illis non vniatur immediate, quia tamen vnitur ipsis saltem mediate, hinc non continet partes interiores istius globi ad sensum huius loci.
An locus possit esse desinere locus sine motu locali sui, aut locati? imo.
Dic modum quo hoc potest accidere: si superficies quae antea non vniebatur corpori contento incipiat postea ipsi vniri, quando enim non vniebatur tunc erat locus respectu ipsius, quando autem vnitur tunc non est locus amplius.
An vt locus desinat esse locus debeat intercedere aliqua muta-

tiõ reali loci vel locati? non est necesse.

Da ergo modum quo hoc potest accidere sine motu reali loci vel locati: Hoc fieri potest si locus et locatum simul destruantur, et postea iterum reproducantur cum mutua unione ad se invicem.

Quomodo recte cum si destruantur debeant mutari? non est necesse mutari id quod destruitur, quia quod mutatur debet manere idem sub termino ad quem sicut erat sub termino a quo, iam autem quando aliquid totaliter destruitur non manet aliquid idem sub termino a quo, et sub termino ad quem.

Da secundam proprietatem: Locus neque maior est neque minor sed equalis.

An illa proprietas conveniat omni loco? non.

Cui ergo loco convenit et cui non? loco proprio, non convenit autem loco communi.

Declara non convenire loco communi: quia locus communis re verâ est maior.

Quid ergo locus maior? est cuius continentia activa excedit continentiam passivam ipsius locati ut concava superficies coeli lunae respectu elementi aeris?

An requiratur ad locum maiorem ut contineat plures partes quam locatum? non, quia potest continere pauciores partes quam locatum.

Declara quod locus maior possit habere pauciores partes quam locatum, quia sicut concava superficies elementi aeris est locus maior respectu terrae (capio autem terram prout condistinguuntur contra elementum aquae), et tamen clarum est quod unica illa superficies aeris non contineat tot partes quot continet tota terra.

An locus aliquis non possit continere plures partes quam locatum, et interim non esse maior? imo. ut superficies proxime ambiens lineam duorum punctorum, illa enim superficies necessario debet continere plura puncta quam duo.

Concedo illam superficiem non esse locum maiorem: quia eius continentia activa non superat continentiam passivam locati, adeoque est locus equalis.

Quid locus minor? est cuius continentia ~~passiva~~ activa superatur a continentia passiva locati.

Assigna talem: superficies proxime ambiens caput hominis,

est locus minor respectu totius hominis
An locus minor recte definiatur locus non continens tot partes
quot locatum ad quod comparatur? non, quia tunc definitione
loci minoris contineretur aliquis locus minor aut equalis
Da locum equalem qui contineatur illa definitione: locus
equalis ambiens locatum cuius aliquae partes se penetrant
vel aut magis extenduntur in profundum quam partes loci equalis.
Quandonam continentia activa loci superatur a continentia
passiva locati? quando locus comparatur ad tale suum locatum
cuius aliquam partem non continet.
An superficies manus applicata capiti sit locus minor respectu
reliquae superficiei hominis? non
Quomodo cum ille locus non contineat aliquam partem talis
locati? est verum et non refert, quia non est locus respectu
istius, quia illa superficies manus unitur alteri ad quam
comparatur, illud autem quod alteri unitur non potest conti-
nere alterum prout in definitione loci
Quid minoritas loci minoris? est relatio fundata in conti-
nentia activa loci terminata ad continentiam passivam
locati orta ex eo quod illa continentia activa loci supe-
retur a continentia passiva locati
An idem locus possit esse maior et minor? imo, sic locus
capitis hominis est locus maior respectu oculi, et minor res-
pectu hominis
Quid continentia activa prout hic? nihil aliud quam aptitudo
ad continendum alterum si sumatur aptitudinaliter, alias
si sumatur actualiter nihil est aliud quam presentia loci
ad suum locatum.
Quid locus aequalis? est locus cuius continentia activa nec
superat nec superatur a continentia passiva locati. ut super-
ficies concava coeli lunae respectu elementi ignis sidetur
supra aerem.
Quandonam continentia activa loci censetur superare contin-
entiam passivam locati? quando locus ultra illud locatum
ad quod comparatur natus est continere aliud quod nec locatum
penetret nec mediante illo contineatur tali loco.
Quare superficies concava poculi non est locus equalis
respectu cerevisiae quae illo continetur? quia continentia passiva
cerevisiae superat continentiam activam superficiei antedictae
quia aliqua pars talis locati non continetur illo loco nempe

illa quae directe correspondet orificio poculi.

Quid aequalitas loci aequalis? est relatio fundata in continentia activa loci terminata ad continentiam passivam locati orta ex eo quod nec superet nec superetur a continentia passiva locati.

An locus aequalis sit idem quod proprius? imo unde proprietas loci proprii coincidit cum aequalitate loci aequalis.

An inde sequatur quod locus inaequalis sit idem quod locus communis? non.

Quid locus inaequalis? est locus cuius continentia activa superat vel superatur a continentia passiva locati.

Divide locum inaequalem? in maiorem et minorem.

An idem locus respectu eiusdem possit esse maior et minor? imo successive

Ut si successive eadem superficies potest continere aliquod locatum totum et insuper aliquid aliud postea potest fieri quod partem illius locati contineat.

An hoc non possit simul fieri? non saltem naturaliter quia eadem continentia non potest simul superare et non superare continentiam passivam locati.

Quid inaequalitas loci inaequalis? est relatio fundata in continentia activa loci terminata ad continentiam passivam locati orta ex eo quod superet vel superetur a continentia passiva locati.

Da tertiam proprietatem? locus non relinquitur ab unoquoque et ita est inseparabilis alio tamen sensu separabilis est ab unoquoque

Quid locum relinqui ab unoquoque? est locum destitui ab omni locato.

Da quartam: omnis locus habet has differentias superum et inferum.

Quid locus superus? potest sumi ut sit idem quod locus connaturalis elemento levi et conformiter locus inferus.

Da quintam proprietatem: Corporum unumquodque proprios ad locos sua sponte natura fertur.

Quam distributionem inducit ibi particula unumquodque? distributionem commodam.

Quare non inducit distributionem plenam? quia falsum est quod omne omnino corpus feratur sua sponte natura ad locum proprium.

Da ergo unum corpus quod sic non fertur: coelum.

Pro quo ergo corpore fit distributio in hac proprietate? pro corpore sublunari.

Quid locus proprius in hac proprietate? locus connaturalis collo=
cato.
An ergo locus proprius hic non sumatur prout distinguitur contra
communem? non.
Quid ferri hic? est moveri motu locali motu naturali. unde ferri
hic est contentum istius vocis latio de qua agitur in libris de
coelo.
An corpus naturale semper feratur ad locum suum proprium?
non sed ut sic feratur aliquae conditiones ad hoc sunt necessariae
quae non semper adsunt.
Declara quod non feratur semper corpus sublunare ad locum
suum proprium? quia in primis non fertur nunc ad locum suum
proprium quando est in loco naturali tunc enim cessat finis
ob quem corpora repetunt suum locum naturalem.
An quando corpus sublunare est extra locum suum naturalem
semper repetat ipsum? non.
Declara: quia subinde fieri potest ut subsit impedimentum ratione
cuius fieri non potest ut sic feratur uti sic lapis quando detine=
tur violenter in aere non cadit deorsum ad locum suum natura=
lem quia habet impedimentum quia ibidem detinetur.
An semper feratur corpus naturale ad locum suum naturalem
quando est extra illum et non habet impedimentum? imo, quia cum
sint agentia necessaria necessario agunt quando habent omnia ad
agendum praerequisita.

Da definitionem aristotelicam loci. R. finis continen=
tis immobilis primus.
An illa definitione definiatur locus vulgaris an philo=
sophicus? in primis excluditur omnis locus vulgaris
quia locus vulgaris est spatium imaginarium adeoque neque est su=
perficies neque ex superficiebus componitur.
An omnis locus philosophicus continetur hac definitione? non.
Da ergo locum philosophicum non contentum hac definitione? locus
communis ut talis.
Declara illum excludi ab hac definitione: quia ille non est finis
primus id est adaequatus ergo solus locus proprius pertinet ad de=
finitum huius definitionis.
Da genus definiti hic: melius dicitur quod hic non detur ullum
genus definiti.
Quomodo cum hoc debeat reperiri in omni definitione? nego.
in quibus ergo debet reperiri, et in quibus non? in definitione
logica ibi reperitur non autem in definitione physica aut meta=

physicam autem etiam accidentariam qualis est haec definitio loci.

Declara in definitione physica non debere reperiri genus definiti: quia in hac definitione physica hominis materia prima anima rationalis et debita illorum unio non reperitur ullum genus definiti.

Quare ibi materia prima non est genus definiti? quia neque est magis commune quam sit homo cum repugnet homo esse materiam primam, deinde materia prima realiter distinguitur ab homine, genus definiti autem non distinguitur realiter a definito.

Declara similiter quod finis in definitione loci non sit genus definiti: quia finis verificatur hic pro superficie quae solum est pars materialis accidentaria respectu loci aristotelici qui ultra finem continentis involvit immobilitatem et primitatem.

Quomodo ergo se habet finis continentis ad locum aristotelicum? ut repugnans sicut materia prima repugnans est respectu hominis.

An non possit etiam sustineri quod finis continentis sit aliquid magis commune quam locus aristotelicus? imo, quia licet repugnet cum loco aristotelico quando locus aristotelicus sumitur pro aggregato ante dicto non est tamen necesse sic sumere locum aristotelicum, quia potest etiam accipi pro fine continentis qui substat immobilitati et primitati, sic autem sumendo finis continentis est aliquid magis commune quam sit locus aristotelicus.

Quid finis hic? idem quod extremum alicuius extensionis.

Quare non est idem quod superficies? quia non est facta ulla talis institutio qua vox finis instituta est ad significandum principaliter superficiem.

An finis hic non verificatur pro superficie? imo.

Declara ex eo non sequi quod debeat principaliter superficiem significare: quia animal hic verificatur pro homine quando dico homo est animal, nemo tamen dicit quod animal ibi significet principaliter hominem.

Da finem hic qui non est finis continentis: ultimum punctum in linea.

Quid finis continentis? est superficies finiens corpus ab ea parte qua actu continet alterum.

An non sufficeret ad finem continentis quod sit superficies terminans corpus ab ea parte qua aptum est alterum continere? non, quia sic etiam vacuum esset finis continentis, adeoque vacuum tunc posset contineri hac definitione.

Quid finis contenti? est superficies terminans corpus ab ea parte

quâ actu continetur ab altero.
An idem possit esse finis continentis et finis contenti? imo.
Quomodo ergo illud se habent? utrumq[ue] est extima superficies scamni in quâ sedet homo, quia in quantum est superficies ambiens hominem sic est finis continentis, in quantum autem ambitur scamnum ab homine sic est finis contenti.
Quomodo cum scamnum non ambiat totum hominem, sicut nec homo scamnum? non refert, quia ad hoc ut aliquid censeatur hic continens sufficit quod contineat alterum vel gratiâ partis continentis, vel gratiâ partis contenti.
Da finem continentis non contenti: concava superficies coeli lunae respectu elementi ignis.
Quare non est etiam finis contenti? quia non terminat coelum lunae ab eâ parte a quâ continetur ab altero.
Da finem contenti qui non est finis continentis: superficies convexa coeli lunae, item superficies convexa elementi ignis.
An omnis finis sit finis continentis vel contenti? non.
Da ergo finem nec continentis nec contenti: ultimum punctum in linea.
Quare illud nec est finis continentis nec contenti? quia finis continentis et etiam finis contenti debet esse superficies terminans corpus, punctum vero non est superficies.
An omnis superficies sit finis continentis, vel contenti? non.
Da superficiem quae nec est finis continentis neque contenti: media superficies in globo.
Quare non est finis continentis nec contenti? quia non terminat corpus sic videlicet ut ab alio cui non unitur contineatur, vel ut aliud contineat.
An omnis superficies extima corporis sit finis continentis vel contenti? non.
Da ergo aliquam talem superficiem quae nec est finis continentis neque contenti: convexa superficies supremi coeli.
An supremum coelum non sit continens? imo, continet enim coelos inferiores.
Quomodo ergo illa superficies convexa supremi coeli non est finis continentis? quia licet terminet aliquod corpus, non terminat tamen illud ab eâ parte quâ actu alterum continet, sed solum ab istâ a quâ non continet actu.
An sufficiat ad locum aristotelicum quod sit finis continentis? non, quia insuper requiritur ut sit immobilis, ut primus.
Cuius casus est illa vox immobilis genitivi an nominativi? nominativi ut proxime construatur cum particula finis.

Quare non sumitur ut genitivi casus? quia sic proxime deberet construi cum particula continentis, iam autem continens non est immobilis quia illud potest moveri omni genere motus.

Quid immobile? absolute est quod non potest moveri.

An locus aristotelicus non possit aliquo motu moveri? imo

Quomodo cum aristoteles dicat illum esse immobilem? licet aristoteles sic loquatur cum tamen hoc absolute non sit verum merito restringitur ad certum motum ita ut locus aristotelicus sit mobilis motu alterationis, et etiam aliquo motu locali nempe motu conversionis, est tamen immobilis motu translationis; iam autem quando famosi authores aliquid dixerunt quod in sua generalitate non est verum merito restringitur ad certum quid et particulare, ut sic verificetur dictum famosi authoris.

Proba locum aristotelicum posse moveri motu alterationis: quia potest moveri a calore ad frigus, et contra, ab albedine ad nigredinem etc.

Proba eo modo posse moveri locum aristotelicum: quia cum aliae superficies possint sic moveri nulla videtur ratio dicendi quod etiam superficies quae est pars materialis loci aristotelici non possit etiam eo modo moveri.

An altera pars loci aristotelici quae est compars istius superficiei etiam possit moveri motu alterationis? non, quia illa compars est quaedam praesentia localis ut post latius dicetur illa autem non potest moveri motu alterationis, quia est incapax terminorum alterationis.

Quomodo ergo locus potest dici moveri motu alterationis cum omnes partes eius non possint sic moveri? hoc non requiritur ut totum aliquod absolute dicatur moveri motu alterationis.

Declara in alio exemplo hoc non requiri: quia homo v.g. licet dicitur moveri motu alterationis, omnes tamen partes hominis non possunt moveri motu alterationis, ut v.g. subsistentia hominis, item anima rationalis hominis.

An locus aristotelicus sit etiam mobilis motu locali? imo, quia est mobilis motu conversionis.

Quid motus conversionis? est motus quo aliquid movetur circa proprium centrum, talis est motus quo movetur rota molendini.

An rota currus sic non movetur? imo, quia etiam illa movetur circa proprium centrum.

Quomodo cum rota currus transeat de uno loco totali ad alterum? non refert.

Quomodo non cum id quod movetur motu conversionis debeat manere in eodem loco? id quod praecise et tantum movetur motu conversionis hoc manet in eodem loco sed rota curruum movetur duplicato motu quorum uno transit de loco in locum distinctum, et ille est motus conversionis, alium vero insuper habet per quem movetur de uno loco totali ad alterum, et ille est motus translationis, tali autem motu non potest moveri locus aristotelicus.

Proba locum aristotelicum posse moveri motu conversionis: sic ille locus cuius pars materialis est concava superficies coeli lunae bene movetur motu conversionis.

An moveatur sic retenta eadem distantia a quinque punctis immobilibus mundi? imo, unde illa superficies semper retinet eandem distantiam ab istis quinque punctis.

An quando illa superficies movetur motu conversionis tunc partes istius superficiei non mutent distantiam a quinque punctis mundi? imo, quia pars istius superficiei quae mane est in oriente vesperi est in occidente, ideo quae erat mane vicina puncto orientis vesperi fit vicina puncto occidentis et contra.

An variata parte non debeat variari totum? imo unde si homo habeat tantum manum diversam hoc ipso est alius homo.

Quomodo ergo non variatur totalis distantia loci quando variatur distantia partis? quia distantia est aliqua relatio quae competit toti per se primo negative, ita ut illa non componatur ex distantiis partium, sicut aequalitas qua linea bipedalis est aequalis alteri lineae bipedali illa inquam aequalitas non componitur ex aequalitate utriusque lineae pedalis quae sunt partes istius lineae bipedalis.

Ostende aequalitatem istius lineae bipedalis non componi ex aequalitatibus partium: in primis quia falsum est quod partes istae pedales sint aequales alteri lineae bipedali; secundo quia sic aequalitas istius lineae bipedalis constaret partibus integralibus diversae speciei quia aequalitates istarum duarum linearum habent diversa subiecta proxima.

An possit aliquod attributum reale competere toti per se primo negative, et non gratia ullius partis? imo.

Assigna tale attributum reale: sic ut homini competit compositio physica, compositio autem physica est attributum plane reale.

Declara quod hoc homini non competat gratia partium physicarum: quia partes physicae hominis nempe materia prima et forma substantialis sunt physice simplices.

Cuius motu est immobilis locus aristotelicus? motu translationis.

Quid motus translationis? est motus quo res una transit ab uno loco ad alium locum totalem diversum. ut ambulatio petri, quia per ambulationem petrus transit ab uno loco ad alium locum totalem diversum.

An per motum translationis aliquid debeat transire ab uno loco ad alium totaliter diversum? non.

Quomodo cum eadem sint locus totalis diversus et locus totaliter diversus? nego illa esse eadem.

Quomodo ergo illa se habent? datur utrumque ut locus quem habet petrus hic respectu loci quem habet idem petrus in foro.

Da locum totalem diversum non totaliter: talis est locus quem habet petrus stans respectu loci quem habet petrus sedens supposito quod pedes maneant in eodem loco.

Da e contra locum totaliter diversum qui non est locus totalis diversus: non potest dari, unde ante petita habent se ut magis et minus communia.

An ad locum totalem diversum sufficiat quod habeat unam partem diversam? imo.

An locus totaliter diversus possit habere ullam partem eandem cum illo ad quem comparatur? non, nullam potest habere eandem a parte rei, si enim eandem haberet iam non erit totaliter diversus.

An superficies illa quae est pars loci aristotelici non possit moveri motu translationis? imo, talis est superficies proxima ambientis hominem, est pars materialis loci aristotelici ipsius hominis illa autem superficies bene potest moveri motu translationis.

Declara illam superficiem posse moveri motu translationis: quia aer in quo illa superficies subiectatur bene movetur motu translationis per ventum, ergo etiam superficies subiecta in isto aere etiam movebitur motu translationis.

Proba illam consequentiam: quia quando subiectum aliquod mutatur tunc transfert secum sua accidentia absoluta quae sunt independentia a loco, ut quando homo vadit ambulatum fert secum suam albedinem, calorem etc.

Quare dicis accidentia independentia a loco? quia accidentia quae a loco dependent homo ambulans non fert secum, ut non fert secum praesentiam localem quia illa in alio spatio esse non potest, similiter relationes propinquitatis distantiae quae in praesentia fundantur etiam secum ferre non potest quia illa debent perire pereunte illorum subiecto nempe praesentia.

An ex eo quod superficies illa moveatur motu translationis sequatur quod locus aristotelicus moveatur motu translationis? non.

Quomodo enim ex eo quod materia prima hominis calefiat sequatur quod homo calefiat licet anima rationalis non calefiat? totum est verum, et non refert.

Quare locus aristotelicus gratia superficiei non tam bene potest dici moveri motu translationis sicut homo dicitur calefieri gratia materiae primae? ratio disparitatis est quia homo potest manere idem toto tempore motus quando transit a frigore ad calorem, locus autem aristotelicus non potest manere idem quando superficies quae est pars materialis eius movetur motu translationis.

Quare locus aristotelicus est immobilis motu translationis? quia locus aristotelicus involuit continentiam activam locati sub certa distantia a quinque punctis immobilibus mundi, iam autem illa continentia debet necessario variari quando locus aristotelicus movetur motu translationis.

An illa continentia activa loci sit causa proxima immobilitatis loci aristotelici? non.

Da ergo causam propinquiorem istius immobilitatis: causa propinquior est ipsamet distantia a quinque punctis immobilibus mundi.

Enumera illa puncta quinque mundi immobilia in ordine ad quae desumitur immobilitas loci: centrum terrae, punctum orientis, punctum occidentis, punctum septentrionis et punctum australe.

Utrum puncta ibi intelliguntur imaginaria an realia? imaginaria.

Cur potius quam realia? quia puncta realia non sufficiunt ad fundandam illam immobilitatem.

An ergo locus aristotelicus possit moveri motu translationis retenta eadem distantia a quinque punctis mundi realibus? imo.

Da casum quo hoc fieret: tunc si Deus transferret totum universum, quia sicut tunc locus aristotelicus transferretur ita etiam conformiter illa puncta mundi realia.

An omnia illa quinque puncta mundi sint necessaria ad fundandam immobilitatem loci? non, sed sunt necessaria tantum ~~4~~ tria, requiruntur solum illa, et sufficiunt.

An quaelibet tria sufficiant? non, illa tria non sufficiunt quae incorporantur ab eadem linea recta, talia sunt punctum orientis occidentis et centrum terrae.

Declara illa tria non sufficere pro immobilitate loci aristotelici: quia locus aristotelicus posset moveri motu translationis retenta eadem distantia ab illis tribus punctis si universum moveretur motu circulari circa lineam incorporantem ista tria

puncta sic enim posset eque distare ab omnibus istis tribus
punctis et etiam possit illum mutum.
Da tria puncta ex illis quinque que sufficiunt pro immobilitate
loci: centrum terre, punctum orientis, et punctum septentrio=
nis.
Da talia tria condistincta a centro terre: punctum orien=
tis punctum occidentis et punctum septentrionale.
Quare locus aristotelicus non potest moveri motu translatio=
nis retenta eadem distantia ab illis tribus punctis? quia
non possunt assignari duo spatia eque distantia ab illis tribus punctis
a quorum uno ad alterum naturaliter posset transferri locus
aristotelicus sic ut semper retineat eandem distantiam ab illis
tribus punctis.
An locus aristotelicus possit moveri motu recto translationis
retenta eadem distantia ab tribus punctis mundi? non.
Quot ergo puncta sufficiunt ad reddendum locum aristotelicum
immobilem motu recto translationis? requiritur et sufficit un=
um, quia motu recto non potest locus moveri retenta eadem
distantia ab ullo ex illis quinque punctis.
An ergo dum homo movetur motu recto semper mutet distan=
tiam ab omnibus istis quinque punctis? imo.
An illa que iam dicta sunt de immobilitate loci aristotelici sint
solum vera naturaliter an etiam per deum? naturaliter.
An per dei omnipotentiam possit moveri locus aristotelicus
retenta eadem distantia ab omnibus istis quinque punctis mundi?
imo etiam agendo de motu translationis de alijs enim motibus
nulla est difficultas.
proba per deum posse fieri talem motum translationis loci: quia
possunt assignari duo spatia eque distantia ab omnibus istis quin=
que punctis, ita ut ab uno ex istis spatijs possit fieri motus
ad alterum.
proba posse assignari talia duo spatia: quia omnia ista quinque
puncta mundi ordinaria incorporantur ab eadem superficie plana,
spatium ergo distans ad unum pedem supra centrum terre versus
zenith, illud utique spatium eque distat ab istis quinque punctis
mundi ordinarijs sicut spatium illud quod est infra centrum terre
ad unum pedem infra versus nadir.
Quid tum cum ab uno ex istis spatijs non possit fieri motus
alterum nisi saltem in via magis accedatur vel recedatur.
ab aliquo ex illis punctis? nego.
Quomodo cum locus in via existens sit vicinior alicui quam

erat ante? est verum et non refert.
Quomodo ergo poterit fieri motus antedictus servata eadem distantia a punctis antedictis? quia in ordine ad deum non est necesse ut quando aliquid movetur de uno loco ad alterum transeat per medium.
An ergo si aliquid destrueretur in uno loco, et reproduceretur in altero, moveretur localiter? non
Quomodo ergo posset aliquid moveri ab uno loco ad alterum non transeundo per medium? quia posset hoc contingere mere per hoc quod presentia rei destrueretur in uno loco, et postea immediate produceretur presentia eiusdem rei in alio loco sic ut non producantur aut fuerint producte presentie intermedie.
Quomodo equidem poterit fieri motus ante petitus cum partes talis loci qui mutatur ab uno ex istis spatiis ad alterum necessario mutabunt distantiam ab aliquo ex istis quinque punctis? in primis etiamsi hoc esset verum non referret.
Quomodo non cum ex eo sequatur quod totum etiam debeat mutare distantiam? nego esse necessarium imo contrarium est ante probatum, cum diximus distantiam totius non componi ex distantiis partium.
An interim sit verum quod in casu nostro debeant partes distantiam mutare? non.
Quomodo cum vel pars orientalis post motum erit occidentalis vel si maneat eque orientalis ac erat ante pars vicinissima centro erit postea remotissima? neutrum est necessarium absolute.
Dic ergo modum quo potest fieri quod corpus aliquod sic moveatur ut singule partes retineant eandem distantiam ab omnibus istis quinque punctis: hoc poterit fieri si corpus aliquod constet tantum duabus superficiebus sic ut quando illud corpus pervenit ad alterum spatium ad quod fit motus habeat partes seu istas superficies inverso modo dispositas sic ut pars que ante erat centro vicinissima etiam sit vicinissima post, sic ut altera superficies ponatur retro priorem, et varietur situs illi eadem [illegible]
Declara locum aristotelicum reddi immobilem absolute si punctis quinque ordinariis addantur zenith et nadir: quia tunc non poterunt assignari duo spatia eque distantia ab omnibus istis quinque punctis, consequenter non poterit locus moveri motu translationis retenta eadem distantia ab istis quinque punctis.
An requirantur septem puncta ut in ordine ad illa locus aristotelicus

reddatur immobilis absolute? non.
Quot ergo ex illis septem requiruntur? sufficiunt quatuor.
Quomodo cum ante dictum sit ne quidem quinque sufficere? quaelibet quinque non sufficiunt, sufficiunt tamen aliqua quatuor ex illis septem, nempe punctum orientis, punctum septentrionis, centrum terrae et zenith.
An illa quatuor praecise sunt necessaria? non.
Dic ergo generatim quae quatuor requirantur et sufficiant? talia quatuor quae non possunt incorporari ab eadem superficie plana.
Quare non sufficiunt illa quatuor quae possunt incorporari ab eadem plana superficie? quia semper possemus assignari duo loca aeque distantia a talibus quatuor punctis sicut ante ostendimus quod dentur talia loca aeque distantia a quinque punctis mundi ordinariis quae incorporantur ab eadem plana superficie.
Da sex ex illis punctis quae non sufficiunt ad immobilitatem loci aristotelis: non dantur, unde quaelibet sex illis septem etiam sufficiunt.
An unum ex illis septem punctis sit magis necessarium quam reliqua ad immobilitatem loci aristotelici? non, nullum enim ex illis praecise determinate necessarium est.
Quomodo cum centrum terrae sit magis necessarium quam aliqua? nego.
Da quatuor ex septem punctis sufficientia inter quae non sit centrum terrae? punctum orientis, septentrionis, zenith et nadir, quia illa quatuor non possunt incorporari ab eadem plana superficie.
Da puncta sufficientia ex illis septem inter quae non sit punctum orientis vel occidentis: non possunt dari.
Quare reliqua quinque non sufficiunt? quia reliqua quinque possunt incorporari ab eadem superficie plana.
Da puncta non sufficientia ex illis inter quae non est punctum septentrionale aut australe? R. zenith et nadir, punctum orientis et occidentis et centrum terrae.
Proba illa quinque non sufficere: quia possunt etiam incorporari ab eadem superficie plana tam bene quam quinque puncta mundi ordinaria.
An sit omnino necessarium explicare immobilitatem loci aristotelici in ordine ad quinque illa puncta? non.
Declara locum aristotelicum posse alio modo reddi mobilem: quia

etiam erit immobilis si dicatur involvere certam praesentiam
localem essentialiter affixam certae parti spatii imaginarii.
An eo modo locus aristotelicus redditur perfectiori modo immobilis
quam in ordine ad illa puncta? imo; quia in ordine ad illa puncta
locus aristotelicus solum redditur immobilis motu translationis,
per praesentiam autem illam redditur etiam immobilis motu con=
versionis.
Proba posterius: quia quando locus mutaretur motu conversionis
partes deberent mutare etiam praesentiam localem, ergo etiam totus
locus debet praesentiam localem mutare.
Quomodo enim non sequatur

Partes mutant distantiam, ergo
et totum mutat distantiam? non refert.

Quare ergo potest sequi

partes mutant praesentiam ergo
totum mutat praesentiam? est manifesta dispari=
tas inter praesentias et distantias, quia praesentia totius illa
componitur ex praesentiis partium, distantia autem totius non com=
ponitur ex distantiis partium, ut probatum fuit.
An immobilitas sit de essentia loci aristotelici an vero proprietas?
potest locus aristotelicus sic accipi ut sit de essentia eius, potest
etiam sic accipi ut sit eius proprietas ~~~~~~~~~~
si enim capiatur praecise pro aggregato ex superficie et continen=
tia adaequata sub certa distantia a quinque punctis mundi tunc
illa immobilitas tantum erit proprietas, alias si accipiatur pro
aggregato quod involvit ipsam immobilitatem tanquam partem essentialem
erit pars essentialis loci aristotelici.
in genere etiam hic continetur? imo.
An locus aristotelicus hic definitur? media, tam pro
Qua ergo acceptione acceptus locus hic definitur?
loco in genere quam pro inferioribus eius.
potest contineri hac definitione cum non
Quomodo locus in genere
involvat certam distantiam? gratia sui non involvit certam et
determinatam distantiam quia si certam et determinatam distan=
tiam involveret, eandem deberent involvere omnia inferiora
eius, iam autem talis distantia non potest ulla assignari.
Quomodo ergo locus aristotelicus in genere potest hic contineri?
quia licet gratia sui non involvat certam distantiam invol=
vit tamen illam gratia suorum inferiorum prout in illis reperitur
hoc autem sufficit. similis est de conceptu in genere qui gratia

sui non repraesentat ullum obiectum, sed prout reperitur in di-
versis inferioribus, ita repraesentat diversa obiecta.

Quid distantia in hac materia? est relatio in uno terminata
ad alterum orta ex eo quod occupent diversa spatia.

An ut aliqua distent ad sensum huius loci debeat inter illa in-
terjacere aliquod intervallum? non, quia etiamsi locus aliquis
occuparet unum aliquod ex istis punctis v.g. centrum terrae,
equidem adhuc esset distans ab illo prout hic, quia occuparet aequi-
dem saltem gratia partis aliud spatium quam occupetur a
centro.

An locus aristotelicus non sit subiectum condensationis et rare-
factionis? imo, quia sicut aliae quantitates sunt subiecta con-
densationis et rarefactionis, ita etiam superficies illa quae est
pars materialis loci aristotelici potest esse subiectum talis
condensationis et rarefactionis, et consequenter etiam locus
erit subiectum condensationis et rarefactionis nominaliter
sumptus.

An quando superficies illa condensatur non possit tunc move-
ri retenta eadem distantia ab istis punctis? non.

Quare non? superficies illa ambiret centrum terrae, et omnes par-
tes conformiter magis accederent ad centrum? licet tunc illae partes
aeque distarent inter se ante istum motum et post illum motum
condensationis absolute, tamen inaequaliter distarent a se ipsis, id est
quaelibet pars minus distaret post illum motum quam dista-
bat ante illum motum, quia quaelibet pars supponitur per illum
motum ad centrum accessisse.

Divide esse in Loco: dividitur in id quod est in loco per
se primo, per partem tantum, et per accidens.

Quid esse in loco per se primo? est undique ambiri loco,
sic homo est per se primo in loco ipsum undique ambiente.

Quid esse in loco per partem tantum? est contineri loco tantum
gratia partis.

Quae pars ibi intelligitur essentialis an integralis? integralis.

Quare non pars essentialis? quia fieri non potest ut aliqua pars
essentialis alicuius contineatur aliquo loco, altera autem pars es-
sentialis non.

Cur hoc nequit fieri? quia partes essentiales debent se habere
ut forma et subiectum quae semper se penetrant, fieri ergo non
potest ut una pars essentialis contineatur aliquo loco, altera
non.

Da quod est in loco per partem tantum: sic homo per partem

tantum est in loco capitis vel brachii.
Quid esse in loco per accidens? est contineri loco gratia sui acci=
dentis. sic homo per accidens est in loco sui equi.
Quomodo cum equus non sit accidens hominis? imo est prout
hic.
Quomodo cum equus sit substantia? non refert, quia licet accidens
ipse sic sumatur prout distinguitur contra substantiam non su=
mitur tamen sic hic, sed etiam illud quod est extra essentiam
alterius et ipsi extrinsece coniunctum est accidens prout hic
Quid de aliter esse in loco? in loco repletive, esse in loco circum=
scriptive, et definitive.
Quid esse in loco repletive? est secundum idem sui occupare omne
spatium. ut deus.
An aliqua creatura possit esse in loco repletive? dubium est. hinc
pendet decisium istius quaestionis ex eo an sit possibile infinitum
actu an non. quia si illud sit possibile consequenter debet admitti
quod sit possibilis creatura quae secundum sui repleat omne spatium.
sit autem non sit possibile infinitum actu tunc non poterit dari
talis creatura.
Quid esse in loco circumscriptive? est secundum diversas sui par=
tes occupare diversa spatia contigua. ut homo.
An quaelibet res materialis sit in loco circumscriptive? non.
Da rem materialem quae non est in loco circumscriptive: res materia=
lis integraliter indivisibilis quia cum non habeat partes integrales
non potest secundum diversas sui partes occupare diversa spatia con=
tigua.
Quid esse in loco definitive? est secundum idem sui occupare di=
versas partes spatii contiguas sic ut non omnes. quod additur
quia alias conveniretur id quod est in loco repletive
An idem possit esse in loco circumscriptive et definitive? imo.
successive et etiam simul.
Quomodo simul an circumscriptive et definitive: sic christus
Da quod simul sit in loco
in coelo existens est in loco circumscriptive, in venerabili vero
est in loco definitive.
Da quod est in loco circumscriptive et non definitive: petrus
Da contrarium: ut angelus replicatus.
Cur nequit esse in loco circumscriptive? quia cum non habeat partes
integrales non potest secundum diversas sui partes occupare diver=
sa spatia contigua.
An idem possit modo esse in loco definitive modo non naturaliter?
imo.

Declara: sic angelus dum existit in puncto tantum non est in loco definitive, quando autem explicat se tunc est in loco definitive.
Quomodo ergo angelus existens in puncto tantum est in loco? non est in loco aliquo ex tribus modis iam dictis, quia nec est in loco repletive, nec definitive, nec circumscriptive, quia quidquid est in loco uno ex illis tribus modis debet occupare plures partes spatij.
An ergo esse in loco non dividatur adequate in ista tria membra? non.
An omnis res spiritualis possit esse in loco definitive? non.
Da rem spiritualem quae non potest esse in loco definitive: Deus, quia Deus necessario occupat omne spatium, fieri ergo non potest ut occupet aliquas partes spatij sic ut non occupet omnes.
Da rem spiritualem creatam quae non potest esse in loco definitive: praesentia localis indivisibilis reperta in anima rationali.
Quare illa non potest esse in loco definitive? quia cum extra illud indivisibile spatium in quo reperitur esse non possit est impossibile ut occupet diversas partes spatij.
Da rem spiritualem quae est in loco circumscriptive: totalis unio physica hominis supposito quod subiectetur proxime in anima rationali sola, quia secundum diversas sui partes occupat illa unio diversa spatia contigua.
Quomodo se habent res materialis, et id quod potest esse in loco definitive? utrumque est homo, quia ut ante dictum est christus de facto est in loco definitive, et etiam circumscriptive.
Da rem materialem quae non potest esse in loco definitive: praesentia localis petri, quia secundum idem sui non potest occupare diversa spatia.
Da quod potest esse in loco definitive, et non est res materialis: angelus.
Da rem materialem quae nec potest esse in loco definitive, nec circumscriptive: indivisibilis praesentia petri seu partis petri.
Quare non potest esse in loco circumscriptive? quia cum non habeat partes integrales non potest secundum diversas partes integrales diversa spatia occupare, praeterea cum essentialiter tantum respiciat unicum punctum spatij impossibile est ut existat in pluribus partibus spatij.
Da rem materialem a loco independentem quae non potest esse in loco circumscriptive: pars integralis hominis integraliter indivisibilis.
Da aliquid in angelo quod est in loco circumscriptive: totalis praesentia angeli explicati per totam suam sphaeram, quia illa prae-

sentia secundum diversas sui partes occupat diversa spatia con-
tigua.

Da aliquid in angelo quod nec est in loco definitive nec circum-
scriptive: talis est indivisibilis praesentia localis.

Da aliquid in angelo quod non est definitive in loco potest tamen sic
esse in loco: tale quid est natura angeli non replicati sive eius prae-
sentia eiusdem non replicati.

Da aliquid in angelo quod est definitive in loco, potest tamen etiam esse
circumscriptive in loco? praesentia angeli replicati, est in loco defini-
tive sicut ipse met angelus replicatus potest tamen per deum illa
praesentia esse in loco circumscriptive, quia tam bene potest illa
praesentia per deum occupare diversa spatia secundum diversas
sui partes quam albedo.

Divide aliter esse in loco: dividitur in esse in loco actu et
esse in loco potentia.

Quid actu esse in loco? est de facto contineri in aliquo loco. ut
homo.

Quid esse in loco potentia? simul cum exclusione est posse
contineri loco sic ut de facto non contineatur.

Da tale: ut supremum coelum.

Quomodo non est in loco cum sit in spatio imaginario? ex eo tan-
tum sequitur quod sit in loco vulgari (hic autem non agitur de
loco vulgari sed de philosophico.

proba supremum coelum non esse in loco philosophico: quia ad hoc
ut sic esset in loco deberet ulterius ambiri alia superficie.

An totum universum possit esse in loco? in sensu composito totum
universum manens totum universum non potest esse in loco bene
tamen potest esse in loco si desinat esse totum universum.

declara quod totum universum possit esse in loco si desinat esse
totum universum? quia hoc fiet si ultra supremum coelum deus
circumdaret novam superficiem quae comprehenderet totum illud quod
modo est totum universum.

declara quod totum universum manens totum universum non
possit esse in loco? quia universum est aggregatum ex omnibus en-
tibus creatis, ergo hoc ipso quo esset circumdatum aliqua nova su-
perficie non esset amplius aggregatum ex omnibus entibus creatis,
quia non esset aggregatum ex superficie circumcingente.

Quid esse in Loco

In Communi sermone dicendi.

Pro quo loco magis communiter sumitur locus pro vulgari, an pro philosophico? ordinarie pro vulgari non pro philosophico, quia turres &c. et domus communiter dicuntur semper manere in eodem loco, hoc autem non est verum de loco philosophico, sed vulgari.

Declara non esse verum de loco philosophico? quia domus continuo mutat suum locum philosophicum, quia cum locus philosophicus ipsorum sit superficies aeris proxime ambiens &c. domum, sequitur locum philosophicum mutari, hoc ipso quod mutatur aer, qui facillime occasione venti mutatur.

An domus et turres non subsidant parum tractu temporis? imo, id plus vel minus prout terra est magis vel minus firma.

Quomodo ergo est verum quod illa semper maneant in eodem loco vulgari? manent in eodem loco vulgari moraliter saltem loquendo.

Quomodo se habet locus vulgaris ad spatium imaginarium? tanquam pars ad suum totum, est enim vulgaris locus quoddam modo pars integralis spatii imaginarii.

Quid spatium imaginarium? est ficta quaedam extensio in infinitum diffusa versus quamlibet situs differentiam apta recipere quaelibet corpora cum intima sui penetratione.

An sit verum ens reale an tantum ens rationis? est tantum ens rationis ut habet communis opinio.

An sit ens rationis fictum cum fundamento in re an vero sine fundamento in re? est fictum cum fundamento.

Ad quem usum inventum est illud spatium imaginarium? ad maxime ad hoc ut possimus mensurare distantias rerum.

Declara spatium imaginarium ad hoc deservire: quia tanta est distantia rerum a se invicem quanta interiacet spatii imaginarii.

Quare ergo nos plus distamus a foro communi quam a foro piscario? quia maior pars spatii imaginarii interiacet inter nos

et forum commune, quam inter nos et forum piscarium.
Unde probas spatium imaginarium non esse aliquam veram et
realem creaturam? quia spatium imaginarium erat ante mundum
conditum, tunc autem non erat ulla realis creatura, secundo
extra omnes coelos modo datur spatium imaginarium, ibi tamen
non datur ulla realis creatura, ergo spatium imaginarium non
potest esse vera et realis creatura.
An etiam non sit probabile quod spatium imaginarium sit verum
ens reale? imo.
proba illud esse ens reale: quia Deus modo recte dicitur esse in
spatiis imaginariis extra coelos, uti etiam erat hic ante mundum
conditum, Deus autem nunquam potuit esse in ente rationis, non
magis ergo potest esse in spatio imaginario, si sit ens rationis, quam
possit esse in chymaera.
Declara absurdum esse dicere Deum esse in chymaera: quia si
verum esset dicere Deus est in chymaera, sequeretur chymaeram
quod implicat.
Declara sequi chymaeram esse: quia ut Deus esset in chymaera
Deus et chymaera deberent coexistere, si coexistant autem ambo
debent esse uti per se clarum est.
Declara Deum fuisse in spatio imaginario ante mundum conditum?
quia si tunc in spatio imaginario non fuisset, nusquam fuisset.
Declara quod Deus adhuc ~~[illegible]~~ modo sit in spatiis imaginariis
extra omnes coelos: quia Deus posset ibi ponere unum mundum
mundum si vellet, si vero hoc faceret deberet tam bene esse prae-
sens isti mundo quam nostro, non posset autem Deus ad nunc
istum mundum venire per motum localem, Deus autem ab uno
loco ad alterum transire nequit, sequitur ergo quod Deus de facto
ibi sit.
proba alio argumento spatium imaginarium esse ens reale: quia
praesentia localis essentialiter respicit partem spatii imaginarii in
qua reperitur, ita ut extra illam partem spatii esse non possit,
ergo signum est illud spatium non esse ens rationis.
proba hoc ulterius: probatur in primis argumento praecedenti
quia ens reale quale est praesentia non potest dependere ab ente
ficto, neque illi coexistere, quia alias sequeretur si nullus homi-
nem conciperet spatium imaginarium, quod propterea deberent
desinere omnes praesentiae locales, quia non esset spatium imagina-
rium fictum a quo illae praesentiae dependerent.
proba fore absurdum si propterea deberent desinere praesentiae: quia
ut solet communiter dici, propter nostrum cogitare nihil mutatur
in re saltem extra nos, ergo absurdum foret dicere quod praesentia
aliqua renuntiaret per hoc quod nos hic existentes non considerare-
mus illic spatium imaginarium.
quid sit spatium imaginarium supposito quod sit ens reale

ipsa met immensitas dei a parte rei, unde quando dicitur deum esse extra omnes coelos in spatiis imaginarijs, hoc est dicere deus est extra omnes coelos in sua immensitate: et similiter ante mundum conditum deus hic erat in sua immensitate.
An necessarium sit presentias locales explicare per essentialem ordinem ad spatium imaginarium? non licet ita communiter soleat fieri.
Quomodo cum alias presentia quam habet petrus habet hic poterit in foro esse? nego.
quia per intrinsecam suam essentiam hoc habet ut non possit esse alibi sicut per intrinsecam suam essentiam hoc habet albedo ut non sit nigredo
An sit omnino necessarium admittere presentiam realiter superadditam rei presenti? non, est enim hoc tantum probabile ut alibi dicetur fusius.

De Penetratione

An dentur aliquae res quae possint se mutuo penetrare? imo.
Quid penetratio? presentia plurium rerum simultanea in eodem loco. ibi autem definitur penetratio sumpta nominaliter.
An possit penetratio sumi pro actione et pro motu? imo.
Quid penetratio sumpta pro actione? est actio terminata ad penetrationem nominaliter sumptam.
An debeat realiter differre a penetratione nominaliter sumpta? non, ratio est quia penetratio nominaliter sumpta est quidam presentia localis quae producitur semet ipsa sine actione realiter superaddita, sicut et reliqui sui modi.
An penetratio actio differat essentialiter ab alijs actionibus? non, quia eadem actio per quam producitur presentia alicuius in aliquo loco quando non habet sibi coniunctam presentiam alterius, tunc non erit penetratio, sed autem penetratio si alterum coniungatur.
Quid penetratio mutatio? transitus alicuius a privatione penetrationis nominaliter sumptae ad illam penetrationem.
An penetratio mutatio, et penetratio actio necessario concomi

trentur se mutuo? non.
Da penetrationem actionem quam non concomitatur penetratio mutatio: talis est penetratio actio qua res se penetrant primo instanti suae existentiae.
Quare illam non potest concomitari penetratio mutatio? quia res primo instanti suae existentiae non potest penetrari penetratione mutatione, quia nihil potest moveri primo instanti suae existentiae ut alibi latius dictum est.
An detur penetratio mutatio quam non concomitetur penetratio actio? non.
An dentur aliquae res quae possint se naturaliter penetrare? R. imo.
Quales res materiales an spirituales? spirituales et etiam materiales.
Da duas res spirituales quae naturaliter penetrant se mutuo: duo angeli item duae animae rationales separatae a corpore
An omnes res spirituales possint se mutuo naturaliter penetrare? non. ut praesentia angeli et praesentia angeli in foro cum enim essentialiter respiciant diversa spatia quibus coexistant fieri non potest ut simul sint in eodem spatio.
An omnes res spirituales independentes a loco possint se mutuo naturaliter penetrare? non. ut intellectus petri et intellectus pauli, quia si penetrarent illi se mutuo, illorum materiae primae etiam deberent se mutuo penetrare, iam autem duae totales materiae primae naturaliter se penetrare non possunt ut postea fusius dicetur.
An sint aliquae res materiales quae naturaliter se mutuo penetrant? imo. ut paries et albedo, et generata forma et eius subiectum.
An alterae res materiales sola forma et subiectum possint se penetrare? non.
Da aliqua quae penetrant se aliter: gradus intensivi albedinis caloris etc.
An omnes res materiales non possint se mutuo penetrare? non.
Da ergo aliqua quae se mutuo penetrare non possunt: petrus et paulus non possunt se penetrare saltem naturaliter
unde probatur experientia, quia experimur si petrus velit occupare locum pauli quod debeat paulum ab eodem loco excludere.
Quomodo cum praesentia petri et pauli non excludant se mutuo formaliter, neque effective? non refert.
Ostende quod non excludant se mutuo formaliter: quia formae quae se mutuo formaliter excludunt debent habere idem subiectum, illae autem praesentiae habent subiecta diversa.

Ostendo quod illae praesentiae non excludant se effectiue ab eodem loco, quia ut aliquid excludat alterum effectiue debet esse actiuum, quia debet producere aliquid incompatibile cum altero, iam autem praesentia localis non est actiua.

Quomodo ergo praesentia unius corporis excludit praesentiam alterius ab eodem spatio? quasi formaliter, quia videlicet sunt incompatibiles in eodem spatio.

Quomodo duo corpora non possint [mutuo] se penetrare [naturaliter] cum contrarium pateat experientia? nego illam, quod vas plenum cineribus

Quomodo cum pateat experientia admittat intra se aquam in notabili quantitate? non valet.

Quomodo cum tali casu aqua debeat penetrare istos cineres? nego.

Quomodo non sit ibi alius locus pro aqua nisi locus cinerum? nego.

Quem ergo locum occupat tali casu aqua? aqua occupat poros qui antea erant pleni aere, adveniente autem ista aqua aer cedit, et sic in locum aeris succedit tali casu aqua.

Quomodo cum non sit verisimile tantas esse vacuitates in istis cineribus quae sufficiant aquae tam copiosae sicut superfunditur istis cineribus? ideo alii adducunt aliam causam quare vas illud plenum cineribus admittat tam multum aquae, quia videlicet [dum] adveniente aqua per impetum istius aquae advenientis multi cineres quodammodo exhalant extra illud vas, et locum istorum cinerum replet aqua.

An vinum et aurum non penetrent se naturaliter? non.

Quomodo cum contrarium etiam pateat experientia? nego talem.

Quomodo cum constet quod vitrum plenum vino postea adhuc admittat aurum? mihi illa experientia nota non est, supposito quod vera sit, nego tamen tali casu quod aurum et vinum se mutuo penetrent.

Quomodo hoc fiet sine penetratione casu quo sit experientia vera? ideo poterit dici quod vitrum plenum vino adhuc admittat aliquod aurum, quia talis est natura vini ut quando imbibit quodammodo aurum quod tunc magis possit se elevare in summitate scyphi et sic ut partes istius vini non avellantur a summitate.

An vinum in summitate scyphi sit altius quam circa margines scyphi? imo (supposito quod scyphus sit infusus tam plene quam possit).

Quare hoc potius habet vinum quam alii liquores? etiam in aliis liquoribus est verum.

Quare in medio liquor debet esse altior quam circa extremitates.

vitri quia terra est rotunda seu globus ex terra et aqua con-
fectus, ergo liquor qui descendit deorsum in summitate servat
quodammodo figuram circularis, iam autem circulus ambiens vitrum
in summitate in medio esset quodammodo altior quam circa mar-
gines, totum autem illum circulum potest ille liquor replere ibi.
Quomodo secundum hoc scyphus plus deberet continere in valle
quam in monte? hoc in rigore verum est, ex quo etiam sequitur
quod poculum sit magis plenum in causa quamdiu fertur
ad granarium, quia in valle est vicinior centro universi quam
in monte, quo autem est vicinior centro, eo plus continet, quia
quo circulus aliquis est vicinior centro, eo magis arcuatur,
et fit magis curvus, iam autem totam curvitatem illam ex-
stantem supra margines scyphi adhuc potest replere liquor.
An corpus unum partiale posset naturaliter penetrare alterum
partiale? dubium est, et potest utrumque probabiliter disputari.
Quodnam corpus vocatur hic partiale? illud quod actu de facto
est pars integralis alicuius alterius.
Da tale: caput respectu hominis.
An ostium consistit hic corpus partiale respectu domus? non, quia
non est pars integralis proprie dicta, quae cum sua compartem con-
stituat ens unius naturae, difficultas hic est de parte integrali
proprie dicta. An illa possit naturaliter penetrare aliam compar-
tem integralem eiusdem corporis propter condensationem, quia
dubium est an in condensatione fiat talis penetratio.
Condensatio est duplex, alia condensatio vulgaris, alia vero
condensatio rigorosa seu proprie dicta.
Quid condensatio vulgaris? est praesentia alicuius totius integra-
lis ad minus spatium sub equali numero partium apparenter tantum.
An detur talis condensatio vulgaris? imo sine de eo controversia
est.
Quibus modis potest contingere condensatio vulgaris? in primis si cor-
pus aliquod contineat in se aliquod aliud corpus extraneum, et exclu-
datur illud corpus extraneum per talem exclusionem, illud corpus
a quo alterum excluditur condensabitur condensatione vulgari.
Da quod eo modo condensatur condensatione vulgari: sic ut quando
spongia repleta aqua comprimitur ut aqua exeat, tunc spongia
condensatione vulgari tantum, quia partes illae spongiae quae antea
a se magis distabant distant minus.
Da alium modum quo potest contingere condensatio vulgaris:
si insensibiliter ex toto aliquo integrali auferantur aliquae partes
integrales, sic ut totum illud quod ante videbatur plus spatii

occupare occupet minus spatium.
Da quod eo modo condensatur condensatione vulgari: sic condensatur lutum quando aqua mixta luto resolvitur in vapores, sic ut aqua eo modo extravasatur extra lutum.
An sicut datur condensatio vulgaris, ita etiam detur rarefactio vulgaris? imo
Quid rarefactio vulgaris? est praesentia alicuius totius integralis ad maius spatium sub aequali numero partium.
An detur etiam talis rarefactio vulgaris? imo.
Da casum quo contingit talis rarefactio vulgaris: talis contingit in spongia quando illa repletur aqua, similiter quando librum madefatur in aliquo liquore, quia per ingressum istius liquoris pori incipiunt magis dilatari, hinc apparet quod talia corpora rarefiant.
Da aliquem modum praeter hunc quo contingit rarefactio vulgaris: si corpus aliquod paulatim augeatur sic ut propter additionem partium insensibilium videatur esse idem corpus quod occupat maius spatium ubi tamen re vera idem non est.
Da quod eo modo rarescit rarefactione vulgari: sic rarescit lutum quando pluit, quia apparet quod sub aequali numero partium occupet plus spatii, cum re vera ita non contingat, sed propterea quia cum ipso miscentur aliquae partes aquae.
Quid condensatio rigorosa? est praesentia alicuius totius integralis ad minus spatium sub aequali numero partium.
Quid rarefactio rigorosa? praesentia alicuius totius ad maius spatium sub aequali numero partium.
Quare non sic ad aequale spatium sub minori numero partium? quia etiam sic, quia illae concomitantur se mutuo
An detur aliqua condensatio rigorosa naturaliter? dubium est.
Quibus argumentis probatur quod talis de facto detur? experientia, quia experimur aquam congelatam occupare minus spatium quam occupabat ante, hoc autem non videtur aliter fieri quam per rigorosam condensationem.
Unde probas aquam congelatam occupare minus spatium quam quando non erat congelata? hoc probatur ex fractione poculi congelati, quae fractio ideo contingit quia cum aqua congelatur in poculo incipit occupare minus minus spatium, et prohibetur ingressus aeri oritur in isto poculo periculum ad quod periculum avertendum poculum frangitur.
Quo argumento probatur quod non detur condensatio rigorosa? quia in condensatione rigorosa aliquae partes integrales corporis

se penetrant, hoc autem est impossibile, quia corpora totalia non
possunt se mutuo naturaliter penetrare, ergo neque partialia idem
poterunt.
proba illam consequentiam: quia non potest dari ratio sufficiens cur
totalia non possint se mutuo penetrare si partialia possint.
declara ulterius: quia corpora partialia tam bene habent suam
quantitatem, quam totalia, ac proinde si quantitas corporis to-
talis excludat ab eodem spatio aliam quantitatem corporis tota-
lis, et consequenter aliud corpus, eadem ratione etiam una partia-
lis excludet etiam aliam partialem, et consequenter unum cor-
pus partiale excludet alterum partiale ab eodem loco.
declara hoc ulterius: quia corpus partiale tantum differt a to-
tali quod habeat unionem integralem cum comparte integrali, qua
unione caret corpus totale, est autem incredibile quod unio illa
possit deservire ad hoc ut unum corpus possit alterum penetrare,
ergo videtur dicendum quod sicut unum corpus totale non potest
naturaliter penetrare aliud corpus totale, ita nec etiam partia-
le poterit naturaliter penetrare aliud partiale, quia videtur esse
par ratio utriusque, et consequenter non videtur posse dari naturali-
ter condensatio rigorosa.
Quomodo potest solvi nostrum argumentum quo probabimus ~~impo~~-
sibilem esse condensationem rigorosam seu penetrationem partialium
corporum? R. negando quod aqua dum congelatur condensetur rigo-
rose. ad rationem autem id probantem dici potest quod poculum in
casu posito non frangatur propter periculum vacui ortum ex con-
densatione rigorosa sed propter aliquam indispositionem poculi sicut
subinde quando est vehemens gelu franguntur arbores.
declara esse verisimile quod poculum non frangatur propter pericu-
lum vacui in congelatione: quia si propterea rumperetur deberet
multo citius rumpi quam rumpatur, non rumpitur enim nisi sit
totaliter congelatum aut fere, secundo si poculum congelandum sit
plenum oleo vel simili liquore tunc non rumpitur, deberet autem
eodem modo rumpi si rumperetur ob periculum vacui.
Quomodo solvi potest argumentum quo probavimus esse impossi-
bile quod partialia corpora se penetrent? dicendo non esse eandem
rationem de quantitate partiali quae est de totali, quod totalis
quantitas aliam excludat ab eodem loco constat experientia, simi-
lis autem experientia non habetur de quantitate aut corpore par-
tiali. unde etiam consequenter dicendum est quod de natura quan-
titatis sit excludere aliam totalem, et consequenter eius subiectum
ab eodem loco, non autem excludere partialem. item potest respondere
quod quantitas reddat suum subiectum impenetrabile ab alio simili
mere per motum localem, si autem accedat aliquis motus altera-

tionis, tunc potest una quantitas aliam penetrare, cum autem
in condensatione rigorosa quando illa accidit semper accedit aliquis
alius motus alterationis.
An detur etiam rigorosa rarefactio? imo, saltem probabiliter, illa
enim pariformiter vadit cum condensatione.
Da casum quo probabiliter fit rarefactio rigorosa? quando pulvis
tormentarius subito accenditur in tormento bellico probabile est
quod materia prima istius pulveris rarefiat tunc rigorosa rarefac-
tione.
Unde fit quod ille ignis eiciat tanta vehementia globum extra?
quia materia illa pulveris dum pulvis accenditur debet occupare
locum multo maiorem quam dum erat materia pulveris, quia
globus vero impeditus possit tam magnum locum occupare hinc
tanta vehementia excluditur, si autem contingat globum vel glo-
bulos esse nimis parvos non excluduntur tanta vehementia,
quia flamma potest tunc transire ad latus.
Declara tamen illud argumentum non probare efficaciter quod fiat
rigorosa rarefactio materiae pulveris dum pulvis accenditur? quia
potest dici quod re vera illa materia pulveris accensi non occupet
locum maiorem quam occupabat ante, sed ignem esse talis naturae
ut habeat multos et magnos poros plenos aere, et sic materia
pulveris quando pulvis accenditur solum rarescet rarefactione vul-
gari, sequetur tamen idem effectus quoad exclusionem globi ex tor-
mento, quia tam magnos poros intra se non potuit conquirere
ignis sine exclusione globi.
An per Deum saltem possint duo corpora se penetrare? imo.
An hoc sit probabile, an vero certum? est certum.
De quibus, an de totalibus, an partialibus? de totalibus, et partiali-
bus.
Proba plura corpora totalia posse se penetrare: quia hoc re ipsa
accidit quando Christus exivit sepulchro immoto lapide sepulchrali,
item quando intravit in cenaculum ostiis clausis.
Declara de partialibus: hoc etiam re ipsa accidit in venerabili sacra-
mento ubi partes integrales Christi se mutuo penetrant.
An sit certum quod naturaliter non possint illa corpora totalia
se penetrare? non.
Quomodo enim hoc satis probetur experientia quod unum corpus
debeat excludi ab alio loco in quo intrat aliud corpus? illa ex-
perientia tantum probat de corporibus sublunaribus quod se exclu-
dant ab eodem loco, ceterum quod etiam corpora caelestia debeant
sic se mutuo excludere hoc non habetur per illam experientiam.
Quid tunc enim hoc etiam habeatur ex eo quod illa etiam habeant
quantitatem? non constat certo quod quantitas caelorum sit
eiusdem naturae cum quantitate sublunari, ac proinde ex eo quod
quantitas sublunaris habeat aliquem non licet certo inferre quod

quantitas coelestis habeat eundem effectum, quia forte quantitas coelestis et sublunaris habent diversam naturam ex eo quod sunt diversae speciei, hoc supposito non recte argumentamur ab una ad alteram, sicut non sequitur,

Homo potest ratiocinari, ergo
et brutum

Quomodo potest etiam divinitus una quantitas admittere aliam ad eundem locum cum ex natura sua sit impenetrabilis ab alia? R. nobis certo non constat quod quantitas coelestis et sublunaris se penetrare non possint, deinde addo de quantitatibus sublunaribus licet ex natura una alteram excludat, seu exigat excludere, deus tamen non tenetur semper isti exigentiae satisfacere, sicut in simili aqua exigit esse frigida, propterea non semper tamen est frigida

De Replicatione

Quid replicatio? est praesentia simultanea eiusdem rei creatae in diversis locis simul.
Quare dicitur rei creatae? quia etiamsi deus sit in omni loco simul, illius tamen praesentia non dicitur replicatio.
An praesentia rei in diversis locis semper sit replicatio? non, quia successiva praesentia eiusdem rei in diversis locis non est replicatio.
Quaenam replicatio est ante definita? replicatio nominaliter sumpta
Quid replicatio sumpta pro actione? est actio terminata ad replicationem nominaliter sumptam.
Quomodo differt a replicatione nominaliter sumpta realiter an sola ratione? sola ratione, quia ubi saepe dictum est puri modi inter quos est praesentia localis, producuntur per se met ipsis
Quid replicatio sumpta pro motu? est motus localis quo res aliqua sic movetur ut simul habeat praesentiam in pluribus locis.
An terminus ad quem istius motus debeat esse multiplex praesentia? non.
Ostende quomodo fieri possit talis motus sine multiplici praesentia? quia fiet replicatio mutatio si res existens in uno loco acquirat ~~[illegible]~~ praesentiam ad unum locum tantum supposito quod retineat simul praesentiam antiquam.
An replicatio actio, et replicatio mutatio necessario concomitentur se?

non.

An possit fieri replicatio mutatio sine replicatione actione? non.

Quomodo ergo non concomitantur se mutuo replicatio mutatio et replicatio actio? quia equidem potest dari replicatio actio sine replicatione mutatione.

Da talem casum: hoc fiet si res aliqua replicetur primo instanti suae existentiae, quia tunc primo instanti suae existentiae nulla res potest moveri; ergo non poterit replicari replicatione mutatione.

An sit possibilis aliqua replicatio? imo.

Quomodo per Deum tantum an vero etiam naturaliter? naturaliter.

Assigna talem rem: angelus, item anima rationalis.

An generatim omnis res spiritualis possit naturaliter replicari? non. ut praesentia localis quam habet angelus in hoc loco, quia cum dicat essentialem ordinem ad hoc spatium tantum, sic ut alibi esse non possit, impossibile est ut illa praesentia sit in alio loco.

An omnis substantia creata spiritualis possit naturaliter replicari? non.

Da ergo talem: talis probabiliter est unio physica hominis, supposito scilicet quod subiectetur proxime in sola anima rationali.

Quare illa unio naturaliter replicari nequit? quia non posset replicari illa unio nisi simul replicaretur illa materia ad quam proxime terminatur, quam autem illa materia naturaliter replicari non potest ut post latius dicetur.

An detur aliquod accidens quod naturaliter potest replicari? imo. sic naturaliter replicatur intellectus angeli quando replicatur angelus, quod non tantum est verum si intellectus angeli realiter identificetur naturae angeli, sed etiam supposito quod realiter differat.

proba quod intellectus angeli etiam naturaliter replicetur supposito quod realiter differat: quia sicut homo fert secum sua accidentia absoluta nempe albedinem, calorem etc. quando vadit ambulatum, ita angelus quando replicat se debet ferre secum sua accidentia absoluta quando se ponit in pluribus locis simul.

Qualis actio est replicatio, substantialis an accidentalis? aliqua est substantialis, aliqua accidentaria tantum.

Da replicationem quae tantum est actio accidentaria? replicatio qua angelus replicat se ipsum.

proba illam non esse actionem substantialem: quia sic angelus deberet se ipsum naturaliter reproducere quando replicatur; quamquam autem dubium est an etiam divinitus possit aliquid se ipsum reproducere, saltem naturaliter hoc fieri non potest.

assigna replicationem quae sit actio substantialis? talis esset actio

quando Deus produceret hic aliquem hominem, et simul eundem Romae:
An talis homo non replicaretur per actionem accidentariam? imo,
quia haberet simultaneam praesentiam hic et Romae, illa autem
praesentia producitur per actionem accidentariam.
An ergo replicationem substantialem necessario concomitetur repli-
catio accidentaria, sive adductiva? probabilius est quod non.
Quomodo cum talis res necessario debeat habere praesentiam loca-
lem in utroque loco? probabile est hoc non esse necessarium, quia cum
praesentia localis sit res aliqua posterior re praesente, a qua res prae-
sens est independens, videtur quod Deus posset ipsam rem conservare
destructa praesentia eius sicut potest hominem et [illegible] conservare
sine albedine, calore, et similibus accidentibus.
Quid replicatio adductiva? est replicatio terminata ad praesentiam lo-
calem.
Quid replicatio productiva? est replicatio terminata ad subiectum
praesentiae localis proximum, [illegible].
An etiam res materialis possit replicari? naturaliter non, ut patet
experientia, quia experimur quando novum locum acquirimus debe-
mus perdere antiquum.
An divinitus possit corpus replicari? et hoc est ex fide certum.
proba certo hoc posse fieri per Deum: quia sic de facto replicatur
Christus in venerabili sacramento.
An possit corpus replicari circumscriptive? imo.
An hoc sit tam certum quam possit replicari definitive? non, quia
sunt aliqui catholici doctores qui sustinent quod corpus non possit
etiam per Deum circumscriptive replicari, prius est ex fide certum.
proba quod corpus per Deum possit circumscriptive replicari per Deum:
quia potest corpus replicari definitive, ut diximus esse certum ex
fide, ergo etiam circumscriptive.
proba illam consequentiam: quia difficilius est ut res replice-
tur definitive quam circumscriptive, quia ut res replicetur defini-
tive ultra hoc quod debeat esse in duobus locis requiritur insuper
ut habeat suas partes se penetrantes quod posterius miraculum
non requiritur ad hoc ut res replicetur circumscriptive, unde non
sunt audiendi ullo modo isti doctores qui negant corpus posse cir-
cumscriptive replicari.
Quomodo utuntur heretici illa doctrina? possunt argumentari
hoc modo, idem corpus non potest esse circumscriptive in duobus locis
ut aliqui catholici doctores fatentur, ergo nequit etiam esse in
pluribus locis definitive, quia hoc est difficilius, ergo falsum
est quod catholici credunt Christum esse in tot hostiis consecra-
tis simul.
Quomodo respondendum est ad illud argumentum hereticorum?
optime negatur antecedens, neque refert quod aliqui catholici

doctores illud antecedens admittant, quia non tenentur defen-
dere omnes opiniones omnium doctorum.
An admisso illo antecedente non possit negari consequentia? imo.
et hoc debet necessario facere ille qui antecedens admittit.
Quaenam poterit dari ratio disparitatis? difficile est bonam ratio-
nem disparitatis dare, optima videtur illa quod duplex sit prae-
sentia circumscriptiua repugnet etiam divinitus sicut solet a
pluribus doceri quod subsistentia propria et aliena etiam sic re-
pugnent ut ne quidem per deum possint inesse simul eidem.
An sit certum quod naturaliter non possit replicari ullum cor-
pus? non.
Da corpus quod saltem probabiliter replicatur naturaliter? sol,
quia sol in ictu oculi conficit facile centum milliaria, imo tre-
centa, id est spatium tam magnum quam sit hinc usque romam
hoc autem nequaquam potest fieri nisi sol sit in pluribus locis simul
et consequenter replicetur.
Unde hoc probas? ex magnitudine coeli solis quae ad tot centena
millia milliarium extenditur ut sol debeat in quolibet ictu
oculi trecenta milliaria conficere antequam possit absolvere talem
circulationem spatio viginti quatuor horarum.
proba solem non posse trecenta milliaria in ictu oculi conficere
sine replicatione: quia clarum videtur quod in ictu oculi non
sint tot instantia imaginaria temporis quot sunt partes spatii
hinc usque romam, ergo necessarium est ut si sol in tempore tam
brevi conficiat tot milliaria quod sit in pluribus locis simul.
An non possit sustineri cum aliqua apparentia quod corpus
aliquod sublunare replicetur? imo.
proba tam apparenter quam potest: probatur in rota quae dum
celerrime movetur rem extra rotam existentem non possumus
videre, idque ideo quia radii videntur totum spatium occupare;
hoc autem non potest aliter fieri nisi per replicationem.
An ex replicatione non sequatur quod idem corpus sit in ali-
quo loco, et extra illum? sequitur quod sit in loco, et extra illum
positiue, non sequitur autem quod sit in loco, et extra illum negatiue
declara quod sit positiue in loco et extra? quia hoc ipso quod est ali-
bi debet esse extra illum locum positiue.
declara quod non sit extra locum negatiue: quia ut aliquid sit
in aliquo loco et simul extra illum negatiue sequitur ut sit in
loco, et non sit in eodem loco hoc vero esse impossibile probo, quia
illa contradictoria sunt, contradictoria vero non possunt eidem
convenire ne quidem replicato.
An ex replicatione sequatur quod aliquid a se ipso poterit distare?
distinguo, sequitur quod aliquid poterit distare a se ipso positiue

Sed non sequitur quod aliquid poterit distare a se ipso negative declarare quod aliquid sic distabit a se ipso positive, quia hoc fiet eo ipso quod intercederet aliquod intervallum inter ipsum existens in uno spatio, et ipsum existens in alio spatio.

Declarare quod non sequatur ex replicatione quod aliquid distabit a se ipso negative: quia ut aliquid distet a se ipso negative debet non occupare eundem locum cum se ipso, idem autem hoc est plane impossibile.

In quot locis potest unum et idem corpus esse circumscriptive replicatum? si sit possibile infinitum actu, tunc in infinitis locis poterit esse replicatum: si autem non sit possibile infinitum actu, tunc quidem poterit esse in valde multis locis, sed nos non possumus determinare in quam multis praecise, sicut non possumus determinare quam sint multi homines possibiles.

An ex uno homine sic saepius replicato possit fieri exercitus? imo.

An si talis homo in uno loco occideretur non deberet ubique statim mortuus esse? non.

Quid ergo fieret de tali homine qui sic moreretur in uno loco et alibi adhuc viveret? credibile est quod talis homo sic in uno loco mortuus non acciperet a Deo ullam sententiam, nisi postquam esset mortuus absolute, unde non sequitur quod idem homo deberet ire ad coelum et etiam ad infernum.

Quid fieret de tali homine existente in duobus locis, supposito quod moreretur simul et in uno loco esset iustus et alio non? dicimus quod talis homo simpliciter esset condemnandus, quia ad hoc sufficit ut vel in uno loco discedat cum peccato mortali. Proba posse fieri, supposita replicatione, quod unus homo posset vivere in uno loco et mori in alio: quia in uno loco possunt applicari causae illum corrumpentes, et in altero non, v.g. si Petrus esset replicatus hic et Romae posset fieri quod Romae caderet in aquam et hic non, tunc vere moreretur Romae, hic autem posset tunc vivere.

An ex eo non sequeretur quod unus et idem homo esset simul vivus et mortuus? non, sed talis homo simpliciter adhuc deberet dici vivus.

Quomodo posset dici vivus cum sit mortuus Romae? non refert.

An non bene sequatur, Petrus est mortuus Romae, ergo Petrus est mortuus? non.

Quare non a specie ad genus? quia mortuus Romae non est species respectu mortui absolute.

Quomodo ergo se habent mortuus Romae et mortuus? utrumque est Petrus qui mortuus est Romae supposito quod non vivat alibi, ea mortuum qui non est mortuus Romae, Joannes Lovaniensis

sit mortuus prout naturaliter solet mors contingere.
Da mortuum eorum quod non est mortuum: homo supposito quod sit mortuus corruptus alibi vivat.
An sequatur

petrus non vivit corruptus, ergo
petrus non vivit? non, vitium est quod procedatur

ab vna specie ad genus distributum, quia vivens corruptus est quid minus commune quam sit vivens, quia quidquid vivit corruptus vivit non contra, quia homo qui vivit sanus etiam vivit, non tamen corruptus.
Declara in antedicto argumento procedi ab vna specie ad genus distributum? quia negatio vtrobique reddit distributum praedicatum tam in consequente quam in antecedente, vnde ante dictum argumentum est simile huic,

petrus non est brutum, ergo
petrus non est animal.

An contradictoria possint simul inesse replicato? non.
Quomodo cum homo replicatus possit simul esse albus et niger?
non refert.
Quomodo cum ex eo sequatur quod possit esse albus et non albus?
nego hoc sequi.
An non bene sequatur,

petrus est niger, ergo
petrus est non albus? iuxta praesentem re:

rum statum hoc bene sequitur, sed non sequitur tamen hoc absolute supposita replicatione.
A quo loco sequitur hoc argumentum? iuxta modernum rerum statum sequitur hoc a specie ad genus.
Quare non a repugnantibus? quia niger et non albus non sunt repugnantia, sed magis et minus communia, quia omne nigrum est non album, sed non contra.
Declara quod illud argumentum non valeat

petrus est niger, ergo
petrus est non albus supposita replicatione?

quia facta illa suppositione est argumentum ab vno excedente et excesso non distributo ad alterum.
Da vtrumque: vtrumque est corvus, niger et non albus.
Da non album tantum: paries viridis.
Da nigrum tantum: petrus niger in vno loco qui in alio loco esset albus, falsum enim est dicere quod talis esset non albus.
An contradictoria ne quidem per deum possint simul inesse ei:
dem ad sensum definitionis repugnantium? non, vnde contra
eum qui hoc admitteret posse sic conueniri contradictoria eidem non posset cum fructu institui vlla disputatio, quia oppugnans non potest melius facere suum officium quam deducendo defendentem ad hoc vt contradictoria admittat, quod si dicat posse

defendens hoc non infitias nihil restat agendum utiliter cum ipso.

An privative opposita possint convenire eidem rei replicatae? affirm. est enim eadem ratio de illis quae est de contradictoriis. Unde vita et mors absolute non possunt eidem replicato convenire, quamvis bene possint convenire vita [illegible] et mors in certo loco.

An contraria possint inesse eidem replicato? imo.

An hoc sit probabile? est tantum probabile.

proba illud eo modo quo potest: quia Joanni replicato dicet Romae potest Romae applicari ignis et hic aqua frigida, illo autem casu nihil impedit quo minus Joannes hic sit frigidus et Romae calidus.

Quo argumento potest probari contraria pars quod eidem replicato non possint inesse simul contraria? quia duplicata praesentia non auget virtutem subiecti, ergo sicut in uno loco existens aliquando non potest simul habere contraria, ita neque etiam si existat in duobus locis.

Quomodo solvendum est illud argumentum a nobis? etiamsi duplicata praesentia non augeat virtutem intensivam subiecti, quia tamen facit subiectum suum quodammodo aequivalere duobus, ideo non est mirum quod ratione ipsius possit simul suscipere contraria in diversis locis existens.

Quomodo illa sententia solvit nostrum argumentum quo probamus contraria posse simul inesse eidem replicato? dicunt vel ignis tali casu fortius agit quam aqua aut contra, vel sunt pares aqua et ignis. si unum ex illis sit fortius altero, illud solum agit, si autem sint paria, tunc impediunt se mutuo, sicut duo contrarii impetus qui sunt motivi ad loca contraria impediunt se mutuo si contingat illos incidere in idem subiectum.

Quomodo illa solutio potest cum apparentia subsistere cum ex illa sequatur quod ignis existens Romae possit producere calorem [illegible] adeoque agere extra suam sphaeram? ad hoc solet responderi quod Deus in isto casu replicationis hoc ipso quo ignis producit calorem Romae, tunc aequaliter Deus producit simul eundem calorem in eodem subiecto ubicumque existente. Ergo patet quod omnes dum [illegible] circa illos casus extraordinarios fingendi nostra sententia probabilior est.

An opposita relative etiam possint inesse eidem replicato? imo, est enim eadem ratio de illis quae est de contrariis.

An sit probabile Petrum posse replicari an vero certum? est certum. proba hoc certo: quia certum est posse, imo de facto replicari Christum, ergo idem etiam dicendum est de Petro, quia non potest ulla probabilis ratio disparitatis assignari.

An sit nequaquam probabile quod praesentia unionis physicae sit realiter eadem cum unione physica? imo.

An non sit etiam probabile quod praesentia illa unionis non possit replicari? imo.

An ex eo non sequatur probabiliter quod unio physica non possit re-
plicari? imo, sequitur etiam probabiliter.
An non sit etiam probabile quod totum physicum non possit re-
plicatum nisi etiam replicata unio eius physica sibi? imo.
An ex omnibus istis probabilibus non sequatur quod petrus non
possit replicari saltem probabiliter? imo.
Quomodo ergo non est probabile petrum non posse replicari divi-
nitus? quia non semper id quod sequitur ex duabus probabilibus
est probabile, hoc enim non accidit tunc, quando praemissae istae pro-
babiles sint incompatibiles quoad veritatem.
infer ergo manifeste falsam ex duabus talibus probabilibus: hic

Omnis quantitas componitur ex divisibilibus sine fine est
Nulla quantitas componitur ex divisibilibus sine fine, ergo
nulla quantitas est quantitas.

Quamvis ex praemissis probabilibus antedictis ex quibus sequitur
petrum non posse replicari divinitus sint incompatibiles quoad
veritatem? etiamsi illas non possimus determinate assignare col-
ligitur hoc tamen sufficienter ex eo, quia inferunt conclusionem
certo falsam, certo falsa autem non potest inferri ex certo falsis,
unde licet ~~[struck word]~~ nulla simplex probabilis sit certo falsa compo-
sita tamen copulativa constans ex illis omnibus probabilibus
est certo falsa.
Unde colligis esse certo falsum quod petrus non possit replicari
divinitus? ex eo quia eodem argumento deberet etiam posse pro-
bari quod Christus etiam non possit replicari divinitus, quia Chris-
tus tam bene habet unionem physicam quam petrus, et unio
physica Christi tam bene identificatur realiter suae praesentiae quam
unio physica petri etc. ergo si probabile esset de petro quod non pos-
sit replicari divinitus deberet etiam esse idem probabile de Christo.
An quando replicatur aliqua res debeat etiam replicari actio produc-
tiva eius? non est necesse.
Ostende quomodo possit replicari petrus non replicata eius actione
productiva? quia potest fieri quod petrus in utroque loco non habeat
eandem actionem, sed aliam numero diversam in uno loco, aliam
vero in alio loco.
An replicato petro possit etiam replicari simul actio productiva eius?
imo. nulla enim potest dari ratio quare actio illa non tam bene
possit replicari quam ipsamet unio physica.
An per unicam actionem non replicatam possit res esse in diver-
sis locis? probabilius videtur quod non.
Proba non posse fieri? quia res non potest dependere per actionem
nisi in isto loco in quo res est, habeat illam actionem per quam
dependeat.
An hoc sit ita certum ut oppositum nullo modo sit probabile? non.

quia si quis diceret aliquid posse replicari ad duo loca contigua,
sic ut actio per quam res illa (esset producta) non replicaretur,
sed adhaereret quodammodo rei existenti in loco vicino (talis non posset
a parte redargui.
An sint aliqua accidentia rei quae absoluta necessitate replicantur re=
plicata re? imo, illa sunt quae sola ratione differunt a subiecto quod
replicatur.
An ergo deus non posset replicare hominem nisi replicata eius risibi=
litate? non (non magis quam posset replicare hominem non replican=
do rationale.
An sint aliqua accidentia quae possit deus replicare, et non replicare
quando replicat eius subiectum? imo illa sunt accidentia realiter
a subiecto distincta quae non dicunt essentialem ordinem ad locum.
Da accidens quod potest replicari et non replicari quando ~~[illegible]~~=
replicatur eius subiectum: sic ut quando deus replicat petrum
potest pro arbitrio suo replicare eius albedinem, potest etiam
eandem non replicare (et idem est de calore (frigore, et aliis acci=
dentibus realibus independentibus a loco.
Quare dicis independentibus a loco? quia quae a loco dependent
ut praesentia localis illa replicari non possunt.
An possint uniones, et partes totius esse replicatae sic ut non
sit replicatum totum? imo.
Da totum cuius omnes partes et uniones possunt replicari sic
ut non sit replicatum totum? tale est totum aliquod integrale.
An ergo omnes partes integrales, et uniones integrales Ioannis
possint esse replicatae non replicato Ioanne? imo. si Ioannes hic
existat (et una eius medietas sit replicata bruxellis (altera medi=
liniae (et totius Ioannis excepto capite sit replicatus antuerpiae
Quare in casu nostro non replicabitur Ioannes? quia ut totum ali=
quod censeatur esse replicatum necessarium est ut partes et uniones
istius totius constituant idem totum in utroque loco (hoc autem non
contingit in casu nostro.
An absolute replicatis omnibus partibus Ioannis, non debeat esse
replicatus Ioannes? imo.
Cuius partes ergo Ioannis non possunt esse replicatae nisi replica=
tus Ioannes? partes logicae Ioannis non possunt esse replicatae nisi
Ioannes etiam replicatus sit.
An partes physicae alicuius totius ~~non~~ possint esse replicatae non
replicato toto physico? imo. si illud totum physicum sit simul
integraliter compositum (tunc enim est eadem ratio de toto
illo physico quae est de toto integrali
An similiter totum metaphysicum possit non esse replicatum
quando omnes eius partes sunt replicatae? imo, si illud totum sit
integraliter compositum.
An angelus possit non esse replicatus dum natura, et subsistentia

eius sunt replicatae? non.
Quare hoc non fiet si partes sic sint replicatae ut simul non
constituant angelum? non potest fieri.
Quare non si subsistentia sit in uno loco replicata et natura
non in alio? non potest fieri, quia cum subsistentia sit purus modus respectu na-
turae metaphysicae non potest fieri ut illa sit extra naturam, quia
purus modus non potest esse etiam per deum extra suum modifica-
tum. in illa tamen sententia quae tenet subsistentiam angeli esse
entitatem realem stricte bene potest contingere quod sint replicatae
partes metaphysicae angeli sic ut non sit replicatus angelus.
An eadem res possit simul esse in diversis temporibus? in diversis
temporibus realibus bene potest simul esse eadem res, sed eadem res
non potest simul esse in diversis partibus temporis imaginarii.
Quare non tam bene quam possit simul in diversis partibus spa-
tii imaginarii? est manifesta ratio disparitatis ipsa ista, quia di-
versae partes temporis imaginarii non possunt esse simul, ergo est
impossibile ut eadem res sit simul in illis, aliud est de partibus
spatii imaginarii quae cum sint simul impossibile non est ut eadem
res sit simul in illis, immo naturaliter angelus et anima
rationalis sic sunt replicata ubi in initio huius quaestionis dictum
est.

De Vacuo

Qua occasione aristoteles hic agit de vacuo? quia
ante egit de loco, vacuum autem opponitur loco, et oppo-
sitorum eadem est scientia.
Quomodo opponuntur vacuum et locus? privative.
Quomodo opponuntur privative per se primo an per partem?
per partem tantum.
Gratia quarum partium ergo se opponuntur? gratia continentis
adaequati et circumscriptivi alicuius corporis, et gratia priva-
tionis talis continentis.
Quid vacuum? est locus carens corpore. incertum est an de fac-
to ullum tale vacuum detur, quia de superficie proxima ambien-
te hostiam consecratam utrumque probabiliter sustineri potest, nempe
quod sit vacuum, et etiam quod vacuum non sit.
Quando nam illa superficies poterit dici vacuum? si illic non
maneat quantitas panis.
Quomodo, cum ibi equidem sit quantitas Christi et ipse Christus?
non refert, quia nec quantitas Christi, nec ipse Christus est
ibi corporis circumscriptive extensum.

ERATO,

Quandonam illa superficies non erit vacuum? si dicatur quod
maneat illic quantitas panis.
cur tunc non erit vacuum? quia tunc quantitas panis erit
illic corpus circumscriptive extensum, adeoque talis superficies con-
tinebit corpus, adeoque falsum erit quod absolute corpore carebit
Quid locus in definitione vacui? potest dici quod vox locus ibi seor-
sim nihil significet, sicut vox lavo nihil significat hic seorsim
quando dico, lavo aethiopem, capiendo illam vocem ut idem signi-
ficet quod illa operam perdo.
An singula vocabula in voce complexa non debeant aliquid seor-
sim significare? non est necesse, quia sufficit quod simul com-
ponant aliquam vocem aequivalentem voci complexae, ut patet
in partibus istius vocis, lavo aethiopem, et similibus.
Cur est vox complexa licet lavo non significet ibi seorsim
neque etiam aethiopem? quia videlicet illa vox lavo aethiopem aequi-
valet isti, operam perdo
Quid syllogismus in definitione enthymematis quando dicitur en-
thymema est syllogismus imperfectus? etiam ibi optime dicitur quod
vox syllogismus nihil seorsim significet, est tamen illa definitio
vox complexa, quia tota definitio aequivalet huic orationi, ar-
gumentatio cui deest una praemissa ad hoc ut sit syllogis-
mus.
An interim absolute vox locus non possit hic sumi ut aliquid sig-
nificet.
Quid sit locus? est superficies immobilis nata adaequate et cir-
cumscriptive continere aliquod corpus.
An locus hic non possit sumi et sit idem quod locus aristotelicus?
non.
in quo differunt locus hic et locus aristotelicus? in eo quod
locus aristotelicus debeat actu continere corpus adaequate scilicet,
et circumscriptive, ad vacuum autem sufficit quod possit con-
tinere.
Qualis est determinatio carens corpore respectu vocis locus in
hac definitione? est restringens, quia omnis locus carens corpore
est locus prout hic, non contra
Da locum prout hic qui non est locus carens corpore? locus aristo-
telicus quilibet, quia cum debeat esse finis continentis actu sem-
per continet corpus, adeoque numquam caret corpore.
An vox carens corpore non sit particula aliquando respectu vocis
locus? imo.
Quomodo cum antedictum sit quod sit restringens? non refert.
Quomodo cum eadem particula non possit esse aliquando et re-
stringens respectu eiusdem vocis? hoc quidem est verum quando
illa eadem vox sumitur in eadem significatione, falsum vero
si sumatur in significatione diversa, unde quod est particula
aliquando respectu vocis sumptae in una significatione est restringens

vel explanans respectu eiusdem vocis sumptae in aliam significa-
tione.
quare locus in definitione vacui non potest sumi pro loco aris-
totelico salva convertibilitate definitionis? quia falsum est quod
vacuum sit locus aristotelicus
Quid tum modo sit locus aristotelicus cum isto addito, carens cor-
pore? nec sic quidem est locus aristotelicus neque quidquam dari po-
test quod eo modo locus aristotelicus sit, quia implicat contradictio-
nem quod aliquid sit locus aristotelicus et simul careat corpore
sic enim simul deberet continere adequate et circumscriptive aliquod
corpus, et simul non continere adequate et circumscriptive aliquod
corpus.
Quid carere corpore hic? est non continere adequate et circumscrip-
tive corpus.
Quid continere aliquid alterum adequate? est sic continere alterum
ut nihil contineat aliud nisi mediante ipso vel quod ipsum penetrat.
An concava superficies coeli lunae contineat adequate elementum
ignis prout sic? [illegible] imo.
Quomodo cum ultra elementum ignis contineat aliud nempe ter-
ram aerem et aquam? non refert.
declara hoc non impedire quo minus adequate contineat elementum
ignis? quia continet ista tantum mediante elemento ignis.
Quomodo quidem continet adequate elementum ignis cum contineat
etiam eius quantitatem? non refert, quia quantitas illa penetrat
elementum ignis, illud vero quod continet alterum adequate potest
continere aliquid amplius quod istud alterum penetrat.
Quid continere corpus circumscriptive? est secundum diversas
eius partes continere diversas partes corporis.
Quid corpus in definitione vacui? est quantitas vel res affecta
quantitate circumscriptive extensa.
Quomodo cum hoc sit quippiam in definitione loci proprii? non refert,
quia quippiam ibi et corpus hic eadem sunt
An materia prima extensa et destituta omni quantitate non sit hic
corpus? quaestio supponit falsum, quia haec definitio corporis suppo-
nit quantitatem non distingui realiter a natura materiae primae,
et sic fieri non potest ut corpus naturale omni quantitate desti-
tuatur.
An corpus hic debeat esse sub unius naturae? non est necesse
quia potest esse aggregatum per accidens, ut aggregatum ex
aqua et terra, unde superficies aeris proxime ambiens illud
aggregatum continet corpus ad sensum huius loci.
Qua acceptione accipitur obliquus corpore in hac definitione? in
acceptione universali iuxta regulas ordinarias, quia sic acci-
pitur iuxta illas illud vocabulum in quod fertur vis istorum
verborum, egeo, careo etc.

An superficies carens uno corpore tantum sit vacuum? non,
quia sic superficies ambiens Joannem esset vacuum si scilicet suf-
ficeret quod careret aliquo corpore tantum.
Declara quod superficies ambiens Petrum careat aliquo corpore:
quia caret Paulo, et Andrea, et similibus.
An vacuum non possit aliquod corpus continere? imo, quia potest
continere aliquod corpus inadequate, potest etiam continere aliquod
corpus definitive.
Da vacuum quod contineat corpus inadequate: sic superficies concava
coeli lunae esset vacuum si annihilarentur elementum ignis et
aeris, etiamsi contineret adhuc aquam terram.
Declara quod facta illa suppositione esset vacuum: quia esset locus
non continens adequate ullum corpus, quia talis superficies
posset continere aliud corpus non mediante priori neque penetrante
alterum.
Declara quod superficies possit adequate continere aliquod corpus
et esse equidem vacuum: hoc fieret si contineret tantum defi-
nitive tale corpus.
An ergo superficies ambiens hostiam consecratam sit vacuum
etiamsi contineat ~~[illegible]~~ definitive corpus Christi adequate? imo, sup-
posito quod ibi non sit quantitas panis talis superficies erit va-
cua, supposito etiam quod consideratur tanquam immobilis.
Quomodo ergo verum est quod corpus in definitione vacui distri-
buatur cum vacuum possit continere corpus uti ostensum est,
non potest continere illud adequate et circumscriptive, unde ex
objectione iam facta ad summum sequitur quod non distribua-
tur omnino plene.
An non possit etiam defendi quod obliquus corpore accipiatur par-
ticulariter? imo.
Quomodo cum superficies ambiens Joannem tunc erit vacuum?
equidem non erit.
Quomodo cum illa non contineat Petrum? non refert.
Quomodo ergo non erit vacuum? quia hoc ipso quo aliquod corpus
continet falsum est dicere de illa non continet corpus licet corpus
particulariter accipiatur.
Quomodo corpus ibi non sumitur universaliter cum sequatur
hec superficies non continet corpus, ergo
hec superficies non continet Petrum? est verum, et non
refert.
Quomodo cum procedatur a non distributo [genere] ~~ad distributum~~ nisi corpus
distribuatur? nego, quia argumentum illud est bonum ex parte
predicati totalis, non procedit autem ex parte predicati partialis.
Proba recte sequi ex parte predicati totalis licet corpus accipia-
tur accipiatur particulariter? quia tunc bene sequitur equidem
ex parte predicati totalis a genere distributo ad aliam speciem

Declara quod continens aliquod corpus sit magis commune quam continens petrum: quia quidquid continet petrum continet aliquod corpus non contra, quia continens paulum continet aliquod corpus non tamen petrum.

Quomodo corpus non debet distribui hic quando dicitur superficies haec non continet corpus cum accipiatur particulariter hic, haec superficies continet corpus? non refert.

Quomodo cum negatio praefixa copulae faciat aliter accipi praedicatum? facit aliter accipi praedicatum totale, non autem partiale, unde si in affirmativa praedicatum totale accipiatur particulariter in negativa vero accipietur universaliter praedicatum totale.

Declara hoc non debere extendi ad praedicata partialia: quia praedicata partialia hic non distribuuntur cum dicitur petrus non est equus albus.

Probat vocem albus ibi non distribui: quia si vox albus ibi distribueretur tunc liceret ex illo antecedente inferre, ergo petrus non est albus et sic antecedens esset verum, et consequens falsum si loquamur de petro belga.

An vas vacuum sit hic vacuum definitum? non, quia vas vacuum prout vulgariter solemus intelligere censetur esse illud quod caret corpore palpabili, illud autem re vera continet corpus nempe aerem.

An vas vacuum sit vacuum hic definitum supposito quod nullum corpus contineat? non.

Quomodo cum facta illa suppositione erit locus carens corpore? nego, quia non erit locus, quia non erit superficies.

An saltem superficies concava vasis totaliter evacuati sit vacuum hic definitum? etiam hoc non est necesse, potest excludi a definitione per particulam immobilis, requiritur enim ad locum in definitione vacui tam bene quod sit immobilis quam hoc requiritur ad locum aristotelicum.

An superficies illa considerata ut immobilis et carens omni corpore sit vacuum? imo, quia illi competit tota definitio.

An locus communis non contineatur definitione vacui? non

Quomodo cum locus communis non contineat adaequate illa respectu quorum est locus communis? licet non contineat adaequate singula seorsim respectu quorum est locus communis continet tamen adaequate aggregatum ex pluribus, et sic concava superficies aeris licet non contineat adaequate terram neque aerem continet tamen adaequate aggregatum ex aqua et terra.

An vacuum recte dividatur in vacuum totaliter, et semivacuum non. quia datur vacuum neutra parte contentum vel vacuum pro tertia vel quarta parte tantum, item vacuum pro duabus tertiis vel pro tribus quartis.

Suppleo illam divisionem ut sit bona, vacuum aliud est vacuum
totaliter, aliud semivacuum, aliud vacuum est neutrum.
Quid semivacuum? est vacuum quod pro dimidia sui parte est ple-
num. tale non magis datur quam vacuum totaliter.
Quid plenum? est quod continet adequate et circumscriptive ali-
quod corpus.
An vacuum aristotelicum recte dividatur in vacuum conclusum
et separatum? non.
Ergo quod vacuum ergo sic recte dividitur? vacuum sumptum pro
spatio quod non continet adequate et circumscriptive ullum corpus.
Declara vacuum aristotelicum sic non recte dividi: quia vacuum
separatum non debet esse superficies, vacuum autem aristoteli-
cum debet esse superficies.
Quid vacuum conclusum? est vacuum undique cinctum corpo-
ribus. tale probabiliter est illud spatium quod occupatur ab
hostia consecrata supposito quod ibi non sit quantitas panis quod
debet supponi quia alias illud spatium erit plenum.
Quid vacuum separatum? est spatium destitutum omni corpore
circumscriptive extenso quod spatium non est undique cinctum cor-
poribus. ut spatium imaginarium extra omnes coelos.
An detur vacuum naturaliter? bene datur supernaturaliter
vacuum separatum ut dictum est non potest tamen na-
turaliter dari vacuum conclusum, nec aristotelicum
Unde probas non posse naturaliter dari vacuum conclusum et va-
cuum aristotelicum? probatur ex horrore quo natura a va-
cuo abhorret.
Unde probas hoc? ex eo quod mirabilibus modis conatur illud impe-
dire quando est periculum istius.
Quid natura quando dicitur natura abhorrere a vacuo? idem
quod universum.
Quare natura non sumitur ibi pro natura physica? quia non so-
lum naturae physicae sed etiam aliae res abhorrent a vacuo.
An universum abhorreat a vacuo horrore proprie dicto? non.
quia horror proprie dictus debet esse actus potentiae appetitivae, iam
autem totum universum non habet aliquam animam qua horreat
per appetitum suum vacuum tanquam suum malum.
Quid horror quo natura abhorret a vacuo? ficta quaedam aver-
sio qua universum aversatur vacuum tanquam magnum suum
malum imminens.
Quid horror proprie? est actus potentiae appetitivae quo aversatur ali-
quod magnum malum imminens
An horror non sit idem quod timor? non
In quo differunt illa tria, timor, horror et rigor? differunt tan-
tum secundum magis et minus, timor enim est aliquid minus
quam rigor et rigor est aliquid minus quam horror.
Quid periculum vacui? est propinqua dispositio in causis na-

teralibus ad impediendum vacuum.
Unde fit quod talem dispositionem natura tantopere abhorreat? quia magna perfectio Universi consistit in contiguitate corporum, illam autem illa contiguitas tollitur per vacuum si daretur

Quare ad bonum universi requiritur ut omnia corpora sint sibi contigua? propterea quia si esset aliquod vacuum inter corpora universi deberet cessare activitas tum inter ipsa corpora, tum inter alia inter quae mediat vacuum, quia nihil potest agere in distans non agendo per medium, ut alibi latius dicetur, per vacuum autem illa res potest agere, quia in vacuo non datur subiectum capax termini actionis rei creatae, quidquid enim agens creatum potest producere debet esse aliqua forma dependens a subiecto, in vacuo autem non potest dari tale subiectum capax.

Quare aliquid non potest agere ab una parte vacui ad alteram extremitatem? quia sic deberet agere in distans non agendo per medium hoc vero supponitur hic non posse fieri naturaliter.

An illo argumento efficaciter probetur naturaliter non posse vacuum dari? non.

Quomodo ergo illud potest solvi? in primis potest negari quod sit tanta necessitas istius ut unum corpus agat in alterum, ac proinde etiamsi per vacuum poneretur aliquod impedimentum actioni, non sequitur ideo quod deberet oriri tanta turbatio in universo, deinde vacuum non semper impediret talem actionem.

An ergo licet esset vacuum super caput nostrum posset coelum agere in nos? imo.

Quomodo cum non possit agere per vacuum? non refert, quia ex eo tantum sequitur quod illae partes coeli inter quas et caput nostrum vacuum diceretur mediat non possint agere in nos, ceterum aliae partes laterales quae sunt in oriente vel occidente possent equidem in nos agere, ergo illud argumentum non efficax est.

An non possit efficaciter probari quod non detur vacuum naturaliter? non.

Proba argumento probabili quod detur vacuum naturaliter: quia naturaliter potest dari aliqua condensatio rigorosa per quam partes quae ante occupabant universa spatia incipiant occupare idem spatium, cum autem non sit necesse quod tunc semper aliud corpus ~~[illegible]~~ succedat potest dari aliquod parvum vacuum, nempe illud spatium quod relinquitur ab illa parte corporis quae incipit aliam partem penetrare

Proba idem alia ratione: quia vis quam habent corpora ad vacuum impediendum tantum finita est, ergo possunt angeli et plures simul fortiores esse ad impediendum illa corpora quam sunt illa corpora ad vacuum impediendum.

An ex horrore naturae a vacuo non certo colligatur quod non detur vacuum naturaliter? non, quia facile posset dici quod natura tantum

horreat vacuum magnum non autem parvum, sicut solent
iuristae dicere quod de minimis non curat praetor.
An de facto vondetur vacuum partiale aristotelicum? imo, talis
est aliqua pars convexa superficiei supremi coeli, quia si adiun-
geretur aliqua alia superficies sic ut spatium interclusum nullum
corpus contineret, tali casu posset illa partialis superficies con-
vexa supremi coeli constituere vacuum aristotelicum totale.

Quibus modis solet natura vacuum impedire? per mo-
tum corporum gravium sursum et levium deorsum, item
per firmam adhesionem corporum, per corporum fractio-
nem, per rarefactionem.
Da casum quo natura impedit vacuum per motum gra-
vium sursum: hoc contingit quando quis exsugit aerem ex fistu-
la, tunc enim ad impediendum vacuum ille liquor gravis in
quem fistula immergitur sursum ascendit ad os sugentis.
Da casum quo natura impedit vacuum per firmam adhesionem
corporum: hoc fit quando orificium follis obturatur, tunc enim
latera follis non poterunt removeri a se invicem, quia cum
non pateat ingressus aeri novo propter orificium obstructum fieret
vacuum inter follem si latera dimoverentur a se invicem.
Da casum quo natura impedit vacuum per corporum fractionem:
hoc contingit probabiliter quando est poculum plenum aqua in
hyeme congelatum frangitur.
Da casum quo natura impedit vacuum per rarefactionem corporis?
hoc potest etiam dici probabiliter contingere in ista congelatione poculi,
tunc enim antequam poculum frangatur fit rarefactio per quod
initio vacuum impeditur, sed quando illa rarefactio ulterius
adhuc non sufficit tunc poculum debet frangi.
An id quod impedit vacuum debeat aliquid de novo producere?
non.
Da casum quo impeditur vacuum sine ulla productione de
novo: ut quando latera follis sibi firmiter adhaerent potest
dici quod mere per conservationem praesentiae localis laterum
follis ad se mutuo impediatur tunc vacuum.
An actio impeditiva vacui semper terminetur ad praesentiam
localem? imo, vel semper ad illam de novo producendam vel ad con-
servandam.
Quodnam est proximum principium effectivum istius praesentiae
per quam impeditur vacuum? in primis deus quod est extra
controversiam, quia efficit omnes res.
Quodnam est proximum principium creatum talis praesentiae?
probabiliter impetus.
Quodnam est proximum principium creatum istius impetus?
de eo variae sunt opiniones nihil autem certi, primo aliqui dicunt
illum impetum effici a solo deo, alii vero dicunt illum fieri

a forma substantiali ipsius corporis quod vacuum impedit, alii vero dicunt illum impetum fieri ab aliqua qualitate impressa tali corpori, omnes autem illae opiniones probabiles sunt.

Quo fundamento dicitur quod ille impetus impeditivus vacui producatur a solo deo? quia non potest convenienter ullum principium creatum talis impetus assignari.

Quo fundamento nihilominus aliqui dicunt illum impetum fieri ab aliqua causa creata antedicta? quia sine necessitate non oportet ad deum recurrere, ac proinde cum ille impetus fieri possit vel a forma substantiali corporis impedientis vacuum vel ab aliqua qualitate ipsius corporis vel etiam ab agente quod causat periculum vacui frustra recurritur ad solum deum.

Qualis est motus gravium sursum in periculo vacui secundum, contra, an praeter naturam? probabiliter defenditur quod sit contra naturam, probabiliter etiam defendi potest quod sit praeter naturam.

Quandonam ille motus erit praeter naturam? si dicatur fieri a forma substantiali corporis gravis, vel ab aliqua qualitate impressa isti corpori gravi.

Quomodo verum motus qui fit a forma substantiali corporis sit ipse secundum naturam? distinguo, quando ille motus corporis fit ob bonum proprium ipsius corporis seu formae substantialis tunc hoc est verum, sed in periculo vacui gravia non moventur sursum propter bonum suum proprium, sed ob commune bonum universi, et hinc talis motus erit praeter naturam.

Quo fundamento sustinetur quod motus gravium sursum in periculo vacui sit contra naturam? quia probabiliter dicitur quod ille motus fiat ab extrinseco agente causante periculum vacui, unde tanta est difficultas in illo motu ac si gravia illa moverentur violenter sursum, et hoc experiuntur pueri quando trahunt lapidem sursum per corrigiam, eandem enim vim tunc debent adhibere ac si portarent ipsum lapidem.

Quare illud argumentum non probat efficaciter illum motum esse contra naturam? quia facile posset responderi quod difficultas solum sit posita in eo quod difficulter causetur periculum vacui.

An per deum possit dari vacuum? imo, de facto datur aliquod vacuum separatum naturaliter extra omnes caelos. An per deum possit dari spatium vacuum intra universum? imo.

An hoc sit probabile, an vero certum? nos putamus esse certum quamvis aliqui dicant esse falsum.
proba certo per deum posse dari aliquod vacuum conclusum intra partes universi? quia deus potest aliquem locum ut hanc scholam evacuare, et impedire ne ullum aliud corpus intret, tunc hoc facto superficies concava huius scholae erit vacua.
proba deum hoc posse facere, quia cum deus sit infinitae potentiae non potest ulla ratio assignari cur non possit huius aerem annihilare, et impedire ne aliud corpus subintret in locum istius aeris annihilati
Quomodo haec schola illo casu erit vacuum cum latera scholae tunc non distabunt a se mutuo? imo adhuc distabunt, quia parietes omnes supponuntur manere in eodem loco in quo erant ante, ac proinde sicut ante evacuationem distabant, ita etiam distabunt postea.
Quomodo latera huius scholae poterunt distare si aer tollatur et nullum corpus succedat? quia licet ex suppositione tunc nullum corpus mediet, potest tamen aliquod mediare etiamsi illi parietes maneant localiter immoti, hoc autem sufficit ut distent.
proba non futurum quod parietes accedant ad se mutuo si schola evacuetur: quia si ab una parte accederent ad se mutuo eadem ratione deberent etiam ab altera parte ad se mutuo accedere, ut si ille paries a septentrione, et ille ab austro fierent sibi contigui eadem ratione hic ab oriente et ille ab occidente etiam fierent sibi contigui, et ob eandem causam etiam tabulatum et pavimentum, adeoque parietes illi secundum maximam suam partem deberent habere suas partes se penetrantes
An si darentur duae trabes per modum crucis dispositae inter hos quattuor parietes non posset deus auferre solum aerem illis trabibus relictis? imo.
An tunc illi quatuor parietes etiam accederent ad se mutuo, et sic sibi immediate coniungerentur? non. quia illae trabes impedirent illam coniunctionem ut supponitur.
Quomodo deus potest facere vacuum cum vacuum repugnet essentiae universi? nego quod vacuum essentiae universi repugnet, deinde etiamsi hoc esset verum non refert.
proba quod vacuum non repugnet essentiae universi: quia nulla ratione ostendi potest talis repugnantia, verum quidem est ad essentiam universi requiritur debita partium unio, sed quod illa unio impediretur per vacuum hoc probari non potest.
declara deum posse inducere vacuum etiamsi vacuum repugnet essentiae universi: quia deus potest facere ut id quod iam est

universum non sit amplius universum
An angelus non habeat etiam sufficientem virtutem ad indu-
cendum vacuum? imo, quia vis quam adhibent corpora ad impe-
diendum vacuum finita et limitata est, nihil ergo vetat quo
minus angeli impediant corpora ne illa impediant periculum vacui.
An ergo virtute angelica possit induci vacuum? imo, nisi obstaret
dei decretum.
An plures homines simul non habeant sufficientem virtutem
ad inducendum vacuum? apparet quod sic, sed etiam cum homini-
bus deus non decrevit concurrere ut ipsi inducant vacuum in
rerum natura.
An aliquando non est bonum pro universo si daretur parvum va-
cuum? imo et enim pro bono hominis v.g. quando esset nimis
prope ignem et non posset se salvare a combustione, si inter
ipsum et ignem vicinum ponetetur vacuum, tunc enim non
comburenter ab igne, quia per vacuum ignis agere non posset.
Quare tali casu non possit naturaliter induci vacuum? quia
lex dei de non permittendo vacuo generalis est, nec debet cessa-
re propter aliquod particulare incommodum, quod alia via
averti potest.

An non sit frustraneum disputare de motu possibili
in vacuo? non.
Quare non tam bene quam disputare de motu quem
haberet chymera si daretur? quia ex motu qui fieret in
vacuo colligimus quanta sit vis et potestas potentiae
loco motivae, colligimus etiam quanta sit resistentia motui per
corpus quod debet excludi ex suo loco.
An sint aliquae res quae possent localiter moveri in vacuo si da-
retur? imo v.g. angelus, quia ille in suo motu non dependet
a corpore.
An ergo angeli naturaliter possint ire extra universum per spa-
tia imaginaria ambulatum? non, nec boni, nec mali.
Cur non mali possint ire eo? quia sunt exclusi totaliter a coelo
non possent autem illac transire nisi per coelum
Cur non possint boni angeli transire ultra fornicem coeli? quia
cum etiam ipsi sint partes huius universi non possint se ab uni-
verso separare, fieret autem hoc si irent ad spatia imaginaria
quia non haberent tunc amplius contiguitatem cum aliis partibus
universi.
An angelus possit etiam moveri motu non locali in vacuo? imo
quia motus non localis angeli non magis dependet a pleno quam
motus localis.
An corpus possit etiam moveri in vacuo separato extra omnes coelos
si ibi daretur corpus? imo.

Quo modo motu posset ibi moveri motu alterationis, an locali? et motu alterationis, et etiam motu locali.

Declara quod possit moveri motu alterationis: quia aqua calida si constitueretur in tali vacuo extra omnes coelos posset illic reducere se ad frigus, quia non potest adferri ullum impedimentum talis reductionis.

Quare non istud, quia coelum non possit concurrere ad talem reductionem? quia nullo argumento probari potest quod talis concursus coeli sit necessarius ad illam reductionem, quia aqua sine coelo potest ad talem reductionem sufficere.

An in vacuo separato posset etiam dari motus alterationis contra naturam? imo

Da casum quo hoc possit contingere: si aqua frigida ibi constituta posset calefieri ab igne si ignis esset ibi applicatus isti aquae, quia non potest etiam ostendi ullum impedimentum calefactionis aquae tali casu.

An corpus constitutum in vacuo separato posset etiam moveri motu alterationis praeter naturam? imo, tam bene quam secundum aut contra naturam, quia si ibi esset constitutus paries niger non videtur esse ullum impedimentum quo minus possit ibi dealbari.

An corpus constitutum in vacuo separato extra coelos posset ibi moveri motu locali? imo.

An ergo lapis ibi constitutus caderet versus coelum? non.

Quare non tam bene quam lapis constitutus in aere cadat versus terram? quia gravitas est ex natura sua determinata ad motum deorsum, positis impedimentis, quale impedimentum non subest quando lapis haeret in aere; iam autem quando lapis esset constitutus in vacuo separato extra omnes coelos tunc non haberet omnia requisita ut possit cadere versus coelum.

Quare non, cum gravitas ex natura sua sit determinata ad motum deorsum, coelum autem sit deorsum tali casu? nego coelum esse deorsum, quia sursum et deorsum sunt differentiae situs quae tantum habent locum inter partes eiusdem universi, lapis vero in casu nostro non esset pars universi, quia pars universi debet esse contigua aliis partibus universi.

Quo motu locali posset moveri lapis constitutus extra universum in vacuo, secundum, contra, an praeter naturam? motu locali praeter naturam, quia posset portari ab homine ab una parte spatii imaginarii ad aliam partem spatii imaginarii.

Quomodo cum sic homo ferens lapidem causaret continuo aliud novum vacuum? est verum sed non refert.

proba esse verum: quia quando lapis desereret spatium ante

occupatum, illud spatium quod ante plenum erat lapide totaliter evacuatur sic ut nullum corpus succedat in locum istius lapidis.

Quomodo ergo tunc homo posset lapidem portare cum homo non possit naturaliter vacuum inducere? imo homo posset inducere novum vacuum facta illa suppositione, supposito quod cum isto lapide esset constitutus extra universum.

Proba: quia maiora incommoda sequerentur si homo hoc non posset quam si posset, sequeretur enim quod homo deberet perire fame licet haberet cibum intercedentem quia non cibum deglutire sine novo vacuo, insuper sequeretur quod non posset movere membrum localiter, quia hoc etiam non fieret sine novo vacuo, in eo autem essent maiora incommoda quam si posito uno vacuo daretur post aliquod aliud vacuum.

An homo facilius ferret lapidem per vacuum quam per aerem? imo, quia hic in aere gravitas est impedimento portationi istius lapidis, quia illa continuo inclinat ad motum deorsum, in vacuo autem separato cessat talis inclinatio.

An homo possit portare per vacuum separatum lapidem quantumvis magnum? hoc aliqui probabiliter sustinent, quia gravitas lapidis ibi non habet ullam inclinationem ad motum versus ullam situs differentiam.

An secundum hoc homo constitutus extra universum possit movere totum universum? aliqui consequenter admittunt, ideo ulterius debent dicere quod si illic esset constitutus unus angelus quod posset ludere cum toto mundo quasi cum pila, sed nobis illa sententia videtur valde parum probabilis.

Proba ergo quod homo ibi constitutus non posset movere totum universum: quia quodlibet ens habet aliquam saltem virtutem ad conservandum se in loco ubi est, ac proinde corpus tam magnum quam est totum universum maiorem vim habet ad conservandum se in loco quam ut illa vis possit superari ab unico homine.

An in vacuo separato posset fieri aliquis motus localis secundum naturam? imo, quia homo in vacuo separato constitutus posset illic ambulare, ambulatio vero hominis est motus secundum naturam.

Quomodo homo ibi constitutus posset ambulare cum non habeat sustentaculum quo sustententur ipsius pedes? non refert.

Quomodo non cum alias homo posset ambulare per aerem sicut aves volant? nego quod hoc sequatur.

Quare minus homo potest ambulare per aerem quam per tale vacuum? quia in aere gravitas hominis impellit hominem deor-

sum. hoc autem non facit gravitas in vacuo.
An in vacuo separato possit dari motus localis contra naturam? imo, quia unus homo constitutus in vacuo posset alium hominem ibi similiter constitutum invitum propellere ad hanc vel illam situs differentiam.
Quomodo potest fieri ullus motus localis in vacuo separato? cum in vacuo non possit acquiri ulla praesentia localis? imo in vacuo potest praesentia localis acquiri.
Quomodo cum vacuum nihil sit, et praesentia localis non possit essentialem ordinem dicere ad nihil? imo, si praesentia localis tam bene potest dicere essentialem ordinem ad nihil quam conceptus de ente rationis possit dicere essentialem ordinem ad ens rationis.
An homo constitutus extra universum possit audire campanam sonantem intra universum? non, quia ut aliquis audiat aliquem sonum, vel debet recipere species audibiles istius soni, vel saltem debet corpus aliquod propelli usque ad auditum. Sed neuter ille modus potest haberi locum in vacuo, quia per vacuum non possent species transire, quia non habent in vacuo subiectum. Similiter in vacuo non potest dari illa motio corporum quam alii dicunt necessariam esse ad auditum.
An homo constitutus extra universum possit videre solem lucentem in universo? non, quia species visibilis solis vel saltem luminis eius non posset tali casu pervenire ad oculum istius hominis.
An si nos duo ibi essemus constituti possemus nos mutuo videre et audire? non, quia non possemus a nobis mutuo recipere species audibiles vel visibiles.
An homo illic constitutus possit ibi longo tempore vivere? non, quia homo non posset ibi attrahere novum aerem, ac proinde sicut homo immersus intra aquam nequit illic diu vivere defectu novi aeris, ita non potest ibi diu vivere constitutus in vacuo.
An in vacuo concluso intra partes universi posset fieri aliquis motus? imo.
Quis motus posset ibi fieri alterationis an localis? ~~Uterque~~
Uterque
Quibus motus alterationis secundum, contra, an praeter naturam? omnibus generibus.
Declara quod ibi posset fieri motus alterationis secundum naturam? quia aqua calida ibi constituta posset esse reducere ad suum frigus, quia potest bene fieri talis motus alterationis in vacuo separato extra universum ut dictum est, ergo poterit etiam dari talis motus in vacuo concluso intra partes universi. Proba illam consequentiam: quia non potest congrua ratio dispa-

ritatis dari cur potius talis motus possit fieri in vacuo se-
parato quam concluso intra universum.
An simili argumento possit probari quod talis motus alteratio-
nis possit fieri in vacuo concluso praeter et contra naturam?
imo. est enim par ratio de vacuo isto concluso quae est de va-
cuo separato.
An motus localis qui potest fieri in vacuo separato possit etiam fieri
in vacuo concluso? non semper.
Da ergo talem motum qui potest fieri in vacuo separato, et non
concluso: in vacuo separato potest fieri motus ambulationis qui non
potest fieri in vacuo concluso.
Quaenam est ratio disparitatis? quia gravitas in vacuo separato mo-
tum deorsum operari non potest ob rationem ante datam, potest autem
operari motum deorsum in vacuo concluso.
An lapis posset cadere deorsum per vacuum conclusum? si hinc
usque ad coelum esset vacuum, et lapis esset contiguus coelo talis lapis
non caderet deorsum quia tunc de novo deberet solvi contiguitas
corporum.
An si lapis esset constitutus tali casu in medio istius vacui
tunc caderet deorsum? hoc dubium est, ita ut pro utraque sententia
sint probabiles rationes.
Quo argumento probatur pars affirmativa quod deberet lapis cadere
deorsum? quia non potest ostendi quod gravitas lapidis tali casu
habeat impedimentum quo minus possit efficere motum deorsum,
ergo necessario tali casu efficiet motum deorsum.
Quo argumento nihilominus probatur opposita pars quod lapis tali
casu non possit cadere deorsum? quia gravia non cadunt deorsum
nisi habeant aliquid levius, vel saltem aliquid minus grave se im-
mediate infra se, iam autem lapis sic constitutus in medio vacui nec
habet infra se immediate aliquid levius, nec etiam aliquid minus
grave, quia habet immediate infra se vacuum, iam autem va-
cuum nec est leve nec minus grave, quia non est grave.
Quomodo solvendum est illud argumentum ab alia sententia? dicen-
dum est ut grave cadat deorsum sufficere quod non habeat imme-
diate infra se gravius, vel aeque grave, iam autem lapis in casu
posito nec habet immediate infra se gravius nec etiam aeque grave,
quia vacuum quod est immediate infra ipsum nec est gravius nec
etiam est aeque grave.
An sic recte probetur quod lapis non possit cadere per vacuum quia
deberet cadere in instanti? non.
Quomodo hoc non sequitur cum lapis eo cadat celerius quo me-
dium est rarius? ut fatendum quidem est quod raritas medii
aliquid conferat ad celeritatem motus, non tamen sic ut ad quam-
libet maiorem raritatem medii sequatur maior celeritas motus
An ergo successio in motu non oritur adaequate ex resistentia

medii? non.
Ex quo capite oriatur praeterea illa successio in motu? subinde oritur
ex repugnantia partialium terminorum ad quos, subinde etiam oriri
potest ex limitata virtute movendi, aliquando etiam oritur ex liber-
tate ipsius moventis.
An quolibet ex illis duplicato ~~una frequentia una~~ quae faciunt ad ce-
leritatem motus non sequatur motus celerior duplo? non, quia
carentia oneris facit etiam aliquid ad celeritatem motus, et ta-
men ex eo quod quis habeat oneris dimidiam ~~partem~~ partem minus
non sequitur quod duplo celerius movebitur, quia si nuntius aliquis
posset hinc ire bruxellas spatio quatuor horarum cum onere quin-
quaginta librarum non sequitur quod idem nuntius ibi spatio dua-
rum horarum bruxellas si tantum habeat oneris viginti quinque
librarum.
Ex quo capite ergo motus localis lapidis deorsum in vacuo esset successivus?
quia praesentiae quas deberet lapis cadendo acquirere inter se repugnant,
cum vero repugnantia non possint simul inesse eidem, sequitur quod tan-
tum illas possit habere successive, et consequenter quod lapis debeat
successive per vacuum cadere.
An aves possent per vacuum volare? non.
An per conclusum, an per separatum? per neutrum.
Per quod vacuum non possent volare,
An homo non possit ambulare per vacuum separatum? imo potest
ut ante diximus.
Quare ergo similiter avis non posset per tale vacuum volare?
quia volatus avium necessario et essentialiter requirit aerem, est
enim volatus ad instar natationis in aqua.
An interim avis non tam bene possit se movere per vacuum
separatum quam homo? imo posset ~~enim~~ avis progredi motu progres-
sivo per vacuum separatum tam bene quam homo.
An posset avis sic etiam progredi per vacuum conclusum? non,
sicut homo etiam non potest ambulare per vacuum conclusum
licet bene possit ambulare per vacuum separatum.
An sint omnino certa illa quae diximus de motu qui potest fieri
in vacuo? non.
Unde proveniet illa incertitudo? ex eo quod Deus possit producere
aliquam potentiam loco motivam ut gravitatem quae sit effec-
tiva motus per vacuum et similiter aliquam quae non sit effec-
tiva talis motus, qualis autem sit ista gravitas quae de facto datur
nos debemus divinare, quia cum non fuerit unquam vacuum
nobis notum in rerum natura non possumus per experientiam
quidquam habere, ratio autem non magis convincit unum quam
alterum.

De Tempore.

Quare aristoteles agit hic tempore? quia sicut con-
venit corpori naturali esse in loco, ita convenit eidem esse
in tempore, ac proinde sicut propterea hic actum est
de loco ita etiam debet agi de tempore. deinde adhuc pos-
tiori ratione agendum est de tempore quam de loco, quia tempus
est mensura motus qui est proprietas connaturalis corporis.
Da definitionem aristotelicam: tempus est numerus motus per
prius et posterius.
An ibi continetur quodlibet tempus? non.
quod tempus non continetur? tempus imaginarium quod excluditur
per genus definiti quod est numerus, quia tempus imaginarium
conformiter se habet sicut spatium imaginarium, ac proinde sicut spa-
tium imaginarium est ens rationis vel ipsa met est immensitas dei,
ita tempus imaginarium erit aliquod ens rationis vel erit ipsa-
met duratio dei, neutrum autem istorum est numerus.
Quotupliciter numerus? dupliciter, pro numero numerante, et sumitur
pro numero numerato.
Quomodo sumitur hic? pro numero numerato.
Cur non pro numerante? quia numerus numerans est quantitas
discreta, numerus autem hic debet esse quantitas continua, ac proinde
numerus hic debet esse numerus numeratus.
Quid numerus hic? est quantitas continua certo partium nume-
ro comprehensa.
Quomodo non continetur ibi linea bipedalis? non refert, quia illa
etiam continetur definito.
An numerus debeat esse sub uno? non.
Quomodo cum quantitas continua debeat esse sub uno? nego hoc re-
quiri generatim ad quantitatem continuam, quia non requiritur ad quan-
titatem continuam successivam qualis est tempus.
quare quantitas continua successiva non est sub uno? quia par-
tes entis unius naturae debent existere simul, partes autem talis
quantitatis non existunt simul.
Quomodo cum illa coexistentia partium tantum requiratur ad
ens unius naturae permanens, non autem ad successivum?

TERPSICHORE.

ita quidem aliqui dicunt, et non plane improbabiliter, nos vero
dicimus sine fundamento sufficienti allegari illam distinctionem.
An omnis quantitas continua sit numerus? sic non.
Da unam quae non sit numerus: quantitas continua extensa in in-
finitum, quia quantitas infinita non comprehenditur certo numero
partium.
Quomodo dicitur recte quod numerus sit quantitas ~~etc.~~ cum numerus
debeat esse mensura? non refert.
Quomodo cum hoc non involvatur in ista definitione? involvitur im-
plicite quia omnis quantitas continua comprehensa certo numero par-
tium est mensura aliquo respectu.
Quid mensura? est aliquid quod per sui applicationem aptum est
notificare extensionem quotionem alterius. ut ulna.
An mensura debeat esse notioris extensionis quam mensuratum?
imo, vel certe debet esse ipsa certe extensio notior.
Quaenam est ratio illius? quia alias non esset idoneum medium
ad deducendum nos in notitiam extensionis alterius.
Quid mensurare? prout convenit mensurae, est aliquid per sui applica-
tionem ~~[illegible]~~ notificare extensionem alterius.
Quomodo cum homo qui applicat mensuram dicatur mensurare?
non mensurat eo modo quo definitum est mensurare
Quid mensurare prout convenit homini? est agens rationale per
applicationem alicuius notioris extensionis notificare extensionem
quotionem alterius.
Quid numerus motus? est quantitas continua certo partium
numero comprehensa apta mensurare motum.
cur non sic, est numerus aptus mensurare motum? etiam sic.
Qualis est determinatio motus respectu istius vocis numerus?
est explanans.
Quomodo cum detur numerus qui non est numerus motus? nego
talem dari.
Quomodo cum etiam res distinctae a motu mensurari possint? non
refert.
Quomodo non datur numerus qui non est numerus motus? quia
licet bene detur numerus qui possit aliquid distinctum a motu mensu-
rare, interim tamen idem numerus seu mensura potest etiam
motum mensurare.
An ergo ulna possit mensurare motum? imo, quia sicut per ul-
nam possumus mensurare pannum, ita per ulnam possumus mensu-
rare motum instantaneum calefactionis ipsius panni.
Quare ergo ulna non est etiam tempus? quia licet ulna sit nu-
merus motus, non est tamen numerus motus per istum prius
posteriusque, quia non mensurat motum secundum partes succedentes,
sed secundum partes coexistentes.
Ostende quod ulna non mensuret motum secundum suas partes suc-
cedentes? quia ulna non habet illas partes succedentes.

Quid Motus in definitione temporis? est transitus subiecti ab una
forma ad alteram.
Quomodo cum ibi continetur motus instantaneus? est verum, quia
ibi est definitio motus in genere.
Quomodo ergo recte cum motus qui mensuratur a tempore debeat esse
successivus? non refert.
Qualis ergo motus ibi non debet restringi ad motum successivum?
Quia quod ille motus debeat esse successivus hoc satis importatur
per illam particulam quae sequitur "per ipsum prius et posterius", unde
motus in definitione temporis generaliter quidem accipitur pro
omni motu, verificatur tamen pro solo motu successivo, saepe
enim acceptio vocis latior est quam eius verificatio.
Declara in alio exemplo: sic quando dico petrus est homo albus
vox homo ibi accipitur pro quolibet homine, adeoque etiam pro
homine nigro, verificatur tamen ibi vox homo tantum pro
homine albo.
Qualis mensura motus debet esse tempus actualis an aptitudinalis?
sufficit quod sit mensura aptitudinalis.
Declara non requiri quod sit mensura actualis: quia actu mensu-
rare motum est tantum effectus per accidens respectu ~~naturae~~ tem-
poris qui proinde subinde convenit tempori, subinde etiam illi non
convenit.
Qualis mensura motus est tempus activa an passiva? est activa.
In quo differunt mensura activa et externa? non differunt, uti
nec mensura passiva et interna.
Quid mensura externa? est ante definita, nimirum aliquid notioris
extensionis aptum notificare extensionem ignotiorem alterius per appli-
cationem sui.
Quid mensura passiva seu interna? est aliquid ignotioris extensionis
in cuius notitiam devenitur per applicationem alicuius alterius quod
est notioris extensionis: sic quantitas panni est mensura passiva
respectu ulnae, quia est ignotioris extensionis quam sit ulna, et
per applicationem potest deveniri in notitiam eius.
An tempus etiam sit mensura interna? imo.
Quomodo cum tempus sit mensura externa? non refert, quia idem
potest esse utrumque tam interna quam externa.
Quomodo cum idem non possit esse notius et ignotius? imo potest
sub diversa comparatione, ita nempe ut respectu unius sit notius
respectu alterius ignotius.
An ergo salva convertibilitate definitionis possit intelligi per
numerum mensura passiva? imo.
Respectu cuius ergo tempus potest esse mensura passiva? respectu
alicuius motus, quia ex motu hinc usque bruxellam possumus colli-
gere transactum esse tempus quatuor horarum, unde habet aris-
toteles postea quod non tantum tempore motum, sed etiam motu
tempus mensuramus, quia tempus quod est notius uno motu, adeoque
eius mensura activa potest esse ignotius alio motu.

An omnis numerus motus sit tempus? non. 33
Da numerum motus qui non est tempus? ulna, quia non mensurant
motum per ipsum prius posteriusque, id est non mensurant motum se-
cundum partes successivas, sed tantum secundum partes coexisten-
tes.
Quid prius? quod praecedit alterum quoad existentiam sic ut eidem
non coexistat. ut tempus hodiernum respectu crastini.
Quid posterius? quod sequitur alterum quoad existentiam sic ut
eidem non coexistat.
Quid prius posteriusque? idem quod partes succedentes.
Quid partes succedentes? sunt partes quarum una alteri succe-
dit sic ut eidem non coexistat.
Cur non sic? quarum utraque alteri succedit? quia pars prior
non debet succedere posteriori sed tantum econtra.
Cum quo coniungitur proxime illa particula per ipsum prius
posteriusque? commodissime coniungitur cum genere definitionis ut sen-
sus sit tempus est mensura quae secundum suam partem priorem
et posteriorem mensurat motum.
Ostende nihilominus etiam posse coniungi cum particula motus?
quia hoc poterit fieri si per numerum intelligatur mensura interna
seu passiva, tunc enim sensus poterit esse tempus est quantitas
continua certo partium numero comprehensa quae apta est men-
surari a motu secundum prius et posterius ipsius motus
Quomodo sumitur coniunctio ve in definitione temporis cum
dicitur per ipsum prius posteriusve? copulative.
Quomodo cum non sit coniunctio copulativa sed disiunctiva? non
refert, quia sicut coniunctio copulativa subinde habet vim disiunc-
tivae ut patet in definitione aristotelica naturae, ita etiam coniunctio
disiunctiva subinde habet vim copulativae, et ita contigit hic.
Quare coniunctio ve non sumitur hic copulative? quia non contine-
retur hac definitione tempus duorum instantium, quia tempus duorum
instantium non est idonea mensura motus successivi secundum utramque
partem copulative sumendo quia neutra pars est idonea mensura entis
successivi, talis enim mensura etiam debet esse ens successivum
Quare particula ve non potest ibi sumi disiunctive? quia etiam tunc
non contineretur tempus duorum instantium, quia tale tempus etiam
non est idonea mensura entis successivi gratia ullius partis in par-
ticulari, quia utraque pars est tantum instantanea, res autem instans
non est idonea mensura entis successivi.
Quare particula ve non sumitur disiunctive? quia tunc etiam
non contineretur eadem definitione tempus duorum instantium, quia
tempus duorum instantium ne quidem gratia ullius partis in confuso
est idonea mensura motus successivi cum ~~ne~~ nulla pars eius
in confuso successiva sit.

An definitio temporis sit essentialis? non, quia tempus definitur hic tantum in ordine ad aliquem effectum per accidens qui est mensurare motum.

Defini tempus essentialiter! duratio continua successiva ut hora.

An quaelibet pars temporis non sit tempus? non saltem in sententia nostra, quia instans in sententia nostra est pars temporis, quod instans tamen non est tempus.

An omne tempus continuatur definitione aristotelica temporis? non iuxta aristotelem, quia aristoteles existimavit tempus aliquod esse aeternum, tale autem tempus aeternum non continetur quia illud non est idonea mensura motus successivi, quia idonea mensura debet facile posse comprehendi, hoc autem non convenit tempori aeterno.

Quomodo cum hoc illi conveniat gratia partis finitae? ex eo quidem sequitur quod illa pars finita bene continuatur, non tamen propterea debet idem dici de tempore infinito sicut superficies non dicitur commensurata lineae ~~[illegible]~~ sicut partes ex quibus componitur, nempe lineae sunt commensuratae cum aliis lineis.

An tempus sit verum ens reale? non, quia tempus per se primo non est ens positivum, quia involvit aliquam negationem, quia tempus est successio, successio vero aliquam negationem involvit.

Quid ergo successio? existentia rei unius post aliam cum negatione coexistentiae.

An quaelibet successio sit tempus? non.

Quomodo ergo se habent tempus et successio? utrumque est hora.

Da tempus quod non sit successio? non datur.

Quomodo cum tempus potius sit duratio? non refert, quia est talis duratio quae etiam simul sit successio.

Da successionem quae non est tempus: successio discontinua.

Quaenam sunt conditiones ad successionem continuam requiruntur ad illam tres, prima est ut consistat inter talia quae sunt eiusdem speciei.

Da successionem non continuam defectu istius conditionis: talis est quae albedo succedit nigredini, quia albedo et nigredo diversae speciei sunt.

Da aliam conditionem: ut unum succedat alteri in eodem subiecto.

Da successionem non continuam defectu istius conditionis: sit ambulatio petri quae non succedit continuae ambulationi pauli, quia non sunt in eodem subiecto, sed una in petro alia in paulo.

Da aliam conditionem requisitam ad successionem continuam: ut unum succedat alteri immediate.

Da successionem non continuam defectu istius conditionis: successio quae est inter hodiernam ambulationem petri et hesternam, quia hodierna ambulatio non succedit immediate hesternae, quandoquidem illam mediat nox.

An inter partes ordinariae ambulationis petri possit esse successio continua? imo.

Quomodo cum praesentiae quas successive acquirit petrus non sint eiusdem

speciei? non sunt quidem eiusdem speciei rigorose quia dicunt essentialem ordinem ad diversa spatia; sunt tamen eiusdem speciei physice et moraliter; hoc autem sufficit ad hoc ut inter illas possit consistere successio.

An inter extrema proxima successionis sit realis relatio? non.

Quare non prioritas et posterioritas? quia illa sunt tantum relationes rationis, non sunt reales; quia relationes reales requirunt extrema proxima realiter coexistentia; partes vero successionis seu temporis non coexistunt.

Cur non est exceptio dum relatio consistit inter partes entis successivi? quia nullum est fundamentum pro tali exceptione.

In quo genere debet componi tempus, seu successio continua? necessario debet componi integraliter saltem late.

An possit etiam componi in alio genere? imo. nempe in genere logico.

In quo genere tempus potest esse pars? in genere accidentario tum essentiali late, tum integrali late.

Quid instans? est existentia rei indivisibilis quoad successionem tam formaliter quam virtualiter. ut instans hodie iam existens.

An existentia angeli non sit etiam instans? non.

Quomodo cum non habeat partes sibi succedentes? est verum et non refert.

Quomodo ergo illa existentia non est instans? quia licet formaliter sit indivisibilis quoad successionem, ut probat illa obiectio, est tamen virtualiter divisibilis.

Declara quod illa existentia sit virtualiter divisibilis quoad successionem: quia coexistit rei successivae tam bene quam si esset formaliter divisibilis quoad successionem.

An tempus ultimate componatur ex instantibus? nos putamus multo probabilius esse quod sic componatur.

proba: quia si tempus non componeretur ex instantibus sed omnes partes temporis essent divisibiles quoad successionem, sequeretur quod tempus nunquam posset existere nec per se primo nec per partem.

proba quod tempus non posset existere per se primo: quia partes eius nunquam possent simul existere.

proba quod tempus non posset tunc etiam existere per partem, quia secundum illos omnis pars temporis est divisibilis quoad successionem, iam autem divisibile quoad successionem non potest existere per se primo.

Quid respondent ad hoc argumentum authores oppositae sententiae? si fateri debent tempus non existere per se primo nec etiam per partem.

Quomodo enim debeant consequenter admittere quod sic nunquam existat tempus? hoc non sequitur ex illorum doctrina ut dicunt

quia licet tempus non existat per se, ut probat argumentum nostrum, existit tamen tempus per accidens, idque gratia instantis, quod instans iuxta eos non est quidem pars temporis, sed est aliquis terminus copulans partes temporis.
Quo fundamento nituntur illi qui dicunt tempus non componi ex instantibus tanquam partibus: quia existimant continuum permanens componi ex indivisibilibus sive finis, ergo similiter continuum successivum quale est tempus componetur tantum ex partibus divisibilibus quoad successionem; est enim par ratio de ente successivo quae est de ente permanente quoad compositionem ex indivisibilibus sive finis.
Quid nostra sententia respondet ad illud argumentum? negat antecedens, et eo admisso negat consequentiam. Quam autem non detur quod continuum permanens componatur ex indivisibilibus sive finis patebit in metaphysica.
Proba nihilominus posse negari consequentiam antedictam admisso antecedente: quia non est eadem ratio continui successivi quae est de continuo permanente, quia argumenta mathematica quae potissimum probant continuum permanens componi ex indivisibilibus sive finis illa non habent locum pro continuo successivo, ut magis patebit in metaphysica.
An motus et tempus idem sint? non.
An motus et tempus sint realiter distincta? non, quia tempus non est aliud quam quaedam duratio motus in quo reperitur; duratio autem non distinguitur realiter a re durante.
Quomodo se habent tempus et motus? respondeo: sicut homo et duratio hominis, licet sint eadem a parte rei.
An motus sit adaequatum subiectum temporis? non, quia neque omnis, neque solus est subiectum temporis.
Da motum qui non est proximum subiectum temporis: motus instantaneus.
An omnis motus successivus sit proximum subiectum temporis? non.
Da ergo motum successivum qui non est tale subiectum: motus successivus non continuus, quia subiectum temporis debet esse ens continue successivum.
Declara non solum motum esse proximum subiectum subiectum temporis: quia etiam actio continuo successiva est proximum subiectum temporis, quia ut ante dictum est tempus non est aliud quam duratio entis continuo successivi; iam autem duratio talis actionis tam bene est duratio entis continuo successivi quam duratio motus.
Defini essentialiter proximum subiectum temporis: non potest, cum non sit ens continuo successivum distinctum a tempore. quia illud ens non differt essentialiter ab omni eo quod non est tale.
An ergo idem motus possit esse instantaneus et successivus? imo, quia per eundem motum idem terminus potest acquiri in instanti, et etiam successive.

Quid motus instantaneus? est motus cuius terminus ad quem acquiritur in instanti.
An sic motus qui non est subiectum successionis? non, quia etiam motus instantaneus includit aliquam successionem, quia in omni motu terminus ad quem debet succedere termino a quo in eodem subiecto.
An sic recte definiatur motus instantaneus, est motus terminatus ad terminum indivisibilem? non.
Quomodo ergo se habent motus instantaneus et motus terminatus ad terminum indivisibilem? excedunt se. utrimque est motus instantaneus quo acquiritur indivisibilis calor.
Da motum instantaneum qui terminatur ad terminum divisibilem: motus instantaneus quo in instanti acquiritur calor quatuor graduum.
Da econtra motum terminatum ad terminum indivisibilem qui non est instantaneus: motus successivus nutritionis quo eadem natura animae rationalis acquiritur successive.
Quid motus successivus? est motus cuius terminus ad quem acquiritur successive, ut ambulatio hominis.
Quomodo se habent motus successivus et motus terminatus ad terminum ad quem divisibilem? utrimque est motus ambulationis antedatus.
Da motum terminatum ad terminum divisibilem qui non est successivus: motus terminatus ad calorem quatuor graduum, supposito quod ille calor acquiratur in instanti.
Da econtra motum successivum qui terminatur ad terminum indivisibilem: nutritio subsecutiva qua in materia prima potest successive acquiritur natura animae rationalis.
An ad motum successivum non sufficiat quod terminus a quo repugnet termino ad quem? non, quia etiam termini motus instantanei repugnant quoad inexistentiam, ut est calor indivisibilis et privatio indivisibilis caloris.
Unde ergo oritur successio in motu successivo? Ex variis capitibus, in primis ex eo quod partiales termini ad quem inter se repugnant quoad inexistentiam, secundo aliquando ex libertate agentis, tertio aliquando ex successiva applicatione agentis ad patiens, quarto etiam ex eo quod terminus ad quem talis naturae sit, quod non possit acquiri nisi successive.
Da motum successivum quia partiales termini ad quos inter se repugnant: talis est ambulatio ordinaria hominis, quia partiales illae praesentiae quas homo ambulando successive acquirit repugnant inter se quoad inexistentiam.
Da motum successivum propter agentis libertatem: sic ex eo capite potest esse successiva replicatio angeli, quia angelus potest se per totam suam sphaeram replicare in instanti, vel etiam successive pro libitu.
Da etiam aliquem successivum propter successivam applicationem agentis ad patiens: talis motus est illuminatio aeris in initio diei, aer enim tunc illuminatur successive apud nos, quia sol paulatim

applicatur magis et magis nostro aeri.
Da motum successivum propter naturam terminorum: talis est motus
successivus aquae a frigore ad calorem, quia calor talis naturae
ut non possit acquiri in gradu intenso nisi successive.
An compositio integralis termini ad quem non sit sufficiens causa
successionis motus? non, quia potest in instanti acquiri aliqua qua-
litas extensa, et per totum hominem potest in instanti acquiri
aliquis calor.
An saltem compositio intensiva termini ad quem sit sufficiens cau-
sa successionis motus? non, quia potest etiam in instanti acquiri
qualitas intensa, et in instanti potest produci lumen intensum.
An contrarietas terminorum motus non sit sufficiens causa successio-
nis motus? non.
An saltem illa non sit sufficiens causa si termini habeant inten-
sionem? non, quia potest unum contrarium intensum in instanti abjici,
et aliud etiam intensum acquiri in instanti.
Declara in exemplo? sic in instanti potest abjici assensus alicuius
propositionis et in instanti acquiri dissensus eiusdem, etiamsi tam
assensus quam dissensus supponantur esse intensi.
Quare ergo similiter in instanti non potest abjici frigus intensum
~~[illegible]~~ et acquiri calor intensus? hoc non potest in aliud
referri quam in naturam peculiarem caloris et frigoris quorum
ea est natura ut non possint acquiri in gradu intenso nisi successive,
et hoc satis probatur experientia.
An motus instantaneus et successivus differant essentialiter? aliquis
quidem motus instantaneus differt essentialiter ab aliquo motu successi-
vo, non tamen omnis.
Declara ergo eundem motum modo posse esse instantaneum, modo
successivum: sic eundem motum potest angelus sese applicans per spatium
spheram in instanti et etiam successive.
An omnis motus successivus possit fieri instantaneus? non, ut
motus quo subiectum aliquod hoc instanti acquirit calorem et
sequenti privationem caloris et tertio iterum calorem.
Quare talis motus nequit fieri instantaneus? quia partiales
termini ad quem istius motus sunt privative oppositi, nempe calor et
privatio caloris, adeoque si ille motus fieret instantaneus deberent
privative opposita simul inesse eidem.
An econtra omnis motus instantaneus possit fieri successivus?
non, ut motus quo angelus existens in puncto acquirit praesentiam
in alio puncto vicino.
Quare ille motus non potest fieri successivus? quia illa indivisibilis
praesentia successive acquiri nequit.
Cur minus quam indivisibilis anima rationalis? quia indivisibilis
anima rationalis potest acquiri in diversis subiectis, uni citius et
alteri tardius, illa autem indivisibilis praesentia diversis subiectis acqui-
ri non potest.
Quomodo ergo habent motus qui potest esse instantaneus et successivus?

excedunt se. aliquis enim potest esse utrumque, aliquis tantum potest
esse instantaneus, et aliquis successiuus.
An motus successiuus hominis hinc usque ad forum possit etiam fieri
instantaneus? imo per deum, quia homo potest per deum replicari, adeoque
omnes illae praesentiae quae iam acquiruntur successiue quando homo hinc
vadit ad forum possent per deum acquiri simul, et similiter omnes pri-
vationes istarum praesentiarum possunt abijci simul.
Quomodo motus hominis hinc usque ad forum potest fieri instan-
taneus cum homo simul deberet habere contradictoria? non deberet.
Quomodo cum homo quando iam movetur hinc usque ad forum acqui-
rat contradictoria successiue? est verum et non refert.
declara esse verum: quia quando homo iam movetur hinc usque ad
forum acquirit primo unam praesentiam, et postea contradictorium illius
prioris praesentiae quando acquirit novam praesentiam.
Quomodo ergo motus antedictus hinc usque ad forum potest fieri in-
stantaneus cum contradictoria non possint simul inesse eidem ne
quidem per deum? non refert, quia motus hinc usque ad forum licet
de facto quando successiue fit habeat coniunctum secum naturam rationis
cuius de facto contradictoria successiue acquirit, hoc tamen non est
omnino necessarium quod ille motus hinc usque ad forum habeat
talem motum coniunctum.
An homo etiam sit subiectum temporis? imo.
An homo etiam sit subiectum successiuum? non refert.
Quomodo cum homo non sit ens successiuum?
Quomodo cum subiectum temporis debeat esse ens successiuum?
Quomodo cum subiectum temporis debet esse ens success.
distinguo, proximum subiectum temporis, remotum temporis.
simul sed non subiectum proximum temporis?
An omne ens successiuum sit subiectum cum interruptione.
non. ut ens successiuum non continuum, sed continue successiuum sit proximum subiectum tem-
An omne ens continue successiuum sit proximum subiectum tem-
poris? imo.
Quomodo cum sit unum tempus possit esse subiectum al-
terius temporis? est verum et non refert.
An una alteri possit esse subiectum alterius? non. quia omnis
alterius sunt eiusdem speciei, forma autem et eius subiectum
debent esse diversae speciei. tempus potest esse subiectum alterius?
Quomodo ergo unum tempus potest esse
quia non omnia tempora debent esse eiusdem speciei.
proba quod unum tempus sit subiectum alterius: quia quando partes
temporis sibi continuo succedunt, tunc etiam proprietates eius-
dem temporis sibi continuo succedunt in illis, ergo proprietatibus
tunc subiectatur novum tempus, quia etiam illae proprie-
tates habent durationem continuo successiuam. tempus vero
non est aliud quam duratio continue successiua.
An illud tempus secundum etiam sit subiectum alterius
temporis? imo. quia etiam illud secundum tempus habet suas
proprietates tam bene quam primum.

Quomodo cum sic possit dari processus infinitum in tem-
poribus? est verum, et non refert quia potest dari processus
in infinitum inter illa quae differunt sola ratione.
An unum tempus possit esse subiectum alterius temporis
realiter distincti? non, et hoc sensu potest esse verum id
quod aliqui dicunt nempe unum tempus non posse esse sub-
iectum alterius temporis.
An actio possit esse subiectum proximum temporis? imo
quia potest etiam dari actio quae sit continuo successiva
talis potest esse actio qua producitur calor.
Quomodo tamen ad actionem successivam requiratur ut adve-
niente parte posteriori pereat prior? non refert, quia etiam
hoc potest contingere in calefactione.
Quomodo cum adveniente secundo gradu caloris non debeat
perire prior? in primis etiam prior gradus posset perire,
deinde licet non periret prior iste gradus posset tamen per-
ire prior actio per quam prior gradus fuit productus, et sic
equidem posset esse successiva ista calefactio.
An passio possit esse subiectum temporis? imo, quia passio tam
bene potest esse sub continua successione quam actio, et motus.
An etiam quies possit esse proximum subiectum temporis?
imo.
Quies positiva, an privativa? quies positiva.
Quomodo cum illa non possit esse sub continua successione? imo
potest.
Quomodo cum illud quod quiescit positive debeat consistere sub ter-
mino ad quem motus? non refert.
Ostende quomodo ergo quies positiva possit esse successiva? quia
potest subiectum aliquod quiescere sub calore v.g. et sic ut calor isti
subiecto continuo uniatur alia et alia unione, tunc vero subiectum
illud quiescet positive sub calore, quamvis sub nulla ex istis unio-
nibus positive quiescat.
An naturaliter possit esse quies positiva successiva? imo.
Ostende ergo naturaliter posse successive variari unionem formae cum
subiecto: quia hoc continget si varietur agens quod producit
illam formam, v.g. concurrant deus et ignis hoc instanti ad
hunc calorem in hoc subiecto nempe petro, sequenti instanti deus
conservet solus illum calorem, tertio instanti autem iterum con-
currat ignis, tunc unio ista caloris cum isto subiecto continuo va-
riabitur.
proba variari debere unionem: quia variatur tali casu actio, quia
actio debet variari variato principio, ergo consequenter debet unio
variari.
proba illam consequentiam: quia actio productiva caloris identifi-
catur realiter unioni caloris cum subiecto, sicut etiam aliae
formae dependentes a subiecto per actionem productivam sui a parte
rei uniuntur etiam suo subiecto, non enim est necessitas introducendi

distinctionem realem inter istam actionem et unionem
Quomodo cum ex illis sequatur quod unio illa non sit continuo successiva? nego sequi.
Quomodo cum sub continuo successivum debeat constare partibus praecedentibus eiusdem speciei? nihil refert.
Quomodo cum actiones de quibus ante differant specie ex parte principii? est verum quia habent diversa principia ut supponitur.
Quare ergo similiter uniones identificatae istis actionibus non differunt specie? etiam uniones differunt in rigore specie.
Quomodo ergo constituunt simul sub continuo successivum? quia partes entis continuo successivi non debent esse eiusdem speciei rigorose sed sufficit quod sint eiusdem speciei moraliter.
proba similiter quietem privativam posse etiam esse proximum subiectum temporis: quia etiam quies privativa potest esse aggregatum ex pluribus partibus quarum una immediate alteri succedat.

Quid esse in tempore? late est coexistere tempori.
Quomodo cum sit etiam deus esset in tempore? est verum quia etiam deus coexistit tempori.
An deus sit in tempore stricte? non. quia deus non potest mensurari a tempore, quia id quod mensuratur a tempore proprie et stricte debet esse ens successivum deinde debet etiam excedi a tempore, iam autem neutrum convenit deo.
An homo non mensuretur a tempore? mensuratur quidem aliquo modo a tempore sed non tam proprie quam entia successiva, quia coexistit alicui certo tempori quod tempus ab alio tempore exceditur.
An omne tempus sit aeque idonea mensura motus et reliquorum entium successivorum? non.
Quodnam ergo tempus est maxime idonea mensura motus? tempus primarium.
Quodnam tempus vocatur primarium? tempus subiectatum in motu primi mobilis prout ille motus reperitur in motu solis. tempus ergo identificatum motui solis est mensura maxime opportuna entium successivorum.
declara quod habeat omnes conditiones ad maxime idoneam mensuram: quia in primis est mensura maxime obvia, secundo est etiam maxime regularis, tertio non est etiam mensura nimis longa maxime quando non exprimitur sub magno numero partium.
An nos non mensuremus res successivas ordinarie per horas, dies menses etc.? imo.
Quomodo cum ante dictum sit quod tempus subiectum in motu solis sit mensura maxime opportuna? non refert, quia illud non differt a tempore ante dicto, hora enim nihil est aliud quam vigesima quarta pars unius circumvolutionis solis, dies autem est una circumvolutio.

An tantum homines, an vero etiam angeli utantur tempore pri-
mario ad mensurandos suos motus? nobis verisimile est quod etiam
angeli utantur eodem tempore primario, quia non est facile invo-
nire aliquam aliam mensuram motus successivi quae sit magis idonea
quam tempus primarium.
An etiam bruta mensurent suos motus per tempus primarium?
quaestio supponit falsum.
Quare bruta nihil possunt mensurare? quia mensuratio supponit
discursum in mensurante, unde quia mensurans debet applicare men-
suram notioris extensionis eo fine ut cognoscant extensionem igno-
tiorem alterius, iam autem dictum est, dum agerēmus de causa
finali quod bruta non possint agere ob finem.
An saltem bruta possint numerare? non. sed hoc enim etiam requi-
ritur actus intellectus.
An tempus etiam sit activum? non. quia tempus vel est purus
modus, vel est aliquid realiter identificatum puro modo, iam autem
purus modus activus non est, nec etiam quidquam realiter identifica-
tum puro modo.
Quomodo tempus non est activum cum dicatur edax rerum? non ede-
re.
Quomodo cum per hoc importetur quod debeat res destruere et con-
sequenter agere? non importatur per hoc quod tempus debeat per se
destruere res.
Qua ratione ergo verum est quod tempus sit edax rerum? quia
tractu temporis varia agentia applicantur variis passivis, et sic
tractu temporis tandem consumantur, cum vero
fit quod variae res tractu temporis, ad scribunt
homines saepe non sciant quae sit illa causa corrumpens
illam corruptionem tempori.
An eodem modo tempus possit dici causa generationis rerum sicut
dicitur causa corruptionis? imo, quia sicut tractu temporis multa
corrumpuntur quorum causae a nobis ignorantur, ita etiam mul-
ta generantur quorum causae a nobis non noscuntur, ac proin-
de tam bene possemus generationem adscribere tempori, quam cor-
ruptionem.
Da primam proprietatem temporis? tempus partim est
minimum, partim non minimum.
Qua ratione tempus dicitur partim minimum? quia exper-
mitur minimo numero partium.
Qua ratione tempus dicitur non minimum? quia non exper-
mitur sub minimo numero partium.
Da tempus non minimum: tempus mille annorum, et multo magis
tempus aeternum.
Da tempus minimum: tempus duorum instantium.
Quomodo cum tempus unius instantis sit adhuc minus? non datur
tale, quia tempus debet esse ens successivum, id vero quod est tantum

velut instantis non potest esse sub successivum.

Ad secundam proprietatem: tempus non dicitur velox vel tardum, multum vero et paucum, item longum et breve dicitur.
Quotupliciter sumuntur illa adiectiva multum et paucum, longum et breve? possunt sumi dupliciter, positive et comparative.
Quid tempus multum sumendo multum comparative? quod constat maiori numero partium succedentium quam alterum ad quod comparatur. ut tempus unius anni respectu unius diei.
Quid tempus multum sumendo multum positive? est quod constat magno numero partium succedentium. ut tempus mille annorum.
in quo differunt tempus multum et tempus longum? non differunt. ut nec tempus breve et tempus paucum.
Quid tempus paucum? comparative est quod constat minori numero partium succedentium quam alterum ad quod comparatur, tempus autem paucum positive est quod constat parvo numero partium succedentium.
Quomodo sumuntur illa adiectiva in hac proprietate positive an comparative? comparative.
Quomodo cum tempus utroque modo sit paucum et multum sive positive et comparative? est verum et non refert quia antithesis quae est inter illud membrum posterius et prius membrum huius propositionis postulat ut posterius membrum etiam sumatur comparative.
An ergo prior pars debeat comparative sumi? imo probatur non posse sumi priorem partem positive: quia positive sumendo illa pars esset falsa, quia tempus bene potest dici velox sumendo ita ut velox positive, quia partes temporis proxime sibi succedunt, ita ut non debeant mediare ullae morulae quietis inter partes temporis sibi succedentes, ergo nihil deest tempori quo minus sit velox positive.
Quid velox comparative? quod habet plures partes aequali tempore sibi succedentes aequali tempore quam alterum ad quod comparatur. ut cursus canis venatici respectu motus limacis, clarum enim est quod aequali tempore canis venaticus plus spatii conficiat quam limax, adeoque ille motus canis habet plures partes sibi succedentes aequali tempore quam habeat motus limacis.
Quare non potest definiri sic velox, est quod habet aeque multas partes sibi succedentes minori tempore? etiam sic.
An tempus sit velox comparative? imo aliquod respective.
Da tempus comparative velox: tempus subiectatum in motu solis est comparative velox respectu motus limacis.
Quomodo ergo dicitur hic in proprietate quod tempus non sit velox? quando dicitur quod tempus non sit velox hoc intelligitur comparative respectu alterius temporis.
Quid tamen cum tempus subiectatum in motu solis sit velox respectu temporis subiectati in motu limacis? quaestio supponit falsum, non datur tempus subiectatum in motu limacis.
Quare duratio motus limacis non est tempus? quia non est duratio successiva continua, quia motus limacis habeat aliquas notabiles morulas quietis.

Quomodo cum ad sensum pateat quod limax continuo progre-
diatur licet tarde? apparet sic quoad sensum re verâ tamen ita non
est, quia quando morulae non sunt valde magnae non possunt per
sensum observari, sicut econtra dum motus est valde tardus non
observatur motus per sensum, quia patet in indice horologii, licet
enim quis aspiciat per integrum diem nunquam poterit dicere hoc
momento movetur, et hoc quiescit.
Quare tempus non potest esse velox comparative respectu al-
terius temporis? quia tempus habet omnes suas partes sibi im-
mediate succedentes et nullas se penetrantes quoad successionem
moraliter saltem loquendo, ergo unum tempus non potest esse
altero celerius.
An ergo tempus subiectatum in aequinoxiali primi mobilis non sit
celerius illo quod subiectatur in tropico? imo, quia aequali tem-
pore aequinoctialis absolvit multo maiorem circulum quam tropicus.
Quomodo ergo verum tempus non est velocius alio? quod dicitur
hic quod unum tempus non sit velocius altero hoc intelligitur paria
cum paribus conferendo, hic autem cetera paria non sunt, unde
videtur tantum Aristoteles velle quod idem tempus in una parte
temporis imaginarii non sit velocius se ipso in alia parte, et sic
tempus subiectatum in aequinoctiali semper est aeque velox, sei
tempus subiectatum in tropico, idem vero illud tem-
celer ubi et tempus subiectatum quia motus aequinoctialis regu-
pus semper est aeque velox, quia motus aequinoctialis regu-
laris est ubi et motus tropici.
An tempus sit etiam velox positive? imo.
Quid velox positive? cuius partes sibi proxime succedunt.
Declara tempus esse velox positive: quia partes temporis suc-
cedunt sibi immediate, saltem moraliter loquendo, consequenter non
multum distant quoad successionem.
An tempus etiam sit tardum? tempus aliquâ comparatione potest
dici tardum comparative.
Quid tardum comparative? cuius pauciores partes sibi succedunt
respectu cuiusdam alterius aequalis.
Quid tardum comparative? cuius pauciores partes sibi succedunt
aequali tempore. ut motus limacis respectu cuiusdam alius venati-
ci.
Declara tempus aliquâ ratione esse tardum comparative? quia
tempus est tardum respectu motus angeli qui celerius movet-
tur hinc usque Bruxellas etc. se replicando tantum quantum possent.
An tempus etiam sit tardum positive? non.
Quid tardum positive? est cuius successivum cuius partes sibi proxime
non succedunt. ut motus limacis, item motus indicis horologii
quia illi motus habent valde magnas morulas quietis intermix-
tas.
Quare tempus non est etiam eo modo tardum? quia partes tem-
poris debent sibi succedere sine interruptione moraliter saltem
loquendo unde semper etiam succedunt sibi proxime.
An sint eadem velox et densum? non. sed utrumque sumatur
positive uti potest, sive comparative.
In quo conveniunt velox et densum? in eo quod utrumque sit totum
integrale cuius partes non multum ab invicem distant.

In quo differunt velox et densum? quod densum habeat partes suas coexistentes, et iuxta se positas quoad spatium, velox autem habet suas partes sibi succedentes et non multum distantes quoad successionem.

In quo conveniunt similiter tardum et rarum? in eo quod utrumque sit totum integrale habens suas partes a se mutuo distantes amplius quam alterum ad quod fit comparatio si comparative sumatur utrumque.

In quo differunt tardum et rarum? in eo quod rarum habeat illas partes coexistentes, tardum autem habeat easdem succedentes.

Quid velocitas? relatio inter partes entis successivi orta ex eo quod presse sibi succedant.

Quando non sit pressa successio partium? etiam sic.

Definire excessum importatum per velox comparative sumptum? est relatio fundata in velocitate unius terminata ad velocitatem alterius orta ex eo quod prior superet posteriorem.

In quo differunt velocitas et celeritas? non differunt.

Quid tarditas? relatio inter partes entis successivi orta ex eo quod sibi succedant non presse.

Da tertiam proprietatem: tempus idem ubique simul est non sic prius posteriusque.

Quis est sensus? tempus presens est unicum, non autem tempus preteritum vel futurum.

An de facto non sint multa tempora presentia? imo.

Quot ergo de facto sunt tempora presentia? tot quot sunt de facto entia continuo successiva, unde si motus leporis et motus canis venatici ambo sint continuo successivi dabuntur ibi simul duo tempora presentia.

Quomodo ergo est vera prior pars proprietatis quod tempus presens sit unicum? pars illa intelligitur de tempore primario.

Quomodo cum etiam de facto sint simul plura tempora primaria? non sunt de facto simul plura tempora primaria hic intellecta.

Quomodo cum simul sit tempus subiectatum in equinoxiali et tempus subiectatum in tropico? non refert, quia illa non sunt tempora hic intellecta.

Quale ergo tempus primarium intelligitur? totale, [illegible] quod non est actu pars alterius.

Declara tempus sic consideratum tantum esse unicum: quia motus primi mobilis de facto existens tantum unicus est.

Declara tempus preteritum et futurum similiter non esse unum: quia aliud fuit tempus hesternum, aliud quod fuit ab uno anno quod fuit enim heri non fuit compars alterius simul existentis et eadem est ratio de tempore futuro.

Da quartam proprietatem: sicut idem motus iterum et iterum esse potest, ita tempus.

Quam identitatem significat particula idem? identitatem specificam.

Quare non identitatem numericam? quia falsum est quod unus et idem numero motus iterum et iterum redire possit naturaliter, quia sicut aliae res naturaliter non reproducuntur, ita neque etiam motus.
Declara tamen proprietatem esse veram intelligendo per identitatem identitatem specificam: quia idem specie motus bene potest naturaliter redire, sicut bene redit idem specie homo, idem specie calor etc.
Declara quod si redeat idem specie motus redeat idem specie tempus: quia tempus nihil est realiter distinctum a motu in quo proxime subiectatur.
Ad ultimam proprietatem temporis: non solum tempore motum sed etiam motu tempus mensuramus, quia sicut tempus habet omnes conditiones requisitas ad hoc ut sit idonea mensura motus, ita vicissim motus potest habere omnes conditiones requisitas ut sit idonea mensura temporis.
Quomodo hoc possit fieri cum duo quaepiam non possint esse mutuo notiora? in primis hoc falsum est quia possunt duo quaepiam esse sibi mutuo notiora apud diversos, vel etiam apud eosdem successive.
An sit necessarium ut duo quaepiam sint sibi mutuo notiora ut motus mensuret tempus? non.
Declara hoc posse fieri absque eo quia potest fieri quod tempus aliquod notius mensuret motum ignotiorem, et ille motus equidem sit notior aliquo alio tempore, ignotiore isto motu.
Da motum qui mensurat tempus: sicut per motum quo vadit homo usque Bredam possumus mensurare tempus quatuor horarum.
An mensurans debeat absolute esse notior mensurato quam res mensurata? non est necessarium, quia mercator qui mensurat pannum per ulnam potest antea certo scire quantae extensionis sit pannus, solum ergo tali casu ipse mensurat pannum ut etiam emptor sciat quantae extensionis sit pannus.
An uno motu possumus mensurare alium motum? imo.
Quomodo cum inde sequatur quod motus sit tempus? non sequitur.
Quomodo enim sit mensura motus per ipsum prius et posterius? est verum, et non refert.
Per quid ergo excluditur talis motus a definitione temporis? per particulam numerus, quia motus equidem non est numerus, quia numerus debet esse quantitas continua saltem iuxta Veteres, motus autem non est quantitas.
Declara quod motus mensurabit alium motum per ipsum prius et posterius: quia mensurabit motum per partem priorem et posteriorem tam bene quam tempus sic mensurat motum.
An etiam motus instantaneus possit mensurare alium motum per partem priorem et posteriorem? non. quia motus instantaneus non habet partem priorem et posteriorem.

An motus instantaneus non possit fieri successivus? imo.
saltem aliquis.
Quomodo ergo non poterit etiam sic mensurari motum per ipsum
prius et posterius? non potest sic mensurari quamdiu manet instan-
taneus. secundo ut motus dicatur esse mensurativus alterius motus
per ipsum prius posterius suum debet habere actu partes succedentes
ita ut non sufficiat quod possit tales partes habere.

Finis

Liber Quintus Divisiones

eorum quæ mutantur.

Da primam divisionem: eorum quae mutantur alia per
se primo, alia per partem, alia per accidens mutantur.
Quodnam est divisum istius divisionis? ea quae mutantur.
Quid ea quae mutantur? sunt quae absolute denominantur
concreto motus connotante subiectum.
Da quod mutatur per se: homo qui ambulat, ille enim dicitur ab-
solute moveri motu ambulationis.
An omne subiectum motus mutetur per se? non.
Da subiectum motus quod non mutatur per se? homo cuius
digitus tantum calefierent, et reliquum corpus frigefieret, non mo-
vetur per se motu calefactionis, quia talis homo absolute non
dicitur calefieri quando digitus tantum calefit.
Quid denominari absolute concreto motus? est denominari concre-
to motus sine particula ampliante, alienante vel diminuente.
An debeat etiam denominari sine particula restringente, aut expla-
nante? non, quia sufficit quod denominetur aliquo concreto cum par-
ticula explanante vel restringente, hoc denominatur absolute.
An homo qui generatur mutetur per se? non.
Quomodo cum absolute denominetur ab isto concreto generatur?
non refert.
Quomodo ergo non mutatur per se? quia non denominatur
concreto motus connotante subiectum, quia illud concretum ge-
neratur non denominat subiectum.
Quid ergo denominat istud concretum generatur? terminum ad quem
motus.
An similiter quando homo moritur mutetur per se? non, quia
illud concretum moritur non connotat subiectum mortis, sed
terminum a quo, unde homo qui dicitur mori non est subiectum
mortis, quia non est subiectum termini ad quem, terminus enim
ad quem mortis est privatio vitae quae nunquam potest inesse homini,
quia homo semper debet habere vitam, non potest ergo habere
privationem vitae.
Quodnam ergo est subiectum mortis? materia prima hominis qui
moritur, illa enim transit a vita ad privationem eius.
An ergo id quod mutatur per se debeat esse subiectum motus a quo
dicitur mutari? non.
Da quod mutatur aliquo motu per se, et non est subiectum
istius motus: homo insidens equo mutatur ad sensum huius loci
motu equi, et tamen homo ille non est subiectum motus equi,
quia motus equi nec recipitur in hominem tanquam subiec-
tum proximum nec tanquam in subiectum remotum.
Declara posterius: quia sic deberet recipi mediante equo in homi-
nem, hoc autem falsum esse patet, quia equus non subiectatur in
homine.

declara quod homo mutatur motu equi: quia ut post videbitur,
movetur per accidens motu equi; id autem quod per accidens muta-
tur etiam mutatur prout hic.
Quomodo ergo est verum quod id quod mutatur debeat esse subiec-
tum motus? hoc verum non est juxta hunc dicendi modum, sed tantum
quod illud concretum motus debeat connotare subiectum; ita namque
quod illud quod denominatur ab ipso non debeat necessario esse sub-
iectum eius.
An id quod mutatur essentialiter etiam mutetur prout hic? non.
Da aliquid quod mutatur essentialiter: compositum per accidens
ex petro et eius ambulatione.
Quandonam illud compositum mutatur essentialiter? semper dum
existit illud compositum; semper enim tunc debet habere motum sibi
essentialiter competentem.
An ergo tale compositum mutetur essentialiter primo instanti
suae existentiae? imo.
Quomodo enim nihil possit mutari primo instanti suae existentiae?
nihil quidem potest mutari subiective primo instanti suae existen-
tiae, sed bene potest aliquid moveri essentialiter primo instanti
suae existentiae.
An sicut aliquid potest moveri essentialiter etiam possit moveri
integraliter? imo, quia sicut aliquid potest componi ex motu tan-
quam parte essentiali, ita potest aliquid componi ex motu tan-
quam parte integrali.
Da quod componitur ex motu tanquam parte integrali: totalis
motus primi mobilis componitur ex motu lineae aequinoctia-
lis tanquam parte integrali.
An compositum ex Joanne et motu petri non componatur etiam
ex motu petri tanquam parte integrali? imo.
Cur non componitur ex motu tanquam parte essentiali cum
motus sit forma? non refert, quia licet quidem Joannes et motus
petri non respiciunt se mutuo tanquam forma et subiectum.
Divide ea quae mutantur in duo membra: dividuntur in ea quae
mutantur per se, et in ea quae mutantur per accidens.
Quid ea quae mutantur per se? sunt ea quae vel mutantur per
se primo, vel mutantur per partem.
Subdivide ea quae mutantur per se? subdividuntur in illa quae mu-
tantur per se primo, et in ea quae mutantur per partem.
An ea quae mutantur per se debeant esse subiectum motus a quo mu-
tantur per se? imo.
Quale subiectum debeat esse proximum an remotum? est perinde
possunt esse remotum et etiam proximum.
An saltem id quod mutatur per se primo debeat esse proximum
subiectum motus? non est necesse.
Da aliquid quod mutatur per se primo et tamen non est subiectum

remotum istius motus? Homo qui per se primo calefit, quia
in primis probabile est quod illum totum solum sortiatur gratia
suae quantitatis, deinde etiam si non daretur quantitas realiter
distincta a materia gratia cuius reciperet illum motum, equi-
dem non reciperet illum proxime, quia tantum reciperet illum
gratia suae materiae primae.
An homo qui calefit, calefiat etiam gratia suae animae rationa-
lis? non, quia anima rationalis non est subiectum capax ca-
loris, quia spiritualis est.
Quomodo ergo homo potest calefieri per se primo cum non possit
calefieri gratia suae animae rationalis? est verum sed non re-
fert.
Quomodo non cum ex eo sequatur quod non calefiat gratia om-
nium partium? sequitur quidem quod non calefiat gratia omnium
suarum partium essentialium sed non refert, quia satis est quod
nulla detur pars integralis hominis quae sit subiectum istius mo-
tus.
An id quod mutatur per se primo debeat esse subiectum gratia
omnium suarum partium integralium? non est necesse.
Quomodo cum non mutabitur per se primo si mutetur tan-
tum gratia aliquarum partium integralium tantum? non refert.
Quomodo ergo non requiritur ut mutetur gratia omnium par-
tium integralium? quia potest fieri quod illud quod mutatur per
se primo non habeat ullas partes integrales.
Quid mutari per se primo? est mutari per se tali motu sic ut nulla
detur pars integralis eius quae sit subiectum istius totius motus
Quare dicitur pars integralis? quia id quod mutatur per se primo
potest mutari tali motu qui totus recipiatur in partem essen-
tialem vel subiectivam, seu potentialem.
Da quod mutatur per se primo motu qui totus recipitur in
partem subiectivam? sic homo mutatur per se primo quando Jesus
qui est eius pars subiectiva per se primo calefit.
An totum integrale semper per se primo mutetur illo motu cuius
subiectum sunt omnes partes integrales istius totius? non.
Ex quo capite potest fieri quod tale totum non mutetur per se pri-
mo isto motu? si totum illud tantum recipiat partem istius motus
tunc non movebitur per se primo sed per accidens, quia non
movebitur per se illo motu, quia id quod mutatur per se debet to-
tum motum recipere vel gratia sui totius vel gratia partis
integralis.
An quando totum per se primo mutatur quaelibet pars integra-
lis debeat recipere partem istius motus? non est necesse, quia
aliquid potest moveri per se primo, quod non habet ullam partem
integralem, ut angelus, item anima rationalis.

An quando totum integrale habet partes debeant partes integrales recipere partem motus quo totum movetur per se primo? hoc quidem plerumque accidit, non est tamen necesse ut semper ita fiat.
Declara in exemplo: sic quando albedo quatuor graduum transit a privatione unionis cum condistincto ad istam unionem totalis albedo movetur per se primo, nullae tamen partes integrales moventur isto motu, sed partes sui.
Ostende partes integrales tali motu non moveri in casu nostro: quia cum singulae partes integrales istius albedinis ad quatuor habeant unionem cum condistincto, nempe cum alio gradu, falsum est quod habeant privationem unionis cum condistincto; ut sic non possunt transire a privatione istius unionis ad illam unionem.
Quid mutari per partem? est totum mutari tali motu qui totus recipitur in parte integrali istius totius.
Da quod mutatur per partem: ut Joannes quando maior eius pars integralis calefit.
An ut aliquid mutetur per partem debeat mutari gratia maioris partis integralis? non est necesse.
Da ergo quod mutatur per partem gratia minoris partis integralis: sic Joes cuius solum caput aegrotat absolute dicitur aegrotare, et transire a sanitate ad morbum.
Cur ergo potius quam Joes dicitur calefieri gratia capitis tantum? quia illud concretum calefieri non denominat subjectum absolute nisi calefactionem recipiat gratia maioris partis integralis, illud autem concretum aegrotare denominat absolute totum, licet tantum recipiat morbum gratia minoris partis integralis.
Quaenam est ratio disparitatis? non potest alia dari quam beneplacitum institutorum vocum qui voluerunt denominare absolute unum, et non alterum.
An quodlibet ens possit mutari per partem? non.
Da aliquod quod non potest mutari per partem: angelus, item anima rationalis quia illa nullam habet partem integralem.
Da quod potest mutari per partem et non per se primo: tale esset illud quod constaret una parte integrali quae esset prius immobilis, ita ut gratia istius mutari non possit, posset tamen mutari gratia alterius partis integralis quae esset entitas stricte dicta, ut compositum per accidens ex Petro et praesentia Pauli posset moveri motu locali per unam partem, non autem gratia praesentiae.
Quid pars integralis hic? est id quod componit alterum aliter quam per modum actus vel potentiae.
Quomodo cum ibi continuantur pars integralis late dicta? non refert, quia talis pars etiam debet continuari.

Quid Mutari per accidens? est mutari gratia alicuius rea-
liter distincti seu extrinsece coniuncti: sic homo insidens equo mu-
tatur per accidens motu sui equi.
Quomodo cum talis homo mutetur per se? distinguo, mutatur
per se motu recepto in ipso homine, motu tamen recepto in equo
mutatur per accidens.
Quomodo cum homo non sit subiectum motus equi? non refert.
Quomodo cum id quod mutatur debeat esse subiectum motus?
non est necesse quod sit subiectum motus, sed satis est quod de-
nominetur mutari a concreto motus connotante subiectum, sive
interim illud ipsum quod denominatur mutari sit subiectum
istius motus, sive aliquod accidens eius.
An homo cuius quantitas calefit, per accidens mutetur illo mo-
tu? non, quia quantitas intrinseca homini non est hic accidens,
quia accidens debet esse extrinsecum respectu eius, respectu
cuius est accidens, quantitas autem est intrinseca respectu
hominis.
An rationale mutetur per accidens motu hominis? non.
Quare non cum homo hic sit accidens respectu rationalis? nego,
sumendo scilicet rationale pro differentia adaequate constitutiva
hominis.
Quare homo tunc non est accidens respectu rationalis? quia
accidens debet esse realiter distinctum ab eo cuius est accidens,
homo autem non distinguitur realiter a sua differentia con-
stitutiva.
Quid accidens hic? aliquid extrinsece coniunctum alteri a quo
realiter distinguitur, paries respectu albedinis.
Quomodo cum paries non sit forma? non refert, quia hoc non
requiritur ad accidens hic.
An econtra albedo sit accidens respectu parietis cui inest? non
quia inest interne.
An vas hic continens aquam sit ~~hic~~ accidens respectu aquae?
imo, est enim realiter distinctum ab ista aqua, et illi extrinsece
coniunctum.
Quomodo cum aqua hic sit accidens respectu vasis? non refert.
Quomodo cum duo quaepiam non possint sibi mutuo esse acciden-
tia? imo hoc potest fieri.
Quomodo requiritur ad accidens ut sit extrinsece coniunctum cum
homo sit hic accidens respectu petri? distinguo, homo in petro re-
pertus non est accidens respectu petri, quia nec coniungitur
petro extrinsece, nec realiter distinguitur a petro.
Quare homo in genere non est tam bene accidens respectu petri
quam petrus respectu hominis in genere? etiam petrus non
est accidens respectu hominis in genere reperti in petro defec-
tu realis distinctionis, petrus tamen est accidens respectu ho-
minis in genere reperti in paulo.
An ergo homo in genere possit mutari per accidens gratia petri?

R. affirmatiue, si paulus sedeat supra humeros petri; homo in quantum prout respicitur in paulo mutabitur tunc per accidens gratia petri tanquam sui accidentis tam bene quam homo insidens equo mutatur per accidens motu equi.
An requiratur ad accidens hic ut sit condistinctum ab eo cuius accidens? non est necessarium.
Quomodo enim alias erit realiter idem saltem partialiter? est verum, sed non refert, quia potest realiter differre licet sit partialiter idem.
Da accidens hic quod non est condistinctum ab eo cuius est accidens; totum essentiale reale est hic accidens respectu suarum partium similiter totum integrale est accidens hic respectu suarum partium integralium, totum tamen nunquam est condistinctum a suis partibus.
Defini connexionem quam debet habere accidens cum eo quod mutatur per accidens? est connexio alicuius extrinsice coniuncti et realiter distincti talis ut aliud absolute denominetur mutari gratia illius extrinsice coniuncti, et realiter distincti. Variae autem possunt esse illae coniunctiones, alia coniunctio est continentis cum contento et contra, alia coniunctio contigui cum contiguo etc.
Da quod mutatur per accidens motu sui subiecti: sic album dicitur per accidens calefieri quando petrus in quo albedo subiectatur calefit.
Da quod mutatur per accidens gratia contigui sui: homo insidens equo ~~mutat~~ motu equi sui, molitor cuius vestes dealbantur gratia vestium dicitur dealbari.
An ut aliquid mutetur per accidens debeat in se recipere motum similem motui sui accidentis? frequenter quidem ita accidit, non est tamen necesse ut semper sic fiat.
Da casum quo hoc contingit: R. sic quando homo insidens equo movetur per accidens motu sui equi, homo tali casu recipit in se motum similem motui sui equi.
An homo motu illo recepto in ipso mutetur per accidens? non, quia illo motu homo movetur per se, solum ergo mutatur per accidens motu ipsius equi.
Da casum quo id quod mutatur per accidens non recipit in se motum similem motui sui accidentis: sicut exemplo ante dato de molitore, molitor qui dicitur dealbari gratia suarum vestium tanquam gratia sui accidentis non debet in se recipere intrinsice nullum motum similem.
Quomodo debet exprimi forma quae movetur per accidens motu sui subiecti concretive an abstractive? aliquando concretive, aliquando est perinde, sive concretive sive abstractive.
Da formam quae tunc potest indifferenter exprimi concretive an abstractive: albedo quae movetur per accidens motu localí

Cui subiecti ut ij Joannes potest indifferenter sic exprimi, quando
enim Joannes movetur localiter licet vere dicere album movetur
localiter, et albedo movetur localiter.
Da formam quae ut mutetur motu sui subiecti debet exprimi con-
cretum: sic albedo ut dicatur per accidens ambulare motu sui
subiecti debet concretum exprimi, non enim licet dicere quando Jo-
annes ambulat quod albedo ambulet, sed recte dicitur quod album
ambulet.
Quare non licet tunc dicere quod ambulet albedo? quia obstat con-
notatum vocis ambulat quod non connotat nisi principium effec-
tivum ambulationis, iam vero autem albedo nec est principium effec-
tivum ambulationis, nec tale principium significat.
Quomodo ergo albedo concretum expressa potest dici ambulare?
quia albedo concretum expressa ista voce album connotat princi-
pium effectivum ambulationis nempe petrum etc.
Unde ergo poterimus scire an forma abstractum expressa possit
dici mutari per accidens motu subiecti an non? debet maxime sciri
ex usu.
An id quod motu per accidens motu locali sui accidentis debeat in se recipere
motum localem similem motui sui accidentis? etiam hoc non
est necessarium absolute, quia potest contingere quod tale quid
non mutetur ullo modo motu locali.
Declara in exemplo: sic quando globus mutatur in orbem
non transeundo de uno loco in alterum recte dicitur tali casu
centratum localiter moveri et tamen centrum quod ibi
movetur per accidens motu locali totius globi, hoc tali casu
non recipit in se ullum motum localem quia centrum manet
immotum.
Unde ergo debet colligi an aliquid debeat recipere motum localem
similem ut mutetur per accidens motu sui accidentis? etiam ex
usu.
An homo qui vadit iuxta suum equum mutetur per accidens
motu sui equi? non: quia ut aliquid mutetur per accidens mo-
tu sui equi debet ipse equus causare in homine motum similem suum
vero aliquis tantum vadit iuxta equum, tali casu equus non
causat in homine motum similem ut per se patet.
An etiam ipse motus mutetur per accidens? motus concretum ex-
pressus bene potest dici mutari per accidens, non sic autem motus
abstractum expressus.
Declara quod motus concretum expressus mutetur per accidens: quia
sic recte dicitur, ambulans calefit.
Quare similiter non potest dici ambulatio calefieri per accidens?
quia concreta illa quae denominant subiectum motus non deno-
minant abstracta significantia principaliter motum, nisi illud
significatum principale abstracti idem manens existat pluribus

instantibus, jam autem motus secundum idem sui non existit
pluribus instantibus, cur autem illa concreta motibus sic connotent
hoc debet referri in arbitrium instituentium.
An praesentia localis etiam possit dici mutari per accidens? imo si
concretive exprimatur.
Quomodo cum non possit esse subiectum motus? non refert
quia id quod mutatur per accidens non debet esse subiectum motus.
Declara quod praesentia concretive expressa bene possit dici mu-
tari per accidens: quia bene potest dici praesens huic loco talis est.
An praesentia localis possit etiam sic dici mutari per accidens
motu locali? imo, sic angelus praesens huic loco recte dicitur replic-
cari et consequenter praesens huic loco bene dicitur replicari.
Quomodo cum praesentia illa localis quam habet angelus ad hunc lo-
cum debeat perire per replicationem? non est necesse, quia eadem
tali praesentia ad hunc locum angelus potest simul acquirere per re-
plicationem praesentiam ad alium locum.
An idem possit moveri per se primo, per partem et per accidens
imo.
Quomodo simul an successive? non tantum successive, sed etiam
simul.
Declara quod simul sic movetur: homo insidens equo supposito
quod caput gyret, quia motu equi mutatur per accidens, mo-
tu autem locali recepto in ipso toto homine mutatur ille homo
per se primo, motu autem isto gyrationis movetur talis
homo per partem.
An etiam eodem motu aliquid possit moveri per se primo
per partem et per accidens? imo, quia sic homo possit moveri
a privatione albedinis ad albedinem per
Quandonam homo movetur illo motu per se primo? quando ho-
mo naturaliter secundum omnes suas partes fieret albus.
Quandonam mutaretur tantum per accidens tali motu? si quan-
titas illa quae iam est intrinseca homini fieret ipsi extrinseca,
tunc per istum motum quantitatis posset ille homo mutari per
accidens.
Declara quod possit etiam mutari per partem isto motu: hoc fieret
si quantitas illa quae est iam diffusa per hominem integrum
tota poneretur in una parte integrali istius hominis, et mo-
veretur tunc eodem numero motu.
alicuius totius
An quandocumque omnes partes integrales moventur, etiam
totum integrale debeat moveri per se primo? non est necesse, quia
ut dictum fuit circa materiam de replicatione possunt omnes
partes integrales moveri motu replicationis, sic tamen ut non
replicetur totum.
An sicut aliquid dicitur mutari per partem, ita aliquid possit
dici mutari gratia unionis? imo.

gratia cuius unionis, essentialis an integralis? gratia utriusq.
An sola unio alicuius totius possit mutari localiter, partibus
manentibus immotis localiter? imo.
Da casum quo hoc posset accidere: sic ... si omnes partes
istius essent explicatae ubique usq ad ciliam, et unio non ...
tunc posset quod unio ... transferretur ad ciliam,
sic ut nulla pars localiter moveretur.
An naturaliter loquendo dum extremum unionis movetur debeat
etiam moveri unio? non est necesse.
Declara naturaliter posse fieri oppositum? quia sic contingit quan-
do globus aliquis circulariter movetur manens in eodem loco
totali, unio enim tali casu qua centrum istius globi unitur
partibus vicinis non movetur localiter, partes tamen ipsi vi-
cinae quibus centrum unitur localiter moventur.
ostende unionem illam non mutari localiter tali casu: quia cen-
trum ex suppositione localiter non movetur, ergo neq informa
in ipso adaequate subiectata qualis supponitur illa unio.
Declara alterum extremum istius unionis mutari localiter?
quia partes integrales quae sunt circa centrum talis globi
localiter moventur tam bene quam ultima superficies illius
globi.
An possit unio essentialis localiter moveri immoto altero ex-
tremo? imo.
Quomodo hoc potest fieri supernaturaliter an naturaliter?
etiam naturaliter, hoc potest fieri quando homo movet circu-
lariter suum digitum in eodem adaequato loco, quia tali casu
movetur materia prima excepta illa quae constituit axem circa
quem fit iste motus, ergo etiam unio debet tali casu mutari
quae in ista materia subiectatur, quia moto subiecto localiter
mutatur etiam localiter sua forma quae perseverat in isto
subiecto toto tempore istius motus.
Quid tum cum tali casu etiam mutetur localiter anima ra-
tionalis istius digiti? nego, sed illa manet localiter immota.
Quare magis quam materia prima? ratio disparitatis est quia
anima rationalis est integraliter indivisibilis, et hinc nec per se primo
neq per partem mutat locum in casu nostro, aliud vero est
de materia prima quae est integraliter composita, quia gratia
aliquarum saltem partium illa locum mutat.
An angelus explicatus per totam sphaeram non possit moveri mo-
tu conversionis instar globi? non.
Quare non tam bene quam globus? quia angelus est integraliter
indivisibilis, unde non datur ulla pars in angelo quae tali casu
posset localiter moveri, unde sicut centrum globi quod movetur
motu conversionis non movetur localiter quia per se primo
manet in eodem spatio, ita angelus per se primo manet tunc in

eodem spatio, et hinc est quod localiter non mutetur nec moveri possit manens in eodem adaequato spatio.

De secundam divisionem: eorum quae movent alia per se primo, alia per partem, alia per accidens. Divisum est ea quae movent.

Quid ea quae movent? quae absolute denominantur connotato motu connotantve causam efficientem motus.

Quomodo se habent id quod movet, et id quod movetur? utrumque est lapis cadens deorsum.

Da quod movet et non movetur: Deus, movere enim est imperfectionis quae in Deum cadere nequit.

Da quod movetur et non movet: quantitas movetur motu dealbationis caloris, frigoris etc. non movet tamen illis motibus licet bene moveat per accidens aliquo alio motu maxime dum conventum [?] experitur.

Quid pars hic dum dicitur movere per partem? idem quod pars integralis, capitur autem late.

in quo differunt pars hic, et pars in praecedenti divisione? non differunt.

Quid movere per se primo? est sic movere ut nulla detur pars integralis eius quin concurrat ad efficiendum illum motum. Ut Deus.

An id quod movet per se primo debeat movere gratia omnium partium? non, sic primus Deus non debet movere gratia omnium suarum partium essentialium.

An saltem illud quod movet per se primo debeat movere gratia partium integralium? non est necesse.

Da quod movet per se primo, et non movet gratia omnium partium integralium: Deus, angelus.

Quid movere per partem? est movere gratia partis integralis tantum. Ut homo projiciens lapidem, movet enim lapidem gratia brachii.

An id quod movet per partem non debeat movere gratia maioris partis integralis? non semper est necesse.

An id quod movet per se primo non debeat etiam movere hoc ipso per partem? non est necesse.

An saltem non sit necesse si sit integraliter compositum? non, quia ut aliquid dicatur movere gratia partis debet movere gratia partis integralis tantum, ita necesse ut non gratia omnium partium.

Quid accidens dum dicitur movere per accidens? est aliquid realiter distinctum ab altero cum quo extrinsece coniungitur.

in quo differt accidens hic, et in praecedenti divisione? non differunt.

Quid movere per accidens? est movere gratia alicuius realiter distincti, et extrinsece coniuncti. Ut auriga qui impellit equos movet per accidens currum.

An ergo hic sint equi accidentia respectu aurigae? imo.

An auriga ut moveat per accidens currum gratia equi debeat
sedere in equo? non est necesse, licet ut dicatur per accidens moveri
a motu equi debeat esse in ipso equo, vel saltem sic coniunctus equo
ut equus possit causare in auriga motum similem motui equi,
cum ergo non requiritur simile quid ut currum dicatur movere
gratia equi, hoc totum debet referri in voluntatem institutorum
vocum.
An idem possit moveri per se et per accidens eandem rem? imo. ut
quando auriga per accidens movet currum gratia equi, tunc idem
movet illum currum per se et etiam per accidens quia quatenus con-
currit cum equo sic movet illum currum per se, quatenus autem con-
currit cum auriga sic movet per accidens.
An primus motor etiam moveat per accidens? imo.
Quomodo primus motor potest sic movere cum non sit activus? non
refert, quia non requiritur hoc ut aliquid dicatur movere, quia licet
concretum movens debeat connotare aliquam causam efficientem
motus, non tamen omne id quod per accidens denominatur move-
re debet esse vera causa motus.
Da primum modum quo per accidens movetur, sic praesens huic loco
per accidens potest dici calefacere quando ignis praesens calefacit.

Da tertiam divisionem: terminorum motus alius per se
primo, alius per partem, alius per accidens terminat
motum.
An pars hic sumatur eodem modo sicut in praecedentibus divisio-
nibus? non.
Quomodo se habent pars in hac divisione et pars in praecedentibus?
ut magis et minus communia, quia quidquid est pars in praeceden-
tibus divisionibus est etiam pars hic, non contra.
Da quod est pars hic et non ibi: quaelibet pars essentialis, item
quaelibet pars subiectiva est hic pars, non autem in praecedentibus di-
visionibus quia illic sola pars integralis est pars.
Quid pars hic? est quod componit alterum ad quod comparatur vel
componitur ex altero ut partes pure materiali logica?
Subdivide partem hic: primo in potentialem et actualem.
Subdivide partem actualem: R. in essentialem, et integralem capiendo
utramque late.
Subdivide essentialem: dividitur in essentialem logicam, physicam et
metaphysicam, et accidentariam.
An unio etiam hic sit pars? imo
Quomodo cum unio non componat totum? etiamsi unio non com-
ponat totum ut id quod, componit tamen totum ut id quo, hoc au-
tem sufficit.
An albedo sit hic pars respectu compositi per accidens ex parie-
te et albedine? imo
An etiam sit pars respectu aggregati ex albedine et calore? imo
Quomodo cum neutrum istorum compositorum sit ens unius rationis?

non refert, quia pars hic non debet esse eius naturae, quia sufficit quod componat unum compositum per accidens.

An duo quaepiam possint sibi mutuo esse partes prout hic? imo, ut albedo in genere, et haec albedo, quia albedo in genere est pars logica huius albedinis, et haec albedo est pars potentialis respectu albedinis in genere.

Quomodo ergo verum est quod idem non possit esse pars et totum respectu eiusdem? hoc intelligitur in eodem genere totius, ut idem non potest esse pars logica et totum logicum respectu eiusdem, idem etiam non potest esse pars physica et totum physicum respectu eiusdem, bene potest tamen aliquid esse pars in uno genere, et totum in alio genere, nempe pars materialis logica, et pars potentialis respectu eiusdem.

An haec albedo sit etiam pars hic respectu disgregativi visus? non.

Quare minus quam respectu albedinis in genere? quia respectu albedinis in genere est pars subiectiva seu potentialis, non autem respectu istius differentiae.

Quid accidens in hac divisione? est aliquid coniunctum alteri respectu cuius non est pars.

Da accidens prout hic: homo insidens equo est accidens sui equi et contra equus est accidens respectu hominis.

Quomodo se habent accidens hic, et accidens in praecedentibus divisionibus? ut magis et minus communia, quia quidquid est accidens ibi est etiam accidens hic, non contra.

Da accidens hic non ibi: albedo respectu parietis, quia albedo est aliquid coniunctum parieti, et non est pars parietis, et per hoc patet quod sit accidens hic, insuper albedo est aliquid intrinsice coniunctum cum pariete, et per hoc patet quod non sit accidens ibi.

An totum hic sit accidens respectu suae partis? aliquando est accidens suae partis, aliquando non.

Da totum quod non est accidens suae partis: haec albedo est totum logicum respectu albedinis in genere, et tamen non est eius accidens, quia est eius pars.

An totum possit esse accidens respectu unius suae partis, et non respectu alterius? imo. ut haec albedo, quia est accidens respectu disgregativi visus quod est eius pars formalis, non est autem accidens respectu albedinis quod est eius pars materialis.

An reliqua tota sint accidentia respectu utriusque suae partis? imo. unde totum physicum est accidens respectu utriusque suae partis physicae, totum integrale respectu utriusque suae partis integralis.

An etiam idem respectu eiusdem modo possit esse pars, modo accidens?

imo quia idem respectu eiusdem modo potest esse pars mate-
rialis logica modo autem pars formalis, et sic totum quod
constituit erit eius pars quando considerabitur tanquam eius
inferius, erit autem accidens quando considerabitur tanquam
totum respectu alterius tanquam partis formalis logicae.
Da aliquod totum quod sic modo esse pars modo accidens respec-
tu eiusdem: spirituale cognitivum respectu spiritualis, quia quando
spirituale consideratur tanquam eius pars materialis lo-
gica, tunc spirituale cognitivum est eius pars, quia est eius
pars potentialis seu subiectiva, quando vero spirituale consi-
derabitur tanquam pars formalis logica eiusdem compositivo
spirituale cognitivum solum erit accidens respectu spiritualis
cognitivi.
Quid terminus motus per se primo? est qui per se primo ac-
quiritur vel deperditur per motum.
Da terminum alicuius motus per se primo: sic albedo est
per se primo terminus dealbationis.
Quando terminus aliquis censetur terminare motum per se
primo? quando ita terminat motum gratia sui ut non fac-
tum gratia alterius re vel ratione distincti.
Divide terminum motus per se primo: dividitur in terminum
ad quem, et terminum a quo per se primo.
Quid terminus ad quem per se primo? qui per se primo ac-
quiritur subiecto per motum.
Quid terminus a quo per se primo? est qui subiecto per se pri-
mo deperditur per motum.
Da alicuius motus terminum a quo et terminum ad quem
per se primo? ut motus aquae a calore ad frigus.
An idem possit esse terminus a quo et ad quem motus per
se primo? imo, si sit terminus ad quem unius, et terminus
a quo alterius, sic calor est terminus ad quem calefactionis, et
terminus a quo frigefactionis.
An respectu eiusdem motus idem terminus possit esse per se primo
terminus a quo et ad quem? non, quia termini per se motus debent aliquo
modo inter se repugnare, idem autem non potest repugnare cum se
ipso.
Da motum cuius terminus per se primo est homo: non potest
dari, quia homo nec per se primo potest acquiri in subiecto,
nec per se primo deperdi, quia id quod acquiritur per se primo,
vel deperditur per se primo debet esse forma.
An aliquod totum possit per se primo terminare motum? imo,
in quo genere totius datur tale totum? in omni praeterquam in
genere physico, quia totum physicum nunquam est forma per se

primo.
Da totum metaphysicum quod potest per se primo terminare motum: anima rationalis sic per se primo terminat motum materiae primae a privatione animae rationalis ad animam rationalem.
An omne totum metaphysicum possit terminare motum per se primo? non, ut homo, item angelus, quia per se primo formae non fiunt.
Da totum logicum quod potest per se primo terminare motum: ut albedo.
Da totum logicum quod non potest per se primo terminare motum: homo.
Da compositum accidentarium quod potest per se primo terminare motum: compositum ex quantitate et albedine.
Da compositum accidentarium quod non potest per se primo terminare motum: compositum ex pariete et albedine.
Quid terminus motus per partem? est quod terminat motum gratia partis actualis vel potentialis.
Da tale quod non est totum: non datur, quia necessario debet habere partem.
Quo modo debet esse compositum id quod terminat motum per partem? non debet esse compositum.
Quomodo cum debeat habere partem? si deberet habere partem actualem tunc sequeretur bene quod deberet esse compositum, sed hoc non requiritur, quia sufficit quod habeat partem potentialem tale quid autem non debet esse compositum, ut differentia logica simplex proxime constitutiva intellectus.
An omne totum possit terminare motum per partem? non, ut compositum ex duobus punctis naturae materiae primo supposito quod non involvat unionem integralem.
Quae nequit terminare motum per partem? quia non habet ullam partem quae sit forma.
An totum essentiale possit per utramque partem terminare partem? non, ut homo quia non est forma gratia utriusque suae partis.
Da quod terminat motum per partem logicam: sic haec albedo terminat dealbationem sive motum terminatum ad albedinem in genere gratia suae partis logicae quae est albedo in genere.
Da quod terminat motum per partem physicam: sic homo terminat suam generationem gratia suae animae rationalis.
Da quod terminat motum per partem metaphysicam: sic homo terminat motum quo natura eius transit a privatione subsistentiae ad subsistentiam.
Da quod terminat motum per partem potentialem: sic albedo in genere terminat motum ad hanc albedinem gratia huius albedinis quae est pars potentialis albedinis in genere.
An pars gratia cuius aliquid terminat motum debeat per se primo illum motum terminare? imo

Da terminum motus per partem accidentariam? compositum per accidens ex paries et albedine per partem accidentariam terminat motum terminatum ad albedinem.
An aliquid possit terminare motum per plures partes simul? imo. sic tanquam rationalis terminat aliquem motum gratia suae naturae, et etiam terminat aliquem motum gratia subsistentiae.
An sit idem motus quem terminat per utramque partem anima rationalis? non.
Quot ergo motus interveniunt quando per utramque partem anima rationalis terminat motum? tres, quia debet intervenire unus terminatus ad naturam, alter ad subsistentiam, tertius autem terminatus ad utrumque.
An aliquid possit terminare eundem motum gratia plurium partium? imo. sic color terminat motum ab albedine ad nigredinem quia terminat illum gratia albedinis, et nigredinis, quae ambae sunt partes subiectivae respectu coloris.
An aliquid possit terminare motum eundem gratia plurium partium actualium? imo. ut compositum per accidens ex albedine et nigredine sic terminat motum ab albedine ad nigredinem gratia albedinis et gratia nigredinis.
Da quod terminat eundem motum gratia partis potentialis, et gratia partis physicae? nequit dari, quia id quod terminat motum gratia partis physicae debet esse totum physicum, nam autem totum physicum nunquam potest terminare motum per partem subiectivam.
Quomodo cum homo in genere terminet generationem Joannis per partem subiectivam? nego.
Quomodo cum terminet illam gratia Joannis? nego, quia sic Joannes deberet terminare motum illum per se primo, quia quod terminat motum gratia alicuius tanquam partis debet habere partem per se primo terminantem illum motum, nam autem Joannes nullum motum per se primo terminat, quia id quod terminat motum per se primo debet esse forma.
Da aliquem terminum motus per accidens: sic v.g. albedo est terminus per accidens motus quo generatur Joannes.
Quid terminus per accidens motus? qui terminat motum gratia alicuius coniuncti quod non est pars.
An accidens hic debeat esse extrinsece coniunctum illi cuius est accidens? non est necesse, quia albedo est hic accidens sui subiecti cui coniungitur intrinsece.
An accidens hic debeat esse realiter distinctum ab eo cuius est accidens? non.
Da ergo accidens hic quod differt sola ratione? R. albedo est hic accidens respectu disgregativi visus.
Da terminum motus per accidens sola ratione distinctum:

sic disgregatiuum visus terminat motum a nigredine ad albedinem gratia albedinis quod est accidens sic gratia disgregatiui visus.

Quam habitudinem dicit propositio per quando dicitur terminus motus per accidens? habitudinem ad terminum motus per se primo.

Declara dando sensum illius locutionis terminus motus per accidens: quia sensus est terminus motus per accidens est qui terminat motum gratia alicuius sui accidentis per se primo terminantis illum motum.

Quam habitudinem dicit obliquus accidens quando dicitur ~~mo~~ terminus motus per accidens? habitudinem duplicem dicit, unam principaliter, alteram in vi obliqui, principaliter significat habitudinem alicuius quae est coniunctio distincta a coniunctione partis, secundario vero, et in vi obliqui etiam significat habitudinem termini motus per se primo.

Da illud accidens gratia cuius albedo ~~[illegible]~~ terminat aliquem motum per accidens: tale accidens potest esse praesentia localis albedinis supposito quod illa terminet motum per se primo, item quantitas in qua subiectatur albedo, proprie autem albedo non terminat generationem Joannis per accidens licet bene sic terminet generationem animae rationalis quia Joannes non est terminus per se primo illius motus.

Quam habitudinem dicit propositio per quando dicitur terminus motus per partem? etiam dicit habitudinem ad terminum motus per se primo, quia pars illa per quam aliquid tanquam per partem dicitur terminare motum, debet esse terminus per se primo istius motus.

Diuide mutationem: diuiditur in mutationem per se et per accidens.

Quid mutatio per se? est mutatio cui omnia requisita quae exprimuntur per se competunt. ut mutatio aquae a calore ad frigus.

Quaenam competunt per se motui? mouens, mobile, utrque terminus, et ~~tempus terminus~~ tempus quae scilicet per se concurrunt ad motum de quo agitur.

Quid competere per se? est competere gratia sui ut non tantum gratia alterius re vel ratione distincti.

Quomodo cum sic id quod competeret gratia partis non competeret per se? est verum et non refert.

Quomodo cum competere per se diuidatur in competere per se primo, et gratia partis? ergo.

Quomodo ergo competit hoc sic quod competit gratia partis per accidens. mutatio per accidens est cui aliquid ex requisitis quae exprimuntur competit per accidens.

ut mutatio calidi ab albedine ad nigredinem.
Quid accidens hic? aliquid quod coniungitur alteri a quo secun-
dum rem vel rationem distinguitur
Quomodo se habent accidens hic et accidens in praecedentibus divi-
sionibus? ut magis et minus communia, quia quidquid est accidens
in praecedentibus divisionibus est etiam accidens hic, non econtra.
Da accidens hic quod non est accidens in praecedentibus divisionibus:
pars integralis est hic accidens respectu sui totius.
Quam habitudinem dicit obliquus accidens quando dicitur mutatio
per accidens? habitudinem per se requisiti ad motum ut sensus sit, ut
mutatio per accidens est mutatio in qua aliquid requisitum ad mo-
tum exprimitur gratia sui accidentis quod accidens per se con-
currit ad istum motum.
Quam habitudinem dicit obliquus se cum dicitur mutatio per se? R.
secundario in vi obliqui etiam dicit habitudinem per se requisiti ad mo-
tum, principaliter autem obliquus se significat habitudinem identi-
tatis
Da extrema identitatis significatae per se? fundamentum est deno-
minatum istius se, terminus autem sunt requisita ad motum quae ex-
primuntur gratia sui, sive per se, ut sensus sit, mutatio per se
est in qua omnia quae exprimuntur per se contribuentia ad mo-
tum concurrunt gratia sui.
An differant essentialiter mutatio per se, et mutatio per accidens?
non, quia eadem mutatio modo potest esse mutatio per se, modo mu-
tatio per accidens.
Da eandem mutationem quae modo est per se, modo per accidens: mu-
tatio ab albedine ad nigredinem sive calefactio, quia si exprima-
tur cum aliquo requisito quod tantum concurrit per accidens, tunc
erit mutatio per accidens, si vero omnia quae exprimuntur con-
currant per se, tunc erit mutatio per se.
Divide mutationem per se? primo in eam quae consistit inter ter-
minos contrarios physice, et in illam quae consistit inter termi-
nos contrarios physice.
Da exemplum posterioris membri: mutatio intellectus a conceptu
solis ad conceptum lunae, quia illi termini non sunt physice con-
trarii cum ne quidem impugnent
Divide ~~terminum~~ mutationem per se consistentem inter terminos physice con-
trarios: in generationem corruptionem, et motum physicum spe-
cialiter dictum.
An illa divisio sit adaequata? imo si membra dividentia capiantur
cum annexis alias non.
Declara non omnem mutationem per se consistentem inter ter-
minos contrarios physice contineri aliquo membro: quia nullo
membro continetur illa mutatio per se, cuius uterque terminus
est privativus.
Da talem mutationem per se: mutatio a caecitate ad privatio-
nem sibi.
An omnis mutatio per se consistens inter terminos positivos con-
tineatur aliquo membro? non. ut mutatio instantanea inter ca-

lorem et frigus.
Quid generatio hic? mutatio per se a privatione formae ad formam.
Subdivide illam: est in substantialem et accidentariam.
In quo distinguuntur illae mutationes? in eo quod substantialis habeat pro termino ad quem per se substantiam, accidentaria vero accidens.
Da generationem substantialem: transitus materiae a privatione animae rationalis ad animam rationalem.
Da generationem accidentariam: transitus aquae a privatione caloris ad calorem.
Quid corruptio? transitus subiecti a forma positiva ad eius privationem.
Divide corruptionem: dividitur in substantialem et accidentariam.
Quid corruptio substantialis? est corruptio cuius terminus a quo est substantia.
Quid corruptio accidentaria? est corruptio cuius terminus a quo est accidens. ut transitus materiae ab anima rationali ad privationem eius. ut transitus materiae ab albedine ad privationem albedinis.
An etiam transitus materiae ab albedine ad nigredinem? non, quia terminus ad quem illius motus non est privatio.
An motus ab albedine ad nigredinem non habeat corruptionem coniunctam? imo.
Cur potius quam generationem? non potius, quia habet coniunctam utramque.
Da generationem coniunctam cum motu ab albedine ad nigredinem: transitus materiae a privatione nigredinis ad nigredinem.
Da corruptionem coniunctam cum motu ab albedine ad nigredinem? transitus materiae ab albedine ad privationem albedinis.
Quid motus physicus specialiter dictus? est mutatio per se sensibilis et successiva inter terminos positivos physice contrarios. Ut motus successivus aquae a calore ad frigus.
An etiam e contra motus aquae a frigore ad calorem? imo.
Quomodo cum ille sit contra naturam? non refert.
Quomodo cum motus physicus debeat esse secundum naturam? nego.
Quomodo cum physicus idem sit quod naturalis? non refert.
Quomodo ergo motus physicus non debet esse secundum naturam? ita quidem si haberetur tantum ratio etymologica nominis, sed ut saepe alibi dictum est, ratio etymologica nominis non semper debet esse convertibilis cum nomine.
An motus physicus possit etiam esse praeter naturam? imo. ut motus parietis ab albedine ad nigredinem.
Quomodo cum possit esse instantaneus? loquor de illo qui fit successive, unde melius diceretur, sic motus successivus parietis ab albedine ad nigredinem.

Da motum in deo non physicum quia non est mutatio per se: motus humidi a calore ad frigus.
Ostende non esse mutationem per se: quia omnia quae ibi experiuntur non competunt per se illi motui, quia subiectum tantum experitur gratia sui accidentis.
Quid mutatio sensibilis? cuius alter terminus potest percipi sensu externo.
Da mutationem sensibilem: ut motus panis ab albedine ad nigredinem.
Cur sensu externo debet motus sensibilis [terminus] esse [illegible] perceptibilis? perinde est quocunque demum sensu externo percipiatur.
Anne motus localis ut sit etiam sensibilis? aliquis est sensibilis et aliquis non.
Da motum localem qui non est sensibilis: motus localis angeli, quia termini talis motus nec gratia sui nec gratia alicuius coniuncti possint percipi sensu externo.
Cur non si angelus movetur in corpore assumpto? tunc quidem poterit fieri, sed responsio nostra intelligenda de motu angeli qui fit extra corpus assumptum.
Da motum localem sensibilem: motus lapidis deorsum, item ambulatio Petri.
Quomodo cum termini ambulationis Petri non sint sensibiles? imo sunt sensibiles.
Quomodo cum nullo sensu externo possint percipi? imo possunt percipi sensu externo.
Quomodo per se an per accidens? aliqui quidem dicunt quod praesentiae per se percipiantur sensu externo, sed communis sententia tenet contrarium quod illae praesentiae etiam in rebus corporeis non sint sensibiles per se, sed quod solum sint sensibiles per accidens.
Quo fundamento dicunt aliqui quod illae praesentiae sint sensibiles per se? quia nos possumus scire in quo praecise spatio sit Petrus, hoc autem non appareret quomodo possimus scire nisi praesentia illa Petri esset per se sensibilis.
Unde probatur quod non possimus scire in quo loco esset Petrus, si non esset sensibilis eius praesentia? quia si non esset sensibilis eius praesentia non habemus sufficiens principium ex quo possemus colligere quod Petrus potius sit in hoc loco quam in isto.
Quare non possimus dicere quod cognoscamus praesentialem locationem Petri in hoc loco esse non per sensum sed per intellectum? ita quidem aliqui conantur respondere sed minus recte, quia supposito quod sensus non cognoscat illam praesentiam intellectus non habet ullum principium ex quo possit dignosci Petrum potius esse in hoc loco vel a dextris quam cognoscat eum esse a sinistris, eodem modo sicut intellectus noster iam bene cognoscat magnitudinem turrium nequit tamen cognoscere an sit Constantinopoli an alibi, et sic manet utrumque

probabile quod praesentia localis sit per se visibilis. nihilominus communis sententia tenet contrarium.
Quo fundamento nititur contraria sententia? hoc, quia color et lumen est obiectum adaequatum per se visus, ergo praesentia localis non potest esse obiectum per se visus.
Quomodo potest solvi argumentum contrariae sententiae? dicendo quod equidem possimus scire quod petrus sit potius a dextris quam a sinistris nominetur, quia cognoscimus hoc per intellectum qui ad illam cognitionem determinatur per impulsum specierum visibilium in ipsum oculum, sicut per similem impulsum seu impetum cognoscimus res quas tangimus ubi sint unde quando proiicitur in nos lapis scimus quod potius tangamur in capite quam alibi, quia in capite habemus impulsum.
An supposita illa communi doctrina possit motus localis esse sensibilis? imo.
Quomodo cum praesentia localis quae est eius terminus non sit sensibilis? non est quidem sensibilis per se, sed non refert, quia saltem est sensibilis per accidens, hoc autem sufficit ut sit sensibilis prout hic.
Quomodo cum sit anima rationalis etiam possit dici sensibilis? anima rationalis etiam est aliquo modo sensibilis per accidens sed tamen anima rationalis, et idem est de intellectu non debent dici esse sensibiles prout hic, unde motus terminatus ad intellectum sensibilis dici non potest.
Quid ergo erit tandem erit terminus sensibilis? erit terminus qui vel per se percipitur sensu externo vel saltem facile cognosci potest occasione sensationis externae vel eius defectu non mediante operoso discursu.
An ergo eo modo sit sensibilis sicut propositio sensu nota? imo, et hinc facile solvuntur quaestiones, et explicantur saepius propositae cur motus ad intellectum item ad animam rationalem non sint sensibiles, quia termini illorum motuum non possunt cognosci occasione sensationis externae nisi mediante operoso discursu.
Quid sensibilitas termini motus sensibilis? est aptitudo termini motus ad percipi sensu externo vel cognosci occasione sensationis externae non mediante operoso discursu.
Defini actum istius sensibilitatis: est actualis sensatio qua per sensum cognoscitur aliquod obiectum vel alia cognitio intellectiva ad quam intellectus determinatur occasione sensationis externae vel illius defectu non mediante operoso discursu.
Da mutationem per se sensibilem quae non est motus physicus: mutatio per se sensibilis instantanea.
cur non est motus physicus? quia motus physicus debet esse motus successivus.
Quid motus successivus? est motus cuius terminus ad quem acquiritur successive.
An sit idem cuius terminus ad quem acquiritur per partes? non, quia

datur motus successivus cuius terminus ad quem est indivisibilis, ita ut per partes acquiri non possit.

Da talem motum successivum? motus successivus intellectionis terminatus ad naturam animae rationalis. Plura autem de motu successivo dicta sunt circa materiam de tempore.

An omnis mutatio per se sensibilis et successiva sit motus physicus? non.

Da ergo unum talem motum qui physicus non sit: motus successivus a privatione albedinis ad albedinem.

Quare non est motus physicus? quia non consistit inter terminos contrarios positivos.

Quomodo enim albedo et privatio albedinis sint contraria physica? non refert.

Quomodo ergo ille motus non consistit inter terminos contrarios? non refert quod consistat inter terminos contrarios physicos, quia hoc non sufficit ex parte terminorum, sed insuper requiritur ut ambo sint positivi.

An definitio motus physici sit essentialis? non quia definitur per successionem quae motui physico essentialis non est.

Declara successionem non esse essentialem motui physico: quia idem motus qui modo est successivus potest modo esse instantaneus, ac proinde successio essentialiter non convenit motui successivo nisi fortasse in aliquo raro casu de quo dictum est circa materiam de tempore, qui casus non habet locum hic.

Definiri essentialiter ergo motum physicum? non potest.

Quomodo cum quaelibet res habeat suam essentiam, et consequenter motus physicus? est verum, sed non refert, quia totum hoc non sufficit ut aliquid possit essentialiter definiri.

Quaenam est ratio cur motus physicus essentialiter definiri non possit? quia motus physicus non differt essentialiter ab omni eo motu qui non est physicus, quia ut ante dictum est non differt essentialiter ab instantaneo.

Da aliam rationem cur motus physicus non possit definiri essentialiter? quia motus physicus est mutatio per se, iam autem mutatio per se non differt essentialiter a mutatione per accidens cum eadem mutatio possit esse utrumque prout diversimode exprimitur.

In quo distinguit aristoteles motum physicum a generatione et corruptione? in ordine ad subiecta, in eo quod subiectum motus physici sit corpus naturale, subiectum autem generationis et corruptionis sit materia prima.

De quo subiecto aristoteles intelligit hoc discrimen? de subiecto denominationis.

Cur non de subiecto inexistentiae? quia falsum est quod illa differant per subiectum inexistentiae, quia materia prima est subiectum inexistentiae utriusque.

De qua generatione et corruptione intelligit aristoteles hoc discrimen?

de generatione et corruptione substantiali.
Cur non etiam de generatione et corruptione accidentaria? quia
sic non subsisteret discursus, quia corpus naturale etiam est subiec-
tum denominationis respectu generationis et corruptionis accidentariae,
unde homo recte dicitur mutari a privatione caloris ad
calorem.
An homo non etiam recte dicatur generari et corrumpi substan-
tialiter? imo.
Quomodo ergo corpus naturale non est subiectum generationis et
corruptionis substantialis? quia dum homo dicitur gene-
rari aut corrumpi substantialiter hoc debet intelligi terminative.
proba non posse recte dici quod homo subiectum generatio-
nis et corruptionis [illegible] substantiali: quia subiectum motus debet mane-
re idem sub utroque termino motus, cum autem homo non ma-
net idem quando fit sub corruptione substantiali, ut nunc [illegible]
dum fit substantialis generatio.
An materiae primae etiam non insit motus physicus? imo, ut
motus est a calore ad frigus.
Quomodo ergo verum est quod hic dicitur quod corpus naturale debeat
esse subiectum motus physici? hoc intelligitur tanquam proprium sub-
iectum denominationis.
An materia prima non denominatur transire a calore ad frigus?
imo.
Quomodo ergo non est etiam subiectum denominationis respectu motus
physici? est aliquale subiectum denominationis ut probatur exemplo
iam dato, sed hoc non refert, quia non est subiectum denominatio-
nis proprium respectu motus physici, quia est subiectum magis
proprium respectu generationis et corruptionis substantialis,
quia forma substantialis prior et nobilior est quam sint acci-
dentariae ac proinde propriis denominatur materia a generatione
et corruptione substantiali.
Quotupliciter sumuntur contraria physica? dupliciter semel
late, et semel stricte.
Quid contraria physica late? sunt formae repugnantes
inter quas est determinatus processus.
Quomodo etiam continentur opposita privativa? non refert,
quia illa etiam debent contineri.
Divide contraria physica generatim dicta: dividuntur in contraria
physica generatim dicta tantum, et contraria physica specialiter
dicta.
Quid contraria physica specialiter dicta? sunt formae positivae
repugnantes inter quas est determinatus processus.
Da contraria physica: albedo et nigredo.
Da contraria physica generatim et non specialiter: albedo et pri-
vatio albedinis.
Ostende esse contraria physica generatim? quia sunt formae repug-
nantes inter quas est determinatus processus.
Quomodo se habent contraria physica generatim dicta et contraria

logica? Utrumque sunt calor et frigus.

Da contraria physica non logica: albedo et privatio albedinis.

Da contraria logica non physica: albedo, et nigredo.

Qualia contraria debent esse termini motus physici? contraria physica specialiter dicta.

Quomodo cum sic conduceretur motus physicus inter albedinem, et nigredinem? est verum, et non refert.

Quandonam censetur inter aliqua esse determinatus processus? quando sic se habent ut quandocunque receditur ab uno acceditur ad alterum, sic ut ab utroque recedi possit ad alterum.

Da aliqua inter quae est determinatus processus: calor et privatio caloris.

An etiam calor et frigus? imo.

Quomodo cum non possit semper recedi a calore ad frigus? nego.

Quomodo cum non possit dari ignis frigidus? non refert.

Quomodo ergo potest recedi a calore ignis ad frigus? non potest recedi in igne a calore ad frigus.

Quomodo ergo verum est quod semper a calore possit recedi ad frigus? est verum de subiecto proximo non autem de remoto.

proba quod in subiecto proximo caloris ignis possit recedi a calore ad frigus: quia proximum subiectum caloris ignis est quantitas vel natura materiae primae, iam autem illud proximum subiectum bene potest transire ad frigus si simul expellatur ex eadem materia forma substantialis, dum enim materia ignis fit materia aquae tunc nihil impedit quo minus fiat frigida.

An inter contradictoria sit determinatus processus? non. quia non est talis processus inter albedinem, et negationem albedinis, quia non semper licet procedere a negatione albedinis ad albedinem in eodem subiecto proximo.

Da subiectum proximum in quo non licet sic procedere: sic non licet procedere in angelo a negatione albedinis, ad albedinem, quia angelus est subiectum incapax albedinis.

An inter omnia opposita privative sit determinatus processus? non. ut quantitas et privatio quantitatis, non enim licet procedere a quantitate ad suis privationem in eodem subiecto proximo.

An possit dari determinatus processus inter duo singularia? non.

ostendo non dari talem processum inter hunc calorem et hoc frigus: quia ab hoc calore non debet accedi ad hoc frigus, sed potest in aliud frigus numero diversum, et similiter ab hoc frigore potest accedi ad alium calorem quam ad hunc.

An illa inter quae consistit determinatus processus debeant ambo esse universalia? non.

Da ergo talia: haec albedo, et privatio huius albedinis.

declara inter illa esse determinatum processum: quia quandocunque abiicitur haec albedo acquiritur privatio huius albedinis et contra, et ab utroque in quolibet subiecto proximo potest accedi ad alterum.

An inter albedinem, et nigredinem sit determinatus processus? non. quia non est necesse quando abiicitur albedo quod tunc acquiratur.

nigredo in eodem subiecto proximo
Declara non esse necessarium: quia hoc non contingit quando aliquod
corpus mixtum album resolvitur in primum elementum, v.g. in pu=
ram aquam.
Proba hoc tunc non contingere: quia tali casu nullus color acquiritur
in istam materiam primam.
An ergo illa elementa in statu suo naturali constituta careant
colore? imo, aqua pura nullum habet colorem, idem aer quod ex eo
etiam colligimus quia per aerem item per aquam videmus.
An saltem in corpore mixto quando proceditur ab albedine debeat
procedi ad nigredinem? non hoc est necessarium, quia etiam tunc
potest procedi ad nullum colorem quia ita contingit dum aliquod ali=
mentum convertitur in humorem oculi non habentem ullum co=
lorem, si humores oculi essent colorati non possent oculi videre,
et tamen sunt corpora mixta cum sint partes corporis animati.
An dum proceditur ab albedine ad alium colorem debeat procedi ad
nigredinem? non est necesse, quia potest tunc procedi ad flavedinem
vel aliquem colorem medium.
An sit determinatus processus ab albedine ad nigredinem si sub
nigredine comprehendantur colores medii magis accedentes ad nigredinem,
et similiter sub albedine colores magis accidentes ad albedinem? non
Quomodo cum non possit albedo sic sumpta abiici quin acquiratur nigredo
sic sumpta supposito quod aliquis color acquiratur? nego, quia potest
abiici albedo sic sumpta et tamen acquiri alius color qui non sit
nigredo.
Da casum quo hoc potest contingere: hoc fit si acquiratur color prae=
cise medius inter albedinem et nigredinem, ille enim color non est ni=
gredo, neque idem sit late sumendo nigredinem, quia non magis acce=
dit ad nigredinem quam ad albedinem, neque contra.
An colores medii inter albedinem et nigredinem non sint aggregatum ex albedine et nigredine certo
modo inter se temperatis? non, sed sunt colores realiter condistincti
ab albedine ad nigredinem.
Quare colores medii non sunt tam bene tale aggregatum quam tepidi=
tas sit aggregatum ex calore et frigore? quia non est par ratio de
tepiditate et coloribus mediis.
Quo argumento probas tepiditatem esse aggregatum ex calore et fri=
gore? quia non potest sufficiens causa assignari isti tertiae qualitati
realiter condistinctae a calore et frigore, dum aqua calida totaliter fit
tepida, sed tepiditas illa oritur ex eo quod aqua illa paulatim se
remittat ad frigus, ergo tempore intermedio, antequam aqua recuperar=
et pristinum frigus, tepiditas illa non potuit aliud fuisse quam ag=
gregatum ex calore et frigore, pro coloribus vero mediis non est par
ratio, quia quando acceditur ab albedine ad nigredinem non est necesse
per colores medios transire.
An inter substantias detur determinatus processus? imo saltem inter
aliquas.
Da substantias inter quas est determinatus processus: anima est forma

substantialis sublunaris ab anima distincta.
Declara inter illas esse determinatum progressum: quia quandocunque abijcitur anima acquiritur forma substantialis sublunaris ab anima distincta et econtra, et potest in quolibet subiecto transiri ab una ad alteram.
An sit etiam determinatus progressus inter animam, et formam substantialem distinctam ab anima? non, unde non frustra ante addita est <u>sublunaris</u>
Proba non esse determinatum progressum inter posteriores: quia non potest in quolibet subiecto procedi a forma substantiali distincta ab anima ad animam, quia in materia prima coelesti non potest fieri transitus ad animam, quia sic deberent de coeli corrumpi, iam autem coeli sunt incorruptibiles iuxta aristotelem in libris de coelo
An ergo inter substantias detur motus physicus? non.
Quare talis motus non est motus naturalis, primus ab anima ad formam substantialem sublunarem distinctam ab anima? quia in primis motus ille non est sensibilis.
Quomodo cum termini eius sint sensibiles per accidens? aliquo quidem modo per accidens sensibiles sunt, non sunt tamen eo modo sensibiles prout requiritur ad motum physicum, quia termini illius motus debent vel esse sensibiles per se vel si sint tantum sensibiles per accidens debent esse tales ut occasione sensationis vel eius defectu possit deveniri in eius notitiam non mediante operoso discursu, iam autem formae illae substantiales occasione sensationis non innotescunt nobis nisi mediante discursu satis operoso.
Quaenam est ratio sic restringendi motum sensibilem? ne debeamus admittere quod motus terminatus ad animam rationalem, item ad intellectum etiam sint sensibiles.
Declara quod tales motus alioqui etiam forent sensibiles: quia per accidens occasione sensationis mediante operoso discursu potest etiam anima rationalis cognosci, item eius intellectus, et plerique alia eius accidentia naturalia, iam autem nemo dicet motum terminatum ad intellectum esse sensibilem.
An detur determinatus progressus inter relationes? imo, ut unio caloris cum subiecto, et unio frigoris cum suo subiecto.
Declara inter illas esse determinatum progressum: quia est determinatus progressus inter calorem, et frigus, ergo etiam inter illas uniones, quia quandocunque abijcitur calor abijcitur etiam illa unio, et quandocunque acquiritur frigus, acquiritur etiam unio frigoris.
An possit etiam dari motus physicus inter unionem caloris et unionem frigoris? imo.
Quomodo cum illae uniones non sint sensibiles prout hic requiruntur ad terminos motus physici? imo sunt.
Quomodo cum nec sint sensibiles per se, nec facile et sine discursu possit deveniri in notitiam istarum unionum per sensationem? nego posterius, quia licet specifica natura, et distincta notitia istarum unionum non facile possit haberi, ut patet ex eo quod valde multae sint controversiae circa istas uniones, confusus tamen, et generalis aliquis conceptus facile habetur etiam a vulgo occasione istius

sensationis. Vulgus enim novit et habet illa pro vultis quae sic se
habent ut quando unum movetur debeat trahere secum alterum; an
autem unio sit purus modus absolutus an relativus an simplex an
composita realiter distincta ab extremis seu sola ratione ignoratur quidem
a vulgo, sed illorum notitia non debet haberi ut habeatur sufficiens
notitia unionis de qua ante.
An inter qualitates sit determinatus processus? imo, maxime enim
ille est inter illas.
Da qualitates inter quas est determinatus processus: calor, et frigus.
Da tales praeter calorem et frigus: humiditas et siccitas.
An omnes qualitates contrariae non sint tales inter quas est deter-
minatus processus? non. ut albedo et nigredo.
Da qualitates contrarias ex prima specie inter quas non est deter-
minatus processus: habitus temperantiae, et intemperantiae.
Quomodo enim non possit procedi procedi ab habitu temperantiae
nisi ad intemperantiam? nego, quia ut post factus virtutis solo
non usu paulatim etiam perdunt habitus.
An detur determinatus processus inter qualitates eiusdem speciei? non.
Quomodo enim talis processus inter calorem intensiorem et remissio-
rem detur? nego, quia non est necesse quando calor remissior abiici-
tur quod tunc intensior acquiratur, nec econtra.
Declara calorem ~~illum~~ remissiorem posse abiici et non acquiri inten-
siorem: quia potest fieri quod abiiciatur calor remissior, et tan-
tum acquiratur frigus summe intensum.
Declara similiter quod possit abiici calor intensior et non acquiri
remissior: quia hoc iterum fiet si calor intensior totaliter abiicia-
tur et acquiratur frigus summe intensum.
An ergo intensio et remissio non debeant esse motus physici? non.
An saltem non debeant habere motus physicos coniunctos? non.
Declara non esse necessarium: quia intensio et remissio possunt esse
motus insensibiles qui non habeant coniunctum ullum motum sen-
sibilem, secundo intensio et remissio possunt esse motus instantanei.
An inter quantitates detur motus physicus? non.
Quomodo enim accretio, et decretio sint motus physici? nego.
Cur inter quantitates non potest consistere motus physicus? quia
nunquam est determinatus processus inter quantitates, quia nulla
quantitas potest abiici a proximo suo subiecto, quia vel est a parte
rei eadem cum illo proximo subiecto, vel saltem est proprietas in-
separabilis ab illo.
An ergo in accretione non abiiciatur minor quantitas et acquira-
tur maior? non, nulli proximo subiecto acquiritur nova quantitas
sicut etiam nulla deperditur.
Quomodo ergo accretio est verus motus inter quantitates? accretio
non habet pro terminis quantitates ut colligitur ex iam dictis.
Quinam ergo sint termini accretionis prout est proprie dicta muta-
tio? privatio unionis integralis cum quantitate alimenti advenientis
est terminus a quo, unio vero integralis inter quantitatem viventis
et quantitatem alimenti advenientem est terminus ad quem.

quæ omnia fusius dicuntur in libris de generatione, quando agetur de accretione.

An inter præsentias locales possit esse determinatus processus? imo.

An ergo etiam inter illas possit esse motus physicus? imo.

Da tales præsentias: præsentia localis ad locum superiorem, et præsentia localis ad locum inferiorem.

Quomodo enim possit præsentia localis ad locum superiorem abjici et non acquiri præsentia ad locum inferiorem? nego.

Quomodo enim aliquod corpus possit moveri æque ab una præsentia aeris ad aliam æque ad locum superiorem? non refert, quia tali casu non totaliter abjicitur præsentia ad locum superiorem; cum autem verificatur esse determinatus processus inter præsentiam ad locum superiorem et præsentiam ad locum inferiorem, satis est quod quando totaliter abjicitur præsentia ad locum superiorem eo ipso tendat acquiri præsentia ad locum inferiorem.

De Identitate

et diversitate motus.

Quid motus eidem numero? sunt motus qui sic habent ut tota essentia unius sit quoque tota essentia alterius et contra. Cur debet addi illa particula et contra? additur solum majoris explicationis gratia, quia si unum secundum totam essentiam sit tota essentia alterius, alterum etiam verissime debet esse secundum totam suam essentiam essentia tota alterius.

Da aliquos motus eosdem numero: hic motus calefactionis comparatus ad se ipsum.

Quomodo enim non sint motus in plurali sed tantum unicus motus? sunt quidem unicus motus ex parte rei, sunt tamen etiam plures ratione rationantis distincti.

Quid motus eidem specie? sunt motus qui conveniunt in eadem specie prædicabili.

Quinam motus eidem specie hic definiuntur? motus eidem specie logica.

Unde poterimus scire an aliqui motus in eadem specie prædicabili conveniant? ex eo quod in nullo alio essentiali attributo differant præterquam in differentia individuante, et ambo collocentur sub aliqua specie infima.

An ergo debeant habere omnes differentias universales easdem? imo.

An hoc sufficiat? non, sed insuper requiritur ut illæ differentiæ ponantur eodem ordine in isto toto, insuper etiam requiritur ut ambo ponantur sub aliqua specie prædicabili.

An non requiratur etiam aliquid ex parte terminorum ad identitatem specificam motus? imo.

Quare hoc etiam non est specificatum? quia satis importatur per
antedicta, quia si habeant omnes easdem differentias universales debent
etiam habere omnes eosdem terminos, quia motus essentialiter respi-
ciunt terminos, unde semper differrent specie licet tantum habeant
terminos solo numero diversos.
An similiter debeant habere idem numero subiectum? imo.
An etiam idem numero movens? imo, quia sicut alii sunt modi es-
sentialiter respiciunt suam causam efficientem, ita etiam motus; hoc
tamen non fuit opus specificare quia colligitur ex eo quod habeant
omnes easdem differentias excepta individuante.
An motus etiam respiciant essentialiter tempus mensurans motum? non
unde motus possunt esse eidem speciei logicae licet fiant diversis
temporibus.
Da motus eosdem speciei logicae, sed diversos numero: mutatio huius
materiae primae a privatione huius animae rationalis ad hanc animam
rationalem facta hodie, et facta heri.
Declara tales motus esse numero diversos: quia sicut aliae res natura-
liter non reproducuntur, ita nec motus.
An naturaliter sint possibiles tales motus? imo, quia tales motus
possent contingere si homo comederet suam manum, tunc enim illa
materia prima manus bis transiret naturaliter a privatione huius
animae rationalis ad hanc animam rationalem, suppono vero quod
utroque casu utrumque ille motus effective fieret a solo Deo.
Quid motus eidem speciei physicae? sunt motus qui conveniunt in
eadem specie physica. censentur vero sic convenire quando non diffe-
runt notabiliter quoad essentiam.
Da motus eosdem speciei physicae tantum: tales sunt duae calefactio-
nes habentes terminos solo numero diversos. in eodem genere
Quid motus eidem generi? qui conveniunt convenire proximo an remoto? est perdu-
ex quo eodem genere debent, contrarii essent sub eodem genere
Quomodo cum sit etiam motus
in eo nullum inconveniens est
Quid motus diversi generis? sunt motus qui collocantur sub diver-
sis generibus. Ut haec calefactio, et haec frigefactio, collocantur enim sub
diversis generibus nempe sub calefactione et frigefactione.
Quomodo cum calefactio, et frigefactio non sunt genera? imo sunt
genera logica et habent inferiora quae sunt species differentes, ex eo
quod habeant terminos saltem numero diversos.
Quid motus diversi speciei? motus diversi speciei physicae sunt qui
notabiliter differunt quoad essentiam suam, motus vero diversi speciei
logicae sunt qui collocantur sub diversis speciebus praedicabilibus.
Da motus diversos speciei logicae: haec calefactio, et haec frigefactio
Quomodo cum tantum discernimus illos differre genere? non refert
Unde desumitur contrarietas motuum? ex contrarietate terminorum,
unde motus contrarii erunt qui habent contrarios terminos.
Da motus contrarios: motus ab albedine ad nigredinem, et motus
a nigredine ad albedinem.

In
Vniuersam
Aristotelis
Metaphy-
sicam.

Quare scientia metaphysica vocatur i

metaphysica? quia post physicam debet tradi, quia
tractat de rebus difficillimis et remotissimis a sensu.
procedendum vero est in tradendis scientiis a facilioribus
ad difficiliora.
An metaphysica recte vocetur naturalis theologia? imo, quia tractat
de deo et angelis ea quae de illis naturaliter possunt sciri.
An metaphysica recte vocetur naturalis beatitudo? imo, quia natu=
ralis beatitudo hominis consistit in perfectissima operatione hominis
iam autem illa perfectissima operatio est cognitio et amor dei, iam
autem ulterius cognitio dei spectat ad metaphysicam.
An sicut eadem conclusio traditur in theologia supernaturali et
metaphysica, ita sint eadem principia utriusque scientiae? non, quia prin=
cipia theologica sunt propositiones fidei a deo revelatae, principia vero
metaphysicae sunt propositiones cognitae naturali lumine intellectus.
Quem ordinem dignitatis habet metaphysica cum aliis scientiis?
inter scientias naturales est prima, theologia tamen supernaturalis
est dignior metaphysica.
Quare theologia supernaturalis est dignior ipsa? quia dignitas scien=
tiarum ceteris paribus desumitur ex maiori certitudine praemissarum,
propositiones vero fidei quae sunt praemissae in theologia sunt certio=
res quam sunt praemissae cognitae lumine naturali intellectus quae
sunt principia metaphysicae.
An secundum quid metaphysica non superet theologiam supernatura=
lem? imo, in eo, quod praemissae metaphysicae sunt evidentes, praemissae
vero theologiae sunt obscurae.
Quare metaphysica est dignior reliquis scientiis naturalibus? quia
dignitas scientiarum maxime desumitur ex obiecto, obiectum vero meta=
physicae est deus ipse quo nequit dari obiectum dignius aut par.
An interim aliae scientiae non superent metaphysicam secundum quid?
imo.
proba hoc de iuris prudentia et medicina: quia adferunt maiores
utilitates quam metaphysica, quae per se sola parum confert si sista=
tur in illa et hinc tritum illud Carmen

Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores
pauper Aristoteles cogitur ire foras.

Tractatus de Scientiis

Ad quam scientiam pertinet tractare de scientiis? hoc pertinet ad logicam item ad physicam et etiam ad metaphysicam, unde aliqui philosophi tractant de illa in logica, alii in physica, alii in metaphysica.

Qua ratione potest tractari in logica de scientiis? quia scientia est effectus demonstrationis, ad logicam vero pertinet tractare de demonstratione et consequenter de eius effectu qui est scientia.

Qua ratione pertinet ad physicam tractare de scientiis? quia ad physicam tractare de anima, maxime vero de anima rationali et intellectu quorum effectus est scientia.

Qua ratione pertinet ad metaphysicam tractare de scientiis? quia scientia habet abstractionem requisitam ad obiectum, ac proinde spectat ad eius obiectum.

Quotupliciter sumitur scientia? dupliciter, sumpta pro habituali et actuali.

Quomodo sumitur scientia hoc tractatu? pro actuali.

Quotupliciter sumitur scientia actualis? tripliciter, semel late prout comprehendit etiam fidem humanam, et opinionem, aliquando sumitur strictius prout comprehendit cognitionem evidentem tam principiorum seu praemissarum demonstrationis quam conclusionum demonstrationis, strictissime vero sumitur pro cognitione evidente per demonstrationem acquisitam.

Declara scientiam aliquando sumi primo modo? quia sic sumitur dum dicitur aliquid scire quod ab aliis audivimus qui forte vel deceperunt nos vel ipsimet fefellerunt ~~[illegible]~~ decepti.

Da casum quo scientia sumitur in secunda significatione? sic sumitur dum praemissae demonstrationis dicuntur magis sciri quam conclusio.

In qua acceptione accipitur scientia hic? in tertia, et maxime famosa.

Utrum quaelibet propositio possit esse obiectum proprie et stricte sumptae? non.

Da unam quae non potest esse obiectum scientiae: haec, homo est brutum

Da propositionem necessariam quae non potest esse obiectum scientiae: hec Deus est trinus in personis, quia non est evidens.

Da propositionem evidentem quae non potest esse obiectum scientiae: hic paries est albus, et similes sensu notae contingentes.

Quare non possunt esse obiectum scientiae? quia ut aliqua propositio sit obiectum scientiae debet esse evidenter necessaria, antedicta vero contingens est.

An omnis propositio evidenter necessaria possit esse obiectum scientiae proprie et stricte dictae? non

Da unam quae non potest esse tale obiectum: hec, homo est homo, quia propositio quae est obiectum scientiae proprie et stricte debet esse conclusio demonstrationis, illam autem ista homo est homo non potest esse conclusionem demonstrationis, quia conclusio demonstrationis debet inferri ex premissis notioribus, illam autem illa homo est homo non potest inferri ex premissis notioribus demonstrativis.

An demonstratio sit causa proprie dicta respectu scientiae? non, quia solum per accidens, et mediante assensu premissarum determinat intellectum ad scientiam.

Quaenam est causa per se scientiae? intellectus.

An scientia recte dividatur in simplicem et compositam? intelligendo per scientiam simplicem scientiam unius tantum conclusionis sic potest dividi; quomodo scientia sit magis patebit quando agetur de scientia totali et partiali.

An scientia unius tantum conclusionis simplex sit qualitas? probabilius est quod non.

ex quibus ergo partibus componitur talis scientia? ex conceptu subiecti, conceptu predicati, et conceptu copulae.

proba sic scientiam componi: quia conclusio vocalis demonstrationis sic componitur ex subiecto, et predicato vocali, et copula, ergo videtur quod conclusio mentalis syllogismi demonstrativi etiam componatur eodem modo, quia non potest congrua ratio disparitatis assignari.

Quo fundamento nihilominus aliqui dicunt scientiam unius conclusionis esse qualitatem simplicem? quia existimant conceptum approbativum copulae solum esse scientiam, ita ut conceptus subiecti et predicati conclusionis demonstrationis presupponantur quidem ad scientiam, sed tamen non sit pars ipsius scientiae.

in ordine ad quid specificatur scientia? in ordine ad obiectum, hoc enim est generale omni conceptui ut specificetur in ordine ad obiectum.

proba conceptum debere specificari in ordine ad obiectum: quia conceptus debet esse similitudo virtualis sui obiecti, ergo sicut formalis similitudo specificatur in ordine ad suum terminum, ita etiam virtualis similitudo qualis est conceptus debet specificari in ordine ad suum obiectum.

in ordine ad quod obiectum specificatur conceptus in ordine ad obiectum materiale an formale? semper in ordine ad obiectum formale, quia semper est similitudo virtualis respectu obiecti formalis.

An etiam specificetur in ordine ad obiectum materiale? aliquando sic specificatur, aliquando vero non.

Quo casu etiam specificatur ab obiecto materiali? quando obiectum
materiale secundum se attingit.
proba quod tali casu etiam debeat ab obiecto materiali specificari:
quia tunc eadem est ratio de obiecto materiali, quae est de obiecto
formali, quia tali casu conceptus tam est similitudo virtualis re-
spectu obiecti ~~formalis~~ materialis quam formalis.
quandonam conceptus non specificatur in ordine ad obiectum materia-
le? contingit tunc quando conceptus tantum versatur circa obiectum
formale secundum se.
Da conceptum qui versatur circa obiectum formale tantum: conceptus
visivus versatur tantum circa albedinem circa parietem autem hoc
minime secundum se conceptus visivus versari non potest, et sic con-
ceptus visivus huius albedinis est idem specie sive albedo illa insit
parieti sive homini.
Quinam conceptus possunt versari circa obiectum materiale et
formale simul? conceptus intellectivi, illi enim possunt simul
versari circa media et finem
proba aliter quod conceptus qui habent diversa obiecta differant
specie? quia omnis distinctio maior numerica est specifica seu an-
tecedenter? quia omnis distinctio maior numerica est specifica, sed quo-
tiendantur conceptus numero diversi de eodem obiecto, ergo quo-
rum obiecta differunt debebunt magis differre, et consequenter debent
differre specie.
Da conceptus de eodem obiecto numero diversos: conceptus quem
petrus formavit heri de albedine, et conceptus quem petrus format
hodie de eadem albedine.
proba illos conceptus esse numero diversos: quia eadem res natu-
raliter non reproducitur.
An eodem argumento non probetur quod petrus et paulus diffe-
rant specie? non.
Quomodo enim magis differant quam manus dextra et sinistra
petri quae differunt numero? est verum, et ex eo sequitur quod in
rigore petrus et paulus differant specie logica, interim tamen
illi non differunt specie physica
proba illo argumento non probari quod specie physica differant: R
quia identitas specifica physica habet suam latitudinem, ac proin-
de licet inter aliqua sit maior diversitas quam sit aliqua numerica
non sequitur tamen quod sit maior quam omnis numerica, et hinc
non debet esse specifica physica.
An conceptus de visibili et conceptus de flebili differant specie?
imo, quia magis differunt quam duo conceptus de visibili qui
tamen possunt numero differre.
An conceptus de animali in homine, et conceptus de animali in
bruto non debeant etiam secundum hoc specie differre? non
Quomodo enim magis differant quam duo conceptus de animali
in homine? nego.
Quomodo enim posteriores habeant idem obiectum a parte rei
priores non? non refert, quia in ratione obiecti animal in homine
non magis differt ab animali in bruto secundum rationem quam
differat ab animali in homine.
An conceptus specificentur tantum in ordine ad obiectum? R non

Sed in ordine ad modum tendendi.
Quandonam conceptus differunt specie propter diversum modum tendendi? quando unus tendit clare in obiectum, alter vero obscure; item quando unus tendit complexe, alter incomplexe; item unus iudicative, alter tantum apprehensive.
Da conceptus diversos specie propter diversum modum tendendi in obiectum: scientia et opinio eiusdem obiecti; item conceptus simplex et conceptus complexus de eodem obiecto; item apprehensio et iudicium eiusdem propositionis.
An scientiae etiam differant specie ex parte modi tendendi in obiectum? non, quia omnes scientiae tendunt eodem modo in obiectum, nempe clare, complexe et iudicative.
An conceptus etiam specificentur in ordine ad suum principium? in ordine ad principia solo numero diversa non specificantur, quia possunt conceptus esse eiusdem speciei, et tamen habere principia numero diversa.
Da tales conceptus: conceptus duo de albedine &c quorum unus formatur a petro, et alter a paulo.
An ergo conceptus qui actu formatur a petro posset formari a paulo? nimirum, et hoc extra controversiam est.
An in ordine ad principia specie diversa diversificentur conceptus specie? quando illa principia non sunt necessaria tunc in ordine ad illa non debent conceptus specie differre.
Da conceptus eiusdem speciei qui fiunt a diversis specie principiis? duo assensus huius propositionis homo est animal, supposito quod unus fiat ab habitu simul concurrente cum intellectu, alter sine habitu.
Quandonam ergo conceptus differunt specie in ordine ad diversa specie principia? quando illa principia sunt necessaria in ordine ad actum de quo agitur.
Da duos conceptus ex eo capite specie diversos: conceptus angelicus et humanus probabiliter differunt specie ex parte intellectus angelici et humani.
An lumen productum ab igne differat specie a lumine producto a sole? non, quia unum et idem lumen potest primo produci ab igne, et postea conservari a sole et contra.
Quare ergo similiter idem specie conceptus non potest produci ab intellectu angelico et ab intellectu humano? ratio disparitatis est quia intellectus angelicus et humanus desumunt suam distinctionem specificam in ordine ad suos actus, ergo actus illi debent specie differre.
An ergo certum sit quod conceptus angelicus et humanus differant specie? non.
Quid ergo potest ad nostrum argumentum probabiliter responderi? in primis potest probabiliter dici quod intellectus angelicus et humanus non differant specie, sed tantum numero.
Quomodo cum diversae sint debeant habere diversas proprietates? debent habere aliquas proprietates diversas non tamen omnes ut patet in multis corporibus naturalibus, specie diversis quae pro proprietatibus

habentes eundem speciei valorem.
An ex perfectiori modo intelligendi non recte colligatur quod intel-
lectus angelicus et humanus differant specie? non quia potest
illa referri in hoc quod intellectus angelicus habeat perfectiorem activitatem
nempe angelum quam intellectus humanus qui pro activitate habet animam
rationalem imperfectiorem angelo.
An supposito quod intellectus humanus et angelicus specie differant se-
quatur quod omnes eorum actus debeant specie differre? non quia
possunt specie differre ex parte principii sui, tunc vero possent
habere omnes eosdem speciei actus licet ipsi intellectus specie differ-
rent.
An supposito quod illi intellectus differant specie in ordine ad suos ac-
tus sequatur quod possent tunc habere ullum actum eiusdem speciei? etiam
hoc non est necessarium quia possent specie differre in ordine ad suos
actus licet solum haberent aliquos actus specie diversos licet non
omnes.
Da alios conceptus specie diversos ex parte principii: assensus na-
turalis et supernaturalis eiusdem propositionis ut Deus trinus
est
declara illos specie differre ex parte principii: unus habet prin-
cipium supernaturale, alter non.
An medium demonstrationis sit obiectum formale scien-
tiae? non.
Quodnam ergo est obiectum formale scientiae? ipsa met con-
clusio demonstrationis.
Proba medium demonstrationis non esse tale obiectum: quia
sicut medium vocale syllogismi demonstrationis non ingreditur conclu-
sionem syllogismi demonstrativi, ita etiam conceptus repraesentans
medium non debet ingredi conclusionem mentalem.
Quomodo recte autem ~~demonstrationis~~ scientia debeat versari circa con-
sequentiam syllogismi circa quam versari non potest nisi verse-
tur circa medium? nego esse necessarium quod scientia versetur circa
medium sed solum versatur circa consequentiam syllogismi demonstrativi
ipsamque conclusionem.
An etiam non requiratur iudicium de consequentia quando generatur
scientia? requiritur tale iudicium tanquam aliquod praesuppositum
antequam generetur scientia, non requiritur vero tanquam pars
ipsius scientiae.
An si medium demonstrationis foret obiectum formale scientiae,
totum antecedens non foret eius obiectum formale? imo quia
consequentia non tantum respicit essentialiter medium sed totum
antecedens; pat[et] proinde si scientia debeat versari circa consequen-
tiam et propterea etiam circa medium, eadem ratione deberet versari
circa integrum antecedens, quia consequentia respicit essentialiter
integrum antecedens.
An non repugnet experientiae dicere quod totum antecedens sit obiec-
tum scientiae? videtur quod sit quia videmus experiri quod semel
tantum concipiamus antecedens sicut semel tantum conclusionem.

An obiectum formale scientiae ab omnibus eodem modo sumatur? quo-
stione non est mirum quod aliqui affirment medium demonstrationis esse
obiectum formale scientiae, alii negent

Declara obiectum formale scientiae sumi dupliciter: quia aliquando
obiectum formale scientiae dicitur id circa quod scientia versatur
secundum se, et non propter aliud, et eo modo sumendo nos nega-
mus medium demonstrationis esse obiectum formale scientiae, ab
aliquibus vero obiectum formale scientiae sumitur pro ratione mo-
tiva inducente nos ad scientiam, et sic sumendo admitti poterit
quod medium demonstrationis sit obiectum formale scientiae, quia
inducit nos ad assensum conclusionis demonstratae.

An supposito quod scientia specificetur per medium demonstratio-
nis specificetur per illud, tanquam per obiectum? non quia ipsum non sit tota-
tum adaequatum scientiae, quia scientia etiam habebit pro obiecto
conclusionem.

An per idem medium possint demonstrari plures conclusiones?
imo.

An similiter per diversa media possit demonstrari eadem conclu-
sio? imo

Da medium per quod demonstrantur diversae conclusiones. sit per
rationale tanquam medium demonstratur quod homo sit visibilis
et quod homo sit flebilis, sequitur enim demonstrative

Omne rationale est visibile
omnis homo est rationalis
omnis homo est visibilis; item sequitur

Omne rationale est flebile
omnis homo est rationalis ergo
omnis homo est flebilis.

Similiter per visibile et flebile quae sunt media diversa demonstra-
tur haec conclusio, homo est animal quia sequitur bene

Omne visibile est animal
omnis homo est visibilis ergo
omnis homo est animal item
omne flebile est animal
omnis homo est flebilis ergo
omnis homo est animal.

N praeter scientiam actualem admittenda sit aliqua
scientia habitualis? imo quia patet experientia experimur
enim postquam semel elicuimus scientiam actualem quod
iterum facimus faciliter et prompti ad eliciendam similem
scientiam postea ergo signum est in nobis aliquid genitum esse
occasione scientiae actualis quod nos post iterum inclinat ad
scientiam similem eliciendam, hoc vero vocamus scientiam
habitualem. dubium quidem est quod illa scientia habitualis sit
an sit species intelligibilis, an aliquid aliud, satis tamen certum

videtur quod sit aliquid.
Unde specificatur scientia habitualis? immediate ad suum actum.
Quomodo enim eadem scientia habitualis possit elicere plures actus?
eadem quidem scientia habitualis composita, ut v. g. totalis logicalis
potest elicere plures actus gratia diversarum suarum partium, sed
eadem simplex scientia habitualis plures actus efficere nequit.
An scientia habitualis huius p

Omnis homo est animal non eliciat hunc actum
Petrus est animal? non.

Quomodo enim talis posita non inveniat ullam difficultatem in assensu istius Petrus est animal? homo quidem qui elicuit assensum huius omnis homo est animal facile elicit assensum illius Petrus est animal. sed propterea non sequitur quod habitus qui inclinat ad assensum illius Omnis homo est animal, inclinet effective et per se ad assensum illius Petrus est animal quia quando homo elicuit assensum universalis non invenit difficultatem in eliciendo assensum singularis. unde remote et quasi per accidens potest scientia habitualis simplex dici inclinare ad plures actus, unde probas quod non inclinet proxime et per se ad plures actus simplex scientia habitualis? quia scientia habitualis proxime et per se tantum inclinat ad actus similes iis occasione quorum genitus est, iam autem singuli actus generant habitus sibi correspondentes diversos.

An idem intellectus non efficiat actus plurium scientiarum? imo.
Quare similiter eadem scientia habitualis simplex non potest efficere plures actus scientiae diversae speciei? quia intellectus non debet acquiri per illos actus sicut debet acquiri scientia habitualis quae scientia habitualis tantum inclinat ad actus similes illis occasione quorum genitus est.
An idem simplex habitus fidei supernaturalis non efficiat actus fidei diversae speciei? imo ut habet communior theologorum sententia quae certa non est quia tam potuisset deus facere unum habitum compositum fidei quam simplicem.
Quare ergo similiter idem habitus supernaturalis non potest efficere plures actus diversae speciei? quia etiam habitus fidei non debet acquiri per actus sed infunditur puero in baptismo.
An sicut simplex scientia actualis componitur ex conceptu subiecti praedicati et copulae, ita conformiter componatur scientia habitualis? non.
unde simplex scientia habitualis est unica simplex qualitas licet actualis ei correspondens sit integraliter composita ex partibus diversae speciei.
Quare scientia habitualis non [illegible] componitur sicut actualis ei correspondens? quia non est opus peculiari habitu inclinans ad conceptum praedicati et ad conceptum subiecti, quia ad illos conceptus formandos sufficiunt species intelligibiles, solum ergo datur habitus inclinans ad conceptum indicativum copulae.

An ergo totalis scientia habitualis simplex debeat esse omnimodo simplex? non.
Quomodo ergo possit esse composita? potest componi logice ex genere et differentia, potest etiam componi realiter ex partibus integrantibus.

An omnes scientiae habeant eandem unitatem? non.

quia aliquae scientiae sunt tantum compositae per accidens, aliae quae sunt unae per se.
Quaenam scientiae sunt tantum unae per accidens? omnes scientiae totales sive habituales sive actuales.
An omnes scientiae partiales sint entia unius naturae? non, et hoc non tantum est verum de actualibus sed etiam de habitualibus.
Quaenam ergo scientia habitualis est unius naturae? scientia habitualis simplex quae videlicet tantum inclinat ad unam speciem actuum.
An ergo totalis logica et totalis physica non sit una simplex scientia? non.
proba quod non sint simplices qualitates: quia componuntur ex pluribus partibus diversae speciei quae non habent se per modum actus et potentiae.
Quare non dicitur quod unus et idem simplex habitus logicae extendat se ad omnes actus logicae? quia experientia constat oppositum, quia experimur quod sicut prius elicimus unum actum et addiscimus unam partem logicae quam aliam, ita etiam acquirimus habitum prius circa unam partem quam circa alteram.
An divisio scientiarum non sit arbitraria pendens a voluntate sapientum? imo. quia si sapientes voluissent potuissent ex physica facere duas scientias quarum una versaretur circa corpus naturale in genere et partes eius species, et unam aliam physicam quae versaretur circa reliquas species, nempe hominem, animalia etc.
Declara similiter quod homines potuissent facere ex pluribus scientiis unam: quia potuissent physicam et medicinam coniungere in unam scientiam, item potuissent sic coniungere logicam et ethicam.
An eidem habitus scientifici possint habere alios et alios actus? non.
Unde sicut homines nequeunt facere ut calor habeat alios effectus quam habeat modo, ita etiam non possunt homines per suas ordinationes facere ut habitus aliter et aliter operentur.
An ex eo bene sequatur quod totalis scientia habitualis non sit simplex qualitas? imo, quia homines possunt facere ut illa sit magis vel minus late pertendo, non possunt vero efficere ut idem habitus modo possit habere hunc actum modo non.
An pueri non addiscant prius unam partem Catechismi quam alteram? imo.
An eo non obstante habitus fidei totalis non sit simplex? est simplex extensive ut habet communis theologorum sententia.
Cur ergo similiter totalis scientia habitualis non est simplex licet prius addiscamus unam partem quam alteram? est ratio disparitatis

quia ut saepe dictum est habitus naturales debent acquiri per actus.
Habitus vero fidei non acquiritur per actus quod dico successive ar-
ticulos fidei addiscamus, licet habeamus habitum per quem possumus
assentiri omnibus hoc ideo fit antequam habitus fidei possit operari
circa aliquod obiectum seu articulum fidei debent illi articulus prius
satis fuisse propositus.
An habitus moralis temperantiae non sit una simplex qualitas? non
agendo scilicet de habitu temperantiae totali, quia etiam talis habitus
paulatim acquiritur modo circa hoc obiectum, modo circa istud.
An fieri possit quod aliquis habeat habitum temperantiae circa unum
obiectum, et non circa aliud? imo, quia potest quis esse temperans
circa cibum, et potum communem v.g. circa carnem saltem, qui tamen
sit intemperans circa caponem, ergo per unicum simplicem habitum ho-
mo non fit temperans circa omnia obiecta.
An ergo ut quis sit perfecte temperans debeat habere tot habitus
temperantiae quot sunt diversa genera cibi et potus? non, quia qui
v.g. temperans esset circa panem lovaniensem etiam esset temperans
circa panem bruxellensem, quia illi panes vix differunt in ordine
ad appetitum.
Quandonam ergo opus est speciali habitu temperantiae circa aliquod
obiectum? quando est specialis aliqua difficultas in isto obiecto quae non
est in aliis respectu eiusdem personae.
An scientia ponatur in praedicamento? aliqua sed plerique non.
Quaenam scientia ponitur? illa quae habet omnes conditiones requi-
sitas ad ens praedicamentale.
Datalem scientiam actualem: probabilius est nullam actualem ta-
lem dari, quia ut habet probabilior sententia illa semper componitur
per accidens ex conceptu subiecti, praedicati et copulae conclusionis
demonstrationis, et sic numquam est sub unius naturae, quia vero
aliqui dicunt illam esse simplicem qualitatem, hinc secundum illos
etiam est ens praedicamentale et ponitur in tertia specie quali-
tatis.
Quaenam scientia habitualis ponitur in praedicamento? scientia habi-
tualis simplex quae versatur tantum circa unicam conclusionem
demonstrationis.
An omnis scientia habitualis partialis non sit ens praedicamentale?
non, quia unitas unius scientiae totalis non est etiam ens prae-
dicamentale, quia unitas totalis scientiae etiam est aggregatum
per accidens ex pluribus scientiis partialibus simplicioribus, quia constat
ex partibus diversae speciei quae non habent se per modum actus et
potentiae.
An ergo totalis scientia habitualis non habeat ullam unitatem
imo, nempe aliqua unitas per accidens consistens
inter suas partes, in eo quod omnes illae partes ordinentur ad unum totale obiec-
tum iuxta veterum explicationem.
An scientia recte dividatur in totalem et partialem? imo.
Quid scientia totalis? est scientia quae non est pars extensiva al-
terius scientiae amplioris seu iuxta limitationem scientiarum
a veteribus factam.
An sic bene definiatur scientia totalis, est scientia quae non est

pars alterius? non
Proba ergo scientiam totalem posse esse partem alterius: quia
potest esse pars intensiua alterius scientiae v.g. scientia totalis in-
tensa tantum ad unum vel alterum gradum bene est pars intensi-
ua scientiae totalis intensae ad octo.
Quomodo illa recte dicuntur cum inde sequatur quod idem homo
simul habeat plures physicas totales, logicas etc.? in eo nullum
inconveniens est
An scientia totalis componatur tantum ex scientiis partialibus pro-
prie dictis? non.
Declara quod involvat insuper alias partes: quia involvit pluri-
mas opiniones.
Declara sic sumi scientiam totalem ut involvat etiam opiniones:
quia nemo dicet illum callere totam physicam qui tantum
scit illa quae sunt certa in physica, siquidem illa tam pau-
ca ut possint tradi uno die.
An dentur scientiae totales eiusdem speciei? rigorose loquendo scien-
tiae totales non collocantur sub eadem specie infima, quia aggre-
gata per accidens sunt, late vero eiusdem speciei scientiae totales
dantur, ut totalis physica Petri et totalis physica Pauli
An physica angelica et humana eiusdem speciei sint? R.
probabilius est quod non ut colligitur ex antedictis.
Quare debent specie differre? quia conceptus angelicus et humanus
debent differre specie ex parte principii ut enim probabiliori sen-
tentia dictum est ante.
An media pars scientiae physicae possit esse scientia totalis? non.
Quare non erit totalis in illo qui non habet alteram medietatem? quia
licet actu non sit pars extensiua alterius, est tamen talis per aptitu-
dinem iam vero per partem in definitione non tantum intelligitur
pars integralis actualis sed etiam aptitudinalis, quia tamen pars
integralis famose stat pro actuali hinc non est valde exacta defi-
nitio antedata

Defini aliter scientiam totalem: est scientia quae versatur circa
aliquod totale obiectum secundum veterum limitationem.
Declara medietatem physicae in casu nostro antedato excludi: quia
licet medietas non habeat aliam compartem non versatur tamen
circa totale obiectum physicae.

Quid scientia partialis? est scientia quae non est totalis, item quae ver-
satur tantum circa partem comprehensam sub obiecto totali iuxta ve-
terum limitationem.
Cum scientia partialis ibi definitur, habitualis an actualis? potest de-
finitio accommodari utrique quia pendet ab eo quid subintelligatur
pro genere definiti, quia definitur scientia partialis habitualis si pro
genere definiti subintelligatur scientia habitualis, definitur vero par-
tialis actualis si pro genere definiti subintelligatur scientia actualis
An scientia partialis recte dividatur in simplicem et compositam?
imo repetendo divisum in membris dividentibus.
Quare illud divisum debet repeti? quia alias sub uno membro dividente

comprehenderetur etiam scientia totalis.
Quid partialitas scientiae partialis? est compositio qua obiectum scientiae partialis componit aliquod totale obiectum ~~in~~ scientiae iuxta veterum limitationem.
Quare non est compositio qua scientia partialis componit aliam scientiam? quia non est necesse quod scientia partialis componat aliam scientiam ut contingit in illo qui habet unam mediatatem scientiae totalis sine alia mediatate.
Quid totalitas scientiae totalis? negatio in obiecto scientiae compositionis qua componit aliud obiectum totale secundum veterum limitationem.
An ergo scientia totalis et partialis dicuntur tales extrinsice? imo, quia dicuntur tales ab obiecto, unde scientia totalis ex parte sua potest esse pars alterius scientiae ut haec declaratum est, et scientia partialis potest non esse pars alterius ut contingit in illo qui habet unam mediatatem sine alia.
An obiectum scientiae recte dividatur in simplex et complexum? imo.
Quodnam obiectum scientiae vocatur complexum? integra conclusio circa quam versatur scientia, pars vero illius conclusionis vocatur obiectum incomplexum.
Assigna obiectum complexum, et incomplexum alicuius scientiae: sed omnes propositiones quae demonstrantur in physica sunt obiectum complexum physicae, corpus vero naturale quod est subiectum plurium conclusionum quae in physica demonstrantur est obiectum incomplexum.
demonstra conclusionem physicam in qua corpus naturale est subiectum: hoc fit sic

Quidquid constat naturis est mobile,
corpus naturale constat naturis, ergo
corpus naturale est mobile.

Quodnam obiectum scientiae vocatur attributionis simplex an complexum? simplex, quamvis non omne.
Quid obiectum attributionis scientiae? quod gratia sui vel gratia inferiorum suorum est subiectum praecipuarum conclusionum quae demonstrantur in aliqua scientia.
An omnis scientia habeat tale obiectum? imo.
An omnis scientia habeat obiectum complexum? imo.
A quo obiecto scientia desumit suam unitatem a simplici an complexo? ab obiecto simplici sive attributionis.
An illud obiectum attributionis habeat semper eandem unitatem? non, quia illud obiectum aliquando est unum genus, aliquando species infima, aliquando unum individuum.
Da ~~obiectum~~ scientiam cuius obiectum attributionis est genus: physica quia obiectum est corpus naturale.
Da scientiam cuius obiectum attributionis est species infima: geometria cuius obiectum ~~[illegible]~~ attributionis est magnitudo.
Da scientiam cuius obiectum attributionis est individuum: theologia.

Quomodo verum est quod scientia desumat suam unitatem ab obiecto cum scientia non debeat esse genus quando obiectum est genus? non refert, similiter non refert etiam quod scientia non debeat esse individuum quando obiectum est individuum.

Quo sensu ergo verum est quod scientia desumat suam unitatem ab obiecto? quia praerequiritur aliqua saltem unitas in obiecto, ad hoc ut scientia dicatur esse una etiam per aggregationem.

Quomodo dividitur scientia? in physicam, metaphysicam et mathematicam.

Quomodo cum logica nullo membro continetur, neque scientiis superioribus? non refert, quia etiam non comprehenditur sub divisione, quia divisum est scientia speculativa.

Quomodo siquidem cum nullo membro continetur theologia quae etiam speculativa est? non refert, quia non continetur sub divisione quia non est proprie scientia, quia non est evidens, sub arsdem et medicina non debent etiam contineri quia sunt scientiae practicae.

Quid scientia mathematica? est scientia habens pro obiecto primario quantitatem.

Subdivide ~~[illegible]~~ **mathematicam:** subdividitur in mathematicam puram et mixtam.

Quid mathematica pura? quae considerat quantitatem non restrictam ad certam speciem corporis naturalis, neque ad accidens sensibile proprium ut geometria et arithmetica.

Quodnam est obiectum geometriae: magnitudo non restricta. similiter arithmetica considerat tantum numeros nullo modo restrictos.

Quid mathematica mixta? quae considerat quantitatem restrictam ad certam speciem corporis naturalis vel accidens sensibile proprium. ut astrologia, musica, et perspectiva.

Quid accidens sensibile proprium? quod tantum potest percipi uno sensu ut calor, item sonus.

Quid accidens sensibile commune? quod potest percipi pluribus sensibus externis. ut figura, potest percipi visu, item tactu.

An in physica non tractatur de quantitate? imo.

Quomodo ergo quantitas est obiectum mathematicae cum eadem res non tractetur in pluribus scientiis? imo, eadem res potest in pluribus scientiis tractari diversimode.

Declara quod quantitas aliter tractetur in physica aliter in mathematica? quia in mathematica quantitas est obiectum attributionis, in physica vero tractatur de illa tanquam de proprietate corporis naturalis.

Quomodo differunt obiecta ~~[illegible]~~ illarum scientiarum, physicae, metaphysicae et mathematicae? differunt penes abstractionem a materia, quia corpus naturale quod est obiectum physicae abstrahit quidem a materia singulari non tamen a materia universali, quantitas vero quae est obiectum mathematicae abstrahit a materia universali et singulari non tamen a materia intelligibili, ens vero quod est obiectum metaphysicae abstrahit ab omni materia sensibili tam

universali quam singulari, et insuper ab omni materiâ intel-
ligibili.
Proba quod obiectum physicae abstrahat a materiâ sensibili singulari:
quia physica non tractat de Ioanne nec de petro neque de ullo alio
corpore naturali singulari nisi forte de hoc solo.
Declara quod obiectum physicae non abstrahat a materiâ sensibili
universali: quia de corporibus naturalibus universalibus tractat
physica, tractat enim de corpore naturali in genere, de elementis
item de corpore animato in genere, item de homine.
Declara quod obiectum mathematicae ab omni materiâ sensibili
tam universali quam singulari: quia mathematica non agit de
corpore naturali in genere neque de speciebus eius.
Quid intelligitur hic per materiam intelligibilem? ipsa met quantitas
Declara quod obiectum mathematicae non abstrahat a materiâ intel-
ligibili? quia obiectum mathematicae est ipsa met quantitas, idem vero
non potest abstrahere a se met ipso.
Quid materia sensibilis? est materia affecta qualitatibus sensibilibus.
Da talem: ut homo.
An materia sensibilis hic debeat esse corpus naturale? non, quia generatim
omnis substantia affecta qualitatibus sensibilibus est materia sensibilis
hic.
Da materiam sensibilem praeter corpus naturale: materia prima, quia
materia prima est substantia affecta qualitatibus sensibilibus, hoc vero
requiritur et sufficit ad materiam sensibilem.
An coeli sint etiam materia sensibilis? imo non tantum si sint physice
compositi, sed etiam si supponantur physice simplices.
An omne subiectum qualitatis sensibilis sit materia sensibilis? non, ut
quantitas supposito quod illa sit subiectum accidentium sensibilium.
Quare non est materia sensibilis? quia materia sensibilis debet esse
substantia, quantitas vero est accidens.
An omnis substantia sit materia sensibilis? non. ut deus, angeli.
An anima rationalis sit materia sensibilis? non.
An anima rationalis efficiat multa accidentia sensibilia in homine? non refert
Quomodo cum efficiat multa accidentia sensibilia in homine
quia sic etiam angeli et deus deberent dici materia sensibilis,
quia deus angeli etiam efficiunt accidentia sensibilia.
An anima rationalis sit realiter abstracta a materiâ? non.
Quid realiter abstractum a materia? est quod nec est a parte rei ma-
teria, nec postulat uniri realiter materiae, ad hoc ut connaturaliter exis-
tat.
Quid ibi materia? substantia corporea, sive sensibilis.
Da realiter abstractum a materia? deus, item angeli.
An omnis res spiritualis sit realiter abstracta a materia? non, ut
anima rationalis, quia illa postulat uniri materiae ad hoc ut conna-
turaliter existat.
An accidentia spiritualia sint necessario abstracta realiter a materiâ?
non. ut intellectus humanus, item accidentia spiritualia reliqua quae
subiectantur in animâ rationali.

Quomodo cum illa non dependeant a materia tanquam subiecto sustentante? non refert.

Quomodo ergo non sunt realiter abstracta a materia? quia licet illa accidentia non postulent dependere a materia tanquam subiecto sustentante postulant tamen materiae uniri saltem remote mediante anima rationali; hoc autem sufficit ut dicantur non esse realiter abstracta a materia.

An interim aliqua accidentia spiritualia sint realiter abstracta a materia? imo.

Da accidens tale: intellectus angeli, item voluntas et cetera accidentia intrinseca angelo, quia neque sunt a parte rei materia neque postulant uniri realiter materiae ad hoc ut connaturaliter existant.

An possit dari accidens materiale realiter abstractum a materia? non, quia omne accidens materiale postulat uniri realiter materiae.

An homo sit realiter abstractus a materia? non, quia homo est materia quandoquidem sit corpus naturale

An aliquid possit uniri materiae et esse realiter abstractum a materiae? imo. sic subsistentia divina unitur naturae humanae in Christo et tamen realiter abstracta est a materia.

Quomodo cum natura humana sit materia hic? non refert.

Quomodo ergo subsistentia divina est realiter abstracta ab ipsa? quia licet de facto uniatur materiae non postulat tamen ipsi uniri

An compositum ex homine et angelo sit realiter abstractum a materia? non.

Quomodo cum nec sit materia, nec postulet ipsi uniri? etiamsi non sit materia per se primo est tamen materia gratia partis, hoc autem sufficit ut sit materia hic

Quid ratione abstractum a materia? est quod secundum rationem neque est materia neque includit materiam ut partem. ut deus.

An albedo etiam sit secundum rationem abstractum a materia? imo.

An etiam conceptus quem format angelus de materia prima sit secundum rationem abstractus a materia prima? imo

Quomodo cum dicat essentialem ordinem ad materiam? non refert, quia equidem secundum rationem non est materia neque involvit materiam secundum rationem tanquam partem sui, ipsa materia solum se habet ad illum conceptum tanquam aliquid essentialiter respectum ab isto conceptu.

Quomodo se habent realiter abstractum et ratione abstractum a materia? utrumque est deus, item angelus.

Da ratione abstractum a materia quod non est realiter abstractum ab illa: anima rationalis, albedo, quantitas etc., quia realiter postulant uniri materiae et sic non sunt realiter abstracta a materia, secundum rationem vero nec sunt materia neque materiam involvunt tanquam partem, et sic sunt ratione abstracta a materia.

Da realiter abstractum a materia quod non est ratione abstractum ab illa? non datur.
Quomodo cum in petro sit tale quid respectu hominis in paulo? ergo quod homo in petro sit absolute tale abstractum.
An homo in petro non sit idem secundum rationem cum homine in paulo? imo.
An ex eo non sequatur bene quod non sit secundum rationem abstractus a materia? imo, quia si homo in petro sit idem secundum rationem cum homine in paulo, ergo fieri non potest ut unum illorum concipiatur quin etiam concipiatur alterum, et consequenter quin concipiatur materia.
An homo in petro non sit realiter distinctus ab homine in paulo? imo
An homo in petro postulet realiter uniri homini in paulo? non.
Quomodo ergo homo in petro non est realiter abstractus ab homine in paulo? est realiter abstractus.
An homo in paulo non sit hic materia? imo.
Quomodo ergo non sequitur
Homo in petro est realiter abstractus ab homine in paulo, ergo ~~[illegible]~~ homo in petro est realiter abstractus a materia? quia virtute proceditur ibi ab una specie ad genus distributum, quia homo in petro et homo in paulo ambo sunt species respectu materiae hic, iam autem materia in antedicta conditione quando dicitur aliquid realiter abstractum a materia distribuitur, quia particula abstractum involvit negationem, abstractum enim a materia est illud quod nec est materia, nec postulat uniri materiae, materia autem ibi clare distribuitur ratione istius negationis quae praecedit copulam.
Quomodo ergo se habent antepetita? ut magis et minus communia.
Quid realis abstractio a materia? est negatio eius quod est esse materiam a parte rei vel saltem postulare ipsi realiter uniri ad hoc ut connaturaliter existat.
Quid abstractio rationis a materia? est negatio eius quod est esse materiam secundum rationem vel includere materiam secundum rationem tanquam partem sui.
Utra ex illis abstractionibus convenit intellectui? intellectui angelico convenit utraque abstractio, intellectui vero humano convenit abstractio secundum rationem a materia, non autem abstractio realis a materia.
An idem dicendum sit de scientia angelica et humana? imo, quia scientia angelica etiam utroque modo abstracta a materia, humana autem scientia tantum est abstracta a materia secundum rationem non vero a parte rei.
An ens in genere pertineat ad obiectum metaphysicae? imo, et idem est de substantia in genere item de accidente in genere.
Quomodo cum illa non sint re et ratione abstracta ab omni materia? imo sint sic abstracta.
Quomodo cum substantia [illegible] in genere realiter identificetur materiae ubique hominis? est verum et non refert.

Quomodo ergo est realiter abstractum ab omni materia? R. gratia aliquorum suorum inferiorum, hoc autem sufficit ex ea parte ad obiectum metaphysicae.

An omnia obiecta metaphysicae non sint eodem modo realiter abstracta a materia? non, quia aliqua sunt sic realiter abstracta ut gratia nullius inferioris sui realiter identificentur materiae, ut Deus et angeli, aliqua autem obiecta sunt sic abstracta gratia aliquorum inferiorum tantum et talia sunt substantia in genere, accidens in genere.

An obiecta aliquarum scientiarum practicarum habeant aliquam abstractionem a materia? imo quia etiam scientiae practicae non considerant singularia ergo etiam obiecta ipsorum abstrahunt a materia singulari secundum rationem.

Quid ratione abstractum a materia singulari? est quod secundum rationem nec est materia singularis neque includit materiam singularem ut partem sui.

Declara quod obiectum physicae habeat talem abstractionem a materia: quia etiam physica tractat de corpore naturali in genere quod habet talem abstractionem a materia singulari

An physica non tractet de hoc sole et de hac luna? imo.

An illa etiam sint secundum rationem abstracta a materia singulari? non.

Quomodo ergo verum est quod obiectum physicae debeat esse ratione abstractum a materia singulari? est verum de obiecto attributionis non vero de omnibus omnino obiectis.

An abstractiones sint obiecta formalia scientiarum? non

An ergo in ordine ad illas abstractiones scientiae non specificentur? non.

Proba in ordine ad illas non specificari scientias: quia illae abstractiones non debent per scientias cognosci, physica enim [illegible] non agit de istis abstractionibus, neque etiam istae abstractiones sunt motiva quae determinant nos ad scientiam.

An metaphysica non agat de illis abstractionibus a materia? imo.

Quomodo ergo metaphysica non specificatur in ordine ad illas abstractiones? specificatur in ordine ad illas ut recte probat illa obiectio.

Quomodo ergo verum est quod dicimus quod scientiae non specificentur in ordine ad illas abstractiones? tantum negamus quod omnes scientiae debeant specificari per illas, unde etiam admittimus quod aliqua scientia in ordine ad illas specificetur nempe metaphysica quae de illis abstractionibus agit.

An reliquae scientiae non specificentur aliquo modo per accidens ~~vel~~ in ordine ad istas abstractiones? imo quia specificantur in ordine ad

CALLIOPE.

sua obiecta ergo aliquo modo per accidens dicuntur ordine ad istas ab-
stractiones, quia abstractiones istae limitant obiecta scientiarum.
Quomodo aliae scientiae non specificantur per se in ordine ad illas ab-
-stractiones cum debeant etiam de illis agere? non debent.
Quomodo cum illae abstractiones sint accidentia obiecti? non refert.
Quomodo enim quae agit de aliquo obiecto debeat agere de acciden-
tibus eius? nego hoc esse generaliter verum, quia possunt acciden-
tia esse nimis varia sic ut illa pertineant ad aliam scientiam.

De Praxi

Quid praxis? est actio directa a cognitione operantis.
Ut confectio calcei respectu sutoris.
An ambulatio Petri non sit etiam praxis Petri? imo.
An omnes actiones omnium agentium sint praxes illorum? non.
Da agens cuius nulla actio est praxis respectu ipsorum: ut ignis
et generatim omne agens non cognitivum, quia ut aliqua actio sit
praxis respectu alicuius agentis debet in illo agente dari cognitio, quia
praxis debet esse actio directa a cognitione operantis.
An actiones omnium agentium cognitivorum sint semper praxes ip-
sorum? non. quia actiones brutorum non sunt praxes respectu
ipsorum.
An actio lapidis nullo respectu sit praxis? imo est praxis respec-
tu Dei.
Quomodo cum sic quaelibet actio esset praxis? est verum, quaeli-
bet actio est praxis respectu Dei.
In quibus agentibus datur actio quae est praxis respectu ipsorum?
in angelis, item in homine.
An etiam in Deo? non datur quidem actio extrinseca Deo quae sit praxis
respectu Dei, quia nulla actio inest interna ipsi Deo, interim tamen
omnis actio Dei est praxis respectu Dei.
An similiter omnis actio hominis sit praxis respectu hominis? non
Da actionem hominis quae non est praxis eius? casus hominis deorsum,
item nutritio.
Quare illa non sunt praxes hominis? quia non diriguntur a cog-
nitione hominis.
Unde probas nutritionem non dirigi a cognitione hominis? ex eo quod
optime perficiatur nutritio in homine dormiente qui nihil cogitat de
nutritione, item in pueris et idiotis qui nihil sciunt de nutritione

An ergo homo non posset impedire suam nutritionem si vellet? imo, abstinendo a cibo et potu. Unde remote, et per accidens nutritio dependet a cognitione hominis tanquam dirigente commestionem, proxime vero non dependet.

An omnis actio intellectus et voluntatis hominis sit praxis eius? non. Ut prima intellectio quam elicit homo non est praxis respectu illius, quia actio quae dirigitur a cognitione operantis debet habere cognitionem se praecedentem in eodem operante, talis autem non habet ullam se praecedentem.

An sola prima intellectio hominis non sit eius praxis? imo, datur alia praeter primam quae non est praxis.

Da aliam quae non est praxis: intellectio quam homo primo elicit post somnum.

Quare non est praxis respectu cognitionis quae praecessit somnum? quia ut aliqua actio dirigatur a cognitione debet habere illam cognitionem sibi correspondentem formaliter ut plerumque fit vel saltem virtualiter.

Declara non requiri ut formaliter coexistat illa cognitio praxi: hoc patet in homine eunte Bruxellam qui in initio debet cogitare de suo itinere, quando vero est in via procedens tunc non requiritur amplius cogitatio de itinere, nisi contingat iter abrumpi.

An cognitio habens aliam coexistentem, vel immediate praecedentem semper dirigatur ab illa? non, quia experientia patet, quia experimur quod modo cogitemus de uno obiecto, et immediate post de uno alio quod nullam habet connexionem cum priori, et cogitamus iam de rebus nostris, immediate post cogitamus de magno Turca jam, apparet autem quomodo prior illa cognitio dirigat posteriorem.

Quid ergo determinat nos ad illam posteriorem cognitionem? hoc est humanitus impossibile semper praecise determinare, credibile est quod aliquando bonus angelus aliquando malus, aliquando Deus ipse immediate nos determinent, saepe etiam a nobis non potest verisimilis istius ratio dari.

An omnis actio voluntatis sit praxis hominis? non.

An prima volitio hominis non possit esse eius praxis? imo.

Quare magis quam prima intellectio? quia prima volitio bene potest habere cognitionem se praecedentem in eodem homine qua dirigatur, non sic prima intellectio.

Quomodo ergo quaelibet actio voluntatis hominis non est eius praxis? quia datur aliqua actio voluntatis quae nullo modo subiacet directioni cognitionis hominis.

Da talem actionem: talis est actio qua voluntas producit suos habitus.

Ostende illam actionem non subiacere directioni cognitionis hominis: quia habitus producuntur etiam ab illis qui nihil de habitibus noverunt, ut patet experientia.

An omnes actiones angelorum sint praxes respectu ipsorum? non ii
ut actio qua angelus producit suas potentias.
Cur illa actio non est praxis angeli? quia est prior omni cognitione angeli:
saltem natura, praxis vero debet habere cognitionem saltem natura
priorem a qua dirigatur
Quid practicare? est operari ex directione cognitionis sibi intrinsecae
ut homo ambulando.
An omne illud quod effective concurrit ad praxim practicet? non ut
ignis, concurrit enim effective ad calefactionem quae est praxis respe-
ctu dei, ignis tamen non practicat, quia ignis non operatur ex
directione cognitionis sibi intrinsecae.
An in homine possit aliquid esse principium praxis, et non practicare
imo. ut habitus qui effective concurrunt ad praxim non practicant,
quia non agunt ex directione cognitionis sibi intrinsecae.
Quomodo hoc requiritur ad hoc ut aliquid practicet, cum sic nequi-
dem voluntas practicabit? est verum et non refert.
Quomodo cum sic non dabitur ulla potentia quae practicabit? imo ut
intellectus, ille enim poterit agere ex directione cognitionis sibi intrin-
secae.
An non etiam phantasia? non, alioquin enim appareret quod etiam bruta
possent practicare?
Quid practicari? est effici ex directione cognitionis intrinsecae agen-
ti. sic quilibet effectus qui producitur a deo practicatur a deo.
Quomodo. cum sic homo deberet practicari a deo? non refert, quia sic
pileus, calceus.
An ambulatio etiam practicetur ab homine? imo.
Quomodo cum non sit effectus sed potius ipsa actio hominis? non refert,
quia perinde est sive efficiatur aliquid ut id quo, sive ut id quod ad
hoc ut dicatur practicari.
Quomodo se habent id quod practicat et id quod practicatur? R
utrumque est homo qui a practicatur a deo et etiam practicat.
Da quod practicat et non practicatur: deus. et ille solus, quia non
potest a quoquam effici.
Da econtra: Lapis.
Quid dirigere praxim? est repraesentare praxim ut exercendam vel
ut hoc vel illo modo exercendam, sic ut vi istius repraesentationis
determinetur potentia ad exercitium istius actionis, vel ut hoc aut illo
modo actionem exerceat.
An debeat eadem esse potentia quae determinatur per cognitionem prac-
ticam an vero diversam? subinde est eadem potentia quae se ipsam de-
terminat per cognitionem practicam ut contingit in praxi quae efficia-
tur ab ipso intellectu, plerumque tamen talis potentia est diversa ab
illa quae repraesentat praxim.
Quare cognitio brutorum non potest esse directiva praxis? quia cog-
nitio dirigens praxim debet repraesentare aliquid insensibile, bruta vero
tantum cognoscunt sensibilia
Quid scientia practica? est scientia nata dirigere praxim.

datalem: ut logica, ethica, medicina.
An ars sutoria non sit scientia practica? non.
Quomodo enim confectio calcei sit praxis? non refert, quia equidem non est scientia, quia non est evidens cognitio acquisita per demonstrationem.
Qualis ergo cognitio est? plerumque est fides humana, sutor enim iudicat hoc vel illo modo esse faciendum calceum quia sic audivit a suo magistro, subinde tamen talis cognitio est lumine naturae nota ita ut non sit opus illam acquirere per demonstrationem.
An cognitio practica debeat esse certa? non, quia potest tantum esse probabilis et sic in logica plures dantur maximae probabiles.
Defini cognitionem practicam tam late ut quaelibet contineatur: est cognitio apta dirigere praxim.
Quod obiectum debet habere cognitio practica? aliquod obiectum operabile.
Quomodo ergo sic quaelibet creatura possit esse obiectum cognitionis practicae? non erit.
A quo ergo debet esse operabile obiectum cognitionis practicae? respectu operantis.
An aliqua cognitio possit esse practica respectu unius hominis et non respectu alterius? imo et cognitio quam habet faber de domo poterit esse practica respectu eius, erit vero speculativa respectu philosophi qui non scit aedificare.
An respectu eiusdem eadem cognitio modo possit esse practica, modo non? imo.
Quid scientia speculativa? est scientia quae non est apta dirigere praxim. ut physica.
An in physica non tradantur aliquae cognitiones practicae? imo.
Quare ergo physica non est scientia practica? quia licet pro aliqua parva parte forte sit scientia practica, pro maiori tamen parte est speculativa.
Quid speculari? est vitaliter elicere speculationem.
Quare non est idem quod efficere speculationem? quia habitus item species intelligibiles efficiunt speculationem et tamen non dicuntur speculari.
Quid speculatio? est cognitio inepta dirigere praxim.
An eadem sint speculatio et scientia speculativa? non.
Quomodo se habent scientia speculativa et speculatio? ut magis et minus communia, quia omnis scientia speculativa est speculatio, non contra, ut cognitio speculativa tantum probabilis qua quis speculatur infinitum actu esse deo possibile, item quantitatem componi ex indivisibilibus.
An scientia dividatur adaequate in practicam et speculativam? imo agendo de scientia simplici, negative vero agendo de scientia composita.

proba priorem sic adequate dividi: quia quaelibet scientia indivisibilis vel est apta dirigere praxim vel non; priori casu est practica posteriori speculativa.

Declara scientiam compositam sic non adequate dividi: quia scientia illa quae procedit pro una sua indivisibili est speculativa et pro alia vero indivisibili practica utroque membro continetur.

Cui scientia practica est ante definita habitualis an actualis? potest utrique accommodari, sicut eadem diximus de scientia speculativa.

Declara posse utrique accommodari: quia accommodabitur practicae habituali si pro genere definiti subintelligatur scientia habitualis; accommodabitur vero actuali si pro genere definiti subintelligatur scientia actualis.

An scientia habitualis practica respiciat eodem modo praxim sicut sicut speculativa speculationem? non.

Quomodo ergo respicit scientia speculativa speculationem? tanquam causa efficiens suum effectum, sicut enim alii habitus efficiunt actus sibi correspondentes, ita etiam habitus speculativus efficit speculationem.

Quomodo respicit scientia habitualis praxim? tanquam causa exemplaris per accidens suum effectum.

Quid scientia habitualis practica per se efficit? efficit scientiam actualem practicam.

Quomodo respicit scientia actualis practica praxim? tanquam causa exemplaris, seu exemplar formale suum effectum exemplatum, est enim actualis scientia practica conceptus aliquis repraesentativus alicuius operis sic ut determinet potentiam ad illud ipsum opus vel simile producendum.

Declara iam quod scientia habitualis practica respiciat praxim tanquam causa exemplaris per accidens: quia dirigit praxim mediante suo effectu, nempe mediante scientia practica actuali.

In quo distinguit Aristoteles scientiam practicam a speculativa? in eo quod finis scientiae speculativae sit scire, finis vero scientiae practicae sit opus

De qua scientia intelligit hoc Aristoteles de habituali an actuali? De habituali

Cur non de actuali? quia scientia ~~habitua~~ actualis speculativa est ipsum scire, non ordinatur vero scientia ad se ipsam

Qua ratione dicit Aristoteles finem scientiae speculativae esse scire potius quam practicae? quia licet utraque ordinetur ad sciendam veritatem, disparitas tamen est inter illas quod scientia practica ulterius ordinetur ad opus scientia vero speculativa non.

An idem habitus possit esse practicus et speculativus? imo sicut eadem potentia nempe intellectus elicit aliquas cognitiones practicas, et aliquas speculativas, ita etiam aliquis idem habitus, sic habitus fidei supernaturalis iuxta communem theologorum sententiam est extensive indivisibilis, et

tamen instar intellectus elicit aliquas cognitiones practicas, et aliquas speculativas.
An eadem scientia naturalis possit esse partim practica et partim speculativa? imo, hoc ordinarie contingit in scientiis practicis, quod secundum aliquam sui partem sint speculativae, quia logica v.g. scientia practica est, multa tamen docentur in logica quae sunt speculativa.
An scientia habitualis practica et actualis speculativa differant necessario ex parte obiecti? non, vide eadem scientia actualis indivisibilis potest modo esse practica modo speculativa.
Declara quod non debeant differre ex parte obiecti? quia unus homo v.g. architectus potest de domo habere cognitionem practicam de qua alicuius tantum habet cognitionem speculativam.
Declara quod de eodem obiecto idem homo possit modo habere cognitionem practicam modo speculativam: quia nos iam de nostra nutritione habemus cognitionem speculativam tantum et possemus de eadem habere cognitionem practicam si potentia nutritiva quae iam non subest directioni cognitionis nostrae inciperet subesse directioni nostrae cognitionis.
An de omni obiecto de quo possumus habere cognitionem speculativam possimus habere practicam? non.
An saltem deus non possit de quocunque tali obiecto habere scientiam practicam? non
Da obiectum de quo deus potest habere notitiam speculativam sed non practicam: ipse deus, non potest deus ipse habere notitiam practicam de se, quia ipse non est aliquod obiectum operabile.
Da tale obiectum praeter deum: ens rationis quia illud etiam ne quidem a deo fieri potest, ergo deus non potest de illo habere notitiam practicam.
An omnis notitia practica nostra possit fieri speculativa? imo si ponatur in intellectu alicuius alterius hominis qui non possit illa uti in ordine ad praxim.
An ergo ex nullo capite debeant differre specie cognitio practica et speculativa? non.
An saltem debeant necessario differre numero? non quia ut iam ante dictum est eadem numero cognitio actualis potest esse modo practica modo speculativa, non tantum in diversis hominibus per deum, sed etiam in eodem homine, ut patet in notitia de nutritione, de qua ante dictum est.
An ex eo etiam bene sequatur quod eadem numero scientia habitualis modo possit esse practica, modo speculativa? imo, imo facilius hoc videtur esse in habitu quam in actu.
Divide scientiam practicam: dividitur in activam et factivam.
Quid scientia practica activa? quae proxime dirigit actionem immanentem.
Enumera scientias practicas activas: logica et ethica.

Quas actiones immanentes dirigit ethica? actiones voluntatis.
Quas actiones dirigit logica? actiones intellectus.
An logica non dirigat etiam confectionem syllogismi vocalis? imo.
Quomodo cum illa non sit actio immanens? non refert quia logica tan-
tum dirigit remote confectionem syllogismi vocalis, sufficit vero
ad scientiam activam quod proxime dirigat actiones immanentes.
An ethica dirigat remote actiones transeuntes? imo quia non tantum
dirigit actiones internas voluntatis, sed etiam actiones exteriores.
Quid scientia practica factiva? quae proxime dirigit actionem tran-
seuntem. ut medicina quae proxime dirigit curationem morborum quae
actio transiens est.
An etiam artes mechanicae sint scientiae practicae factivae? proprie
sumendo scientiam non sunt quia non sunt proprie dictae scientiae,
sunt tamen cognitiones factivae.
Dividitur aliter scientiam practicam: in practicam quoad modum
et practicam quoad exercitium.
Quid scientia practica quoad exercitium? quae praescribit exerci-
tium ipsius actionis.
Quid exercitium actionis? est positio ipsius actionis.
Quot sunt scientiae practicae quoad exercitium? tantum unica,
nempe ethica.
Quid scientia practica quoad modum? est scientia practica quae prae-
scribit modum quo debet exerceri actio.
Quid ille modus? nihil aliud quam species actionis.
An dentur plures scientiae practicae quoad modum? imo.
Quare potius quam dentur plures quoad exercitium? quia modi qui-
bus possunt fieri actiones valde varii sunt, ac proinde plures scien-
tiae sunt necessariae quae tractent de ipsis, an autem exercitium ali-
cuius actionis sit ponendum an non, hoc tam magnam latitudinem
non habet.
An scientia practica recte dividatur in veram et falsam? non quia
omnis scientia practica debet esse vera, est enim scientia certa et
evidens cognitio.
An saltem cognitio practica possit dividi in veram et falsam?
imo quia cognitio practica probabilis, item cognitio practica fidei
humanae bene potest esse falsa.
An praxis possit dividi in bonam et malam? imo.
Quid praxis bona? est praxis conformis cognitioni practicae verae.
ut confectio calcei secundum regulas artis.
An praxis quae semel est bona sit semper bona? non quia quantumvis
vestes attinet (modi formandi vestes valde variantur tractu temporis.
Quid praxis mala? est praxis quae non est conformis cognitioni practicae
verae. confectio calcei die dominico, item confectio calcei cum cor-
nibus.
An praxis bona recte dividatur in bonam quoad modum et bonam

quoad exercitium? non, quia membra dividentia vel sumuntur cum exclusione, et tunc repugnant cum diviso, vel sumuntur sine exclusione, set tunc patent latius quam divisum.
An praxis mala recte dividatur in malam quoad modum et malam quoad exercitium? imo.
Quomodo se habent praxis mala quoad modum, et praxis mala quoad exercitium? utraque est confectio calcei facta die dominico non secundum regulas artis.
Da praxim malam quoad exercitium tantum: confectio calcei secundum regulas artis, sed facta die dominico.
Da econtra praxim malam quoad modum tantum? confectio calcei die feriata, sed non secundum regulas artis facti.
Divide aliter scientiam: dividitur in subalternam et non subalternam.
Quid scientia non subalterna? quae nec dependet ab alia, nec alia dependet ab ipsa. ut ethica respectu medicinae.
Da scientiam nullo respectu subalternam: non datur, quia omnes scientiae distinctae a metaphysica sunt subalternatae respectu metaphysicae, metaphysica vero est subalternans respectu aliarum scientiarum.
Quid subalterna? quae dependet ab alia, vel a qua alia dependet.
Divide scientiam subalternam? dividitur in subalternantem, et subalternatam.
Quid scientia subalternans? a qua alia dependet. ut physica respectu medicinae, metaphysica respectu logicae.
Quid scientia subalternata? quae ab alia dependet.
Divide aliter scientiam subalternam: in subalternam ex parte obiecti, subalternam ex parte finis, et subalternam ex parte principiorum.
Quid scientia subalterna ex parte finis? est scientia a cuius obiecto tanquam fine dependet obiectum alterius tanquam medium, vel cuius obiectum dependet ab obiecto alterius tanquam medium a fine. priori parte continetur scientia subalternans ex parte finis, posteriori vero parte continetur subalternata ex parte finis. ut ars frenofactoria eo modo est subalternata arti equitandi, quia frena dependent ab equitatione tanquam medium a fine.
Da scientiam subalternantem ex parte finis: ars equitandi respectu artis frenofactoriae.
Quid scientia subalterna ex parte obiecti? est scientia a cuius obiecto tanquam causa materiali in qua dependet obiectum alterius tanquam effectus causae materialis in qua, vel econtra cuius obiectum dependet ab obiecto alterius tanquam a causa materiali in qua.
Da scientiam subalternantem ex parte obiecti: physica respectu medicinae, quia ab obiecto physicae quod est corpus naturale dependet obiectum medicinae quod est sanitas tanquam a causa materiali in qua.

Quid scientia subalternata ex parte principiorum? est scientia cuius principia ostensive demonstrantur per principia alterius, vel per cuius principia demonstrantur ostensive principia alterius.
Da scientiam subalternatam ex parte principiorum: medicina respectu physicae est sic subalternata.
Demonstra ergo aliquod principium ~~[illegible]~~ medicum per principium physicum: Ut contraria contrariis curantur demonstratur sic per principia physicae, quaecumque sunt activa in se mutuo curantur se mutuo, sed contraria sunt in se mutuo activa, ergo contraria curantur se mutuo.
An scientia subalterna dividatur adaequate in illa tria membra? non, quia nullo membro continetur scientia subalterna ex parte consequentiae.
Da aliquam scientiam subalternantem ex parte consequentiae: sic logica est subalternans ex parte consequentiae respectu omnium scientiarum, quia consequentiae demonstrationum quae fiunt in aliis scientiis debent probari per principia logicae casu quo negentur.
Ad quam subalternationem ex tribus antedatis reducitur illa? ad subalternationem ex parte principiorum.
An scientia considerans causam efficientem non sit aliquo modo subalterna respectu illius quae considerat effectum? imo, etiam bene quam illa quae considerat causam materialem in genere.
Cur ergo illa subalternatio non tam bene comprehenditur sub ordinariis quam alterae? quia subalternatio ex parte obiecti solet habere coniunctam subalternationem ex parte principiorum quae perfectissima est.
An ~~[illegible]~~ prius debeat disci scientia subalternans quam possit disci subalternata? non debet prius disci scientia subalternans ex parte finis, ut per se clarum videtur, quia qui vult addiscere artem faciendi ephippia non debet prius addiscere artem equitandi.
An quis possit addiscere scientiam subalternatam ex parte principiorum sine subalternante? etiam hoc absolute fieri potest quamvis ita commode non possit.
Declara hoc etiam posse cum principia scientiae subalternatae debeant probari per principia scientiae subalternantis? non est necesse quod prius semper eo modo probentur principia scientiae subalternatae, quia principia scientiae subalternatae possunt esse per se evidentia ita ut non indigeant probatione, secundo supposito quod probatione indigeant poterit illa probatio fieri aliter quam per principia scientiae subalternantis, ut per inductionem vel per effectum.
Declara tamen optime tradi scientiam subalternantem ex parte principiorum ante subalternatam: quia sic perfectius cognoscentur principia scientiae subalternatae si sciatur quomodo a priori demonstrentur per principia scientiae subalternantis.
Quid subalternatio scientiae? est dependentia qua una scientia dependet ab altera.
An una scientia dependeat ab altera? secundum se? una scientia ac talis

bene dependet ab habituali sibi correspondente R. actualis physica bene dependet a physica habituali, sed una scientia habitualis non dependet per se ab alia scientia habituali, sicut nec etiam una scientia actualis per se dependet ab alia actuali, nulla enim est necessitas agnoscendi talem dependentiam.
Quomodo ergo scientia subalternata debet dependere a subalternante? per accidens gratia obiecti, vel gratia principiorum.
An quando dependet gratia obiecti dependeat semper eodem modo? non, quia subalternata ex parte obiecti dependet gratia sui obiecti ab obiecto alterius tanquam a causa materiali in qua, subalternata ex parte finis dependet gratia obiecti tanquam medium a fine ab obiecto alte.

An metaphysica sit scientia proprie dicta? R. quod sic, quia est certa et evidens cognitio acquisita per demonstrationem propter quid.

An metaphysica sit proprie dicta scientia per se primo? non, quia etiam in metaphysica reperiuntur multae opiniones, ita ut plura sint tantum probabilia quam certa.
Quare ergo metaphysica potius dicitur scientia quam opinio? R. quia denominatio desumitur a parte potiori.
An interdum non sumatur denominatio a parte maiori? imo.
Quare ergo hoc non fit in scientiis? ~~quia~~ illius non ~~[illegible]~~ potest alia ratio dari quam usus.
Declara metaphysicam secundum aliquam sui partem esse scientiam: quia demonstrat de angelo quod sit intellectivus, quia demonstratur hoc modo

Omne rationale est intellectivum,
angelus est rationalis, ergo
angelus est intellectivus.

Demonstra similiter de Deo: R.

Quidquid est ens a se est aeternum,
Deus est ens a se, ergo.
Deus est aeternus.

An illae demonstrationes sint a priori? imo.
Quomodo cum medium non sit vera causa respectu subiecti conclusionis? non refert.
An sit vera causa respectu praedicati conclusionis, aut connexionis significatae per copulam? non, quia deficit distinctio realis inrequisita inter causam et effectum.
Quomodo ergo antedati syllogismi sint verae demonstrationes? quia ad veram demonstrationem non requiritur ut medium sit vera et physica causa respectu subiecti, praedicati vel copulae conclusionis, sed satis est quod secundum rationem medium sit natura prius saltem respectu connexionis significatae per copulam, ut colligitur etiam ex aliis demonstrationibus quae passim admittuntur tanquam tales.
An etiam de ente in genere demonstrentur aliquae proprietates in metaphysica? imo.
Quomodo cum ens in genere non habeat causam? non refert, quia

satis est quod connexio quam habet cum una proprietate habeat causam
modo nostro concipiendi per quam demonstrari possit.
An interim non sit verum aliquod ens ut sic ens habet causam? imo.
Da sensum verum illius ens ut ens habet causam: sic sensus est, ens
habet ita causam gratia sui ut non tantum gratia realiter distincti.
Declara illum sensum esse verum: quia ens in genere causatur gratia
suorum inferiorum scilicet hominis, bruti etc. quae non sunt realiter distincta ab ente.
An illa propositio ens ut ens etc. non habeat sensum falsum? imo ut
hic; si illa propositio significet generalem rationem entis suffi-
cere ad hoc ut aliquid habeat causas, item falsa erit eadem pro-
positio si significet ens habere causas gratia omnium inferiorum,
quia ens gratia istius inferioris quod est Deus non habet causam.
An ex eo bene sequatur quod generalis ratio non sufficiat ad hoc ut
aliquid habeat causam? imo, quia si generalis ratio entis ad hoc suffi-
ceret quodlibet ens deberet habere causam quod ostendimus esse
falsum.
An metaphysica sit sapientia? imo, quia competunt metaphysicae
omnes conditiones requisitae ad sapientiam.
Da primam: ut consideret quodammodo omnia.
Declara illam conditionem competere metaphysicae: quia considerat
quodammodo omnia hoc ipso quo considerat generalem rationem
entis.
Da aliam: ut sit de rebus difficillimis, quia metaphysica quatenus versatur circa
Deum et angelos de rebus difficillimis agit.
Da tertiam: ut sit certissima et evidentissima, quia metaphysica habet
aliqua principia evidentissima, ut quodlibet est vel non est, impos-
sibile est idem simul esse et non esse.
An haec conditio non repugnet praecedenti? non.
Quomodo cum implicet scientiam esse certissimam et evidentissimam
et simul de rebus difficillimis? hoc non implicat quia potest scien-
tia esse talis gratia diversarum partium, ita ut una pars sit
difficilis et alia evidens.
Da aliam: ut sit aptissima ad docendum, quia metaphysica hoc ipso
quo habet evidentissima principia possunt per illa etiam demonstra-
ri principia aliarum scientiarum per impossibile.
Da aliam: ut sit speculativa.
Proba scientiam speculativam esse perfectiorem practica: quia digni-
tas scientiarum maxime desumitur ab obiecto, obiectum vero scien-
tiae speculativae est Deus ipse, nulla vero scientia practica potest ha-
bere obiectum tam dignum.
Da ultimam: ut praesit omnibus aliis scientiis, quia metaphysica assig-
nat singulis sua obiecta.
Quot sunt sapientiae? tantum una sapiendo de sapientia perfecta de
qua loquimur hic.
An metaphysica sibi subalternet alias scientias? imo.
Quo modo? in primis ex parte principiorum.

declara: quia principia aliarum scientiarum demonstrantur per impossibile per principia metaphysicae.

An metaphysica subalternet sibi alias scientias ex parte finis? imo, quia metaphysica agit de Deo, caeterae vero obiecta aliarum scientiarum tanquam media referuntur ad Deum tanquam ad finem.

An metaphysica subalternet sibi alias ex parte obiecti? non loquendo de scientia subalterna ex parte obiecti eo modo quo nos illam definivimus.

declara quod sit non subalternet physicam: quia obiectum physicae quod est corpus naturale non potest ab illo dependere tanquam causa materiali in qua cum non habeat ullum subiectum sui perfectio tamen subalternat sibi alias scientias metaphysica ex parte obiecti, quia obiectum metaphysicae quod est ens in genere est causa materialis ex qua saltem secundum rationem respectu obiectorum aliarum scientiarum.

Quidnam est obiectum metaphysicae? illud de quo tractatur in metaphysica.

Divide obiectum metaphysicae: dividitur sicut obiectum aliarum scientiarum in complexum et incomplexum.

Quodnam est obiectum complexum metaphysicae? propositiones omnes quae in metaphysica demonstrantur.

Quodnam est obiectum attributionis metaphysicae? ens reale unum abstractum ab omni materia et ab individuis creatis naturaliter cognoscibile.

Quomodo restringitur ad ens reale cum in metaphysica etiam agatur de ente rationis? agitur de ente rationis per accidens tanquam de opposito entis realis ut sic magis elucescat natura entis realis.

Quare restringitur obiectum metaphysicae ad ens unum? quia composita per accidens non merentur specialem considerationem, tum quia habent magnam varietatem, et illorum natura potest utcunque haberi ex natura partium quibus constat.

An subsistentia spectet ad obiectum metaphysicae? subsistentia materiae primae illa non spectat quia illa non est re abstracta a materia, et ob eandem rationem etiam subsistentia animae rationalis non pertinet ad obiectum metaphysicae.

An saltem subsistentia angeli pertineat ad obiectum metaphysicae? non.

Quomodo cum illa sit re et ratione abstracta ab omni materia? non refert.

Quomodo ergo non spectat ad obiectum metaphysicae? quia obiectum metaphysicae debet esse naturaliter cognoscibile, subsistentia vero angeli naturaliter cognoscibilis non est.

Cur minus quam subsistentia humana? etiam subsistentia humana naturaliter cognoscibilis non est.

proba nullam subsistentiam esse naturaliter cognoscibilem: quia nullum est naturale medium per quod possimus devenire in notitiam subsistentiae, quod colligitur ex eo quod antiqui philosophi omnia sufficienter explicaverint quantum est ex parte illorum quae naturaliter sciri possunt, absque eo quod vel semel disputaverint de subsistentia.

An detur aliquid in angelo naturaliter cognoscibile quod non specta-
tat ad obiectum metaphysicae? imo, et tale est sic intellectus angeli,
quia est singularis, obiectum vero metaphysicae debet esse abstractum
a singularibus creatis.
Da aliquid in Deo naturaliter cognoscibile quod non spectat ad ob-
iectum metaphysicae: aggregatum per accidens ex intellectu et vo-
luntate divina.
Da aliquid in ente rationis quod spectat ad obiectum metaphysicae:
non datur.
Quare non superius entis rationis quod est sub latissime sumptum?
quia illud superius non est sub reale.
Quomodo enim sit sub reale ratione inferiorum? ratione aliquorum
quidem inferiorum sub reale est, sed hoc non sufficit quia deberet
esse sub reale ratione omnium suorum inferiorum.
Quare non potest dari obiectum metaphysicae in ente rationis?
quia nullum sub reale potest esse ens rationis.
Da obiectum metaphysicae in albedine? ens reale in genere, item
accidens in genere.
Quomodo enim accidens repertum in albedine sit abstractum mate-
riae a materia? licet ibi repertum non sit sic realiter abstrac-
tum, alibi tamen repertum sic abstractum est, hoc autem sufficit.
Declara hoc sufficere: quia alias ens in genere, item substan-
tia in genere non possent etiam pertinere ad obiectum me-
taphysicae, quia ratione omnium suorum inferiorum non habent
talem abstractionem.
Da accidens materiale quod pertinet ad obiectum metaphysicae?
nequit dari, quia accidens materiale nunquam est realiter ab-
stractum a materia.
An omne accidens spirituale pertineat ad obiectum metaphysicae?
non, unde aliquod pertinet, et aliquod non.
Da accidens spirituale quod non pertinet ad obiectum metaphysicae:
intellectus humanus, et cetera accidentia intrinseca animae
rationali.
Quare illa non possunt pertinere ad obiectum metaphysicae? quia
non magis sunt realiter abstracta ab omni materia quam ipsa-
met anima rationalis.
Da accidens spirituale quod pertinet ad obiectum metaphysicae:
accidens spirituale in genere.
Da accidens in angelo quod non spectat ad obiectum metaphysicae:
accidens singulare, item accidens aliquod supernaturale.
Da ens reale in quo non datur obiectum metaphysicae: non potest
dari, quia in omni ente reali datur ens reale in genere, item
accidens in genere, quae spectant ad obiectum metaphysicae.
Da ens reale in quo non datur aliquid quod non spec-
tat ad obiectum metaphysicae: etiam non potest dari, quia in quo-
libet ente reali datur aliquod compositum per accidens ex pluri-
bus accidentibus vel proprietatibus, aggregatum vero per accidens
nunquam spectat ad obiectum metaphysicae per se scilicet eo modo
quo hoc hic intelligitur, similiter semper poterit dari aliquod singu-

Unius naturae in quolibet ente reali quod non spectat ad obiectum metaphysicae? quia nullum singulare entatis spectat ad obiectum metaphysicae, in Deo vero utrum datur singulare quod non spectat ad obiectum metaphysicae nempe relatio aliqua quae non est naturaliter cognoscibilis.

An ad metaphysicam pertineat de ente in genere, et omnibus eius speciebus? non, quia sic non daretur alia scientia praeter metaphysicam.

An substantia materialis seu corporea non sit adaequatum obiectum physicae? imo.

Quare ergo substantia incorporea non debet statui obiectum adaequatum metaphysicae? quia cum metaphysica sit scientia dignior quam physica ad ipsam spectat tractare de gradibus generalibus substantiae materialis et immaterialis.

An sublatis substantiis immaterialibus physica non esset prima scientia? imo, secundum aristotelem.

Quomodo enim tunc metaphysica posset adhuc agere de gradibus generalibus? non posset quia sublatis substantiis immaterialibus non daretur gradus communis substantiae materiali, et immateriali.

De primum principium metaphysicae: impossibile est idem simul esse et non. hoc principium est enuntiatio simplex, potest etiam sumi tanquam composita.

Qualis enuntiatio est modalis an de inesse? potest sumi tanquam modalis et etiam tanquam de inesse.

Exponendo sic illud principium ut sit enuntiatio composita: impossibiliter idem simul est existens, et simul non est existens.

Qualis enuntiatio est illa? copulativa modalis necessaria, quia dictum eius est impossibile, illa enim copulativa non modalis est impossibilis, idem est existens, et simul non est existens quia illa copulativa affirmativa est impossibilis cuius partes proximae non possunt esse simul verae.

Quomodo ergo illud principium potest esse copulativa necessaria? R quia tunc copulativa modalis de impossibili est necessaria quando dictum eius est impossibile.

An principium illud possit habere hunc sensum? idem impossibiliter est, et impossibiliter simul non est? non.

Cur non potest esse ille sensus illius principii? quia tunc illud principium esset copulativa falsa, quia utraque pars proxima est falsa. Da aliquid de quo falsum est dicere, impossibiliter est, et impossibiliter non est: petrus, quia petrus possibiliter est, et possibiliter non est ergo debet esse falsum quod dictum est.

[illegible] in principio isto? universali, qua acceptione accipitur particulariter in principio.

Quid significat illud principium? petrus est et non est.

An detur aliquid idem quod possit simul esse et non esse? non in sensu principii.

Quomodo enim homo in genere possit esse gratia petri, et simul non esse gratia pauli? non refert.

Quomodo ergo principium antedictum est verum universaliter; potest restringi idem ad singulare, vel etiam ad idem universale, sed verificatur pro eodem.

Expone sic illud principium: sit enuntiatio simplex: idem simul esse et non esse est impossibile. Verbum est eadem ibi est copula principalis

An illud principium non possit etiam sumi tanquam enuntiatio mixtae qualitatis? imo.

Expone sic: impossibiliter idem est et non est existens.

Quomodo illud principium potest esse primum, quomodo illud tanquam enuntiatio composita cum illa dependeat a simplicibus? enuntiatio composita dependet quidem a simplicibus tanquam partibus, sed non refert quia veritas compositae saepe est independens a veritate simplicium, unde enuntiatio composita saepe est vera licet simplices quibus constat sint falsae.

An similiter veritas modalis possit esse prima? imo, quia veritas modalis etiam independens est a veritate dicti quo constat.

Quaenam est proximum subiectum impossibilitatis significatae per illud principium: copula principalis illius enuntiationis quam afficit

An per principium illud possit demonstrari illud principium logicum contraria non possunt esse simul vera? imo.

An per principium antedictum etiam non probetur etiam hoc, contradictoria non possunt vere simul de eodem affirmari? imo, quia si hoc fieret deberet idem simul esse et non esse. ex. gr. ut album et non album vere affirmarentur de petro deberet connexio albedinis cum petro esse, quia hoc supponitur esse verum petrus est albus et eadem connexio deberet etiam non subesse quia supponitur etiam esse verum istud petrus est non albus.

Da aliud principium metaphysicum: quodlibet est vel non est

Qualis enuntiatio est illud principium simplex an composita? simplex mixtae qualitatis

Da copulam principalem eius. Verbum est.

Quare non dicitur quod vel sit copula principalis? quia tunc esset enuntiatio disiunctiva falsa, quia utraque pars proxima esset falsa; hoc vero requiritur et sufficit ad falsitatem affirmativae disiunctivae.

Quomodo potest dici quod verbum est ibi sit copula principalis cum sit extremum alterius connexionis? nego quod verbum est sit tale extremum.

Quomodo cum sit extremum connexionis importatae per vel? nego

Da ergo extrema ibi: qualitas affirmativa, et qualitas negativa copulae significatae per verbum est.

Proba illud principium quodlibet est vel non est, posse sumi tanquam enuntiationem disiunctivam: quia verum est [illegible] franciscus est vel non est, et petrus est vel non est, et sic de ceteris sumendo vel disiunctive; ergo poterit hoc etiam esse verum quodlibet est vel non est, quia potest sumi tanquam aequipollens constantibus subiecto singulari

An per illud principium quodlibet est vel non est possint probari principia aliarum scientiarum? imo.
Proba principium alterius scientiae per illud principium: illud principium logicum contradictoriae non possunt esse simul verae probatur per illud principium, quia patet hoc, si contradictoriae essent simul verae idem nec esset nec non esset, alias hoc est impossibile et contra dictum principium metaphysicum; ergo contradictoriae non possunt esse simul verae.
An hoc possit statui tanquam principium metaphysicum necesse est quodlibet esse vel non esse? imo.
An illud principium necesse est quodlibet esse vel non esse, sequatur ex isto impossibile est idem simul esse et non esse? imo.
An alterum vicissim etiam sequatur ex ipso? imo.
An ergo illa duo principia sint equipollentia quoad consequentiam illationum? imo
An ergo copulativa modalis de impossibili et disiunctiva de necessario ex iisdem partibus semper sint equipollentes? non semper
Quomodo cum quandocunque copulativa non modalis est impossibilis tunc disiunctiva ipsi correspondens debeat esse necessaria, nego hoc semper esse necessarium, quia quando copulativa est impossibilis tunc disiunctiva ipsi correspondens potest esse non tantum necessaria sed etiam contingens et impossibilis
Da copulativam impossibilem cui correspondet disiunctiva necessaria: omnis homo est animal et aliquis homo non est animal, illa enim disiunctiva omnis homo est animal vel aliquis homo non est animal est necessaria
An hae modales sint necessariae et equipollentes: impossibile est omnem hominem esse animal et aliquem hominem non esse animal, et necessario omnis homo est animal vel aliquis homo non est animal? imo.
Da copulativam non modalem impossibilem cui non correspondet disiunctiva necessaria: haec Joannes est lapis et Joannes est brutum.
Qualis ergo est disiunctiva ipsi correspondens? impossibilis.
Da talem copulativam impossibilem cui correspondet disiunctiva contingens: Joannes est brutum et Joannes est albus, illa enim disiunctiva est contingens: Joannes est brutum vel Joannes est albus.
An ergo illae non sint equipollentes: impossibile est Joannem esse brutum et Joannem esse album, et necessario Joannes est brutum vel Joannes est albus? non, quia prior est vera, posterior vero est falsa.
Qualis potest esse copulativa non modalis correspondens disiunctivae necessariae? potest etiam esse omnis generis necessaria, contingens et impossibilis
Da disiunctivam necessariam cui correspondet ipsi copulativa necess-

EVTERPE.

causa: Petrus est homo vel Petrus est animal
Da disiunctivam necessariam cui correspondet copulativa impossibilis: Petrus est homo, vel Petrus est brutum.
Da talem cui correspondet copulativa contingens: Petrus est homo vel Petrus est doctus.
Quare ergo illae debent aequivalere impossibile est idem simul esse et non esse, et necessarium est idem simul esse vel non esse? quia disiunctiva constans partibus contradictoriis semper est necessaria et similiter copulativa constans talibus partibus semper est impossibilis adeoque modalis talis copulativa de impossibili aequipollet disiunctivae de necesse constanti iisdem partibus.

Tractatus Secundus.

De ente reali, et ente rationis.

Quid ens generatim? quod aptum est concipi.
Da quod non est tale: non datur.
Dividitur in ens reale et ens rationis.
Quid ens reale? quod aptum est realiter existere
Quid realiter existere? est actu ab alio dependere vel sic posse esse principium dependentiae ut non possit esse terminus, ut patrinus.
An sic est actu ab alio dependere sufficit? non, quia sic daretur non existeret realiter quia a nullo dependet
An saltem sit satis sic est posse esse extremum dependentiae? non, quia conveniret antichristo qui tamen non existit
Da existens actu quod non est extremum dependentiae: deus ante mundum conditum realiter existebat, et tunc tamen non erat principium vel terminus dependentiae.
An antichristus sit ens reale? imo.
Quomodo ergo modo sit nihil? non refert quia equidem idem est cum ipso actu existente secundum denominationem, quia aliquando erit verum dicere idem Antichristus qui modo existit aliquando fuit mere possibilis.
Divide ens reale: dividitur in ens reale actu et ens reale potentia.
Quid ens reale actu? quod de facto realiter existit
Quid ens reale potentia? quod quidem de facto realiter non existit, existere tamen realiter potest.

Quomodo ens non continebatur sub reale actu? non refert, quia non debet contineri.
Quomodo cum recte argumentemur affirmative ab actu ad potentiam? est verum quando potentia sumitur sine exclusione, hic vero sumitur cum exclusione.
Quid ens rationis? stricte et famose est quod non potest realiter existere, aptum tamen est concipi per modum entis. ut chymera.
Quare non sufficit sic? aliquid conceptibile quod non potest realiter existere. quia illa definitione continetur etiam homo non homo.
Quare homo non homo non est ens rationis famose? quia non est aptum concipi per modum entis.
Quandonam aliquid censetur aptum concipi per modum entis? quando iudicatur saltem virtualiter posse existere.
Declara quod homo non homo non possit iudicari esse tale quid. R. quia cum homo non homo implicet contradictionem manifestam non potest iudicari posse realiter existere, intellectus enim non potest iudicare esse verum quod evidenter scit esse falsum.
An ens latissime condividatur adequate in ens reale et ens rationis? non dividitur adequate in ens reale et ens rationis stricte, quia homo non homo neutro membro continetur.
Divide adequate ens latissime: R. in ens reale, et ens rationis late.
Quid ens rationis? est aliquid conceptibile quod non potest realiter existere.
Declara ens latissime sic adequate dividi in ens reale et ens rationis? quia membra dividentia sibi contradicunt, quodlibet vero ens debet contineri sub altero contradictoriorum, cum contradictoria non habeant medium.
Quomodo famose capitur ens rationis pro ente rationis late, an pro ente rationis stricte? pro ente rationis stricte.
An ens rationis debeat esse compositum ex contradictoriis? non
An possit esse? imo.
Declara quod non debeat sic esse compositum: quia sufficit quod debeant ipsi inexistere contradictoria per modum proprietatum vel accidentium casu quo realiter existerent.
Quid implicare contradictionem? est terminare inexistentiam duorum contradictoriorum casu quo realiter existerent, intelligitur vero ibi talis existentia, qualem nequeunt habere repugnantia in eodem.
An ens rationis recte definiatur, quod non potest aliter existere quam per operam mentis? non, quia continentur sub reali actus conceptus intellectivus, ille enim non potest aliter existere quam per operationem mentis.
An ens rationis possit sic definiri, est quod tantum potest esse obiective in intellectu? sic non recte definitur ens rationis stricte, sed bene ens rationis late.
Declara ens rationis stricte non recte sic definiri: quia ens rationis debet posse concipi per modum entis, iam vero etiam illud quod non potest concipi per modum entis, potest etiam esse obiective in intellectu.
An ens rationis possit sic definiri, est ens apparens non existens autem.
Quodnam ens rationis ibi continetur? stricte.
Quid ratio a qua aliquid dicitur esse ens rationis? idem quod conceptus intellectivus.

Quam habitudinem dicit obliquus rationis quando aliquid dicitur ens rationis? habitudinem causae quasi efficientis ad effectum, ratio enim seu conceptus intellectivus dat esse enti rationis per hoc quod concipiat ipsum per modum entis iudicando scilicet saltem virtualiter ipsum posse realiter existere.

Qualis determinatio est obliquus rationis respectu illius vocis ens? si ens capiatur latissime tunc est particula restringens, quia ens rationis est aliquid minus commune quam sit ens latissime.

Qualis erit determinatio si ens capiatur pro ente ~~[illegible]~~ reali? alienans, quia repugnant ens reale et ens rationis.

Dividitur ens rationis: in ens rationis actu, et ens rationis potentia.

Quid ens rationis actu? quod de facto concipitur per modum entis. chymera supposito quod de facto concipiatur per modum entis.

Quid ens rationis potentia? quod de facto quidem non concipitur per modum entis potest tamen sic concipi.

Da ens tale: chymera supposito quod de facto non concipiatur per modum entis.

Quomodo cum Deus semper concipiat chymeram? non refert quia licet semper concipiatur a Deo numquam tamen concipitur per modum entis a Deo, quia Deus non potest iudicare neque formaliter neque virtualiter quod chymera possit existere.

Quare Deus hoc nequit iudicare? quia Deus non potest formare iudicium falsum in se, hoc enim esset imperfectionis quae in Deum cadere nequit.

A quibus ergo potentiis tantum potest formari ens rationis? ab intellectu angelico et humano tantum.

An omne ens rationis quod potest formari ab intellectu humano possit etiam formari ab angelico? non, quia potest angelus subinde videre quod aliquid manifestam implicet contradictionem quod homo non videt talem contradictionem implicare, tunc ergo homo poterit illud concipere per modum entis, angelus vero non.

An econtra possit aliquid ens rationis formari ab ~~homine~~ angelo, et non ab homine? imo, quia potest angelus videre aliquid non implicare contradictionem quod re vera contradictionem implicat, sicut homo possit illam contradictionem esse manifestam, tali vero casu illud ens poterit concipi per modum entis ab angelo et non ab homine.

An in homine non detur alia potentia praeter intellectum quae possit formare ens rationis? non.

Quare sensus hominis non possunt formare ens rationis? quia sensus hominis nihil possunt concipere quod est impossibile, quia res impossibilis est extra obiecta sensuum.

Da aliam causam quare sensus hominis non possint formare aliquod ens rationis? quia potentia formans ens rationis debet esse iudicativa, iam vero sensus non iudicativi.

An saltem voluntas non possit formare ens rationis? non, quia voluntas non format sibi suum obiectum, sed accipit illud formatum ab intellectu, deinde voluntas non est etiam iudicativa, unde non potest aliquid concipere per modum entis.

An ulterius non possit aliquo sensu vere dici quod detur ens a
appetitus? imo, quia sicut intellectus potest iudicare aliquid ens posse
realiter existere quod tamen realiter existere non potest, ita voluntas
potest ferri in aliquod obiectum quod re ipsa non habet ullam bonitatem
nisi tantum apparentem. tale vero ens potest dici ens appetitus,
sed illa locutio impropria tantum est.
An ens rationis habeat suam existentiam? imo.
An existentia sit ibi intrinseca an vero extrinseca? potest dici existere
per existentiam ipsi extrinsecam, nimirum per existentiam actus in-
tellectus quo formatur ens rationis.
Quomodo? cum illa existentia sit realis? est quidem realis respectu ip-
sius actus intellectus sed est tantum rationis respectu entis ra-
tionis quia illi intrinseca non est.
An ens rationis non habeat aliquam existentiam extrinsecam? non
habet ullam realem intrinsecam, fingitur tamen in ipso intrinseca
aliqua existentia rationis.
An actus ille quo formatur ens rationis possit esse verus? non.
et illa est ratio cur ens rationis non formetur a deo.
An per omnem actum falsum formetur ens rationis? non. quia per
omnem actum falsum non iudicatur ne virtualiter quidem quod
aliquid impossibile possit existere.
An ergo obiectum actus falsi possit esse aliquid possibile? imo.
da obiectum actus falsi cuius obiectum est possibile: iudicium quo
concipio petrum ambulare supposito quod petrus sedeat illud iudicium
nequam est actus falsus et tamen obiectum eius possibile est quia
possibile. mere

Diuide ens rationis: in illud quod est fictum sine fundamen-
to in re et in illud quod est fictum cum fundamento in re:
Diuide illud quod est fictum cum fundamento in re: diuiditur
in substantiam fictam, qualitatem fictam, repetendo diuisionem
in membris diuidentibus.
Quare hoc addis? quia alias diuisio non erit adaequata, potest enim
dari substantia ficta quae non est ens fictum.
Da substantiam fictam quae non est ens fictum: tale erat lumen
apud veteres qui existimabant illud esse substantiam, et tamen lu-
men est ens reale.
An ergo non bene sequatur
lumen est substantia ficta, ergo
lumen est ens fictum? non.

Quare non tamen bene hoc
Joannes est homo albus, ergo
Joannes est animal album quia in posteriori
proceditur a specie ad genus particulariter sumptum in priori
vero proceditur ab uno excedente et excesso non distributo.
declara quod excedant se ens fictum et substantia ficta: datur
utrumque chymera.
Da substantiam fictam quae non est ens fictum: lumen.
Da e contra: circulus quadratus, quia non habet apparentiam sub-

stantia.
Quomodo chymera est substantia ficta cum deus non possit chy-
meram pro
Quomodo cum chymera non sit aliud quam aggregatum ex par-
tibus integralibus diversae speciei ? non refert.
Quomodo cum deus possit inter se tales partes unire ? non refert,
declara esse verum: quia in eo non est implicantia, cum homines
ex arboribus diversae speciei subinde faciant arborem ut contingit dum
surculus pomi implantatur in piro.
Quomodo ergo verum est quod chymera sit aliquid impossibile?
Si chymera nihil est aliud quam tale compositum tunc chymera non
esset impossibilis et consequenter chymera tunc non esset ens ra-
tionis, sed per chymeram non intelligitur unum tale compositum sed
compositum unius naturae ex talibus partibus.
Quae contradictoria implicat chymera? esse ens unius naturae,
et non esse ens unius naturae, quia est ens unius naturae ex supposito
et non est ens unius naturae quia componitur ex partibus integra-
libus diversae speciei.
Audeturne ens rationis quod est substantia praedicamentalis? non.
quia ens praedicamentale debet esse ens reale.
Audetur ens rationis quod est ficta quantitas? imo, ut spatium
imaginarium.
Da ens rationis quod est ficta relatio? identitas chymerae secum.
Da ens rationis quod est ficta qualitas: albedo chymerae, item
potestas regis, ducis, doctoris, etc. quamvis posteriora possint sumi
tanquam entia realia.
Quandonam potestas regia erit ens reale? quando sumetur pro
ipsa voluntate regis et intellectu per quas potentias imperare
potest, supposita electione ipsius regis vel maiorum suorum.
declara similiter esse de doctoratu, licentia, etc: quia si
illa sumantur pro aliquo testimonio doctrinae dato cum aliqua
solennitate tunc est ens reale, si vero capiantur illa pro quali-
tate inhaerente doctori vel licentiato tunc illa etiam sunt entia
rationis, quia revera illud testimonium nihil physicum in homine
ponit.

Divide aliter ens rationis in positivum et negativum.
Quid ens rationis positivum? quod nec est negatio, nec negatio-
nem includit tanquam partem sui. ut chymera.
Quomodo potest dari ens rationis positivum cum alterum contra-
dictoriorum sit semper ens negativum? est verum et non refert.
Quomodo ergo potest dari ens rationis positivum cum alterum
ens rationis debeat involvere contradictoria? non debet involvere
contradictoria tanquam partes sui sed sufficit quod involvat con-
tradictoria tanquam proprietates vel accidentia quae sunt extra
entitatem subiecti.
Quid ens rationis negativum? est ens rationis quod vel est negatio

vel negationem includit tanquam partem sui. caecitas, surditas.
An independenter ab opere intellectus non dentur caeci et surdi? imo.
Quomodo ergo caecitas et surditas sunt entia rationis? possunt considerari ut sint entia rationis, possunt etiam considerari ut non sint entia rationis, sed realia.
Quando erunt entia realia? quando considerantur ut sint eadem a parte rei quod subiectum aptum habere visum non habens tamen visum, et sic conformiter de surditate.
Quandonam caecitas et surditas erunt entia rationis? quando concipiuntur ad instar formae positivae inhaerentis homini caeco vel surdo, tales enim formae positivae per quas aliquis sit formaliter caecus vel surdus dari non possunt.
Quotupliciter est intentio? duplex, aliquando sumitur pro intentione formali, aliquando pro obiectiva, sumitur hic pro obiectiva.
Cur non pro intentione formali? quia intentio formalis semper est ens reale nec dubitari de illa potest an sit ens rationis
Quid intentio proprie? formaliter est actus voluntatis quo voluntas efficaciter prosequitur aliquod obiectum
Quomodo cum subinde actus intellectus dicatur intentio? est verum cognitio subinde dicitur intentio formalis, sed tunc sumitur intentio formalis improprie.
An intentio sumpta pro cognitione recte dividatur in directam et reflexam? imo.
Quid cognitio directa? est cognitio quae non est reflexa [illegible]
Quid cognitio reflexa? est cognitio qua potentia cognitiva cognoscit se ipsam vel aliquid sibi intrinsecum, vel aliquid resultans ad cognitionem. ut cognitio qua intellectus cognoscit semetipsum.
Da aliquam cognitionem directam: ut cognitio qua intellectus cognoscit petrum.
An omnis cognitio intellectus sit reflexa? non. ut cognitio qua intellectus petri cognoscit intellectum pauli.
Quomodo cum per illam cognoscatur ipsa potentia? cognoscitur quidem potentia per illam cognitionem, sed non est eadem potentia quae cognoscit et quae cognoscitur, illam autem cognitio reflexa qua cognoscitur potentia debet esse talis qua potentia cognoscit se ipsam eandem numero.
Qualis est cognitio qua intellectus cognoscit petrum directa an reflexa? directa.
Quomodo cum illa cognitio petri oriatur ex alia cognitione? R est verum et non refert
Declara esse verum: quia oritur ex cognitione auditiva qua prius audita fuit illa vox petrus
Declara quod propterea non debeat dici quod cognitio petri sit reflexa: quia quando dicitur quod cognitio reflexa sit illa qua cognoscitur aliquid resultans ad cognitionem, intelligitur de illa quae est

cognitio eiusdem potentiae, cum vero auditio non est cognitio in-
tellectus.
Qualis est cognitio qua intellectus cognoscit se, directa an re-
flexa? est directa.
Quomodo enim se insit intellectui per modum partis materialis
logicae? non refert.
Quomodo ergo per cognitionem sui non cognoscitur aliquid intrin-
secum intellectui? absolute cognoscitur aliquid intrinsecum, sed non
tale intrinsecum quale hic intelligitur.
Quale ergo intelligitur? tale quod sit intrinsecum per modum formae
An cognitio qua intellectus cognoscit actionem qua producitur sit
reflexa? non
Quomodo cum illa actio etiam sit intrinseca intellectui? non refert
quia actio illa etiam non est intrinsecum hic intellectum.
Qualiter ergo debet esse intrinsecum per modum formae id quod est
intrinsecum hic? debet esse vel per modum principii cognitionis qualia
sunt habitus, et species intelligibiles vel per modum termini cog-
nitionis ut sunt ipsi conceptus.
Qualis est cognitio qua cognoscitur universale directa an reflexa?
reflexa, quia per illam cognoscitur aliquid resultans ad cognitio-
nem tanquam rationem fundandi universalitas enim resultat ex cog-
nitione uti latius post patebit dum agetur de universali.
An cognitio qua cognoscitur homo in genere sit reflexa? non
Quomodo cum homo in genere sit universale? non refert, quia licet sit
denominative vocis universale, non est tamen universale for-
maliter quale debet esse illud quod resultat ex cognitione tanquam
ratione fundandi.
An omni potentiae cognitivae detur cognitio directa, et reflexa? non.
Da potentiam cognitivam in qua non datur cognitio directa?
non datur omnes enim potentiae cognitivae cognoscunt aliquid distinc-
tum ab illis trinis ipsa potentia intrinseco potentiae et resultan-
te ad cognitionem.
An in omni potentia cognitiva detur cognitio reflexa? non
In quibus non datur? in sensibus externis, visus enim v.g. nec po-
test videre se ipsum nec aliquid ipsi intrinsecum nec aliquid resul-
tans ad visionem, ratio est quia omnia ista tria sunt extra ob-
iectum visus, cum autem visus non potest ferri extra suum ob-
iectum.
An in sensu interno possit dari cognitio reflexa? imo, quia expe-
rientia ipsis notum est quod canes recordantur, recordatio vero
non fit sine cognitione reflexa.
Quid recordatio? iterata cognitio alicuius vel cum advertentia.

prioris cognitionis.

An soli potentiae cognitivae conveniat reflectere se supra suum actum? non.

Quid potentiam reflectere se supra suum actum? est potentiam versari circa suum actum tanquam circa suum obiectum.

Da potentiam non cognitivam quae reflectit se supra suum actum: voluntas, quia voluntas per unum suum actum potest imperare alium actum ut per actum paenitentiae potest imperare actum amoris Dei.

An cognitio reflexa habeat similitudinem cum actione reflexa? imo quia sicut per actionem reflexam agens non protendit ulterius suam actionem sed illam exercet versus se ipsum, ita etiam per cognitionem reflexam potentia non cognoscit aliquid extra se, sed versatur circa se ipsam vel saltem circa aliquid extrinsecum vel circa aliquid resultans ad cognitionem.

Quid intentio obiectiva? est obiectum intentionis formalis.

Quid intentio obiectiva prima? est obiectum intentionis primae sive cognitionis directae.

Quid intentio obiectiva secunda? est obiectum cognitionis reflexae sive res per reflexam cognitionem cognita.

Da intentionem obiectivam primam: ut homo, Petrus, cognoscuntur enim illa per directam cognitionem.

Da intentionem obiectivam secundam: intellectus, habitus et species intelligibiles.

An ens rationis sit intentio prima an secunda? nunquam est intentio formalis prima vel secunda, quia intentio formalis sive prima sive secunda semper est ens reale ut in initio dictum est.

An intentio obiectiva prima possit esse ens rationis? imo.

Quomodo se habent intentio obiectiva prima et ens rationis? datur utrumque ut chymera.

Da prius tantum: homo.

Da econtra: universalitas chymerae.

Quomodo se habent ens rationis et intentio obiectiva secunda? utrumque est universalitas chymerae.

Da prius tantum: intellectus qui cognoscitur a se ipso.

Da ens rationis tantum: chymera.

An tres operationes mentis sint entia rationis? non, quia sunt veri actus intellectus, prima quidem non est iudicativa, secunda est iudicativa sed non discursiva, tertia est discursiva.

An per illas mentis operationes fiant entia rationis? imo.

Per quam ex illis tribus fiunt entia rationis? per quamlibet possunt fieri.

Quomodo potest fieri per primam cum ens rationis tantum fiat per cognitionem iudicativam? cognitio per quam fit ens rationis non debet esse iudicativa formaliter sed sufficit quod sit iudicativa saltem virtualiter.

Quid realis existentia? est actualis dependentia unius ab

alis, vel aptitudo ad principiandum in aliquo independente.
proba sic adequate definiri: quia priori membro continetur adequate
existentia creaturae posteriori vero membro continetur existentia dei.
An definitio existentiae iam data sit formalis? non.
Defini ergo formaliter: hoc modo: est forma per quam formaliter
aliqua res existit.
Quomodo differt realiter an sola ratione a re existente? aliquando
saltem sola ratione, ut existentia dei, in deo enim non potest dari
ulla forma ipsi realiter superaddita.
Da existentiam rei creatae quae differt sola ratione a re creata: talis
est existentia puri modi.
proba illam sola ratione differre a puro modo? quia purus modus etiam
non est capax ullius formae realiter superadditae.
An existentia rei creatae quae non est purus modus differat ab illa
realiter an sola ratione? utrumque probabiliter potest controverti.
Quo fundamento differt realiter? quia probabiliter identificatur ac-
tioni qua res creata producitur, iam vero actio illa qua producitur
res creata quae est strictae entitatis realiter differt ab illa.
Quo fundamento dicitur quod omnis existentia rei creatae identi-
ficetur realiter ipsi? quia non est sufficiens fundamentum realiter
distinguendi existentiam ab essentia actu existente.
An differant petrus mere possibilis et idem petrus actu existens?
imo quia certum est quod petro detur aliquod beneficium a deo quan-
do creatur, non acciperet vero ullum beneficium si non differret a se
ipso mere possibili, quia illud idem esse quod habet per creationem
adeo habuisset ante, et quidem sine dependentia, post creationem vero
accipit unam dependentiam quae potius esset gravamen et incommo-
dum pro petro si petrus habuisset suum esse per omnia ante.
Quomodo differt petrus mere possibilis a se ipso actu existente? nega-
liter negative, quia petrus mere possibilis actu nihil est, id vero
quod est aliquid uti est petrus ~~mere~~ ~~pu~~ actu existens, differt realiter
negative a nihil.
An petrus mere possibilis, et petrus actu existens sint per se pri-
mo diversa? non. quia illae voces petrus mere, possibilis, et petrus
actu existens habent aliquod idem significatum rectum, quia revera
est idem petrus qui a centum annis erat mere possibilis modo
est actu existens.
Quid ergo erat a centum annis petrus mere possibilis? erat illa
entitas quam petrus fuisset habiturus si actu extitisset.
~~petrus~~ illae
voces petrus mere possibilis, et petrus actu existens? conveniunt
in eodem significato recto, differunt vero quoad significatum
obliquum.
proba quoad significatum obliquum differre: probo, quia petrus actu
existens in obliquo importat existentiam, petrus vero mere possi-
bilis negationem existentiae.
An petrus mere possibilis, et petrus actu existens differant
secundum rationem? non, considerando scilicet illa secundum illud
quod important in recto.

proba non distinguere secundum rationem: quia eodem conceptu
concipimus materiam primam dum habet formam substantialem
et dum habet negationem eiusdem; ergo similiter essentiam petri
debemus eodem modo concipere, sive habeat existentiam, sive ha-
beat negationem existentiae, quia non potest dari conveniens ra-
tio disparitatis.
An essentia petri aliquo sensu possit dici aeterna? imo.
An dicatur aeterna hoc sensu quia ipsi ab aeterno competit exis-
tentia? non, hoc enim falsum est.
Qua ratione ergo essentiae rerum dicuntur aeternae? quia illis ab-
stractis ab existentia conveniunt partes essentiales, et proprietates.
An ergo ab aeterno fuerit verum homo est animal? imo.
Quomodo cum homo ab aeterno non fuerit? non refert
Quomodo ergo potuit ab aeterno esse animal? ab aeterno quidem non
potuit esse animal existens ut recte probat illa obiectio, sed hoc
non refert quia hoc non significatur illa propositione.
Quid ergo significat illa propositio homo est animal? connexio-
nem esse inter hominem, et animal abstractam ab existentia, ita
ut sensus illius propositionis sit quodammodo conditionatus, homo
si existeret esset animal quod existeret.
An in talibus propositionibus copula dicatur absolvi a tempore? imo,
An ergo copula ibi non significet tempus? imo, nempe tempus
praesens, quia certum est has duas propositiones, homo est animal
et homo fuit animal differre ex parte copulae, non differre vero
nisi in eo quod copula unius significet tempus praesens, copula
vero alterius tempus praeteritum.
Quomodo ergo verum est quod in talibus propositionibus copula ab-
solvatur a tempore cum tempus significet? video hoc recte dicitur
quia extrema propositionis, nempe praedicatum et subiectum non
debent coexistere tempori per copulam significato.
Quomodo cum sit potius extrema debeant dici absolvi a tempore
quam copula? hoc etiam recte dici posset.
An haec petrus est albus etiam sit aeternae veritatis? non.
Quid ergo significat illa propositio, petrus est albus? connexionem
de facto existentem inter petrum et albedinem de facto existentem.
An ergo illa propositio sit futura falsa si vel petrus, vel albe-
do non existant? imo, nam ad veritatem talis propositionis contin-
gentis requiritur ut extrema coexistant tempori per copulam
principalem significato, et connexio significata per copulam tunc
etiam subsistat.
An universalia non dicantur peculiariter absolvi ab existentia
magis quam singularia? imo
Cur ergo tales propositiones, petrus est animal, petrus est risibilis
dicuntur aeternae veritatis? quia licet frequentius sic soleant con-
siderari universalia, absolute tamen etiam singularia etiam sic
considerari possunt, unde illa petrus est animal tam est aeternae
veritatis quam illa, homo est animal.
Quomodo existentia competit rei existenti necessario, an contingen-
ter? deo competit necessario, cuilibet vero creaturae competit contingen-

probandum: quia Deus non potest non existere.

An existentia competat necessario alicui creaturae? non, quia non datur ulla creatura quin possit esse sine existentia, quinimo de facto ante mundum creatum nulli creaturae competebat existentia.

Hoc praedicatum non sit necessarium, haec existentia est existentia? imo necessario.

Quomodo ergo existentia non competit necessario huic existentiae? competit necessario per modum subiecti.

Quid [illegible] ergo competit existentia contingenter omni creaturae? competit contingenter omni creaturae tanquam forma subiecto.

An plures res possint existere per eandem existentiam? hoc bene potest fieri supposita illa sententia quae dicit quod existentia realiter differat a re existente, et sit ipsamet actio qua res producitur, probatur quod tunc plures res poterunt existere per eandem existentiam: quia plures res possunt per eandem actionem produci sicut per eandem unionem possunt uniri duo extrema sicut in physica dictum est.

An in communi sententia quae tenet oppositum quod res existat per existentiam sibi realiter identificatam, possint etiam plures res existere per eandem existentiam? non, quia alias realiter distinctae existerent per eandem existentiam, sequeretur quod duo quaepiam possint esse eadem uni tertio a parte rei, et tamen non esse eadem inter se quod repugnat illi principio, quaecumque sunt eadem uni tertio singulari solitario et incommunicabili sunt eadem inter se.

An purus modus adiudicatur aliquando existere per existentiam sui subiecti? imo.

Quomodo ergo verum est quod res creata non possit existere per existentiam alienam? hoc verum est hoc sensu, non potest existere per existentiam alienam formaliter, potest tamen bene existere per existentiam alienam in sensu causali, quia existentia aliena est causa cur purus modus existat per existentiam propriam.

Quare puri modi potius sic dicuntur existere per existentiam alienam quam aliae formae? ratio disparitatis est quia puri modi absoluta necessitate dependent a suo subiecto, ita ut per Deum non possint existere extra illud, aliae vero formae possunt esse extra subiectum saltem per Deum.

An natura humana Christi non existat per existentiam Verbi divini? non.

Cur non tam bene potest existere per existentiam eius quam possit subsistere per subsistentiam eius? ratio disparitatis est quia res bene potest subsistere per subsistentiam realiter distinctam, sed non potest existere per existentiam realiter distinctam.

Qualis res est existentia, substantia an accidens? existentia accidentium sine dubio accidens est.

Quare existentia accidentium non est substantia? quia existentia debet subiectari in re existente, substantia vero non potest subiectari in accidente.

An existentia substantiarum sit substantia an accidens? existentia substantiarum est substantia a parte rei, quia non differt realiter a substantia, est tamen accidens secundum rationem, sicut [illegible] et [illegible].

Qualis res est existentia simplex an composita ex partibus? existentia substantiae simplicis debet etiam esse realiter simplex, existentia vero substantiae compositae debet a partibus eius componi sicut substantia componitur cuius est existentia.

ex quibus partibus componitur existentia hominis? ex existentia materiae item animae rationalis item unionis, quia quaelibet illarum partium habet existentiam sibi propriam et realiter identificatam.

Quem ordinem servat existentia cum aliis rebus in eodem subiecto? modo nostro concipiendi est posterior quam omnes partes essentiales et proprietates.

Quaenam ergo illa quae prius competunt petro quam existentia secundum rationem: omnes partes essentiales, item proprietates ipsi connaturales.

Cur omnia illa competunt prius quam existentia? quia quae necessario competunt prius competunt quam illa quae competunt contingenter

Quem ordinem servat existentia cum caeteris contingenter competentibus? existentia modo nostro concipiendi prior est quam accidentia quae competunt contingenter unde petro v. g. prius competit existentia quam albedo, albedo enim petri dependet ab existentia petri non contra.

Utrum convenit petro prius existentia an subsistentia? subsistentia quia convenit necessario.

Quid univocata? sunt plura quae significantur ab eadem voce simplici secundum eandem significationem principalem.

An non requiratur ad univocata ut unum non sit natura prius altero? non. ut species et homo in genere respectu vocis animal item respectu vocis homo

An non requiratur ad univocata ut neutrum sit alterius causa? non quia qualitas primae speciei et secundae speciei sunt univocata respectu vocis qualitas, et tamen qualitas secundae speciei est causa respectu qualitatis primae speciei

proba non amplius requiri ad univocata quam quod sint plura quae significantur ab eadem voce simplici secundum eandem significationem principalem? authoritate omnium pene philosophorum qui plus non requirunt ad univoca.

An vox ens sit vox univoca entis realis et entis rationis? potest sic sumi ut sit vox univoca, et etiam ut sit vox aequivoca. erit univoca respectu entis realis et entis rationis quando tribuitur utrique in illa significatione principali qua significat principaliter idem quod conceptibile.

declara vocem ens posse sic sumi ut sit aequivoca respectu eorundem? quia vox ens secundum unam suam significationem principalem significat principaliter ens reale, et ut secundum illam tribuatur enti reali tunc ens reale et ens rationis erunt aequivocata respectu vocis ens quia significabuntur tunc secundum diversas significationes principales.

Qualis vox est ens respectu substantiae et accidentis? est univoca et

equivocam est univoca quando tribuitur utrique in ista significatione principali qua significat principaliter idem quod conceptibile, item quando significat principaliter ens reale.

declara quod substantia et accidens tunc erunt univocata respectu vocis ens? quia ex suppositione tribuitur utrique in eadem significatione principali.

Quandonam vox ens erit equivoca respectu substantiae et accidentis? quando uni illorum attribuetur in illa significatione principali in qua significat principaliter idem quod conceptibile, alteri vero in illa in qua principaliter significat ens reale.

Quomodo cum sic Ioes et Petrus poterunt esse univoca, et equivoca respectu vocis ens? est verum, quia eadem est ratio illorum quae est de substantia et accidente.

Qualis vox est ens respectu dei et creaturae univoca an equivoca? univoca, et equivoca, quia est etiam eadem ratio de illis quae est de substantia et accidente.

Qualia equivocata sunt respectu vocis ens identica an essentialia stricte? possunt sumi ut essentialia stricte, hoc enim sit si uni illorum tribuatur in illa significatione principali qua significat principaliter conceptibile, alteri vero in illa in qua significat principaliter ens reale.

Quandonam erunt equivocata identica respectu vocis ens? si uni illorum tribuatur in illa significatione principali in qua principaliter significat deum, alteri vero in illa in qua principaliter significat creaturam.

Unde constat vocem ens tales significationes principales habere? ex eodem ex quo constat significatio aliarum vocum nempe ex usu, ex illo enim verisimile est vocem ens primo fuisse institutam ad significandum principaliter creaturam, tanquam nobis notiorem, deinde fuisse eandem vocem translatam ad significandum principaliter deum, propter habitudinem causae quam habet deus ad creaturam.

Qualia univocata sunt deus et creatura respectu vocis ens essentialia an accidentalia? essentialia, sicut Petrus et Paulus sunt essentialia respectu vocis homo.

Quomodo cum sic aliquid debeat esse in deo quod idem secundum rationem manens sit in creaturis? est verum, sed non repat. probatur esse verum, quia sicut Ioes et Petrus qui sunt univocata vocis homo habent in se aliquot idem secundum rationem nempe naturam humanam sive hominem, ita etiam deus et creatura supposito quod sint univocata essentialia habebunt aliquot idem secundum rationem scilicet ens.

An hoc non repugnet perfectioni dei habere aliquid idem secundum rationem cum creaturis? non.

An secundum hoc deus non debeat dici componi logice? imo, componi

tur enim ex ente in genere, et differentia quae vocatur asseitas
An non repugnet divinae perfectioni componi logice? non.
Quomodo tamen Deus perfectioni modo esset simplex si etiam esset
simplex secundum rationem? talis simplicitas secundum rationem
non potest simul consistere cum aliis perfectionibus divinis, quia illa
non potest consistere cum illa multitudine perfectionum quae est in Deo
ratione enim illarum perfectionum Deus potest inadaequate concipi
tamquam homo, vel alia creatura.
An genera summa iuxta Porphyrium et Aristotelem non sint
logice simplicia? imo.
An illa doctrina possit consistere cum nostra de univocatione
entis? non, quia supposito quod genera summa sint univocata essen-
tialiter respectu vocis ens necessarium est ut sint composita logi-
ce ex ente.
An absolute genera summa possint esse univocata respectu
vocis ens licet sint logice simplicia? imo possunt tamen eadem
esse univocata accidentaliter respectu vocis ens, sicut rationale et
irrationale sunt logice simplicia licet sint univocata respectu vocis
album, idem respectu vocis conceptibile.
An nos habeamus iustam causam contradicendi in hac re Por-
phyrio et Aristoteli? imo, quia substantia et accidens considerata
tunc secundum essentiam suam conveniunt in eo quod sint apta
existere, et differunt per differentiam ipsis propriam.
Quo fundamento dixerunt Porphyrius et Aristoteles genera summa
debere esse logice simplicia? quia existimaverunt praedicamenta debe-
re esse per se primo diversa.
Quid respondet nostra sententia ad hoc? negat illud assumptum, quia
sufficit quod sint diversa gratia partis.
An praedicamenta non debeant esse realiter diversa? non, unde dan-
tur entia diversorum praedicamentorum quae sunt eadem a parte
rei.
Da entia diversorum praedicamentorum quae sint eadem a parte rei?
albedo, et similitudo eius, illa pertinent ad diversa praedicamen-
ta, albedo quidem ad praedicamentum qualitatis, similitudo vero
ad praedicamentum relationis.
Cur iterum non sequitur ab authoritate.

Aristoteles, et Porphyrius dixerunt genera summa esse logice
simplicia. ergo

Sic est? quia argumentum ab authoritate non valet
dum ipsi obstat maior authoritas vel melior ratio, hoc vero in
proposito accidit quia nos habemus meliorem rationem quam Ari-
stoteles.
An genera summa conveniant in pluribus univoce quam in
ente? imo, quia etiam conveniunt in accidente nomen genera
summa.

An ratio entis sit abstracta a rationibus inferiorum? ratio objectiva entis non est abstracta realiter a rationes objectivas inferiorum, quia superius non distinguitur unquam realiter a suo inferiori prout in illo reperitur.

An ratio formalis entis distinguatur realiter a ratione formali inferiorum? imo.

Quid intelligitur per rationem formalem entis? conceptus formalis repraesentans ens, et conformiter per rationem formalem inferio: quid vero intelligitur? conceptus formaliter repraesentans inferiora.

An ergo ratio formalis animalis distinguatur realiter a ratione formali hominis et bruti? imo, quia potest dari in rerum natura conceptus aliquis quo concipitur animal in genere absque eo quod in nobis existat conceptus aliquis hominis aut bruti, si autem non posset fieri si deberet conceptus animalis in genere realiter identificari conceptui hominis vel bruti.

Unde probas quod in nobis aliquando detur conceptus animalis, et non conceptus de homine vel bruto? experientia patet quod aliquando cogitamus de animali in genere nihil simul cogitando de homine vel bruto.

proba ex eo sequi quod conceptus ille de animali in genere debeat realiter distingui a conceptu hominis et bruti: quia idem a parte rei non potest existere nisi simul existat illud cum quo est idem a parte rei; est enim impossibile ut aliquid existat sine ipso. eadem est ratio de conceptu entis respectu conceptus inferiorum quae est de conceptu animalis respectu conceptus hominis vel bruti.

An non sit verum dicere, conceptus hominis est conceptus animalis? distinguo, falsum est dicere conceptus hominis est conceptus de animali in genere, hoc tamen est verum conceptus hominis est conceptus alicuius animalis, sed non obstat antedictis, quia sicut aliquod animal non est superius hominis, sed animal in genere seu animal sumptum simpliciter, ita conceptus alicuius animalis non repraesentat superius hominis.

An ens contrahatur realiter ad sua inferiora? non, quia id quod realiter contrahitur debet realiter distingui, tum ab eo per quod contrahitur, tum etiam ab eo ad quod contrahitur; neutrum vero istorum convenit enti, quia nec distinguitur realiter a sua differentia divisiva per quam contrahitur, nec distinguitur realiter ab inferiori ad quod contrahitur.

Quid realis contractio? est diminutio realis amplitudinis.

Quotuplex est realis illa amplitudo? valde varia est; aliquando enim est indifferentia subjecti ad plures formas reales, aliquando vero est indifferentia causae efficientis ad efficiendos plures effectus, aliquando est indifferentia partis realis ad constituenda plura composita realia, aliquando est indifferentia ad occupandum plura spatia.

An omnes illae amplitudines reales eodem modo limitentur?

non.
Quomodo limitatur illa quae est indifferentia subiecti realis? per adiunctionem certae formae, quae realis sit ut non possit simul cum illa recipere formam aliquam incompossibilem sibi, sic haec materia prima per frigus intensum limitatur ut simul cum illo non suscipiat calorem servandum eundem sui.
Quomodo limitatur indifferentia causae efficientis? plerumque per circumstantias, sic sol per lutum determinatur ad indurandum, per ceram vero limitatur ad emolliendum.
An contractio logica sit contractio realis? non, sed tantum est contractio rationis.
Cui contractioni reali est similis contractio logica? illi qua forma realis constituit aliquod compositum reale cum suo subiecto, logica enim compositio concipitur ad instar physicae, salvo eo quod extrema compositionis logicae differant solo numero, extrema vero compositionis physicae differant realiter.
Quid contractio logica? est coniunctio qua differentia logica sic coniungitur materiae logicae ut cum illa constituat compositum logicum strictius ipsa materia, ut contractio qua animal per rationale contrahitur ad hominem.
respectu cuius compositum logicum ad quod fit contractio debet esse strictius? debet esse strictius quam materia logica quae contrahitur, supposita convenientia expressionis utriusque.
An illud compositum logicum debeat esse strictius quam differentia contrahens? non est necesse, quia homo non est minus communis quam rationale, sed sunt convertibilia.
Quotuplex contractio logica? duplex, alia activa, alia passiva.
Quid contractio logica activa? est contractio logica considerata prout tenet se ex parte differentiae contrahentis.
Quid contractio logica passiva? est contractio logica considerata prout tenet se ex parte materiae logicae contractae.
An sit eadem res contractio logica activa et passiva? imo, quia sicut est eadem unio qua materia prima unitur formae substantiali et contra, ita est eadem unio logica qua superius unitur suae differentiae divisivae et contra.
Quomodo distinguuntur differentiae divisivae entis ab ente secundum rationem.
An differentiae sint condistinctae secundum rationem ab ente? imo, quia neutrum ex istis includit alterum secundum rationem, nec includunt etiam eandem partem secundum rationem, quia unio realis debet consistere inter extrema proxima realiter distincta, ergo consistet unio logica rationis qualis est inter differentiam et genus divisum per illam differentiam debet consistere inter extrema secundum rationem a paritate rationis.
An ens praedicetur quidditative? imo.
praedicari quidditative sumitur dupliciter, late et stricte.
Quid praedicari quidditative late? est praedicari in propositione qua apte respondetur ad quaestionem quaerentem quid sit res. sic

homo brutorum predicantur
An quid non predicatur in quid late: non datur: quia quidlibet potest
predicari in quid late de se ipso.
Quid predicari quidditative stricte? est predicari per modum partis pure
materialis logice:
de quibus predicatur ens quidditative stricte? de suis inferioribus, est
enim pars pure materialis logica illorum
An ens predicetur quidditative stricte de differentiis? non, quia ens non
est pars materialis logica respectu suarum differentiarum, quia diffe-
rentie secundum rationem sunt condistincte ab ente
An ens predicetur quidditative de passionibus entis? non.
Quomodo cum hec predicatio sit quidditativa, veritas est ens? distin-
guo si ens capiatur latissime tunc illa predicatio erit quidditativa quod
si vero ens capiatur pro ente reali tunc non erit predicatio quid-
ditativa, quia erit predicatio subiecti de sua proprietate similis huic
risibilitas est homo
An differentie predicentur in quid stricte? imo aliquae.
quaenam ergo predicantur in quid stricte? differentie universales, ut
rationale de hoc rationali.
An differentie predicentur in quid stricte de eo cuius sunt differentie?
non, quia non predicantur de eo per modum partis pure materialis
sed per modum partis formalis.
Unde desumuntur differentie logice? verum: a tota entitate rei
id est ab omnibus partibus et unionibus realibus.
Quomodo cum genus desumatur a materia et differentia a
forma substantiali? nego, quia in primis hoc non potest esse verum
in accidentibus et ceteris que carent materia prima et forma
substantiali.
An saltem in corporibus naturalibus sit verum quod ipsorum
genus desumatur a materia prima quae ~~illorum~~ generis [illegible]
~~[illegible]~~ et differentia a forma substantiali? non.

Tractatus Tertius

De Passionibus entis

In quo differunt proprietas entis et passio entis? non differunt.
Quid passio entis? attributum accidentarium profluens ex entis essentia, et convertibile cum ente. ut unitas, veritas, bonitas.
An risibile sit proprietas entis? non, quia non est convertibile cum ente, sed tantum cum homine.
Quid attributum accidentarium? quod alicui accidentaliter inhaeret. ut albedo respectu parietis, risibile respectu hominis.
An rationale sit attributum accidentarium respectu animalis? non.
Quomodo cum non sit de essentia animalis? licet verum, et non inhaeret, quia equidem non inhaeret animali accidentaliter prout hic
Quid accidentaliter inhaerens hic? est inhaerens per modum formae subiecto cum quo non facit ens unius naturae.
Quid profluens ex entis essentia? est quasi causari per resultantiam ab essentia entis.
An proprietates entis vere causentur ab essentia entis? non, sicut risibile non causatur vere et realiter ab homine.
Cur proprietates non causantur vere et realiter ab ente? quia proprietates entis non distinguuntur realiter ab ente, ut patet in veritate et bonitate; unitas quidem differt realiter negative ab ente, sed cum sit tantum negatio non potest vere et physice causari ab ente.
Unde possumus scire an proprietas aliqua emanet ab essentia entis? si emanet ab ~~essentia~~ ente ubicunque reperto.
Quomodo proprietas entis debet enti convenire necessario an contingenter? necessario, non contingenter, quia debet quasi per resultantiam emanare ab ente, hoc vero solet esse proprietas quod per resultantiam causatur ab ente.
Divide passionem entis: in simplicem et complexam.
Quid passio complexa entis? est passio quae exprimitur vocabulo

conflato ex repugnantibus disiunctive connexis. ut universalis vel
singularis.

An unitas vel veritas sit passio complexa entis? non, quia non
constat ex membris repugnantibus.

An unitas vel multitudo sit passio complexa entis? non.

Quomodo cum constet ex membris repugnantibus disiunctive connexis?
non refert.

Quomodo ergo non est passio complexa entis? quia non est passio entis.

Cur unitas vel multitudo non est passio entis? quia non est con-
vertibilis cum ente, quia illud attributum convenit composito per
accidens, ergo non competit soli enti famose sumpto pro ente unius
naturae.

An idem et diversum sit proprietas complexa entis? non, quia non
exprimitur tali vocabulo quod constat ex repugnantibus disiunctive
connexis.

An saltem idem vel diversum sit proprietas entis? imo.

Quomodo cum illa attributa non repugnent? repugnant saltem
respectu eiusdem.

Quomodo cum aliquid possit esse idem, et diversum ab eodem? hoc
quidem sub diversa consideratione potest fieri, sed sub eadem non
potest, ut homo in genere, est enim realiter idem cum petro
et simul est diversus a petro secundum rationem.

An aliquid possit esse idem realiter et diversum realiter ab eodem?
per se primo quidem hoc fieri nequit, sed bene potest fieri quod
gratia unius partis aliquid sit realiter idem, et gratia alterius
realiter diversum, ut manus dextera petri, est enim partialiter
eadem cum manu sinistra eiusdem gratia [illegible] animae ra-
tionalis, et etiam est partialiter diversa gratia materiae.

Quid passio simplex entis? est passio quae non exprimitur vocabulo
conflato ex repugnantibus disiunctive connexis

assigna talem: ut unitas veritas.

Quid intelligis per vocem unitas, vocem an rem significatam?
rem significatam.

Cur non istam vocem unitas? quia vox unitas non resultat ab
entis essentia, quia non concomitatur ens ubique repertum, pro-
prietas vero entis debet concomitari ens ubicumque ipsum ens re-
peritur.

Quomodo cum equidem unitas poterit dici proprietas entis cum
non conveniat soli enti? convenit soli.

Quomodo cum conveniat aliquibus quae nec sunt ens in genere, nec
sub inferioribus eius? est verum et non verum.

probas esse verum: quia convenit etiam rationali, item ceteris diffe-
rentiis, convenit risibili, flebili, et similibus proprietatibus quae
nec sunt in suo genere, neque inferioribus illius.

Quomodo ergo verum est quod proprietas entis conveniat soli
enti? equidem, quia sic convenit enti famose sumpto ut nulli
alteri realiter distincto conveniat, hoc autem sufficit ut dicatur con-
venire soli enti.

An recte sic definiatur simplex proprietas entis, est quae expri-
mitur vocabulo simplici? non.

proba: quia passio simplex entis bene potest exprimi vocabulo
complexo: ut patet ex ipsa definitione sua indivisum esse et in se.
Qualis passio est unitas vel veritas simplex an complexa? resp.
primis non est passio complexa entis quia non constat ex membris
repugnantibus
Declara illa membra non repugnare: quia unitas vel veritas insunt
simul eidem.
An unitas vel veritas sit passio entis simplex? aliqui affir-
mant et aliqui negant, itaque est utrumque dicatur
quo fundamento affirmatur? hoc quia non potest excludi a de-
finitione passionis simplicis.
quo fundamento sustinetur oppositum? quia illud aggregatum non
tamen est unica passio quam aggregatum ex pluribus passionibus
videtur quod excludatur illud aggregatum a definitione passio-
nis simplicis per verba definitionis quod est proprietas entis.
An non possit dari passio entis conflata ex pluribus passio-
nibus entis? imo ut idem vel diversum, utraque enim passio ibi
est proprietas entis.
Quare similiter unitas vel veritas non constituunt simul unam
proprietatem entis? quia utraque seorsim in ratione proprietatis est
completa, ita ut ulteriorem complementum non admittat.
An semper partes proprietatis complexae entis sint proprietates
entis? non. et universale vel singulare est proprietas entis
tamen neque universale seorsim est proprietas entis, nec etiam
singulare.
Declara neutrum seorsim esse proprietatem entis: quia neutrum
seorsim est convertibile cum ente.
An proprietas entis debeat esse convertibilis quoad praedica-
tionem cum ente? si abstracte exprimatur tunc non est converti-
bilis quoad praedicationem quinimo tunc repugnant quoad praedica-
tionem potest tamen tunc dici convertibilis quoad essendi conse-
quentiam: sequitur enim ens est ergo unitas est et contra.
An unum concretive expressum possit dici proprietas entis? imo
Qua acceptione tunc accipitur unum dum dicitur unum est
proprietas entis? simpliciter nominaliter pro ipsa unitate.
Cur non personaliter pro denominatis? quia falsum est quod unum
pro denominatis sumptum sit proprietas entis, quia quando unum
sumitur pro denominatis tunc unum sumitur pro ente, iam autem
ens non est proprietas respectu entis, quia proprietas entis debet
aliquo modo distingui ab ente, iam autem ens non distinguitur a se
ipso.
Quare proprietas entis debet distingui ab ente? quia in primis debet
esse attributum accidentarium entis, secundo debet modo nostro
concipiendi causari ab ente, non possumus autem cum fundamen-
to concipere quod idem omnino causetur a semet ipso
An per se vel in alio sit proprietas entis.
excluditur a definitione passionis entis per illud, attributum acciden-
tarium.
Quomodo non est attributum accidentarium respectu entis omnino non

sit de essentia entis? non refert, quia equidem non inhaeret acci-
dentaliter enti, quia id quod accidentaliter inhaeret non potest constituere
cum eo cui inhaeret unius naturae.
Ostende quod illud aggregatum constituat unius naturae cum
ente? quia illud aggregatum est totum disiunctivum quod gratia utriusque
suae partis constituit unius naturae, quia perfectum ente con-
stituit substantiam, in aliis vero constituit accidens cum ente.
An albedo vel negatio albedinis sit proprietas entis? non, quia non est
attributum convertibile cum ente, quia conveniunt aliquibus quae non
sunt entia famose ut compositis per accidens.
Quomodo recte cum sic idem vel diversum non sit proprietas entis?
idem vel diversum nullo modo restringendo etiam non est proprietas
entis quia illis etiam convenit compositis per accidens, cum autem
idem vel diversum assignatur tanquam proprietas entis, tunc
idem vel diversum restringuntur ad illa quae reperiuntur in ente fa-
mose.
An albedo vel negatio albedinis reperta in ente famose scilicet
reali et unius naturae sit proprietas entis? non, quia siquidem non est
attributum accidentarium profluens ex entis essentia, quia non emanat
per resultantiam ab ente utrique reperto.
Declara quod non: quia enti reperto in hac materia primae contingen-
ter competit utraque pars istius disiuncti albedo scilicet, et negatio
albedinis.
Quid tunc cum equidem totum disiunctum necessario conveniat enti
reperto in hac materia? non refert, quia hoc non sufficit ut totum
dicatur resultare ab essentia entis, quia ut hoc fiat debet ab illo ema-
nare necessario ad minimum gratia unius partis, hoc autem non accidit
in casu nostro.
Qua acceptione accipitur obliquus entis cum dicitur unitas
est passio entis? quasi simpliciter accipitur.
Cur non simpliciter absolute? quia ad hoc ut aliquid sit passio
entis debet esse passio entis ubicumque reperti, cum vero si [illegible]
ciperetur simpliciter passio entis reperti in uno vel altero inferio-
re tantum deberet esse passio entis, hoc autem falsum est.
Cur obliquus entis non accipitur particulariter vel confuse cum
dicitur passio entis? quia sic deberet risibilitas dici passio entis quia
est passio alicuius entis nempe hominis.
Quid complexio passionis complexae entis? est expressio qua passio entis
exprimitur vocabulo conflato ex repugnantibus disiunctiva connexis
quod additur hoc non est necessarium, quia repugnantia non possunt
aliter eidem convenire quam mediante coniunctione disiunctiva.
Quid simplicitas passionis simplicis? est negatio in passione talis ex-
pressionis qua exprimatur vocabulo conflato ex repugnantibus
disiunctiva connexis.
Divide passionem simplicem entis. R. famose dividitur in uni-
tatem, veritatem, et bonitatem transcendentalem.

An sic dividatur adequate? non.
Das ergo passionem simplicem entis praeter illas tres: identitas
item diversitas
Quid unitas transcendentalis? est indivisio rei in se. ut uni-
tas hominis.
An ergo unitas hominis sit passio entis? non, quia unitas ho-
minis non convenit enti ubicunque reperto, quia non convenit enti
reperto in bruto.
Quomodo ergo recte definita est ante unitas transcendentalis?
quia sola illa unitas quae est passio entis non est ante definita.
An ante data definitio non possit sic sumi ut solum contineatur
illa quae est passio entis? imo
quando continebitur sola illa? si obliquus rei accipiatur quasi sim-
pliciter ubi diceBamus ante debere accipi obliquum entis quia post ali-
quid dicitur passio entis, item posset subintelligi pro genere definiti
passio entis.
An non bene sequatur: unitas est passio entis
unitas hominis est unitas, ergo
unitas hominis est passio entis? non
Da vitium: plura vitia sunt ibi, in primis medium syllogisti-
cum non distribuitur, secundo committitur aequivocatio sive illo obli-
quo entis, quia in maiori accipitur quasi simpliciter, et in con-
clusione accipitur particulariter.
Quid indivisio rei in se? est negatio compositionis ex pluribus non
unitis unione per se.
Qualis negatio est privatio an negatio pura? negatio pura late.
Cur non est privatio? quia privatio debet esse absentia formae a
subiecto capaci. iam autem ens unius naturae non debet esse ca-
pax compositionis ex partibus non unitis unione per se.
An debeat esse incapax talis compositionis? imo
An ergo unitas transcendentalis debeat esse negatio pura stric-
te? potest quidem sic sumi.
Da terminum negatum per unitatem transcendentalem: divisio
rei in se.
Quid divisio rei in se? est compositio ex pluribus non unitis unione
per se
An ergo divisio hic non sumatur proprie? non.
Quid divisio proprie? est sublatio unionis inter partes salvas
manentes.
Quid unum per se? est aliquid in se indivisum
An sic bene definiatur unum per se, est compositum ex partibus uni-
tis unione per se? non.
Quomodo se habent unum per se, et compositum ex partibus unitis unione
per se? utrumque est homo.
Da prius tantum: unum per se quod est omnino simplex. ut haecceitas
huius intellectus, item huius gradus albedinis.
Da compositum ex partibus unione per se tantum: ut domus, quia

aliquae saltem partes domus uniantur unione per se, scilicet partes lapidis vel ligni.
An ergo non sufficiat ad unum per se quod sit subiectum unitatis transcendentalis? non, quia domus est subiectum unitatis tum gratia suarum partium, tum etiam gratia suorum accidentium, ut albedinis, frigoris etc.
An saltem sufficiat ad ens unum per se quod sit subiectum proximum unitatis? imo.
Quomodo cum sit homo non erit ens unum per se? nego.
Quomodo cum sit subiectum unitatis gratia partium? non refert, quia homo non dicitur ens unius naturae ab unitate partium, sed ab unitate quae competit illi per se primo.
Declara quod totum non dicatur unum ab unitate partium: quia totum potest esse aggregatum per accidens, licet omnes partes eius sint etiam unae per se.
Da tale totum: compositum ex intellectu et conceptu intellectus. unum est ens unum sicut conceptus; similiter unio qua intellectus unitur conceptui etiam ens unius naturae est, et tamen totum illud compositum tantum est unum per accidens.
An alicui possit inesse proxime unitas per se, et tamen non esse unum per se? imo.
Quomodo cum sufficiat ad unum per se ut sit proximum subiectum unitatis per se? non refert.
Quomodo ergo fieri potest id quod est in quaestione? hoc fit si unitas ipsi ~~non~~ insit non ~~unit~~ per modum formae informantis sed per modum formae componentis.
Da tale compositum cui sic insit proxime unitas per se, et tamen non est unum per se: tale est aggregatum per accidens ex homine et unitate.
Divide ens unum: dividitur in ens unum quod est omnino simplex et ens unum compositum, repetendo divisum in membris dividentibus, quia alias compositum per accidens etiam comprehenderetur sub membris dividentibus.
Quid ens unius naturae omnimode simplex? quod nullas habet partes.
Da tale quod sit universale: differentia logica simplex constitutiva intellectus.
Quomodo non habet partes cum habet inferiora quae sunt partes potentiales? non refert, quia per partes hic intelliguntur partes famosae quae debent esse partes actuales.
Quid ens unius naturae compositum? est ens unius naturae quod habet partes.
An sic bene definiatur, quod constat partibus unitis unione per se? non, quia neque requiritur ut omnes suae partes uniantur unione per se, sed sufficit quod aliquae tantum partes uniantur unione per se.
Declara non sufficere quod aliquae tantum partes uniantur unione

per se: quia sic domus posset esse sub unius naturæ.
Declara non requiri ut omnes partes talis entis uniantur unione per
se: quia sic homo non esset sub unius naturæ.
Ita ergo aliquas partes hominis sic unione per se: sic partes logi-
cæ hominis non uniuntur partibus physicis.
inter quas ergo partes compositi unius naturæ debet intercedere unio
per se? inter omnes partes eiusdem generis, id est si habeat par-
tes integrales, omnes illæ debent uniri unione per se, si habeat phy-
sicas illæ debent similiter etiam uniri unione per se, et sic conse-
quenter.
Quomodo hoc recte dicitur cum sic homo non esset sub unius naturæ
nego, quia licet eius partes integrales non uniantur sibi immediate
omnes, uniuntur tamen mediate hoc autem ex illa parte sufficit.
An totalis subsistentia petri sit una per se, an tantum per acci-
dens? in sententia communiori de subsistentia tantum est una per
accidens, sicut etiam totalis unio physica petri tantum est una per
accidens.
probatur unione: quia totalis unio physica petri constat variis
partialibus unionibus quæ sunt diversæ speciei, ac proinde cum illæ unio-
nes non habeant se per modum actus vel potentiæ non possunt simul
constituere unius naturæ.
proba quod totalis unio physica constet partibus diversæ speciei: quia
constat partialibus unionibus quæ habent unum saltem extremum di-
versum numero, iam autem uniones variantur specie quando extrema
variantur solo numero.
Declara extrema illarum unionum numero variari: quia etiamsi sit
eadem numero anima rationalis in capite et pede petri, non est tamen
eadem numero materia prima, ac proinde ex parte materiæ primæ diffe-
runt specie unio consistens inter animam rationalem, et materiam
pedis, et unio consistens inter eandem animam rationalem, et ma-
teriam capitis.
Quomodo ergo petrus constans tali unione potest esse sub unius
naturæ? in primis responderi potest quod illa unio non involvatur in
essentia petri, sed quod petrus sit compositum ex materia et anima
substante tali unioni.
Suppone quod unio involvatur in essentia, et ostende quomodo petrus
quidem possit esse sub unius naturæ: hoc fiet si dicamus singulas
unionis physicas indivisibiles facere sub unum cum anima ratio-
nali, et indivisibili materia, et quod materia illa indivisibilis unia-
tur unione integrali alteri materiæ, et ista altera reliquum, et
sic consequenter.
Proba hoc sufficere ad sub unius naturæ: quia ad sub unius na-
turæ non requiritur ut omnes partes uniantur immediate unione
per se, sed sufficit quod sic uniantur mediate, hoc vero etiam competit
istis partialibus unionibus ut ante ostensum fuit.
Declara non requiri immediatam illam unionem inter omnes par

tes entis unius naturae: quia homo bene est sub unius naturae licet caput et pedes non uniantur sibi immediate. similiter albedo extensa per totum parietem est sub unius naturae quamvis extremae partes non uniantur inter se unione per se.

Declaratur petrum posse esse sub unius naturae licet totalis subsistentia petri sit tantum composita per accidens: quia quaelibet subsistentia indivisibilis unitur per se indivisibili naturae, [illegible] autem illa indivisibilis natura iterum unitur per se alteri indivisibili naturae et illa alia rursum, etc. et insuper singulae illae naturae indivisibiles uniuntur cum indivisibilibus subsistentiis sibi correspondentibus, ergo nihil vetat quo minus petrus sit sub unius naturae, licet totalis subsistentia sit aggregatum per accidens.

An si non possimus defendere quod chymaera sit sub realis et unius naturae? non ~~[illegible]~~

Cum non enim possimus dicere quod chymaera constat partibus animalium diversae speciei quarum materiae saltem uniuntur unione per se licet sic [illegible] unitatur formae? non est par ratio de chymaera quae est de petro.

Assignatur est ratio disparitatis? quia natura capitis v.g. petri est integraliter incompleta sic ut ulterius compleatur per materiam colli pectoris etc. aliud est de materia prima alicuius animalis quae totaliter completa est integraliter sic ut materiae alterius animalis diversae speciei integraliter uniri non possit, et hinc chymaera sub unius naturae esse non potest.

An una arbor constans ex duabus quarum una implantatur in aliam sit sub unius? non, unde licet pyrum implantetur in pomo non exsurget sub unius, licet appareat esse eadem arbor quae ferat poma et pyra etc.

Quare talis arbor non est sub unius? quia singulae arbores secundum integraliter completae sunt, et sic non uniuntur sibi mutuo contra suae materiae integraliter propriae.

An contrarium non talis colligatur quod tales arbores difficulter possint a se mutuo avelli? non.

An ergo partes compositi per accidens possint sibi mutuo firmius adhaerere quam partes entis unius naturae? ita, quia sic aggregatum per accidens ex oleo et veste habet partes magis tenaciter adhaerentes quam aqua, unde multo facilius est dividere aquam ab aqua quam separare oleum a veste vel charta, et tamen unio integralis inter partes aquae est unio per se, et unio inter oleum et chartam est tantum unio per accidens.

Quid unio per se? est unio consistens inter extrema eiusdem generis naturam suam principaliter ordinata ad constituendum simul aliquod totum.

An unio per se non sit idem quod unio quae est sub unius naturae? non.

Quomodo se habent. utraque est unio qua indivisibilis materia prima unitur animae rationali.

Da unionem per se quae non est sub unius naturae: totalis unio petri quia constat partialibus unionibus diversis speciei quae non habent

se per modum actus et potentiæ.
Da econtra unionem quæ est sub unius naturæ et tamen non
est unio per se: talis est unio quâ intellectus unitur conceptui
intellectivo, esse ante petitas excedit se.
Quandonam extrema censentur eiusdem generis? quando non pertinent
ad diversa prædicamenta.
An non darentur unio per se antequam essent prædicamenta? imo: sic
enim unio hominis erat unio per se antequam ullus homo cogi-
tasset de prædicamentis.
An homines iam non possent facere ut materia prima, et forma
substantialis pertinerent ad diversa prædicamenta? imo, quia ut in
logica diximus numerus ille prædicamentorum arbitrarius est, et
sic si homines voluissent facile potuissent facere duo prædicamen-
ta substantiæ, et in uno ponere substantiales materiales, et in altero
spirituales, hoc autem facto anima rationalis, et materia prima
pertinerent ad diversa prædicamenta.
An per hoc unio physica hominis desineret esse unio per se? non,
Quomodo ergo recte requiritur ad unionem per se quod consistat
inter extrema eiusdem generis? hoc intelligitur secundum præsentem
constitutionem prædicamentorum.
Quomodo extrema unionis per se debent pertinere ad idem prædica-
mentum directe an indirecte an reductive? nullo ex illis modis, sed satis
est quod non pertineant ad diversa.
An vero eadem omnibus illis modis ad idem prædicamentum pertinere
possint? imo.
Da extrema unionis per se quæ pertineant ad idem prædicamentum di-
recte: tales sunt partes integrales alterius.
Da extrema unionis per se quæ ambo pertinent indirecte ad idem prædi-
camentum: talia sunt subsistentia et rationale quæ uniuntur unione
per se.
Das extrema unionis per se quæ ambo pertinent ad idem prædicamen-
tum reductive: materia prima, et anima rationalis.
Da extrema unionis per se quorum unum pertinet directe, et alte-
rum indirecte ad idem prædicamentum: animal, et rationale.
Da extrema unionis per se quæ nullo modo ex tribus iam datis per-
tinent ad idem prædicamentum? sub latissime, et in alio quæ simul
mediante unione per se constituunt accidens in genere.
Declara illa extrema esse eiusdem generis prout hic: quia non
spectant ad diversa prædicamenta cum neutrum illorum ullo modo
prædicamentale sit.
Da extrema eiusdem generis quorum unum pertinet ad aliquod
prædicamentum, et alterum neutri sub in genere, et hæreditas petri
An omnia extrema eiusdem generis uniantur unione per se? non.
Da extrema eiusdem generis quæ non possunt sic uniri: homo,
et brutum, quia sua natura sua non ordinantur principaliter ad con-

stituendum aliquod totum.

Quaenam illa sint quae ordinantur principaliter ad constituendum aliquod totum: partes logicae, physicae, metaphysicae et integrales proprie dictae.

An domus non habeat partes suas logicas? imo.

Cur ergo domus non est ens unius naturae? si domus tantum haberet compositionem logicam tunc etiam posset esse ens unius naturae, sed domus non tantum habet illam compositionem logicam sed insuper compositionem integralem late dictam ex partibus diversae speciei videlicet ex lapidibus, lignis etc. et ex parte illius compositionis provenit quod domus sit tantum compositum per accidens.

An si domus esset facta ex unico lapide non esset ens unius naturae? non, sed esset compositum per accidens, quia componeretur ex lapide et figura artificiali. si quis tamen diceret quod domus non involveret figuram artificialem, sed merae illae substantiae tunc posset dici quod domus sic conflata ex unico lapide esset ens unius naturae.

Quod oppositum unitatis transcendentalis? multitudo transcendentalis.

Qua specie oppositionis opponuntur illae? quasi privative tanquam forma scilicet et negatio eius pura stricte.

Quotupliciter sumitur multitudo? dupliciter concretum et abstractum

Quid multitudo abstractum? est compositio ex pluribus non unitis unione per se.

Quid multitudo concretum? compositum per accidens ex pluribus non unitis unione per se.

Utrum est prior unitas an multitudo? multitudo sumpta abstractive est prior unitate, quia multitudo abstractum est terminus unitatis, iam autem terminus est natura prior negatione per quam tollitur.

An multitudo sumpta concretum sit prior quam unum? non, sed contra unum est prius multitudine sic sumpta, quia multitudo sic sumpta est totum respectu unius tanquam partis, pars autem est natura prior suo toto.

in quo differunt multitudo sumpta concretum, et unum per accidens? non differunt.

An quaelibet res sit unum per se vel unum per accidens? non

Da quod nec est unum per se, nec unum per accidens: plura considerata ut nullo modo unita, quod additur quia quaelibet plura possunt considerari tanquam aliquo modo inter se unita, et eatenus faciunt simul unum per accidens.

An unum per accidens recte sic definiatur, est subiectum unitatis per accidens? non, quia unum per se bene potest esse subiectum unitatis per accidens, ut homo.

proba: quia homo est subiectum aggregati per accidens ex albe-
dine et calore, et consequenter est subiectum unitatis per accidens
istius aggregati.
Da unum per se quod non est subiectum unitatis per accidens: non
datur.
Cur non deus? quia deus etiam est subiectum unitatis per accidens,
quia datur in deo compositum per accidens secundum rationem,
ut aggregatum ex intellectu et voluntate, et consequenter uni-
tatis per accidens talis compositi deus erit etiam subiectum.
Da generalem rationem cur unum per se debeat esse subiectum
unitatis per accidens? quia in quolibet uno per se datur aliquod
compositum per accidens saltem secundum rationem.
An unio per accidens sic recte definiatur: est subiectum
unionis per accidens? non, quia unum per se esse potest esse sub-
iectum unionis per accidens.
Da unum tale: homo.
Cuius unionis per accidens homo est subiectum proximum? sub-
iectum proximum unionis qua unitur intellectui, albedini etc.
Quid unitas per accidens? est unitas competens rei in se divisae
ut sic.
An unum per accidens possit esse subiectum unitatis transcen-
dentalis? imo, et semper unum per accidens reale est tale subiec-
tum, quia in omni composito per accidens debet tandem deveni-
ri ad aliquam partem quae est una per se.
Divide unitatem transcendentalem: in praedicamentalem, et uni-
tatem transcendentalem stricte.
Quid unitas praedicamentalis? est unitas competens rei corporeae.
ut unitas bruti.
An unitas praedicamentalis recte sic definiatur: est unitas quae po-
nitur directe in praedicamento? non, quia nulla unitas ponitur directe
in praedicamento, quia ens praedicamentale debet esse ens positivum,
unitas autem non est ens positivum sed negatio
An aliter sic recte definiatur: unitas praedicamentalis est quae com-
petit enti praedicamentali? non quia unitas praedicamentalis et unitas
competens enti praedicamentali excedunt se, utraque est unitas hominis
Da unitatem entis praedicamentalis non praedicamentalem: unitas
angeli, item intellectus.
Da econtra: unitas materiae primae.
Quid unitas transcendentalis stricte? est unitas competens rei incor-
poreae.
Da unitatem talem: ut unitas angeli.
Divide aliter unitatem in numericam stricte formalem et praecisio-
nis.
Quid unitas numerica stricte? unitas competens rei singulari. ut
unitas petri, pauli etc.
Quid unitas praecisionis? unitas competens conceptui praeciso.

Quid conceptus praecisivus? est conceptus quo superius aliquod concipitur sine suis differentiis inferioribus.
An ab illo conceptu universale dicatur unum secundum rationem? imo.
Quomodo cum illa unitas sit tantum extrinseca rei universali? non obstat quia res tantum dicuntur eadem secundum rationem ab identitate rationis ipsis extrinsece competente.
An sola res universalis habeat identitatem seu unitatem rationis? non, quia etiam res singularis est eadem cum se ipsa secundum rationem.
An rei singulari etiam competat unitas praecisionis? ordinarie non, quamvis dentur aliqua singularia quae ~~sunt~~ sunt superiora respectu aliquorum inferiorum.

Quid unitas formalis? unitas rei considerata ut indifferens est ad statum universalem et singularem.
An detur aliqua talis unitas? non, quia omnis res unius naturae est universalis vel singularis, nulla vero est indifferens ad statum universalitatis et singularitatis, de quibus postea.
An universale non habeat aliam unitatem quam praecisionis? imo, semper unitatem illa qua dicitur esse unius naturae.
An habeat tantum unicam talem unitatem? non, sed
quot ergo tales unitates habet universale? tot quot habet inferiora, quia universale in singulis inferioribus suis debet esse sub unius naturae.
An universale in pluribus inferioribus simul sumptis debeat esse sub unius naturae? non, aliquando quidem hoc accidit, sed valde raro.

Divide aliter unitatem: in unitatem realem et rationis.
An unitas realis et unitas rationis etiam sint species unitatis transcendentalis? non, quia utraque illa unitas tam bene competit compositis per accidens quam entibus unius naturae, quia quaelibet res tam bene quae componitur per accidens quam quae est sub unius naturae est eadem secum a parte rei: domus enim tam est eadem a parte rei secum quam homo; similiter etiam composita per accidens sunt eadem secum secundum rationem, sed de unitate seu identitate reali et rationis latius agetur post.

Da secundam passionem entis: veritas.
An veritas transcendentalis etiam sit negativa sicut unitas? non, sed veritas illa est quaedam relatio.

Defini veritatem transcendentalem: conformitas entis cum conceptu quo repraesentatur per modum entis realis unius naturae. ut veritas entis in genere quae est passio entis.
An homo habeat suam veritatem? imo.
An veritas hominis etiam sit passio entis? non, quia veritas hominis non convenit enti ubicumque reperto, sicut in simili dictum est de unitate hominis; solum ergo veritas transcendentalis entis in genere sicut unitas eiusdem est passio entis.
An domus habeat veritatem transcendentalem? non.
Quomodo cum domus etiam sit conformis cum conceptu quo repraesentatur esse domus? non refert.

cur ergo non habet veritatem transcendentalem? quia equidem non est conformis cum illo conceptu quo repraesentatur esse ens unius naturae.
An chymaera sit vera transcendentaliter? non, quia non est conformis cum illo conceptu quo repraesentatur esse ens reale, chymaera enim ens reale non est.
An composita per accidens non sint saltem quasi vera transcendentaliter? imo.
Quid veritas quasi transcendentalis? conformitas entis cum conceptu quo repraesentatur tanquam tale vel tale, sic ut non repraesentetur per modum entis famose sumpti.
Declara domui competere veritatem quasi transcendentalem? quia domus est conformis cum conceptu quo indicatur esse domus, illa autem conformitas est veritas quasi transcendentalis.
An eadem res possit esse vera transcendentaliter, et vera quasi transcendentaliter? imo.
Da tale: tale quid est homo
Declara quod sit verus quasi transcendentaliter: quia homo est conformis cum conceptu quo indicatur esse homo, rationalis etc.
Declara illam conformitatem esse veritatem quasi transcendentalem: quia per illam conformitatem homo est conformis cum conceptu quo repraesentatur esse hoc vel illud, sic ut per illum conceptum non indicetur esse ens famose sumptum, id est ens reale unius naturae.
Quomodo cum sic quaelibet res vera transcendentaliter est quasi vera transcendentaliter? hoc verum est, sed non refert.
An ergo ens in genere etiam sit verum quasi transcendentaliter? imo, quia ens in genere est conforme cum aliquo conceptu quo repraesentatur esse conceptibile, etiam tantum per talem conceptum, quo repraesentatur tanquam conceptibile, non repraesentatur esse ens reale unius naturae, et sic per illam conformitatem ens in genere non est verum transcendentaliter.
Quomodo ergo se habent verum transcendentaliter et quasi transcendentaliter? ut magis et minus communia, quia omne verum transcendentaliter est quasi verum transcendentaliter, non contra; Da posterius tantum omnis.
An ens rationis sit quasi verum transcendentaliter? imo, quia ens rationis est conforme cum tali conceptu quo repraesentatur tanquam ens rationis.
A qua veritate dicitur sumptio vera a transcendentali an quasi transcendentali? a veritate quasi transcendentali.
Declara sumptionem non dici veram a quasi transcendentali, quia falsum est quod sumptio sit vera transcendentaliter.
Declara illud esse falsum: quia sumptio est aliquid compositum per accidens ex pluribus vocibus, item ex voce et significatione.
Declara nihilominus sumptionem esse veram veritate quasi transcenden

tali: quia sumptio vera dicitur esse vera quia est conformis cum iudicio quo indicatur esse sumptio illa autem conformitas est veritas quasi transcendentaliter.

An sumptio non vera etiam non sit vera quasi transcendentaliter? imo. quia sumptio non vera est conformis cum iudicio quo indicatur esse sumptio non vera.

Cur ergo propterea non dicitur sumptio vera? quia ad veritatem sumptionis non sufficit qualiscumque veritas quasi transcendentalis sed requiritur talis veritas quasi transcendentalis per quam ipsa sit conformis cum iudicio quo repraesentatur tanquam sumpto

Qualis conformitas intelligitur in definitione veritatis transcendentalis aptitudinalis an actualis? aptitudinalis.

An salva veritate possit intelligi conformitas actualis? imo

Quomodo cum sit lapis nullam habeat veritatem transcendentalem, si nullus illum conciperet? quaestio supponit falsum, non potest fieri quod lapis non concipiatur ab aliquo, quia lapis sicut etiam quaelibet alia res necessario semper concipitur adeo ita ut deus semper habeat hoc iudicium, lapis est verum sub reale famose sumptum.

Quare ergo dicimus melius per conformitatem intelligi aptitudinalem? quia credibile est hic intelligi per conceptum conceptum humanum, iam autem quaelibet res non semper est conformis cum tali conceptu humano actu de facto existente qui repraesentat ipsum tanquam ens famose.

An conformitas in qua consistit veritas sit ~~[illegible]~~ aliqua relatio? imo.

Da fundamentum et terminum illius relationis? fundamentum est ipsum ens famose sumptum, id est ens reale unius naturae, terminus vero est conceptus per quem indicatur esse tale ens.

Qualis relatio est illa conformitas aequiparantiae an disquiparantiae an disquiparantiae? disquiparantiae.

proba, quia habet rationem fundandi diversae rationis et nominis cum ratione terminandi.

Quaenam ergo est ratio fundandi istius conformitatis? est repraesentatio passiva qua aliquid repraesentatur per modum entis famose sumpti.

Quaenam est ratio ~~fundandi~~ terminandi istius conformitatis? repraesentatio activa qua aliquid repraesentat alterum per modum entis famose sumpti.

Defin. ergo conformitatem illam in qua consistit veritas transcendentalis? est relatio fundata in ente famose sumpto terminata ad conceptum, orta ex eo quod illud ens per illum conceptum concipi possit tanquam ens famose sumptum, id est tanquam ens reale unius naturae.

Quid verum transcendentaliter? est aliquid conforme cum conceptu

repraesentantis ipsum per modum entis famose sumpti.

Quid est falsum transcendentaliter? est aliquid quod apparet esse verum transcendentaliter et tamen non est. Ut dentes alchymicae.

Quid falsitas transcendentalis? est negatio veritatis transcendentalis in re apparenter capaci istius.

Cur non sit negatio veritatis transcendentalis? quia negatio veritatis transcendentalis in re non quidem apparenter capaci istius non est falsitas transcendentalis.

Qualis negatio est falsitas, privatio an negatio pura? negatio pura.

Declara non esse privationem: quia ens falsum transcendentaliter non debet esse capax veritatis transcendentalis sicut etiam compositum per accidens non debet esse capax ut sit ens naturae.

An falsitas transcendentalis debeat necessario sumi pro negatione? non, sed quia potest sumi pro relatione eodem modo sicut veritas transcendentalis, maluimus tamen sic sumere pro negatione quia illa definitio facilior est.

Defini falsitatem transcendentalem sumptam pro relatione: est difformitas apparentis entis realis famose sumpti cum conceptu quo iudicatur esse verum ens reale et sensus naturae.

Quid falsus homo? aliquid quod apparet esse homo cum tamen non sit. Ut statua Caesaris.

An sint eadem veritas cognitionis et veritas transcendentalis? non, veritas enim cognitionis proxime convenit cognitioni, veritas autem transcendentalis convenit cuilibet enti famose sumpto.

Cui cognitioni competit veritas cognitionis, apprehensioni an iudicio? proprie maxime convenit iudicio.

An sit aliqua differentia inter apprehensionem et iudicium? imo.

An possimus apprehendere aliquam propositionem, et non formare ullum iudicium de illa? imo.

Da talem casum: quando quis audit illam propositionem omnes arenae maris sunt numero pares, bene apprehendit et propositionem et rem significatam per ipsam, non format tamen tali casu ullum iudicium de tali propositione.

Unde fit quod tunc homo audiens non formet iudicium de tali propositione? quia neque potest formare assensum neque dissensum talis propositionis, quia neque assensus neque dissensus potest haberi sine motivo saltem apparenti, non est autem ullum apparens motivum pro assensu, ut neque pro dissensu talis propositionis.

Cur non, si aliquis diceret sibi a Deo revelatum? nos quidem de tali casu non loquimur, interim talis esset valde suspectus de mendacio, non tantum quia Deus solet raro revelare aliquid hoc tempore, sed etiam quando revelat aliquid non solet hoc facere nisi ex aliquam magnam causam, non apparet autem ulla

utilitas talis ~~propositionis~~ vel revelationis.
An similiter iudex ipse non formet apprehensionem de illis quae par:
tes litigantes coram ipso allegant? immo, ut si Jacobus petat a Petro
centum sibi debita ex causa mutui, Petrus autem neget se debere,
iudex neutrum credit, sed ordinat ut Jacobus probet summam debitam,
quod si Petrus dicat se solutisse ordinat ut Petrus probet solutionem
factam.
An quando audimus aliquam propositionem probabilem, fiunt tor:
mentes apprehensionem, et non iudicium? dupliciter potest nobis
proponi propositio probabilis, primo sic ut simul ~~afferantur~~ afferantur
motiva probabilia pro assensu sic ut non afferantur motiva con:
traria pro dissensu, et tali casu bene formamus iudicium seu assen:
sum talis propositionis, aliquando autem sic proponuntur nobis ra:
tiones probabiles pro una parte contradictionis ut etiam propo:
nantur probabiles pro opposita parte, et tali casu puto quod neu:
trum credamus, unde qui problematice defendit utramque partem
contradictionis neutri parti assentitur.
cur non? quia motiva probabilia pro utraque parte allata, elidunt
se mutuo, ac proinde tali casu sic se habet homo acsi nullum mo:
tivum haberet, quia perinde est nullum habere motivum, et habere tale
quod per contrarium sistitur.
An saltem tali casu homo non possit formare saltem hoc iudicium
illa propositio est probabilis? quia hoc non erit tantum probabile
tali casu, sed certum, unde quis potest assentiri simul his duabus
probabiliter deus potest facere infinitum actu, et probabiliter
deus non potest facere infinitum actu, quia utraque illa propositio
est certa.
Qualis conformitas cognitionis cum obiecto requiritur ad veri:
tatem cognitionis? talis ut per illam obiectum sit repraesen:
tatum se habere ~~ut parte~~, uti se habet a parte rei.
An veritas illa non sit identitas specifica cognitionis cum obiecto?
non.
proba non posse dici: quia obiectum cognitionis verae saepe est sub:
stantia, cognitio autem semper est accidens.
An veritas cognitionis non consistat in identitate generica cogni:
tionis cum obiecto? non.
proba hoc etiam non posse dici: quia neque potest dici quod debeant esse
eiusdem generis proximi, neque eiusdem generis remoti.
proba quod non recte dicatur quod sint eiusdem generis proximi
quia saepe differunt genere proximo cognitio vera et eius obiectum
~~[illegible]~~ ut dictum est, quia cognitio vera est accidens, et eius ob:
iectum substantia.
declara non sufficere ad veritatem cognitionis quod sit eiusdem
generis remoti cum obiecto: quia talem convenientiam habet etiam
cognitio falsa cum suo obiecto.
qualis conformitas requiritur ad veritatem cognitionis aptitudinalis

lis an actualis? conformitas actualis.
proba non sufficere aptitudinalem: quia aptitudinalem conformitatem cum obiecto habet etiam cognitio falsa, quia illa fuisset vera si obiectum aliter se habuisset, uti fieri potuit.
quomodo hoc potest dici cum sic veritas mere possibilis non esset veritas? imo veritas mere possibilis etiam veritas est tam vere quam antichristus est homo.
Quomodo cum veritas mere possibilis non sit conformitas actualis? distinguo, illa quidem non est conformitas actualis prout illa distinguitur contra mere possibilem, est tamen conformitas actualis prout illa distinguitur contra aptitudinalem: quae distinctio duplicis entis actualis etiam observanda est pro aliis materiis.
Quomodo differt veritas cognitionis a cognitione vera? solutione.
proba non differre realiter? quia cognitio per hoc redditur vera quod obiectum sic se habet a parte rei sicut repraesentatur se habere per cognitionem, illa autem sic se habentia obiecti nihil ponit reale in ipsa cognitione.
An ergo veritas cognitionis sit identitas inter obiectum prout se habet a parte rei et prout per cognitionem repraesentatur? formaliter quidem veritas non consistit in tali identitate, interim concomitantur se veritas et illa identitas, et sic veritas in sensu concomitativo est talis identitas.
An falsitas cognitionis differat realiter a cognitione falsa? non, quia cognitio per hoc redditur falsa quod obiectum non habeat se sic sicut repraesentatur se habere, iam autem illa sic non habentia nihil ponit reale in actu intellectus qui dicitur cognitio vera.
quo fundamento aliqui distinguunt veritatem a cognitione vera? quia sustinent veritatem esse aggregatum ex cognitione vera et suo obiecto, sicut sustinent paternitatem esse aggregatum ex fundamento et termino paternitatis, sed nos illam doctrinam alibi refutamus, interim tamen facta illa suppositione recte dicunt veritatem realiter distingui a cognitione vera, quia obiectum realiter distinguitur ab ipsa.
An eadem sint veritas cognitionis, et veritas transcendentalis? non.
in quo conveniunt veritas cognitionis, et veritas transcendentalis? in eo quod utraque sit aliqua conformitas.
in quibus illae differunt? in multis differunt, cum ex parte fundamenti, termini, rationis fundandi, et terminandi.
declara quod differant ex parte fundamenti: quia fundamentum veritatis transcendentalis est quodlibet ens reale, unius naturae, fundamentum autem veritatis cognitionis est ipsamet cognitio vera.
declara quod differant etiam ex parte termini: quia terminus

veritatis transcendentalis est cognitio cuius ens reale est conformis. Terminus autem veritatis cognitionis est eius obiectum.

Declara similiter quo differant ex parte rationis fundandi: quia ratio fundandi veritatis transcendentalis est repraesentatio passiva qua aliquid repraesentatur per modum entis, ratio autem fundandi veritatis cognitionis est repraesentatio activa qua cognitio repraesentat sic se habere sicut se habet a parte rei.

Declara quo differant ex parte rationis terminandi: quia ratio terminandi veritatis transcendentalis est repraesentatio activa, qua cognitio repraesentat obiectum per modum entis famose sumpti, ratio vero terminandi veritatis cognitionis est repraesentatio passiva qua obiectum sic se repraesentatur habere sicut se habet a parte rei.

An idem possit esse verum veritate transcendentali et veritate cognitionis? probabilius est quod sic, ut iudicium simplex repraesentans copulam alicuius propositionis verae; illud enim iudicium est ens reale unius naturae, et etiam est verum veritate cognitionis.

An illud iudicium sit tale certo? non, quia dubium est an possit dari iudicium quod sit simplex qualitas.

An vox aliqua possit esse vera veritate transcendentali et veritate cognitionis? imo. probabile talem vocem posse dari: quia potest dari aliqua vox quae sit ens unius naturae, et illa potest institui ut significet principaliter iudicium verum; in tali casu vero talis vox erit vera utroque modo.

Quid falsitas cognitionis? est difformitas iudicii cum re cognita.

Quando iudicium censetur habere illam difformitatem? quando res aliter se habet a parte rei quam significatur se habere per iudicium.

Defini correlationem veritatis cognitionis: est relatio in obiecto fundata, terminata ad iudicium, orta ex eo quod obiectum illud ita se habeat a parte rei sicut significatur se habere per illud iudicium.

Defini conformiter correlationem falsitatis cognitionis: est relatio fundata in obiecto terminata ad iudicium orta ex eo quod aliter se habeat istud obiectum quam repraesentatur se habere.

An Arles recte dixerit veritatem et falsitatem prius esse in compositione et divisione? imo.

Quid hic compositio? simplex iudicium affirmativum, ut iudicium correspondens huic, homo est animal.

Quid conformiter divisio? simplex iudicium negativum, ut iudicium correspondens huic, homo non est brutum.

Da compositam veram cuius simplices sint falsae? si homo est brutum, homo est irrationalis.

Da enuntiationem compositam quae non constat ex simplicibus: loquor et ambulo.

Da compositam falsam cuius simplices sunt verae: si homo est animal, homo est homo.

An cognitio vera debeat habere veritatem pro obiecto? non, quia probatur experientia quia satis experimur quod dum assentimus alicui propositioni non habeamus conceptum aliquem formalem veritatis.

Quomodo cum debeat obiectum repraesentare sicut se habet a parte rei? non refert, quia licet illa sic se habentia necessario connotetur ipsam veritatem iudicii, illa tamen formaliter veritas non est.

A quo producitur veritas in iudicio vero? ab ipsomet intellectu, qui producit iudicium verum.

Proba ab eodem debere produci ipsam veritatem: quia veritas est idem a parte rei cum iudicio vero, quidquid autem producit unum realiter eundem hoc etiam producit alterum, sicut quod producit hominem debet producere visibilitatem, flebilitatem, ergo cum intellectus producat iudicium debet producere veritatem ipsi identificatam.

Quomodo producit illam veritatem an per actionem directam an per resultantiam? per actionem directam sicut per eandem producit ipsum iudicium.

An veritas non pertineat ad perpetuum et naturale complementum ipsius iudicii? non.

Cur hoc negabit dici? quia saepe competit iudicio quasi contingenter, perpetuum autem et naturale complementum ipsius rei competit ipsi necessario; sic enim calor competit igni.

Da tertiam proprietatem entis: bonitas transcendentalis

Dantur aliae bonitates praeter transcendentalem? imo.

Quid bonitas? bonitas absoluta est perfectio alicuius rei. ut bonitas hominis.

Quid bonum conformiter? idem quod perfectum.

Da quod non habet bonitatem: chymaera et generatim quodvis ens rationis quia non habent realem entitatem, ergo nec possunt habere bonitatem illi identificatam.

An composita per accidens habeant bonitatem? imo

quomodo ergo bonitas est convertibilis cum ente famose sumpto? bonitas sic generatim sumpta non est proprietas entis ut post latius patebit.

qualis bonitas est definita, absoluta an relativa? bonitas absoluta.

Quid bonitas relativa? est convenientia quam unum alteri convenit.

Quid bonum relative? idem quod conveniens alteri.

Divide aliter bonum: in bonum simpliciter et bonum secundum quid.

quod bonum sic dividitur? utrumque potest sic dividi.

Quid bonum absolute et simpliciter? quod involvit omnem perfectionem. ut deus et ille solus, adeoque de illa bonitate verum est dicere, nemo bonus nisi solus deus.

An creatura quae haberet infinitas perfectiones non esset bona absolute? non, quia creatura necessario debet habere dependentiam ab altero, illa autem dependentia imperfectio est.
An omnes creaturae sint bonum secundum quid? imo.

Quid bonum simpliciter, et relative? quod non involvit ullam imperfectionem neque aequalem aut maiorem perfectionem excludit. ut deus, intellectus, voluntas dei.
An omnia quae sunt in deo non sint talia? non.
Da ergo aliquid in deo quod non est tale quid: paternitas divina, illa enim iuxta theologos non est perfectio simpliciter simplex, quia licet non involvat imperfectionem, neque excludat maiorem perfectionem a patre in divinis, excludit tamen perfectionem aequalem.
Declara quod excludat aequalem perfectionem a patre? quia excludit a patre filiationem, quae est aequalis perfectio cum paternitate.
An intellectio dei sit perfectio simpliciter simplex? imo, illa enim non excludit a subiecto ullo suo aequalem vel maiorem perfectionem.

Quid bonum relative et secundum quid tantum? est quod excludit aequalem vel maiorem perfectionem a suo subiecto. ut albedo calor etc.

Divide aliter bonum: in bonum naturale, morale, iucundum et utile.

Quid bonum naturale? quod convenit naturae ut tali.
quando censetur conveniens ut tali? quando convenit naturae quatenus nata est operari non libere
Da bonum naturale? R. calor respectu ignis, frigus respectu aquae.

Quid bonum morale? quod per se convenit naturae rationali ut tali sepositâ omni delectatione. ut temperantia, iustitia, et generatim omnes virtutes.
An solae virtutes sint bona moralia? non.
quaenam ergo praeter virtutes sunt bona moralia? intellectus et voluntas quatenus sunt principia actionum bonarum, item obiecta circa quae versantur etiam dicuntur bona moraliter saltem obiective.
An bonum utile non continetur definitione boni moralis? bonum utile quod simul est bonum morale bene potest contineri, sed bonum utile praecise ut sic non continetur, quia illud quatenus tale solum convenit naturae rationali gratia alterius, bonum autem morale debet competere per se naturae rationali tanquam ipsi conveniens ut sic.
An bonum iucundum continetur hac definitione? bonum iucundum ut sic etiam non continetur quia bonum morale debet esse conveniens sepositâ omni delectatione naturae rationali ut sic
Quid bonum iucundum? delectatio vel eius obiectum
Quid delectatio? gaudium de bono praesenti.

Quid bonum Vtile? quod seruit ad obtinendum finem. Vt diligens studium respectu doctrinae, honoris, dignitatumque, quia in ordine ad omnia ista acquirenda deseruit.

An malum possit in malum naturale, morale etc. sic etiam diuidi?

Quid malum naturale? quod disconuenit naturae Vt tali, siue quod disconuenit naturae prout est apta operari non libere. Vt calor respectu aquae, frigus respectu ignis.

Quid malum morale? quod per se disconuenit naturae rationali Vt tali, opposita omni tristitiae. Vt quaelibet actio peccaminosa.

Quid malum triste? est tristitia, vel eius obiectum.

Diuide aliter bonum: in bonum animae, bonum corporis, et bonum fortunae.

Quid bonum animae? est bonum quod inhaeret animae. Vt dilectio Dei, et generatim omnis actus virtutibus, proxime inhaerens animae.

Da bonum animae praeter virtutem: scientia.

Quid bonum corporis? quod inhaeret corpori. Vt sanitas, pulchritudo, robur, et similia.

Quid bonum fortunae? est bonum quod non inhaeret animae, nec corpori. Vt diuitiae, honores, amici.

Declara de honore: quia honor non est in honorato, sed in honorante.

An malum possit etiam diuidi in malum animae, corporis et fortunae? imo.

Quid malum animae? est malum quod inhaeret animae. Vt uitium, peccatum.

Da malum animae praeter vitium: ignorantia, stupiditas.

Quid malum corporis? est malum quod inhaeret corpori. Vt morbus, deformitas, imbecillitas etc.

Quid malum fortunae? est malum quod non inhaeret animae nec corpori. Vt paupertas, contemptus, et similia.

Quodnam bonum ex bonis ante definitis est bonum transcendentaliter? nullum.

Declara bonum naturale non esse bonum transcendentaliter? quia non est conuertibile cum ente, conuenit enim etiam compositis per accidens.

Declara similiter de bono morali quod non sit proprietas entis: quia etiam illud non est conuertibile cum ente.

Quaenam bonitas est proprietas entis absoluta an relatiua? neutra generaliter sic sumpta, quia neutra est attributum adaequatum entis.

~~[illegible]~~

Quid ergo bonitas transcendentalis? est conuenientia qua aliquid conuenit alteri per modum entis tanquam simpliciter. Vt bonitas transcendentalis hominis, bruti etc.

An ergo bonitas transcendentalis hominis sit passio entis? non

quia bonitas hominis non est attributum adaequatum enti, quia
illa non convenit omni enti.
An antedata definitione non continetur adaequate illa bonitas tran-
scendentalis quae est passio entis? non. hoc autem non debet videri
mirum quia definitione unitatis transcendentalis item veritatis
non continentur tantum unitas et veritas quae sunt passiones entis
sed etiam unitas et veritas inferiorum entis.
Ut definitio bonitatis transcendentalis non possit sic explicari ut
contineatur tantum illa quae est passio entis? imo, sicut hoc
in simili dictum est de unitate; est enim par ratio de bonitate
quae est de unitate, quia sicut unitas transcendentalis limitatur
ad illam quae est passio entis intelligendo per particulam rei inde-
finitione unitatis sumptum simpliciter, ita etiam potest li-
mitari bonitas transcendentalis intelligendo per particulam en-
tis ens quasi simpliciter sumptum, uti alias diximus debere sumi
quando aliquid dicitur esse proprietas entis.
An ens ubique habeat eandem convenientiam cum eo cui convenit?
non, habet enim alia et aliam convenientiam habent, nullum
tamen datur ens quin alicui saltem aliquo modo conveniat.
Declara de ipsis etiam peccatis quomodo alicui conveniant:
quia conveniunt misericordiae divinae vel iustitiae, misericordiae qui-
dem si remittat, iustitiae si puniat.
An differant realiter bonitas transcendentalis et naturalis
eiusdem rei? non, quia identificantur realiter eidem tertio, et
sic consequenter identificantur realiter inter se.
An saltem illae duae bonitates eiusdem rei differant essentialiter?
imo, quia sunt relationes habentes diversas rationes fundandi,
bonitas enim naturalis oritur ex eo quod subiectum eius decedat
naturam rationalem ut sic, bonitas autem transcendentalis ori-
tur ex eo quod subiectum conveniat per modum entis famose
sumpti alicui.
Da aliquid quod non est bonum transcendentaliter: chymera, sicut
domus et similia composita per accidens, quia non sunt entia
famose sumpta, quia chymera est ens rationis, domus vero est
compositum per accidens.
An ergo illa sint mala transcendentaliter? imo
Quid malum transcendentaliter? est aliquid quod apparet bonum
transcendentaliter, et tamen non est
An omne ens sit bonum vel malum transcendentaliter? non
capiendo ens latissime.
Da aliquid quod nec est bonum nec malum transcendentaliter:
homo non homo
ostende non esse bonum transcendentaliter: quia non est ens
famose sumptum scilicet reale et unius naturae.

Quare homo nonhomo non est talliter malum transcendentaliter: quia non apparet esse bonum transcendentaliter, attento quod non appareat sub famose sumptum.

Quid malitia transcendentalis? est negatio bonitatis transcendentalis in re apparenter capaci illius. Ut malitia transcendentalis chymerae.

Quare dicitur in definitione in re apparenter capaci illius? ut excludatur negatio bonitatis transcendentalis quam habet homo, nonhomo, quare illa non est malitia transcendentalis, quia subiectum in quo reperitur ne quidem apparenter capax est bonitatis transcendentalis.

Qualis negatio est malitia privatio an negatio pura? negatio pura stricte.

Ostende non esse privationem: quia subiectum malitiae transcendentalis non debet esse capax bonitatis transcendentalis.

An sufficiat ad malum transcendentaliter quod sit subiectum malitiae transcendentalis? non. quia sic bonum transcendentaliter deberet etiam esse malum transcendentaliter.

Declara ergo quod bonum transcendentaliter etiam sit subiectum malitiae transcendentalis? quia bonum transcendentaliter vere est subiectum compositi per accidens, et consequenter est etiam subiectum malitiae transcendentalis quae in isto composito per accidens reperitur.

Quomodo ergo se habent bonum transcendentaliter et subiectum malitiae transcendentalis? ut utrumque est homo.

Da subiectum bonum transcendentaliter quod non est subiectum malitiae transcendentalis: non datur, quia quodlibet bonum transcendentaliter est subiectum compositi per accidens, et consequenter malitiae alicuius in ipso repertae.

Da subiectum malitiae transcendentalis quod non est bonum transcendentaliter? domus, vel ante pella habent se ut magis et minus communia.

An omne subiectum malitiae transcendentalis sit subiectum ~~mali~~ bonitatis transcendentalis? non. ut chymera, nullum enim datur sub ~~reale~~ in chymera.

Da malum transcendentaliter quod etiam est subiectum bonitatis transcendentalis: domus, quia est subiectum bonitatis transcendentalis quatra suae albedinis.

Quem ordinem servant inter se illae tres proprietates entis, unitas veritas, bonitas? prima est unitas, secunda veritas, tertia bonitas.

Cur unitas est prior duabus aliis? quia unitas convenit enti sine ordine ad aliud, sed autem reliquae conveniunt enti in ordine ad aliud.

Cur veritas est prior quam bonitas? quia veritas convenit enti in ordine ad intellectum, bonitas vero convenit eidem in ordine ad

voluntatem, jam autem intellectus est prior voluntate.
Cur hoc? quia intellectus est dux, et director voluntatis qui debet voluntati proponere suum obiectum.
An non sint plures proprietates simplices entis quam illae tres? imo, quia etiam identitas est simplex proprietas entis, ut diversitas.

Ad primam proprietatem complexam entis: universale vel singulare.

An non fuerit actum de universali et singulari in logica? imo. quare ergo iterum hic agitur de illis? quia in primis tantum breviter et crudite de illis in logica actum est, unde exactior tractatio de illis reservata est ad hunc locum in metaphysica.
Declara merito in metaphysica tractari de universali et singulari? quia ut dictum est universale vel singulare est proprietas entis, ad metaphysicam vero pertinet explicare proprietates entis nisi supponantur illae ante sufficienter explicatae; iam autem universalitas vel singularitas ante sufficienter explicatae non sunt.
An pertineat ad metaphysicam explicare quid sit causa et causatum? non, quia hoc supponitur satis dictum in physica, alias in metaphysica hoc deberet tractari, quia causa vel causatum etiam proprietas entis est.
An homo non sit universale vel singulare? imo.
quomodo ergo universale vel singulare est proprietas entis cum homo non sit proprietas entis? non officit.
quomodo ergo sumuntur illae voces universale vel singulare quando dicitur esse proprietas entis? simpliciter pro universalitate et singularitate, quasi diceretur universalitas vel singularitas est proprietas entis.
quomodo universalitas vel singularitas est proprietas entis cum universalitas et singularitas non sint oppositae? non refert.
Quomodo cum proprietas complexa entis debeat constare ex oppositis? nego, sed sufficit quod sint repugnantia.
An universalitas et singularitas non sint contradictoria? non, sumendo illa prout sumuntur in proprietate entis, quia singularitas non est negatio pura late universalitatis, quia negatio pura late seu contradictoria non debent esse restricta ad certum subiectum. singularitas vero hic est ad certum subiectum restricta.
ad quod subiectum restringitur singularitas? ad ens reale unius naturae.
An singularitas non sit negatio pura stricte? imo, quia est formalis restricta ad subiectum incapax formae per illam negatae; singulare enim non est capax universalitatis per illam negatae per singularitatem.
Cur ergo universalitas et singularitas non opponuntur tanquam

forma, et eius negatio pura stricte? quia datur tertium cui alterum eorum aeque, vel magis repugnet eodem repugnandi modo.
assigna illud tertium: ineptitudo quam habet hic domus, et similia composita per accidens ad inesse pluribus cum reali sui multiplicatione.
An universale non soleat interdum sumi latius ut non restringatur ad ens unum? imo.
Quare non sumitur sic in proprietate entis? quia tunc universale vel singulare non esset proprietas adaequata enti famose sumpto, quia conveniret etiam compositis per accidens.

De Universali.

In quo distinguitur universale hic et universale in porphyrio? illa non differunt.
quotupliciter sumitur universalitas? dupliciter, aliquando pro aptitudine, aliquando vero pro relatione.
Quid universalitas sumpta pro aptitudine? est aptitudo entis re et ratione unius ad inesse multis cum reali sui multiplicatione.
Da extrema universalitatis sic sumptae? non habet, quia non est aliqua relatio, sed potius quaedam potentia, potentiae vero non dicuntur habere extrema.
An interim universalitas non possit sic sumi ut habeat extrema? imo.
Defini universalitatem sic sumptam: est relatio fundata in ente re et ratione uno terminata ad plura orta ex eo quod aptum sit illis inesse cum reali sui multiplicatione.
Da extrema universalitatis sic sumptae: fundamentum est ipsum ens unum quod denominatur universale, terminus vero sunt plura quibus universale aptum est inesse intrinsece.
quomodo sumitur universalitas in proprietate entis pro potentia seu aptitudine, seu pro relatione? potest indifferenter sumi, vel pro aptitudine vel pro relatione prout placet.
An universalitas non soleat interdum dividi in actualem, et aptitudinalem? imo.
qualis intelligitur in proprietate entis, actualis an aptitudinalis? aptitudinalis.
cur non actualis? quia actualis non convenit omni universali non enim illi quod de facto unum habet tantum inferius, adeoque singularitas vel universalitas actualis non conveniret omni enti famose sumpto.

Divide universale in primarium et secundarium de quibus in logica.

An eadem inexistentia requiratur ad universale primarium et secundarium? Negatur.

Qualis ergo inexistentia requiritur ad universale primarium? Inexistentia qua aliquid inest per modum partis pure materialis logicae.

Quaenam inexistentia requiritur ad universale secundarium? Interna distincta ab illa quae est partis pure materialis logicae in toto, atque potest esse inexistentia alterius partis, potest etiam esse inexistentia formae in subiecto.

Quaenam universalia ex quinque sunt primaria? Genus et species, reliqua tria vero, nempe differentia, proprium et accidens sunt secundaria.

An omne universale non sit aliquo respectu primarium? Imo, quia probabiliter omne universale est genus vel species, vel saltem inest pluribus per modum partis pure materialis logicae.

An similiter omne universale non sit aliquo respectu secundarium? Imo, quia omne universale inest aliquibus subiicibilibus aliter quam per modum partis pure materialis logicae.

Quo modo ergo inest omne universale? Per modum partis accidentariae, integralis, vel saltem essentialis late.

Realis inexistentia requiritur ad universale, actualis an aptitudinalis? Sufficit aptitudinalis.

Declara non requiri actualem: quia potest aliquid esse universale et habere tantum unicum inferius, vel etiam nullum inferius existens.

Qualis inexistentia requiritur ad universale realis an rationis? Semper inexistentia rationis, quia omne universale debet habere inferiora, illis vero debet inexistere per inexistentiam rationis.

Cur hoc? Quia sola ratione differt a suis inferioribus, ergo debet illis inesse per inexistentiam rationis, cum inexistentia realis debeat consistere inter extrema realiter distincta.

An universale insit per inexistentiam rationis suis subiicibilibus secundariis? Imo saltem aliquando.

In quo casu inest illis per inexistentiam rationis? Quando sola ratione distinguitur a suis subiicibilibus secundariis.

Da universale quod sola ratione distinguitur a subiicibilibus secundariis. Rationale sola ratione distinguitur ab homine, item risibile sola ratione distinguitur ab illo.

An universale insit etiam per inexistentiam rationis subiicibilibus realiter distinctis? Imo.

An ergo albedo inexistat per existentiam rationis parieti? Imo.

Quomodo cum albedo insit parieti per inexistentiam realem?

non refert, quia potest dici quod albedo insit parieti per inexistentiam quam proxime inest huic albedini, ita ut illa inexistentia remote terminetur ad parietem.

Declara similiter quod albedo insit parieti per inexistentiam realem: quia unio qua haec albedo unitur parieti inexistentia realis est, per illam vero albedo in genere gratia huius albedinis inest etiam parieti.

Quomodo potest sufficere inexistentia rationis ad universale cum sit quilibet alii universale respectu cuiuslibet? non enim.

Quomodo cum possimus concipere quodlibet inesse alteri? non possumus hoc concipere cum fundamento in re, requiritur vero talis inexistentia rationis quae sit cum fundamento in re.

An requiratur ad universale ut insit per modum totius? non, quia proprium et accidens etiam sunt universalia et tamen illa non insunt per modum totius, quia insunt per modum formae, forma vero non est totum respectu sui subiecti.

An saltem genus et species insint per modum totius? insunt quidem per modum totius potentialis, sed totum potentiale non est totum proprie dictum, sed illud debet esse totum actuale; genus vero et species insunt per modum partis actualis, quia insunt per modum partis materialis logicae.

Qualis inexistentia requiritur ad universale interna an externa? interna est, secundum sive sit primi, sive quarti, sive quinti.

An omne universale insit per inexistentiam primi modi? imo, quia omne universale potest comparari ad aliqua composita per accidens quibus inest per inexistentiam primi modi.

Declara quod angelus sit universale per inexistentiam primi modi: quia angelus est tale respectu aggregati ex hoc angelo et hoc lapide, et aggregati ex isto angelo et Petro.

Declara quod omne universale insit per inexistentiam quarti modi: quia omne universale inest aliquibus per modum superioris.

An similiter omne universale insit per inexistentiam quinti modi? non, sed tantum illa sic insunt solum quae insunt per modum formae.

An universale non possit inesse pluribus externe cum sui multiplicatione? imo, sic calor inest huic et illi igni tanquam causae efficienti.

Quomodo cum illo insit interne? non refert, quia aliquid bene potest inesse simul interne et externe.

An saltem hoc non requiratur ad proprium et accidens? non quomodo cum alias nigredo sit accidens respectu cygni? est [illegible]

rum et non refert.
Quomodo hoc est verum cum album non possit praedicari de corvo?
non potest quidem praedicari de corvo supposito quod illi non insit,
extendendo quia potest corvo inesse, sic potest de illo praedicari si
videlicet ipsi insit.
quomodo enim sic vox homo poterit praedicari de bruto? non po:
terit praedicari manente institutione vocis homo quo modo est,
hoc autem sufficit, aliud esse de voce album respectu corvi, quia
manente institutione vocis album quo modo est poterit praedicari
si albedo corvo insit.
An albedo sit universale respectu huius et illius angeli? hoc pendet
ab eo an saltem divinitus possit huic et isti angelo inesse, si sic
possit inesse tunc erit universale respectu illorum, si autem non
possit tunc non erit, incertum est autem per deum hoc possit fieri an
non.
An saltem non possimus per mentem concipere albedinem in angelo?
Cur hoc non sufficit ut albedo sit universale respectu huius et illius
angeli? quia si ne quidem divinitus possit ipsi inesse realiter tunc
non erit fundamentum concipiendi albedinem in angelo, etiamsi
autem non requiratur inexistentia realis ad universale, requiritur
tamen talis inexistentia rationis per quam cum fundamento
in re concipiamus unum inesse alteri.

An universale debeat habere veram et realem potentiam

ad inexistendum multis ? non.
ratio: quia realis potentia debet habere actum realem rea:
liter a se distinctum, talem vero actum non debet habere poten:
tia, seu aptitudo universalis.
quis ergo est actus istius potentiae seu aptitudinis universalis?
actualis inexistentia universalis in multis.
declara aptitudinem illam, et inexistentiam non differre rea:
liter: quia identificantur a parte rei eidem tertio, scilicet ipsi
universali. homo v.g. in petro, est idem a parte rei cum aptitu:
dine quam habet ad inexistendum petro, et etiam est idem cum
actuali inexistentia petri, ergo illa aptitudo et actualis inexis:
tentia debent esse eadem inter se.
quomodo cum eidem universali possint identificari res realiter
distinctae v.g. petrus et paulus qui sunt res realiter distinctae
sic identificantur homini in genere non refert.
declara non esse simile de aptitudine universalis et actuali inex:
istentia? quia aptitudo illa universalis, et actualis inexistentia
identificantur eidem universali verificato pro eodem, eidem vero
universali tantum possunt convenire res realiter distinctae quando

illud universale verificatur pro diversis.
An interim bene possit aliqua ratione sustineri quod potentia universalis ad inexistendum multis sit vera et realis? imo.
An potentia universalis tunc erit intrinseca ipsi universali? non.
per quam ergo potentiam realem potest universale dici esse in multis? per intellectum qui universali est extrinsecus potest dici inesse quia per illum aptum est concipi universale in pluribus cum fundamento in re.
An potentia quam habet universale ad inexistendum multis ipsi intrinseca differat secundum rationem ab universali? non quia nulla est necessitas fingendi talem potentiam in universali secundum rationem distinctam.
Quomodo enim in materia prima bene concipiamus aliquam potentiam superadditam per quam recipiat formam substantialem? ergo nos talem potentiam superadditam in materia concipere? imo cum fundamento talis potentia non potest concipi, quia sic corpus naturale non esset unum naturale sed esset tantum aggregatum per accidens.
proba quod corpus naturale fore tantum ens aggregatum per accidens: quia forma tantum accidentaliter uniretur materiae quia unietur ipsi mediante potentia accidentaria.

An inexistentia actualis universalis in multis tollat aptitudinalem? non, quinimo illa potius supponit ipsam aptitudinem ad inexistendum multis quia ab actu ad potentiam affirmative recte argumentamur; sequitur enim ab actu ad potentiam affirmative: Petrus ambulat, ergo potest ambulare; ergo similiter debet sequi: universale actu inest multis, ergo potest multis inesse; quia non potest congrua ratio disparitatis assignari.
mortuus
An bene sequatur: Petrus est divisus in materiam et animam rationalem, ergo potest adhuc sic dividi? non.
quomodo ergo recte argumentamur ab actu ad potentiam affirmative? argumentamur sic ad potentiam pro illo tempore quo actum exercet, non autem pro alio tempore ut recte probat obiectio.

Utrum est prius in universali An actualis inexistentia an aptitudinalis in multis? aptitudinalis est prior.
quomodo aptitudinalis est prior realiter an secundum rationem? solum secundum rationem.
ostende non esse priorem realiter: quia aptitudinalis inexistentia non

differt realiter ab actuali ut ante dictum est, cum identificentur
ambo realiter eidem universali verificato pro eodem.
proba quod aptitudinalis inexistentia sit prior secundum rationem quam
actualis? quia aptitudinalis inexistentia respectu actualis habet se
tanquam potentia ad suum actum, potentia vero est prior quam actus
saltem prioritate naturae, et secundum rationem.
utrum est prius in universali aptitudinalis inexistentia an predi-
cabilitas? inexistentia aptitudinalis est prior, quia ex illa oritur
predicabilitas tanquam eius proprietas.
an actualis inexistentia in multis etiam sit prior predicabilitate?
non, sed econtra predicabilitas est prior quam inexistentia actualis.
proba predicabilitatem esse priorem: quia albedo respectu corvi
habet predicabilitatem, non tamen habet actualem inexistentiam
in corvo.
utrum est prius in universali relatio eius ad subiicibilia an aptitudi-
nalis inexistentia? aptitudinalis inexistentia, quia relatio quam
habet universale ad sua subiicibilia oritur ex aptitudine illa uni-
versalis tanquam ex ratione fundandi, ratio vero fundandi est na-
tura prior relatione.
utrum competit prius universali an actualis inexistentia in
multis an eius predicatio actualis in multis? prior est actua-
lis inexistentia, predicatio enim actualis de illis multis pre-
supponit actualem inexistentiam illius in istis multis.
quomodo accipitur universale quando dicitur predicari de multis?
personaliter pro denominatis, v.g. pro animali, corpore etc.
quomodo accipitur animal dum dicitur animal predicatur de multis:
an? materialiter pro similibus vocibus, sensus enim est aliqua
vox animal predicatur de multis.
declara quod non accipiatur materialiter pro se ipsa in individuo:
quia illa individua vox animal quae tunc profertur non signifi-
catur predicari de multis in actu exercito, sed solum aliqua
vox similis.
quomodo accipitur vox animal hic dum dicitur Joes et petrus
est animal? personaliter pro inferioribus.
an etiam sic accipiatur quando dicitur animal est genus? non.
quomodo ergo tunc accipitur vox animal? distinguo, si per genus
tunc intelligatur genus vocale tunc animal ibi accipitur ma-
terialiter, si autem per genus intelligatur genus reale tunc vox
animal ibi accipitur simpliciter.
quomodo cum sic animal prout est genus non potest predicari
de suis inferioribus? distinguo, non potest sic predicari si exprim-
atur voce simpliciter sumpta concedendum hoc est totum,
non potest autem predicari voce personaliter accepta hoc negan-
dum est, unde dicendum est quando genus predicatur in actu
exercito de suis subiicibilibus quod tunc debeat exprimi voce perso-

naliter accepta.

An universale dividatur immediate in quinque vulgata mem: bra? Non, quia immediatius dividitur in universale primarium et secundarium, primarium tunc alterius subdividi: tur in genus et speciem, secundarium vero in differentiam proprium et accidens.

Divide aliter immediatius: R. in illud quod inest per modum partis et in illud quod inest per modum formae.

An universale immediatius possit dividi in illud quod inest necessa: rio et in illud quod inest contingenter? Imo.

Quaedam universalia ex quinque insunt necessario suis subjectibilibus quatuor priora, accidens autem inest contingenter.

An aliqua annexa differentiae non insint contingenter? Imo. Sicut rationalitas respectu hominis et illius materiae primae est annexum differentiae, inest tamen huic et isti materiae contingenter quia haec et illa materia possunt esse in statu suo naturali sine anima rationali.

An universale possit dividi in tria membra? Imo, in illud nempe quod inest per modum partis materialis, et in illud quod inest per modum partis formalis, et in illud quod inest per modum [illegible] accidentalis.

Quomodo enim non continetur illud quod inest per modum partis integralis? Non continetur directe sed annectitur illi quod inest per modum partis materialis.

Divide universale in quatuor membra in illud quod inest per mo: dum partis materialis, differentiam, proprium et accidens.

An universale possit dividi in plura membra quam quinque? Imo quia sicut illud quod inest per modum partis materialis [illegible] dividitur in duo membra in genus et speciem, ita differentia quae inest per modum partis formalis possit dividi in genericam et specificam.

An divisio universalis in quinque membra famosa sit adaequata? R. non, quia nullo membro continentur annexa.

An cuilibet ex illis membris annectatur aliquod universale? Imo, non consentiunt philosophi, aliqui enim nullam admittunt respectu pro: prii, aliqui nulla respectu accidentis, aliqui etiam illis aliqua annec: tunt.

Da aliquod annexum alicui membro: materia prima respectu ho: minis et bruti est annexum generis, respectu hominis Petri est annexum speciei.

An materia prima non contineatur directe alicui membro? Imo quia continetur directe definitione speciei.

Quomodo ergo est annexum speciei? quia idem potest esse annexum respectu aliquorum et directe contineri respectu aliorum.

An quinque illa famosa universalis sint species quinque universalis?

An nullæ ex illis sint species infimæ universalis? nullæ ex illis sint species infimæ rigorose, aliquæ tamen sint species infimæ physicæ.

Proba specietatem seu speciem prædicabilem non esse speciem infimam universalitatis etc. quia habet sub se diversas species.

Da plures specietates comprehensas sub specie: specietas quam habet homo, et alia specietas quam habet albedo.

Proba illas specietates in rigore essentialiter differre: quia respiciunt essentialiter diversa extrema; specietas enim hominis respicit essentialiter hominem, et inferiora sub se etc.

Declara quod universalitas speciei sit species infima physica: quia omnes species eo modo infinito sub se inferioribus ... per modum partis pure materialis logicæ.

Quomodo cum ex eo sequeretur quod generalitas et specietas non differant specie physica? in eo nullum inconveniens esse.

An nullæ ex istis speciebus universalis differant essentialiter specie physica? imo.

Declara: quia accidens ut sic in ratione universalis differt specie physica a genere.

An universalitas accidentis sit species infima physica? non, si non universalitas proprii.

Declara ergo quod universalitas proprii habeat sub se diversas species physicas: quia proprium habet sub se proprium logicum et proprium physicum quæ essentialiter physice differunt in ratione universalis; similiter accidens habet sub se accidentia realiter distincta a suo subiecto et etiam aliqua distincta sola ratione.

Eorum vero universalitates etiam specie physica differunt.

An differant necessario essentialiter universalitas proprii et accidentis? putamus quod non.

An per eandem universalitatem possit esse aliquid proprium et accidens? imo, et sic albedo respectu universalitatem quam habet respectu materiæ primæ est accidens, et per eandem est proprium quatenus illa terminatur ad signum.

An aliquid respectu eorundem subjectibilium per eandem universalitatem possit esse proprium et accidens? imo.

Quomodo cum aliquid non possit competere contingenter et necessario eidem? imo potest diversis circumstantiis; sic prædicatio quam habet ... necessario suppositis constitutionibus universalis; quo modo est; si vero transferretur ... universale talis casus competeret illas præsentia contingenter eidem.

Quodcumque universale est caput respectu speciei et generis? communiter conceditur speciei, pauci tamen aliqui annectunt proprio.

Quomodo caput est universale cum tantum sit compositum ...

accidens? nego.
quomodo cum componatur ex substantia et dicta figura quae
est accidens? nego quod componatur ex figura, sed est substan-
tia substans dictae figurae

An universale sit realiter idem in suis inferioribus? non.
An ergo homo in petro non sit realiter idem cum homine
in paulo? non sed realiter distinguitur ab homine in paulo
proba realiter distingui: quia homo in petro et paulo realiter multi-
plicatur, ergo debet realiter distingui prout reperitur in petro a seipso
prout reperitur in paulo quia multiplicatio realis est distinctio rea-
lis alicuius a semetipso
Quomodo homo in petro distinguitur ab haecceitate petri? sola ratione.
proba quod non realiter: quia sic deberet deus posse producere hominem
in genere non producendo ullam singularem hominis quod absurdo videtur
aristoteles.
An ex eo etiam bene sequatur quod homo in petro realiter distin-
guatur ab homine in paulo? imo, quia differentia individuans petri
realiter distinguitur a differentia individuante pauli.
An natura divina non sit realiter eadem in tribus personis
divinis? imo.
An natura divina non identificetur realiter differentiis cuiusque perso-
nae divinae? imo.
cur similiter non dicitur de homine universali quod sit realiter
idem in omnibus inferioribus et cum differentiis illorum? quia
misterium illud trinitatis in deo adeo est absconditum ut nisi fides
doceret ratio ne quidem suspicaretur, ac proinde non debet hoc
extendi ad res creatas.
An per deum non posset fieri aliqua realiter eadem in pluribus
realiter distinctis quibus realiter identificatur? non.
proba hoc non posse fieri: quia sicut independentia ab alio est
attributum divinum, ita deo proprium ut non possit convenire ulli
creaturae, ita etiam illud misterium trinitatis.
An realiter de facto non sit eadem anima rationalis in capite
et in pede? imo.
quomodo ergo non potest idem realiter homo in petro et paulo?
est manifesta ratio disparitatis quia anima rationalis capitis
realiter distinguitur a capite, ut etiam anima rationalis pedis
distinguitur realiter a pede, homo autem in petro non distinguitur
realiter a petro, ut nec homo in paulo distinguitur realiter a paulo.
An anima rationalis non sit universale respectu capitis et pedis
petri? imo.
Quomodo cum insit capiti et petri pedi sine sui multiplicatione?
non refert.
Quomodo cum universale debeat inesse pluribus cum sui multi-
plicatione? est verum ut patet ex definitione universalis.
Quomodo ergo anima rationalis est universale respectu capitis

et pedis petri? quia licet de facto non sit tantum haec sui multiplicatione potest tamen inesse illis cum illius multiplicatione.

Dic modum, quo hoc possit accidere: si deus ultra animam petri poneret in capite petri animam pauli, et in pede petri ultra eandem animam petri animam iacobi.

Declara hoc per deum posse fieri, quia in eo non est implicantia quod per deum ponantur simul plures animae rationales in eadem materia prima.

An supposito quod hoc fieret petrus tunc esset iacobus et paulus? non, quia non deberet habere propterea materiam pauli et iacobi.

An supposito quod etiam illam materiam tunc essent ibi tres homines? non, quia in primis esset aggregatum per accidens quolibet vero homo deberet esse ens unum, secundo equidem illa entitas quae esset petrus non esset realiter eadem cum illa entitate quae esset paulus

An implicet petrum fieri paulum. non hoc fieret si subsistentia petri inciperet terminare naturam pauli quod probabile est divinitus posse fieri, tunc petrus fieret paulus, quia simili modo factum est quod deus sit homo per hoc nimirum quod subsistentia divina terminaverit naturam humanam.

~~An universale~~

An universale habeat entitatem realiter distinctam ab entitate inferiorum? non homo v.g. non habet entitatem realiter distinctam a petro prout saltem in petro reperitur.

Dicis cur hoc addis? quia homo prout reperitur in paulo sicut habet entitatem realiter distinctam ab homine in petro, ita etiam habet entitatem realiter distinctam ab ipso petro.

Quomodo cum sit homo in petro debeat differre realiter et sola ratione a petro? in eo nullum inconveniens est diversimode considerando hominem in genere.

An aliquando universale non habeat ~~homo~~ entitatem realiter distinctam ab entitate subiectibilium in quibus reperitur? imo, sic v.g. album et similia accidentia habent entitatem realiter distinctam ab entitate suorum subiectorum, album enim et paries in quo subiectatur realiter differunt.

An homo habeat subiectibilia in quibus reperitur, et a quibus realiter differt? ~~imo~~, sic enim homo capiendo ipsum pro natura humana differt realiter a petro, capiendo petrum pro composito metaphysico ex natura et subsistentia, quia sic capiendo petrum petrus ultra naturam humanam implicit aliquid realiter distinctum nempe subsistentiam.

An ex definitione multiplicationis non recte colligatur quod universale debeat habere entitatem realiter distinctam ab entitate inferiorum? non.

Quomodo cum multiplicatio non sit aliud quam transitus ab unitate ad ~~multiplicationem~~ tudinem? nego multiplicationem esse talem transitum sed est distinctio alicuius a se met ipso sicut saepe dictum est.

proba non esse talem transitum: quia nec est transitus ab unitate rationis ad multitudinem rationis, neq. est transitus sub unitate reali ad multitudinem realem.
proba non esse transitum ab unitate rationis ad multitudinem rationis: quia per multiplicationem universale non fit multa secundum rationem, sed manet unum et idem secundum rationem.
proba multiplicationem non posse esse transitum ab unitate reali ad multitudinem realem? quia universale nunquam dicitur fuisse unum realiter ante multiplicationem, sed etiam semper fuisse multa a parte rei.
An interdum non possit accidere quod universale sit unum realiter? imo, etiam in pluribus simul sumptis, ita ut etiam sit sit unius naturae.
Da universale quod in pluribus simul sumptis sit unius naturae? sub reperitur in materia prima et forma substantiali, et unione physica, quia sicut materia prima forma substantialis et unio physica in ipsis reperta simul constituunt unius naturae per compositionem physicam, ita etiam similiter unius identificatum illis tribus.
declara non esse simile in homine: quia homo in petro et homo in paulo non constituunt simul unius naturae quandoquidem sint res notabiliter a se multis distantes, quae nec immediate, nec mediante alio uniuntur inter se unione per se.
An universale non sit vera et realis potentia passiva respectu suarum differentiarum? non. unde ex eo capite non debet etiam habere entitatem realiter distinctam ab entitate suorum inferiorum.
proba universale non esse talem potentiam realem: quia potentia realis debet realiter differre a suo actu, universale vero non differt realiter a suis differentiis divisivis.

An universale sit idem secundum rationem in multis? imo.
proba de homine: quia experimur quod eodem modo concipiamus hominem in petro, et hominem in paulo.
An non possimus concipere hominem in petro, non concipiendo hominem in paulo? non, quia sicut illud quod est unum et idem realiter non potest existere realiter sine eo quo est realiter idem, sic illud quod est unum et idem secundum rationem non potest existere secundum rationem nisi existat secundum rationem illud quod est idem secundum rationem cum ipso.
An intellectus habeat fundamentum concipiendi res realiter diversas eodem modo? imo.
An habeat fundamentum concipiendi eandem rem realiter diversimode? imo, quia res realiter eadem potest habere diversa munera officia, et modo concipi sub uno, modo sub altero.
declara in aliquo exemplo? sic v.g. deus qui res simplicissima est a parte rei, secundum rationem est valde multiplex, aliquando enim concipitur tanquam summe bonus, aliquando tanquam summe sapiens etc.

An ergo Deus sic tunc concipiatur inadaequate et imperfecte? R. imo.

An eadem res creata possit diversimode concipi? imo, quia etiam eadem res creata potest habere diversa officia vel proprietates, et modo concipi sub una, modo sub altera illarum.

Quo fundamento potest intellectus res diversas concipere eodem modo? quia res diversae in multis officiis et proprietatibus possunt inter se convenire.

Da plures res quae similiter conveniunt? Joes et Petrus, et generaliter omnia individua hominis.

In quibus proprietatibus seu officiis conveniunt omnia individua hominis? omnes conveniunt in eo quod sint rationales, quod sint animalia.

Quandonam ergo omnes homines concipiuntur eodem conceptu? quando concipiuntur tantum secundum id in quo omnes homines conveniunt, atque quando concipiuntur secundum id secundum quod sunt homo et animal etc.

Quomodo concipiuntur tunc individua hominis adaequate an solum inadaequate? solum inadaequate.

Declara quod non adaequate: quia tali casu non concipiuntur individua secundum id in quo differunt, scilicet secundum differentias individuantes, quae tam bene sunt de essentia individuorum quam res communes.

An per hoc quod plures res concipiantur inadaequate formetur universale? aliquando tunc formatur universale, aliquando non.

Quandonam tunc formatur universale? quando concipiuntur secundum illud in quo conveniunt, atque quando Joes et Petrus concipiuntur secundum id quod est homo, animal rationale etc.

An ut formetur universale debeant prius intellectu cognita eius inferiora? imo saltem ordinarie loquendo, quia ordinarie saltem loquendo debent prius concipi singularia inter se convenientia (intellectus enim ut initio physicae dictum est primo cognoscit singularia saltem ordinarie loquendo), postquam vero plura singularia cognoverit et observaverit illud in quo illa conveniunt, tunc format universale concipiendo tantum illud in quo conveniunt ista singularia.

An habita semel cognitione universalis debeat postea repeti cognitio singularium antequam denuo cognoscatur universale? non, et hoc satis patet experientia qua experimur quod saepe concipiamus hominem in genere, item animal in genere absque eo quod immediate ante concipiamus illorum inferiora.

Cur hoc non est tam bene necessarium pro secunda cognitione universalis quam pro prima? R. quia quando semel cognitum est universale relinquitur in intellectu species intelligibilis istius universalis

quod species sufficit ut possit repeti cognitio istius universalis sine praevia notitia immediata istorum singularium, ut patet experientia; alia ratio est de prima notitia rei universalis, illa enim haberi non potest saltem ordinarie loquendo sine notitia singularium immediate praevia quia species intelligibilis istius universalis acquirenda est occasione notitiae illorum singularium et intellectus etiam illa occasione determinatur ad cognoscendum primo universale.

An in omni casu ut primo cognoscatur universale debeat praecessisse cognitio singularium in eodem? non, quia intellectus potest aliunde determinari ad primam notitiam universalis quam occasione notitiae singularium prius habitae ab ipso.

declara: quia potest aliquis audire v.g. docentem magistrum de aliquo universali et illa occasione concipere illud universale sine ut non praecognoverit singularia istius universalis.

proba non semper formari universale quando singulare concipitur inadaequate? quia hoc non fit si singulare concipiatur tantum inadaequate secundum illam partem quae non est communis aliis singularibus, ut si v.g. concipiatur secundum differentiam individuantem, quia differentia individuans est ~~[illegible]~~ singularis.

An concipiendo singulare inadaequate secundum partem materialem concipiamus semper idem universale? non, quia concipiendo sic inadaequate petrum aliquando concipimus hominem, aliquando animal, aliquando etiam superius animali, ut patet experientia.

Unde fit quod tunc aliquando concipiamus magis, aliquando minus universale? quia eadem individua possunt habere convenientias generales et communes etiam aliis et possunt habere peculiares, quo autem concipiuntur secundum generaliores convenientias, eo formatur magis universale et minus universale quando concipiuntur secundum convenientias speciales, v.g. [illegible] et petrus quando concipiuntur conceptu substantiae concipiuntur secundum illud quod non tantum est commune ipsis inter se, sed etiam secundum id quod est commune multis aliis, quia substantia extenditur non tantum ad homines sed etiam ad bruta, lapides etc. quando vero ~~[illegible]~~ et petrus concipiuntur conceptu hominis tunc concipiuntur secundum aliquid quod quidem est ipsis inter se commune, sed tamen hoc commune non extenditur ad tam multa quam substantia.

per quid illud commune postea limitatur et restringitur? per differentias adiunctas.

quomodo ordinantur istae differentiae? possunt ordinari duobus modis: unus est secundum quem sola differentia latissima

recipitur immediate in ens, et in differentia illa latissima alia
differentia minus lata, et sic ulterius donec deueniatur ad differen-
tiam ultimam, & ex potentius potest considerari tanquam compositum
logicum hoc modo, ens per se corporeum animatum sensitiuum ratio-
nale hoc, et secundum illam compositionem differentia per se reci-
pitur immediate in ens, corporeum recipitur in per se, et animatum
recipitur in corporeum etc. donec finis habeatur.
proba talem modum compositionis logicae esse probabilem: quia com-
positio logica fingitur ad instar physicae, iam autem in composito phy-
sico saltem possibili potest seruari hic ordo, inter plures formas
substantiales sic ut latissima recipiatur immediate in materiam
primam physicam deinde latior post illam latissimam, unde quidam
dum aliquot qui admittunt plures formas substantiales in homi-
ne anima vegetatiua subiectatur immediate in materia prima
deinde anima sensitiua recipitur immediate in vegetatiua deinde
omnia sensitiua subiectantur immediate in anima vegetatiua et tandem anima
rationalis immediate in anima sensitiua
quomodo cum possint aliter ordinari differentiae in composito logico?
possunt etiam sic ordinari ut omnes immediate subiectentur in ente.
quo fundamento possunt eo modo ordinari? quia compositio logica est
ad instar physicae iam autem possibilis est talis compositio physica
iuxta quam corpus aliquod naturale inuoluat plures formas sub-
stantiales sic ut omnes istae formae substantiales subiectentur imme-
diate in materia prima, ergo similiter poterit dari talis compositio
logica secundum quam omnes differentiae subiectentur immediate
in materia prima logica nempe in ente
An possit dari compositum logicum ex solis differentiis? si finga-
mus compositionem logicam fieri priori modo tunc bene potest fieri
et tunc tale compositum erit sensitiuum rationale.
An sensitiuum rationale non erit compositum logicum si fiat compositio
logica posteriori modo? non, quia facta illa suppositione neutra ex illis
differentiis erit forma respectu alterius, sed ambae erunt conformes eius-
dem subiecti sicut calor et albedo in eadem materia prima, iam autem
in omni composito logico una pars debet esse subiectum respectu al-
terius tanquam formae, unde posterior modus compositionis logicae
minus utilitatis est.
An iuxta illum priorem modum possit dari compositio logica ex
differentiis excedentibus et excessis? ita.
Da differentias excedentes et excessas quae simul constituunt com-
positum logicum: spirituale et cognitiuum.
Quomodo cum non sit ratio cur una istarum differentiarum potius
sit subiectum respectu alterius quam contra? non refert, quia utrumque
possumus utramque capere tanquam subiectum et etiam possumus
utramuis capere tanquam formam respectu alterius.
An spirituale et cognitiuum non sint genera non subalterna? imo
An illa possit habere eandem speciem? hoc aliqui probabiliter admit-

tenent, alii negant.

Da quod esset probabiliter species eadem utriusque non subalterni? sic spirituale cognitivum probabiliter est eadem species spiritualis et cognitivi.

Quo fundamento sustinetur quod spirituale cognitivum sit eadem species spiritualis et etiam cognitivi? quia non est necessitas variandi illud in speciebus prout collocatur sub uno, et prout sub altero, et hoc sine difficultate procedit tollendo omnem unionem logicam, secundo si admittatur aliquem unio logica in composito, sed sustineatur quod illa sit extra essentiam compositi, tertio si quis sustineat dari unionem logicam essentialem composito quae proxime subiectetur in utroque extremo, quia tunc etiam non est ratio variandi essentialiter illud compositum spirituale cognitivum prout est species unius, et prout est species alterius.

Quo casu illud compositum non erit eadem species respectu spiritualis cognitivi? si supponatur involvere essentialiter unionem logicam tantum proximam intrinsecam materiae vel formae tantum.

Cur tunc illud compositum non potest manere idem prout est species spiritualis, et prout est species cognitivi? quia necessario involvit diversam unionem, si supposito quod unio proxime subiectetur in materia logica sola, tunc spirituale cognitivum prout est species spiritualis habebit unionem proxime subiectatam in spirituali, prout autem est species cognitivi habebit unionem proxime subiectatam in cognitivo, etiam autem uniones quae habent diversa subiecta proxima necessario essentialiter differunt, et similiter si unio logica dicatur proxime subiectari in sola forma illud compositum tunc etiam non manebit idem prout est species unius et prout est species alterius, quia erit alia et alia forma et consequenter erit alia unio.

An spirituale sit universale respectu spiritualis cognitivi, supposito quod neutra ex illis differentiis subiectetur in altera? non potest equidem esse universale.

iuxta inexistentiam? iuxta inexistentiam primi modi respectu iuxta quam inexistentiam aggregati ex petra et lapide.

Da duo genera non subalterna quae habent eandem differentiam divisivam? qualitas et substantia quae pro eadem differentia divisiva habent spirituale.

An differentia constitutiva alicuius generis necessario debeat esse genus? imo

An debeat esse genus respectu generis quod constituit? non, sed respectu illius est differentia

Respectu cuius ergo debet esse genus illa differentia? respectu compositi ex se et differentia divisiva istius generis quod constituit, et sic sensitivum est genus respectu sensitivi rationalis et sensitivi irrationalis.

An differentia proxime constitutiva alicuius generis debeat esse

convertibilis cum illo genere? non.
quo casu talis differentia non est convertibilis cum illo genere?
quando illa differentia est excedens et excessa respectu alterius generis quod dividit
quomodo, se habet tali casu talis differentia respectu generis quod quod constituit? tanquam magis commune ad minus commune sic spirituale quod proxime constituit qualitatem spiritualem est magis commune quam qualitas spiritualis.
da spirituale quod non est qualitas spiritualis: angelus.
An differentia constitutiva alicuius generis possit esse communius quam illud genus? non, sed debet esse vel magis commune vel convertibilis supposita convenienti expressione.
An differentia proxime constitutiva speciei praedicabilis debeat esse convertibilis cum specie praedicabili etiam? non est necesse, quia etiam potest esse magis communis quam illa species praedicabilis.
da differentiam proxime constitutivam speciei praedicabilis quae est magis communis quam illa: spirituale potest considerari tanquam differentia proxime constitutiva intellectus humani, et tamen spirituale est magis commune quam intellectus humanus.
An differentia proxime constitutiva individui debeat esse convertibilis cum illo individuo? non est necesse, quia possunt duo quaepiam universalia habere se ut excedentia et excessa, sic ut utrumque tantum habeat duo inferiora, hoc vero supposito talia excedentia et excessa constituent simul unum individuum, sic producens in divinis et productum in divinis excedentia et excessa sunt, constituunt tamen simul unum singulare quia constituunt producens productum in divinis: quod est singulare, quia competit soli filio in divinis, producens vero in divinis competit patri et filio, productum in divinis competit filio et spiritui sancto.
An ut universale dicatur existens debeant existere omnia eius inferiora? non.
An saltem aliqua debeant existere? non imo.
quotnam? sufficit unicum
An nullum universale extiterit ab aeterno? imo.
quodnam? illud quod reperitur in Deo, quia Deus aeternus est.
An omne universale aliquando non dicatur aeternum? imo.
An dicatur tale ab actuali existentia? non, sed ideo quia nos concipimus illud ut abstractum ab actuali existentia.

An universale habeat aliquam identitatem? imo
qualem identitatem habet intrinsecam an extrinsecam? aliquam extrinsecam, et etiam aliquam intrinsecam.

Quam identitatem extrinsecam habet universale? identitatem conceptus praecisivi, quia eodem conceptu repraesentatur prout est in uno inferiori et prout est in alio, imo non potest fieri ut repraesentetur prout est in uno inferiori sic ut non repraesentetur prout est in alio.

An praeter illam identitatem extrinsecam universale non debeat habere identitatem intrinsecam? imo, quia alioquin universale non esset intrinsece universale, secundo quia si universale tantum haberet identitatem conceptus praecisivi, tunc non magis esset idem quam res diversae quae simul comprehenduntur eodem conceptu.

An ex compositione logica colligatur quod universale debeat habere identitatem intrinsecam? imo.

Declara: quia compositio logica est essentialis sic ut una pars sit subiectum alterius, et eadem pars possit esse subiectum alterius differentiae repugnantis cum priori, illa autem pars praecisa non potest esse conceptus rei universalis.

Proba conceptum rei universalis non esse subiectum respectu conceptus differentiae: quia unus conceptus non potest esse subiectum alterius.

Quomodo universale habet intrinsecam illam identitatem cum sit idem cum suis differentiis divisivis? non refert.

Quomodo non cum alias universale erit similiter Deo qui est idem in tribus personis? est valde magna disparitas, equidem inter deum et universale, quia Deus est idem realiter in tribus personis divinis, universale vero tantum est idem secundum rationem in multis, sic ut simul sit realiter diversum in istis multis.

An eadem sint unitas universalis et identitas universalis? non, quia identitas universalis est ens positivum, unitas vero eius est negatio.

An universale habeat unitatem realiter distinctam ab unitatibus suorum inferiorum? non, quia universale non habet entitatem realiter distinctam ab unitate inferiorum, ergo nec potest habere distinctam unitatem realiter.

An saltem habeat unitatem ratione distinctam ab unitatibus suorum inferiorum? imo, quia habet entitatem ratione distinctam ab entitate inferiorum.

An universale tantum habeat unitatem realem unicam? non.

Quot ergo unitates reales habet quodlibet universale? totquot habet inferiora, quia universale in quolibet inferiori debet esse ens unius naturae.

An debeat esse ens unius naturae in pluribus inferioribus simul sumptis? ordinarie quidem hoc non accidit, aliquando tamen ita contingit in ente respectu ad materiam primam formam substantialem et unionem physicam, item in albedine respectu in hoc et isto gradu albedinis intensae: quia sicut isti gradus intensivi simul faciunt unam al-

bedinem unius naturę, ita albedo in genere reperta in uno gradu
facit sub unius naturę cum albedine in genere reperta in alio gradu.
An universale habeat unitatem rationis distinctam ab unitate ratio-
nis suorum inferiorum? imo.
Quotuplex unitas rationis conveniat universali? duplex, quia sicut
ante dictum fuit in precedenti questione de identitate, quod videlicet
universali competat duplex identitas rationis, una intrinseca rei uni-
versalis, altera vero extrinseca, videlicet identitas conceptus prae-
cisivi: ita etiam dicendum est conformiter de unitate, quod vide-
licet ipsi competat aliqua unitas rationis intrinseca, et etiam aliqua
extrinseca.
Utra unitas est prior, unitas rei universalis, an vero unitas in-
feriorum? unitas universalis.
Quaenam est prior, realis an rationis? unitas realis, quia universale
est natura secundum rationem prius quam sit suis singularibus, ergo
etiam unitas, quia universale est pars suorum inferiorum, pars vero
est natura prior suo toto.
Proba ex eo sequi quod unitas realis universalis sit natura prior
unitate reali suorum singularium? quia unitates illae habent se
quoad hoc simili modo sicut universale et eius inferius.
An etiam unitas rationis universalis sit natura prior unitate ra-
tionis singularium? imo, quia est eadem ratio de illa ~~unitate~~ unitate
rationis quae est de reali.
An aliquod universale possit habere plures universalitates? imo, ut homo, item
albedo.
Da plures universalitates in albedine? est universalitas accidentis, proprii,
item speciei.
An ex eo bene sequatur quod albedo sit multa universalia? non,
proba non sufficere ad hoc ut ~~ut~~ aliquid sit multa universalia quod
habeat multas universalitates: quia ut adiectivum multiplicetur,
debet denominatum multiplicari, et ut aliqua subiecta dicantur
plura alba, debent esse ipsa subiecta realiter diversa.
An non requiratur quod habeant plures albedines? imo, si eadem albedo
replicaretur hic et Romae, faceret plura subiecta alba, si vero ha-
beret in eodem loco idem subiectum plures albedines, propterea non
diceretur plura alba, sicut Petrus non dicitur plures patres etiamsi
habeat plures paternitates.
An ut substantivum multiplicetur debeat multiplicari principale
significatum eius? imo.
An aliqui philosophi docuerint sola nomina esse universalia?
imo, unde etiam propter illam doctrinam vocati sunt nominales.
Quo fundamento nititur illa doctrina nominalium? quia totum
illud quod nos experimur de universali sufficienter salvatur sine uni-
versali reali, dicendo quod hoc illud universale homo non sit aliud quam

vox homo accepta disiunctive pro Ioanne, petro etc. videri autem possunt illam sententiam quia sic multas evadunt tritas difficultates quae non leves occurrunt circa universale reale.
refuta nihilominus illam sententiam nominalium, in primis experientia quia experimur nos aliquando cogitare de homine non cogitando de Ioanne, vel petro, aut ullo alio individuo hominis, ergo tali casu debemus concipere universale reale
proba aliter admittendum universale reale: quia Ioannes et petrus sunt univocata respectu vocis homo, ergo debent univoce convenire in aliquo eodem, illud vero est universale respectu illorum.
An ex acceptione disiunctiva vocis homo non colligatur etiam dari universale reale? immo, quia vox homo accipitur disiunctive pro petro paulo et ceteris individuis hominis, non autem pro hoc vel isto lapide, vel hoc, vel isto bruto, ratio autem quod potius sic accipiatur pro Ioanne vel petro, quam pro hoc aut illo bruto, non potest in aliam causam refelli quam quia vox homo significat principaliter aliquid commune Ioanni et petro quod non est commune brutis, illud vero commune non potest esse aliud quam universale reale commune Ioanni et petro

Quomodo universale contrahitur ad individuum? per differentiam adiunctam, et secundum rationem condistinctam.
An genus simili modo contrahatur ad suam speciem? immo
proba tali modo fieri contractionem universalis: immo, quia ut in initio dictum est sicut in genere sic contrahitur ad sua inferiora est autem eadem ratio de aliis universalibus quae est de ente in genere

An differentiae possint in aliquo convenire univoce? immo, ut rationale et irrationale conveniunt univoce in albo, vox enim album significat secundario et in recto utrumque
An differentiae possint convenire in aliquo essentiali utrique? immo, unde differentiae possunt esse univocata essentialia certo respectu, ut sensitivum rationale et sensitivum irrationale quia conveniunt univoce in sensitivo
An rationale et irrationale non possint univoce in aliquo convenire? immo.
Quomodo cum sint differentiae simplices? sunt quidem simplices logice, non sunt vero simplices physice, vel metaphysice et sic possunt convenire in aliqua parte essentiali physica vel metaphysica.
An differentiae possint convenire etiam univoce in parte formali logica? ~~[illegible]~~ immo, ut animatum rationale et sensitivum rationale.
An differentiae possint convenire in parte logica, nec in materiali, nec in formali? immo
Quomodo quo hoc fiat: si conveniant in una parte sic ut illa pars sit materialis logica respectu unius compositi et formalis respectu alterius.

Datales differentias quæ sic habent eandem partem: vt animatum sensitiuum, et sensitiuum rationale, sensitiuum enim est pars formalis logica respectu animati sensitiui, et est pars materialis logica respectu sensitiui rationalis.

An aliquæ differentiæ possint conuenire in vtraque parte, nec tamen materiali nec formali? imo

Dic modum quo hoc potest accidere: R. si constent ijsdem partibus sic vt pars formalis [illegible] Vnius sit pars ~~tamen~~ materialis alterius, et contra, et tales differentiæ sunt spirituale cognitiuum, et cognitiuum spirituale.

An differentiæ possint habere eandem partem formalem et eandem ~~formalem~~ materialem, et tamen esse diuersæ? imo, hoc accidet sustinendo quod vniones logicæ sint de essentia compositorum, et dicendo quod vniones varientur.

Ex quo capite poterunt tales casus vniones variari? ex parte subiecti proximi dicendo quod semel concipiatur illa vnio proxime subiectari in sola materia, et semel proxime subiectetur in sola forma.

Quomodo cum sit animal, et animal poterunt secundum rationem differre? hoc verum est, sed in eo nullum est inconueniens.

Quomodo cum sequatur ex eo quod animal debeat bis poni in prædicamento? nego.

Quomodo cum vterque casus habeat omnes conditiones requisitas? R. vterque casus seorsum bene potest dici habere omnes conditiones, sed non simul quia simul non sunt coordinabilia in eodem prædicamento secundum distinctionem prædicamentorum a veteribus factum.

[illegible] An omnes differentiæ diuidentes idem genus sint æque perfectæ? non, vt rationale et irrationale quæ diuidunt animal, sunt enim inæqualis perfectionis.

An differentiæ diuidentes idem genus possint esse æqualis perfectionis essentialis? imo.

Quomodo cum tales differentiæ necessario sint diuersæ? non refert.

Quomodo cum eadem sint diuersitas et inæqualitas? nego

Quomodo cum vtrumque illorum sit idem quod dissimilitudo? nego.

In quo ergo differunt tres illæ relationes, diuersitas dissimilitudo et inæqualitas? necessario ex parte rationis fundandi

Declara assignando rationes fundandi illarum: quia ratio fundandi diuersitatis est vnum non esse alterum, ratio fundandi dissimilitudinis, est vnum esse diuersum specie ab altero, ratio autem fundandi inæqualitatem est quod vnum excedat alterum numero partium extensarum.

Da differentias diuisiuas eiusdem generis æqualis perfectionis essentialis: differentia proxime constitutiua conceptus de petro, et differentia proxime constitutiua conceptus de paulo, illi enim conceptus sunt eiusdem perfectionis essentialis, ergo etiam differentiæ constitutiuæ illorum,

eiusdem perfectionis essentialis erunt.
An differentiae divisivae eiusdem speciei praedicabilis possint esse inaequa-
lis perfectionis? bene possunt esse inaequalis perfectionis accidenta-
riae, quia ipsamet individua eiusdem speciei possunt bene esse inaequalis per-
fectionis accidentariae, ergo etiam illorum differentiae.
An differentiae divisivae eiusdem speciei praedicabilis possint esse inaequalis
perfectionis essentialis? Non.
Cur non? quia omnia individua eiusdem speciei sunt aequalis perfec-
tionis essentialis, ergo differentiae proximae constitutivae illorum debent
etiam esse aequalis perfectionis essentialis.
probatur quod omnia individua eiusdem speciei possint esse aequalis per-
fectionis essentialis: quia si aliqua istorum individuorum essent inaequa-
lis perfectionis hoc ipso deberent magis differre quam aliqua quae
sunt eiusdem perfectionis, et consequenter deberent differre specie.
An ergo anima Judae et Christi sunt aequalis perfectionis? In pri-
mis non sunt aequalis perfectionis accidentariae, uti clarum est.
An sint aequalis perfectionis essentialis? distinguo, si utraque ista
anima capiatur pro natura metaphysica animae tunc erunt aequalis
perfectionis essentialis, si vero utraque anima capiatur pro compo-
sito metaphysico ex natura et subsistentia correspondente, tunc non
erunt aequalis perfectionis essentialis, quia anima Christi sic sum-
pta est essentialiter perfectior, quia anima Christi includit essentia-
liter sive per modum partis saltem ipsam subsistentiam divinam quam
nulla alia anima includit.
An differentiae divisivae eiusdem speciei praedicabilis physicae possint
esse inaequalis perfectionis essentialis? Imo.
Cur potius quam eiusdem speciei speciei praedicabilis logicae? quia
individua eiusdem speciei physicae tantum bene possunt esse inaequalis
perfectionis essentialis, non autem individua eiusdem speciei logicae.
Quaenam est ratio disparitatis? quia identitas specifica logica con-
sistit quodammodo in indivisibili, identitas vero specifica physica non,
sed illa habet suam latitudinem, et hinc datur magis et minus
inter individua eiusdem speciei physicae, quamvis talis dari non possit
inter individua eiusdem speciei logicae.
An species non sint instar numerorum? Imo, sunt similes in eo
quod sicut numeri variantur essentialiter quando aliquid ipsis
additur vel detrahitur, ita species non manent essentialiter eaedem
si aliqua pars essentialis illis dematur vel addatur.
An non sint similes etiam in eo quod sicut diversi numeri sunt inae-
qualis perfectionis essentialiter ita etiam diversae species? quaestio sup-
ponit falsum, etiam numeri diversi semper non sunt inaequalis per-
fectionis quia duo numeri ternarii supposito quod sint revera aeque

perfectarum erunt aequalis perfectionis essentialis, ergo nihil vetat dare diversas species aequalis perfectionis essentialis, et forte tales sunt viridi et flavido respectu coloris. dico forte quia nos non possumus talia tam certo asseverare.

De Individuo

In quo differunt singulare et individuum? non differunt
Quid individuum? est etc.
An haec domus? non, quia non est sub unum.
quare non si sit tantum ex unico lapide excavata? tunc quidam aliqui dicunt quod sit sub unius naturae, sed illi tunc accipiunt domum pro substantia quae substat certae figurae, sed nos dicimus quod ordinarie accipiatur domus pro aggregato seu composito per accidens ex substantia et certa figura, et hinc dicimus quod nunquam sit sub unius naturae, quia figura illa est tantum accidens, ex substantia vero et accidente nunquam fit sub unius naturae.
An idem possit esse universale et singulare? non, quia universale et singulare cum simul constituant proprietatem entis debent inter se summe repugnare, ergo fieri non potest ut detur utrumque.
quomodo enim homo sit utrumque? homo potest quidem sic considerari ut sit universale et singulare, sed tunc homo non manebit idem distinguendo hominem universalem et hominem singularem seu capiendo utrumque pro supposito: in eo quod homo singularis sit compositum ex homine et haecceitate tanquam differentia logica contrahente ipsum hominem. homo autem universalis est compositum ex materia prima universali sic ut non involvat ullam differentiam singularem quae afficiat totum hominem repertum in homine, sed tantum haecceitas quam involvit afficit unam partem eius physicam compartem unam rationalem.
An compositum physicum possit esse universale licet utramque partem habeat singularem? imo
ratione cuius poterit tale compositum esse universale? gratia unionis essentialis physicae
quare homo sumptus ut hic homo non est universale cum homo sit universale? non refert.
Quomodo cum sufficiat quod materia prima sit universalis ad hoc ut sit universale? non refert, quia non est eadem ratio de homine

quae est de materia prima, quia materia prima est pars physica
homo vero pars logica quae afficitur per differentiam individuan-
tem logicam; illa autem differentia individuans talis naturae est
ut cum superiori quod dividit constituat compositum singulare
etiam cum ente latissime sumpto.
An compositum logicum possit esse singulare licet omnes diffe-
rentiae sint universales? imo
Da compositum logicum singulare ex omnibus partibus univer-
salibus? Filius in divinis, quia producens in divinis et productum
in divinis ambo universalia sunt.
gratia cuius ergo illud compositum est singulare? gratia unionis
logicae.
Cur filius in divinis non potest etiam considerari tanquam composi-
tus ex differentia singulari? etiam potest sic considerari, quia
in primis habet unam differentiam logicam compositam singularem
quia illa differentia producens productum in divinis est singu-
laris licet partes eius sint universales. Secundo iuxta extraor-
dinarias abstractiones poterimus invenire in filio in divinis differen-
tiam singularem logicam simplicem

Quid individuitas? ineptitudo entis rei et rationis unius ad inesse
multis cum reali sui multiplicatione.
qualis negatio est individuitas? negatio pura stricte, quia est restricta
ad subiectum quod est incapax termini negati quia singulare non po-
test esse aptum inesse pluribus cum reali sui multiplicatione.
Da terminum individuitatis? aptitudo ad inesse multis cum reali sui
multiplicatione.
An requirantur aliquae unitates ad universale? imo;
quae realis an rationis? requiritur aliqua unitas realis et aliqua
unitas rationis.
proba requiri aliquam unitatem realem: quia individuum reale debet
esse sub unius naturae; unitas vero entis unius naturae realis est.
An individuum debeat habere tot unitates reales quot universale?
non, quia universale debet habere tot unitates reales quot habet infe-
riora in singulis enim inferioribus eius unius naturae est; indivi-
duum vero habet tantum unicam unitatem realem.
qualem unitatem rationis habet individuum intrinsecam an extrinsecam?
utramque.
proba quod habeat extrinsecam: quia potest denominari unum secundum
rationem ab unitate conceptus quo repraesentatur, quia illa unitas con-
ceptus extrinseca est obiecto istius conceptus, seu individuo.
declara quod habeat unitatem rationis intrinsecam: quia ipsum uni-
versale quod realiter multiplicatur habet unitatem rationis in-
trinsecam. ergo multo magis singulare, quia singulare non ita

PALLAS.

multiplicatur realiter sicut universale.

An unitas realis individui possit inveniri sine unitate rationis? imo.

Da individuum unum realiter non secundum rationem: hic homo prout concipitur conceptu complexo

An econtra possit reperiri unitas rationis sine unitate reali? R.

Da unitatem rationis in individuo sine unitate reali? R. unitas rationis in hac domo

An in individuis sit admittendum aliquod principium individuationis? imo, sic haecceitas hominis est principium individuationis in homine.

An in omni individuo detur aliqua pars quae sit principium individuationis? non, talis est haecceitas huius intellectus, qui est enim individuum omnimode simplex, hinc nequit habere partem quae sit principium individuationis.

An omne individuum logice compositum debeat habere partem singularem quae sit principium individuationis? non, sicut probandum per inductum ut diximus.

quomodo singulare logice compositum est singulare per se primo, tam per partem? considerando singulare prout est a parte rei sic est singulare per se primo negative; considerando vero illud tanquam compositum singulare ex universali et aliquo singulari tunc est universale per partem.

An singulare compositum logice possit constare ex utraque parte logicali singulari? raro quidem hoc accidit, aliquando tamen hoc fieri potest.

Unde fit quod hoc raro accidat? Ex eo quod pars materialis logica ordinarie sit universalis?

Ordinarie non est semper universalis cum compositio logica requirat ex genere suo unam partem universalem; atqui hoc compositionem logicam requirere ex genere suo.

Quid compositio logica? compositio ex entitatibus quae sint sub universali sola ratione distinctam tamen ex genere suo requirens unam partem a sua comparte.

Declara hoc non convenire compositioni metaphysicae dei? quia licet illa compositio dei consistat inter extrema sola ratione distincta, hoc tamen non habet ex toto suo genere; quia si hoc competeret compositioni metaphysicae dei ex toto suo genere, deberet convenire omni compositioni metaphysicae.

Declara quod non omni compositioni metaphysicae conveniat? quia non convenit omni compositioni metaphysicae potentiae.

Da compositionem logicam cuius neutrum extremum est universale: compositio logica consistens inter differentiam proximam constitutivam qualitatis creatae et haecceitatem intellectus divini.

proba illam compositionem esse logicam: quia non potest ad aliud genus compositionis referri, deinde consistit inter extrema sola ratione distincta ex toto suo genere.

Quid principium individuationis? Idem quod prima radix individuationis: ut haecceitas petri, est enim principium individuationis in petro.
An haecceitas sit adaequatum principium individuationis? non, quia datur compositum logicum individuum quod non constat ex haecceitate, et tale est producens productum in divinis.
An possit dari tale compositum in creatis? imo, loquendo saltem iuxta extraordinarias abstractiones.
An omne compositum ex haecceitate sit individuum? non.
Da compositum ex haecceitate quod non est individuum: compositum ex materia prima in genere, et hac anima rationali compositum ex haecceitate huius animae rationalis, et tamen illud compositum non est individuum sed universale.
An compositum rationis ex haecceitate sit semper individuum? non.
Da ergo compositum rationis ex haecceitate quod non est individuum: compositum ex petro, et haecceitate huius risibilitatis petri.
Cur illud compositum non est individuum? quia non est unius naturae sed tantum aggregatum per accidens.
An compositum rationis unius naturae ex haecceitate semper sit individuum? non.
An ergo tale compositum possit esse universale? imo. ut persona divina.
Ostende personam divinam componi ex haecceitate: quia componitur ex natura divina, et consequenter ex haecceitate naturae divinae.
An ergo haecceitas non sit principium individuationis adaequatum? non, quia potest dari compositum logicum ex haecceitate ut antea.
An differentia individuans sit principium adaequatum individuationis.
Quotupliciter sumitur differentia individuans? dupliciter, sumitur late, et sumitur stricte.
Quid differentia individuans stricte? differentia per se primo singularis.
Da differentiam individuantem stricte: haecceitas petri.
Quomodo differentia individuans debet esse per se primo singularis positive an negative? satis est quod sit negative.
Declara non requiri ut positive: quia quod est singulare per se primo positive debet esse singulare gratia omnium partium, adeoque debet habere partes singulares, iam autem differentia individuans stricte bene potest esse omnimode simplex ut patet in haecceitate huius intellectus.
Declara illam esse singularem per se, primo negative: quia est sic singularis gratia sui ut non tantum gratia partis, cum non habeat ullam partem singularem.
Quid differentia individuans late? est differentia contrahens materiam logicam ad constituendum cum illa individuum.
Quomodo cum illa definitione continentur differentia logica, unius=

talis? non refert quia aliqua talis differentia bene potest conti-
neri.
Da differentiam logicam universalem quae est individuans late:
productum in divinis
An requiratur ad differentiam late ut sit logice simplex? non.
Da ergo differentiam [late] logicam compositam: hoc rationale, quia cum
animali quod contrahit constituit compositum logicum individuum.
An rationale sit differentia individuans late? non.
Quomodo enim rationale constituat petrum qui est individuum? non
sufficit ad differentiam individuantem late quod quomodocunque consti-
tuat individuum, quia alioquin omnis differentia esset individuans late,
sed requiritur ut ipsa contrahat materiam logicam et cum illa absol-
vat individuum sine alia differentia ulteriori.
Quid tum cum rationale sic contrahat hoc animal? nego quod ra-
tionale hoc animal contrahat, quia in primis si ordinentur sic diffe-
rentiae in composito logico ut strictius accipiatur semper in latio-
rem, non potest rationale constituere compositum logicum cum
hoc animali, quia ut rationale constitueret aliquod compositum cum
hoc animali deberet dissolvi immediata unio inter haecceitatem et ani-
mal
An in altera sententia quae aliter ordinat differentias rationale
debeat dici differentia late? non.
Proba: quia in illa sententia rationale cum hoc animali non consti-
tuit compositum strictius quam sit hoc animal.
Cur non? quia hoc animal est singulare sic ut magis singularisari
non possit, concretum quidem sumendo hoc animal potest se exten-
dere ad plura, sed nos agimus de eo casu quo hoc animal sumitur
abstractum.
Quot sunt conditiones necessariae ad principium logicum individua-
tionis? ordinarie assignantur tres.
Da primam conditionem: ut sit differentia individuans.
Quomodo debet esse individuans late an stricte? ordinarie differentia
individuans stricte, datur tamen aliqua differentia quae est principium
individuationis licet ipsa sit universalis ut patet in producto in divinis.
Da aliam conditionem: ut sit de essentia istius individui quod constituit.
Da quod non est principium logicum individuationis defectu istius con-
ditionis: sit haecceitas huius visibilis non est principium individuationis
respectu petri, quia illa non est de essentia petri.
Da tertiam conditionem: ut distinguat suum individuum a ceteris condistinc-
tis.
An debeat distinguere suum individuum ab omnibus ceteris distinctis?
non.
An ergo diversa individua possint habere eandem differentiam individuan-
tem? imo, ut petrus et hoc rationale.
Quid Individuare? est differentiam contrahere universale ad con-
stituendum cum illo individuum.

Quid individuatum? est universale contractum ad individuum per differentiam individuantem. ut homo in petro quia ibi contrahitur ad constitutionem individui per adiunctionem differentiae individuantis.
An omne universale non sit individuatum? non ut quodlibet universale cui non concipitur adiungi differentia individuans.
An quodlibet universale possit fieri individuatum? imo, quia cuilibet universali potest concipi adiungi differentia individuans.
quomodo se habent individuatum et individuum? repugnant: quia individuatum debet esse universale repugnant vero universale et individuum.
Quomodo cum qualitas ornata sit utrumque? ergo quia licet restringatur ad intellectum divinum per adiunctionem alterius differentiae non est tamen individuatum quia non est universale.
An sicut datur principium individuationis logicum, ita detur principium individuationis physicum? imo. nempe tota entitas physica rei, id est singularis forma substantialis, singularis materia prima et singularis unio physica.
An singularis forma substantialis non sit sufficiens principium physicum individuationis? non quia compositum physicum constans individua forma substantiali potest esse universale gratia suae materiae primae si componatur ex materia prima in communi sic ut non involvat essentialiter aliquam determinatam materiam singularem.
An econtra singularis materia prima sit principium physicum sufficiens individuationis? non, quia corpus naturale potest esse universale gratia formae substantialis quod habet materiam primam singularem.
An singularis materia prima et singularis forma substantialis simul sit sufficiens principium physicum individuationis? non, quia corpus naturale involvens singularem materiam et singularem formam substantialem potest esse universale gratia unionis physicae universalis.
An materia assignata sit principium physicum individuationis? materia signata non est principium physicum adaequatum individuationis quia quomodocumque demum capiatur materia signata non est tota entitas singularis omnium rerum.
quid intelligunt thomistae per materiam signatam: materiam primam affectam certis accidentibus per quae quodammodo sigillatur sub una forma substantiali ut non pateat aliis formis substantialibus.
declara materiam sic sumptam non esse adaequatum principium individuationis: in primis non potest esse principium individuationis angelorum, neque accidentium, quia non est de illorum essentia.
An possit esse principium physicum individuationis corporum? si per materiam signatam intelligatur compositum per accidens ex materia prima et certis accidentibus tunc non poterit esse tale principium, quia tunc non est de essentia ullius corporis naturalis

quia involvunt essentialiter accidentia quae non sunt de essentia illius corporis.
quandonam materia signata poterit dici partiale principium physicum individuationis corporum? quando per materiam signatam intelligitur materia prima singularis substans certis accidentibus tunc enim cum singulari forma substantiali et singulari unione potest constituere integrum principium physicum individuationis corporum
quo fundamento nituntur thomistae qui indistincte docent materiam signatam esse principium individuationis? fundantur in aliquibus verbis aristotelis male intellectis, atque non est necesse respondere, quia aristoteles hoc habere in terminis non esset aristoteli hac in re credendum quia argumentum ab authoritate non valet cui obstat tam fortis ratio quam est pro sententia nostra.

An universale sit in rerum ratione an in nudis conceptibus? in rerum ratione.
an esse in rerum ratione non sit idem quod actu existere? non quia etiam antechristus et sibilia entia mere possibilia sunt in rerum ratione prout hic, illa vero non existunt actu.
proba universale debere esse ens reale: quia universale identificatur entibus realibus, iam autem ens rationis non potest identificari enti reali.
Quomodo universale est ens reale cum nihil possit existere sine differentia individuante? non refert, quia licet ex eo sequatur quod universale sub statu universalitatis non possit existere, potest tamen existere in quantum identificatur singularibus sive in quantum coniungitur suae differentiae individuanti, hoc autem sufficit, sicut homo non desinit ens reale licet non possit existere sine rationali quod ipsi realiter identificatur.

Quid esse in rerum ratione? est esse de numero entium realium.

Quid esse in nudis conceptibus? est non esse de numero entium realium, ut chymaera.

An universale sit corporeum an incorporeum? aliquod est corporeum, et aliquod non, aliquod vero partim corporeum, partim incorporeum.
Quotupliciter sumitur illa vox corporeum? tripliciter, aliquando pro differentia divisiva substantiae, et constitutiva corporis substantialis, secundo sumitur aliquando pro differentia constitutiva corporis quantitativi, tertio sumitur solide ut sit idem quod materiale.
Quid materiale, sive corporeum? quod exigit quantitatem tanquam proprietatem sibi connaturalem, vel dependet a re quantitatem exigente tanquam a subiecto sustentante. ut materia prima, corpus simplex physicum etiam videtur, item corpora naturalia, et accidentia quae dependent a re materiali tanquam subiecto sustentante
Contra quae distinguitur materiale sive corporeum? contra spirituale.
Quid spirituale? quod nec exigit quantitatem tanquam proprietatem sibi connaturalem, nec dependet a re quantitatem exigente. ut deus angeli, animae rationales, et accidentia ipsis solis intrinseca.
Da quod est materiale et spirituale: non datur

Quomodo cum unio physica in homine sit tale quid? nego.
Quomodo cum dependeat a materia prima, et anima rationali tan-
quam subiecto sustentante? in primis potest responderi quod depen-
deat a sola anima rationali tanquam subiecto sustentante, et tunc
extra controversiam est quod illa unio sit spiritualis, potest etiam dici
quod subiectetur in sola materia, tunc vero certum est quod sit
materialis
suppone unionem proxime afficere utrumque extremum, et dic qualis
tunc sit; si in utroque extremo proxime subiectetur tunc dicimus quod
illa unio sit materialis.
cur potius sit materialis ratione materiae quam spiritualis ratione
formae? quia ad rem spiritualem requiritur ut sit independens a re quan-
titatem exigente, non erit vero sic independens si habeat vel unicum
subiectum materiale a quo dependeat.
An successive possit eadem res modo esse materialis modo spiritualis?
usque hoc
Quomodo cum eadem res modo possit poni in subiecto materiali modo
in spirituali sicut per deum saltem, hoc non refert.
Ergo tali casu eadem res non erit modo materialis, modo spiritualis?
quia ad rem materialem non sufficit ut quomodocunque dependeat a subiec-
to exigente quantitatem, sed debet ex natura sua exigere seu postu-
lare dependere a materia tanquam a subiecto si sit accidens, iam autem
etiamsi de facto ponatur aliquod accidens in materia, propterea non
sequitur quod illud accidens ex natura sua postulet dependere a
materia
An si deus poneret conceptum intellectivum in lapide adhuc mane-
ret spiritualis? imo.
An non possit fieri quod aliquod accidens postulet dependere a materia
in certis circumstantiis, et in aliis non? in eo implicantia ostendi non
potest
cur saltem tale accidens non erit modo materiale, modo spirituale?
quia non erit verum dicere de tali accidente quod sit absolute indepen-
dens a materia, cum supponatur saltem in certis circumstantiis depen-
dere a materia.
Da universale quod est corporeum: homo, lapis, brutum, quia omnia illo-
rum inferiora materialia sunt.
unde poterimus scire an aliquod universale sit incorporeum seu spiri-
tuale? ex eo quod omnia eius inferiora spiritualia sunt.
Da universale spirituale: angelus, anima rationalis
Da tale quod sit accidens: intellectus, item conceptus intellectivus.
quaenam universalia sunt partim materialia, partim spiritualia? illa
quorum aliqua inferiora sunt materialia, aliqua vero spiritualia.
Da universale quod est partim materiale, partim spirituale: quia ali-
qua inferiora substantiae materialia sunt, ut animalia, aliqua spiri-
tualia ut angeli.
An qualitas sit tale? imo, quia etiam aliqua inferiora qualitatis
sunt materialia, ut albedo, aliqua spiritualia ut intellectus, voluntas etc.
An ergo res materialis et spiritualis possint esse eadem secundum
rationem? imo, ut qualitas reperta in intellectu et qualitas reperta
in albedine.

An universale existat separatum a singularibus? non.
An homo universalis non sit idem quod unus particularis homo in aere de quo non possumus scire an sit petrus an paulus? non est consequen-ter non est etiam idem quod unus homo visus a longe sic ut non possimus illum distinguere quis.
An universalia non existant in alio mundo separato ab hoc? aliqui hoc affingunt platoni sed est doctrina tam improbabilis quod non sit verisimile platonem ita sensisse.
proba universalia non esse separata in alio mundo: quia universalia debent inesse suis singularibus et habere eandem realem existen-tiam cum illis imo debent illis realiter identificari ergo non possunt esse in altero mundo et singularia in hoc mundo.
An si homo universalis esset in altero mundo posset praedicari de ho-minibus huius mundi? non quia requiritur identitas realis et ratio-nis inter extrema propositionis affirmativae non potest vero esse talis identitas inter hominem existentem hic et hominem alterius mundi.
Quomodo intelligendus est plato si docuerit universalia extitisse in mundo separato? plerique dicunt quod plato non voluerit ipsa univer-salia secundum se esse separata a singularibus sed per universa-lia ipse intellexit ideas existentes in mente divina repraesentativas universalis.
An ergo verum sit quod deus etiam universalia concipiat? imo
Quomodo cum hoc sit imperfectionis? ergo quia conceptus repre-sentans universale non debet esse falsus.
proba de deo? quia deus optime cognoscit nostros conceptus quibus universale repraesentamus ergo etiam debet cognoscere universalia quae per illos conceptus cognoscuntur, quia conceptus non possunt perfec-te cognosci nisi cognito ipsorum obiecto.
proba similiter hominem universalem non esse hominem in aere vel a longe visum quem non possumus distinguere quis sit: ille homo quidem magnam affinitatem habet cum homine universali, revera ille homo tamen universalis non est, quia non potest vere praedicari de hominibus omnibus, [illegible] enim falsum quod ille homo quem videmus a longe sit petrus paulus, etc.
Unde fit quod tantum videamus singulare? quia tantum videmus id a quo accipimus species visibiles, illud autem est singulare non universale.

Quomodo formatur universale? ab intellectu concipiente singulare inadequate.
An ergo universale formetur per abstractionem? imo.
Quid abstractio seu conceptus abstractivus quo intellectus format uni-versale? conceptus quo intellectus concipit singulare inadequate secun-dum illam partem secundum quam convenit cum aliis singularibus realiter diversis.
Dic ergo modum quo intellectus ex petro format universale? ~~con-~~ ~~cipit~~ format universale quando concipit petrum secundum id quod est homo.
Quomodo vero cum homo repertus in petro non possit inesse pau-

lo aut Joannis distinguo ille idem homo a parte rei qui est in petro non possit inesse paulo aut Joanni sed non refert quia sufficit quod idem manens secundum rationis possit alijs inesse

An intellectus formet idem universale sive petrum concipiat inadequate sive paulum? imo quia homo in petro et homo in paulo est plane idem secundum rationem non potest vero unum secundum secundum rationem concipi nisi concipiatur alterum.

An unum realiter secundum possit concipi non concepto alio? imo sic bene possumus concipere animal non concepto rationali ipsi realiter identificato.

An unum secundum realiter possit produci et alterum? non.

Quomodo ergo unum realiter secundum potest concipi et alterum non? quia produci est attributum plane reale terminatum ad rem prout existit a parte rei, non potest autem res existere nisi existant omnia realiter ipsi identificata aliud est de cognitione quia illa potest versari circa rem prout precise habet unum attributum et non prout habet alterum et hoc satis patet quando experimur nos aliquando concipere misericordiam dei et non iustitiam et contra.

An ergo contradictoria possint convenire eidem a parte rei? imo in eo nullum inconveniens est quod unum realiter secundum cognoscatur et alterum non cognoscatur eodem conceptu.

An quando concipimus singulare inadequate formemus universale? non.

Dic ergo modum quo potest concipi singulare inadequate et non formemus universale: si concipiamus singulare inadequate secundum illam partem secundum quam omnibus reliquis differt sed dum concipimus petrum inadequate secundum suam hecceitatem non concipimus universale, sed singulare quia concipimus petrum tantum inadequate secundum illam partem secundum quam differt ab omnibus reliquis

Qualis conceptus est ille quo formatur universale directus an reflexus? ordinarie directus.

An aliquando non possit esse reflexus? imo

cur ordinarie est directus? quia per illum ordinarie cognoscitur aliquid quod non est ipsa potentia cognitiva, nec aliquid ipsi intrinsecum, nec aliquid resultans ex suis cognitionibus.

Da conceptum representativum universalis qui est directus: conceptus de homine in genere, de lapide etc. quia illa nec sunt ipsa potentia cognitiva nec aliquid intrinsecum etc.

Assigna conceptum representativum universalis qui est reflexus: conceptus quo intellectus cognoscit se ipsum quia est conceptus quo potentia cognitiva cognoscit se ipsam.

Da alium conceptum universalis qui est reflexus: conceptus quo intellectus concipit conceptum intellectivum universalem vel etiam suum habitum universalem, quia utrumque est talis concep

sub quo potentia cognitiva cognoscit aliquid sibi intrinsecum.
Uter conceptus est prior in intellectu rei universalis an rei singula-
ris? ordinarie debet praecedere conceptus rei singularis. unde recte
dicit Aristoteles in libris de anima: animale universale aut nihil
est aut posterius est ipso scilicet singulari.
Unde provenit quod singularia debeant prius cognosci? quia univer-
sale formatur ex eo quia prius observata sunt singularia habere in-
ter se certam convenientiam. formatur autem tunc universale
quia singularia illa concipiuntur secundum id secundum quod conve-
niunt, v.g. Joes et Petrus conveniunt in eo quod uterque sit homo
concipiendo ergo hominem concipitur universale respectu illorum.
An debeant fuisse cognita omnia singularia antequam cognosca-
tur universale? non, quia sic nos hic usque non potuissemus cognosc-
ere hominem universalem.
Declara quod non: quia nos hic usque non cognovimus singula indi-
vidua hominis uti per se notum est.
An in omni casu conceptus singularium debeat immediate praecedere
cognitionem rei universalis? non quia experientia constat quod nos
saepe cogitemus de homine in genere, licet immediate ante non cogi-
taverimus de ullo eius singulari.
Cur potius concipimus cognoscere hominem secunda vice quam
prima? quia quando homo universalis semel cognitus est tunc re-
linquitur in intellectu species intelligibilis repraesentativa istius
rei universalis quae est homo in communi, illa vero species
potest post excitari in actum absque eo quod cognitio singularium re-
petatur uti patet experientia.
An semper requiratur ad primam cognitionem rei universalis ut
immediate praecedat notitia singularium? non, quia experimur quod
saepe ex alia occasione possimus etiam descendere in conceptum rei
universalis, v.g. quia de illo audimus loquentem magistrum vel
quia legimus in libro.
Quem leonem concipit homo qui videt picturam leonis univer-
salem an singularem? satis verisimile est quod talis concipiat
universalem.
Cur potius quam singularem? quia non habet fundamentum
potius concipiendi unum singulare quam alterum, quia sub illis
accidentibus quae ibi observat possunt plura individua latere unde
leo qui potest habere accidentia similia est universalis.
Qualis leo concipietur supposito quod in casu nostro concipia-
tur individuus? hoc dependebit a determinatione causae primae sicut
ab eadem dependet quod hic et nunc potius producatur hoc individuum
caloris quam unum aliud. Universalitas? universalitas tam actua-
per quid existit ipsamet universalitas per mentem quando actu concipitur
lis quam aptitudinalis existit

Quali conceptu concipitur universalitas actualis directo an re-
flexo? directo, quia per universalitatem actualem intelligi-
mus actualem inexistentiam universalis in multis.
Declara illam cognosci per cognitionem directam? quia illa nec
est potentia cognitiva, nec aliquid intrinsecum potentiae cogniti-
vae, et saltem ordinarie.
Quomodo cum universalitas oriatur ex cognitione tanquam ra-
tione fundandi? tunc universalitas non sumitur pro illa inexisten-
tia sed pro certa relatione quae oritur ex cognitione inexistentiae
ipsius rei universalis.
An cognitio qua cognoscitur universalitas aptitudinalis sit direc-
ta? imo ordinarie, quia universalitas aptitudinalis nec est po-
tentia cognitiva, nec aliquid intrinsecum potentiae cognitivae, quae
resultat ex cognitione tanquam ratione fundandi.
An singulare non sit aliquo modo posterius quam universale? imo, quia
si singulare consideretur tanquam logice compositum sic est poste-
rius secundum rationem ipso universali, quia universale est pars
respectu singularis sic considerati, pars vero est prior suo toto.
An universale sit aliqua reali prioritate prius singulari? non
An econtra si singulare sit aliqua reali prioritate prius? non
proba neutrum posse esse prius altero prioritate reali: quia singu-
lare et universale in ipso respectum sunt eadem a parte rei, non datur
vero vera et realis prioritas nisi inter illa quae sunt realiter distinc-
ta.
Da sequentem proprietatem entis? idem vel diversum
Cur non sit idem et diversum? quia proprietas complexa en-
tis debet exprimi vocabulo conflato ex repugnantibus disiunc-
tive connexis, si vero proprietas exprimitur aliter, tunc partes
eius connectuntur copulative.
Quomodo idem vel diversum potest esse proprietas entis cum illa mem-
bra non repugnent? imo repugnant saltem respectu eiusdem, et sub
eadem consideratione.
An idem respectu eiusdem non possit esse idem et diversum? imo, quia
sic v.g. manus dextera Petri est eadem cum sinistra partialiter gra-
tia animae et diversa gratia materiae.
Quomodo idem vel diversum potest esse proprietas entis cum idem sit
proprietas entis? non officit quia una proprietas entis complexa
bene potest componi ex aliis proprietatibus simplicibus.
Quomodo cum sit idem vel bonum poterit esse proprietas entis? non
poterit
Cur non tam bene quam idem vel diversum? quia idem vel bonum
non constat ex repugnantibus.
Quomodo idem vel diversum potest esse proprietas entis cum non
sit attributum convertibile cum ente? est.
Quomodo cum conveniat etiam compositis per accidens? ita

quidem si non restringatur, quia etiam composita per accidens
sunt eadem secum et diversa ab aliis; hic vero debet identitas et
diversitas restringi ad illa quae reperiuntur in ente famose sumpto
Quomodo accipiuntur idem vel diversum in proprietate entis?
simpliciter pro identitate vel diversitate.
cur non personaliter pro denominativis? quia falsum est quod idem
vel diversum sic sumptum sit proprietas entis, quia homo est
est idem vel diversus sumendo illa adiectiva pro denominativis, homo
tamen non est proprietas entis.
Quid identitas? generaliter est relatio orta inter aliqua ex eo quod
unum sit alterum. ut identitas hominis secum.
An quaelibet res non habeat identitatem cum se ipsa? imo.
An identitas sic sumatur generaliter in proprietate entis? non, quia
sic sumpta competit etiam compositis per accidens.
Quid identitas in proprietate entis? est relatio inter aliqua orta ex eo
quod unum sit alterum reperta in ente famose sumpto.
Quid idem conformiter? quod sic se habet ad alterum quod sit eius
famose, ut sit illud ipsum alterum.
Quid diversitas? generaliter est relatio orta inter aliqua ex eo
quod unum non sit alterum, hic vero debet restringi ad illam quae
reperitur in ente famose sumpto, quia aliter proprietas conveni-
ret etiam compositis per accidens.
Quid diversum? generaliter est quod sic se habet ad alterum, ut
non sit illud, hic vero restringitur ad illud quod est ens famose.
Divide identitatem: in identitatem realem, et rationis.
Quid identitas realis? est relatio consistens inter plura orta ex eo quod en-
titas unius sit entitas alterius a parte rei. ut identitas Joannis se-
cum.
Quomodo cum non sit relatio consistens inter plura? est relatio consisti-
tens inter plura ratione ratiocinante distincta, hoc autem sufficit
Quid identitas rationis? relatio inter plura orta ex eo quod entitas
sit quoque entitas alterius secundum rationem. ut identitas Joannis
secum.
Quomodo se habent eadem realiter, et eadem secundum rationem?
utrumque est Joes comparatus ad se ipsum.
Da prius tantum: visibile et flebile, item homo et rationale.
Da posterius tantum: homo in petro et homo in paulo.
An identitas dividatur adaequate in identitatem realem et rationis?
probabilius videtur quod non, licet aliqui contra sentiant.
proba sic non adaequate dividi: quia neutro membro continetur iden-
titas realis, et rationis simul.
Quomodo cum non sit necessitas talem identitatem admittendi?
ita quidem aliqui sentiunt, et ideo tollunt tertium illud membrum,
sed nos putamus rectius dici oppositum.
Quomodo cum aliqua possint esse eadem secundum rem et ratio-
nem sive tertia illa identitate? est verum

Dic modum quo possit accidere: si dicantur aliqua esse eadem
per duas identitates quarum una esset realis, altera vero rationis.
quo fundamento ergo fingitur tertia identitas? quia sicut potest
oriri aliqua identitas ex eo quod unum sit alterum a parte rei, et una
alia ex eo quod unum sit alterum secundum rationem, ita potest
oriri aliqua ex eo quod unum sit alterum utroque modo.
An homo recte dividatur in Iosephum et petrum, et aggregatum ex
Iosepho et petro? non.
Cur minus quam identitas in realem et rationis, et aggregatum
ex utraque? quam identitas non recte dividitur sic
Cur homo non recte sic potest dividi? quia non datur ullus talis
homo qui sit aggregatum ex petro et paulo, sicut etiam non datur
identitas quae sit aggregatum ex duabus identitatibus quarum una est
realis et rationis.
Quomodo ergo datur identitas quae sit realis et rationis? quia iden=
titas realis et rationis simul non est aggregatum ex duabus iden=
titatibus, sed una simplex identitas quae oritur ex duplicata quo=
dammodo ratione fundandi.
An identitas recte dividatur in totalem et partialem? imo.
quaenam identitas potest sic dividi realis an rationis? utraque potest
Quid identitas totalis? est relatio inter aliqua orta ex eo quod
tota entitas unius sit tota entitas alterius: ut identitas Joannis
secum.
An identitas in homine in petro et homine in paulo etiam totalis?
est totalis secundum rationem, sed non a parte rei, imo a parte
rei ne quidem est partialis.
Quid identitas partialis? relatio inter aliqua orta ex eo quod en=
titas unius sit entitas alterius secundum partem.
quando hoc accidit? quando unum est pars alterius vel contra vel
ambo simul involvunt aliquam partem eandem.
Da eadem partialiter: homo et materia prima, et generatim
quodlibet totum actuale respectu cuiuscunque suae partis actualis.
Da eadem partialiter quorum neutrum est pars alterius: manus
dextra et manus sinistra petri.
Declara esse eadem partialiter: quia includunt eandem partem
scilicet eandem numero animam rationalem.
An petrus et paulus etiam sint eadem partialiter? sunt secundum
rationem sed non a parte rei, quia neutrum a parte rei est pars al=
terius nec ambo includunt eandem partem realem.
Declara quod petrus et paulus sint eadem partialiter secundum ratio=
nem: quia secundum rationem includunt multas easdem partes nempe
hominem animal, et caetera superiora
In qua parte praeterea conveniunt secundum rationem? in rationali,
sensitivo, et caeteris partibus formalibus communibus.
An ergo identitas generica, et specifica sint identitates partiales
secundum rationem? imo. realem
Da eandem identitatem totalem et partialem: ut identitas quam

manus dextera petri est eadem cum sinistra, si enim illa identitas comparetur ad animam rationalem existentem in manu sinistra et eandem animam rationalem existentem in manu dextera quae sunt sub extrema proxima, tunc erit identitas totalis, si autem comparetur ad extrema remota nempe manum dexteram et sinistram tunc erit partialis identitas.

An omnis identitas non sit aliquo respectu totalis? imo

Quomodo cum identitas generica, et specifica non sit totalis? imo etiam illa aliquo respectu sunt totales, si nimirum comparentur ad extrema proxima.

Declara quod identitas specifica inter Joannem, et petrum sit totalis? quia erit totalis secundum rationem si comparetur ad extrema proxima nempe hominem in petro et hominem in Joanne.

An illa identitas possit dici realis et totalis? imo aliquo respectu si nimirum comparetur ad conceptum repraesentantem hominem in Joanne et hominem in petro, ille enim conceptus est unus et idem a parte rei.

An eadem identitas possit esse generica et specifica? non.

Cur hoc nequit fieri cum eadem possint esse eadem genere et eadem specie? est verum et non refert

Da talia: Joannes et petrus.

Declara quod per eandem identitatem non sint eadem genere et specie: quia identitas per quam sunt eadem genere ut sic considerata debet consistere inter duo genera sicut identitas specifica inter duas species, cum autem eadem non possint esse genera et species, ergo identitas specifica et generica necessario differunt ex parte extremorum, hinc eadem non potest esse utraque.

An etiam repugnent identitas generica et numerica? non

Quomodo ergo se habent identitas numerica et generica? ut magis et minus communia, quia omnis identitas generica est numerica certo respectu, non contra.

Da identitatem numericam nullo respectu genericam? identitas qua Deitas, Deus intellectus est eadem secum:

ostende quod illa non sint eadem genere: quia cum sint logice simplicia non possunt sub eodem genere collocari

Quomodo se habent identitas specifica et numerica? ut magis et minus communia, omnis identitas specifica aliqua comparatione est numerica si nempe comparetur ad conceptum quo repraesentatur species.

An diversitas possit dividi in realem et rationis? imo.

Quid diversitas realis? est relatio inter aliqua orta ex eo quod entitas unius non sit entitas alterius a parte rei. ut diversitas consistens inter hominem et brutum

Quid diversitas rationis? est relatio orta inter aliqua ex eo quod

entitas unius non sit entitas alterius, secundum rationem
quomodo se habent diversa realiter et diversa secundum rationem?
utrumque sunt homo, et brutum.
Quomodo enim homo, et brutum sint eadem, secundum rationem
partialiter? non refert, quia eadem possunt secundum unam partem
esse eadem, secundum alteram partem diversa vero.
Da diversa realiter non secundum rationem: homo in petro, et homo
in paulo.
Da e contra: homo, et rationale.
An eadem diversitas possit esse rationis et realis? imo.
ostende ergo quomodo diversitas inter hominem et rationale sit rea-
lis: quia erit realis si comparetur ad conceptus quibus repraesen-
tantur homo, et rationale.
Quomodo enim sic deberet consequenter dici quod omnis diversitas ra-
tionis sit etiam realis? aliqui etiam hoc admittunt, nihil obstat
tamen fingere aliquam diversitatem quae sit rationis inter aliqua
extrema quae non habeant pro extremis illos conceptus diversos
quibus res illae diversae secundum rationem repraesentantur, talis ergo
diversitas tunc erit diversitas rationis, non vero diversitas realis.
An diversitas dividatur adaequate in realem, et rationis? de eo simi-
lis controversia est sicut de identitate ante dictum est.
An non dentur multae res quae sint diversae realiter et secundum
rationem simul? imo.
An ex eo non bene concludatur quod detur diversitas realis et ra-
tionis simul? non.
proba hoc ex eo non conuinci: quia poterunt sic esse diversa per
duplicem diversitatem sic ut per unam sint realiter diversa per
alteram vero secundum rationem.
proba nihilominus esse admittendam diversitatem realem, et ratio-
nis simul: quia est eadem ratio de tali diversitate quae est de iden-
titate de qua dictum est ante, unde sicut ex duplici ratione fundandi
potest oriri aliqua identitas simplex quae sit realis et rationis simul,
ita potest oriri aliqua diversitas quae sit rationis et realis simul
ob duplicem rationem fundandi.
An diversitas possit dividi in totalem et partialem? imo.
quaenam sic potest realis an rationis? utraque.
in quo differt diversitas totalis, et condistinctio? non differunt
Quid diversitas totalis seu condistinctio? est diversitas qua aliqua
differunt per se primo.
quandonam censentur aliqua per se primo differre? quando neutrum
est pars alterius, nec includunt aliquam partem eandem.
Da condistincta: homo et brutum sunt condistincta realiter.
Da condistincta secundum rationem: hereditas petri, et hereditas

patris, sunt etiam condistincta realiter.
Quomodo se habent condistincta realiter, et condistincta secundum
rationem? utrumque est datum, nempe hereditas petri, et heredi-
tas patris item rationale et irrationale
Da condistincta secundum rationem, non realiter: visibile, et fle-
bile, non sunt condistincta realiter quia sunt eadem in parsondi
Da contraria: homo, et brutum
Quid diversitas partialis? est qua aliqua differunt secundum
unam partem. ut diversitas inter hominem, et materiam primam
eius.
Da diversitatem partialem inter talia quorum neutrum est pars alterius:
diversitas consistens inter manum dexteram petri, et manum
sinistram petri.
An eadem diversitas possit esse totalis et etiam partialis?
imo respectu diversorum extremorum. sic diversitas qua
manus dextera petri est diversa a manu sinistra petri, est
diversitas totalis si comparetur ad extrema proxima sua nempe
materiam primam manus dexterae, et materiam primam manus
sinistrae, est autem diversitas tantum partialis si comparetur
ad utramque illam manum.
An ergo omnis diversitas partialis sit aliquo respectu totalis?
non.
Quomodo cum sit totalis si comparetur ad extrema proxima?
nego.
Est modus quo fieri potest ut diversitas aliqua sit partialis
et non totalis: si fingamus aliquam diversitatem partialem fun-
dari per se primo in manu dextera, et terminari per se primo
ad manum sinistram petri.
Cur non erit totalis si comparetur ad utramque materiam?
quia ex supposito non fundatur in sola materia proxime, sed
in tota manu per se primo negative, unde patet quomodo manus
dextera, et sinistra petri possint esse diversae per duas diversita-
tes quarum una sit totalis, nimirum illa quae proxime con-
sistit inter materias, et remote inter manus, altera vero proxi-
me consistat inter utramque manum per se primo, posterior vero
non erit totalis comparatione istarum materiarum.
Subdivide diversitatem rationis: in diversitatem rationis ratio-
cinatae et diversitatem rationis ratiocinantis.
Quid diversitas rationis ratiocinatae? est diversitas qua aliqua
differunt secundum rationem cum fundamento in re. ut diver-
sitas consistens inter hominem et animal, item diversitas con-
sistens inter hominem et rationale.
Quid diversitas rationis ratiocinantis? est diversitas qua aliqua
differunt secundum rationem sine fundamento in re. ut diversitas
hominis a seipso.

An quaelibet res differat ratione ratiocinante a se ipsa? imo.
An diversitas rationis ratiocinantis etiam sit realis? imo, etiam
illa potest aliqua comparatione esse realis.
qua comparatione ergo diversitas hominis a se ipso est realis? com-
paratione facta ad conceptus quibus homo repraesentatur, illi enim
conceptus sunt diversi realiter.
An omnis diversitas rationis ratiocinantis debeat dici realis?
hoc ex eo non sequitur.
proba ergo posse dari aliquam talem quae realis non sit. quia
potest fingi aliqua diversitas rationis ratiocinantis sic ut
illa diversitas non concipiatur terminari nec consistere inter
illos conceptus pro arbitrio enim possumus fingere diversita-
tem uno modo vel alio prout volumus
Divide diversitatem realem: dividitur in diversitatem realem
stricte et modalem.
Quid diversitas realis stricte? est diversitas realis consistens
inter talia quae nec se habent ut purus modus et proximum eius
modificatum, nec ut duo puri modi eiusdem proximi modifica-
ti. ut diversitas inter hominem et petrum, quia neutrum illorum
est purus modus.
An inter duos puros modos possit consistere diversitas realis
stricte? imo.
Da diversitatem realem stricte inter duos puros modos? diver-
sitas consistens inter praesentiam hominis et praesentiam petri.
Quomodo illa est realis stricte cum consistat inter duos puros
modos? non refert, quia non consistit inter duos puros modos
eiusdem proximi modificati, una enim praesentia habet pro mo-
dificato petrum, alia paulum.
An possit dari distinctio realis stricte inter purum modum et
suum modificatum? imo ut distinctio consistens inter praesen-
tiam albedinis petri, et ipsum petrum, quia licet praesentia sit
purus modus et petrus eius modificatum, petrus tamen non
est eius modificatum proximum
Quid diversitas modalis? diversitas consistens inter talia quae se
habent ut purus modus, et proximum eius modificatum, vel
ut duo puri modi eiusdem proximi modificati. ut diversitas consistens
inter albedinem, et eius praesentiam localem, item diversitas consis-
tens inter actionem productivam albedinis, et albedinem.
Da distinctionem modalem inter duos puros modos: distinctio
consistens inter praesentiam albedinis, et actionem productivam albedinis,
quae est distinctio consistens inter duos puros modos eiusdem proxi-
mi modificati.
Quid modus sit? idem quod forma.

CLIO.

Divide modum: in modum purum, et non purum.
Quid purus modus? communiter definitur, est modus ita affixus suo subiecto ut ne quidem per Deum possit esse extra subiectum.
An omnes consentiant in tali definitione puri modi? non.
Defini ergo aliter: est qui sic est modus ut non possit esse modificatum.
Quomodo se habent hae definitiones? et definitiones praedictae puri modi convertuntur de facto, quia omnis et solus purus modus qui de facto datur est utrumque.
Quomodo cum praesentia localis sit purus modus iuxta priorem definitionem, et non iuxta posteriorem? est etiam purus iuxta posteriorem.
Quomodo cum praesentia localis sit subiectum suae actionis, et sequidem subiectum actionis sola ratione distinctae, sed hoc non refert quia secundum authores posterioris sententiae purus modus bene potest esse subiectum alterius formae secundum rationem distinctae.
An ergo de facto detur processus in infinitum in formis sola ratione distinctis? imo.
An in ordine ad Dei omnipotentiam antedictae definitiones sint convertibiles? non, quia per Deum dari potest modus aliquis qui possit esse extra subiectum et tamen non possit esse subiectum formae realiter distinctae, talis vero erit purus modus iuxta posteriorem definitionem, non vero iuxta priorem.
An possit dari purus modus iuxta priorem definitionem, non iuxta posteriorem? imo, quia per Deum potest dari modus qui absolute non potest esse extra subiectum, potest tamen esse subiectum formae realiter distinctae, talis vero erit purus modus iuxta priorem definitionem, non iuxta posteriorem.
Quid modus non purus? est modus qui per Deum potest esse extra suum modificatum, iuxta posteriorem vero est qui ita est modus ut possit esse modificatum. ut albedo, tum quia per Deum potest esse extra subiectum, tum quia potest esse subiectum formae realiter distinctae, nempe praesentiae localis.
Quid modificatum? subiectum.
Quid modificatum purum? modificatum quod non est modus. ut petrus item materia prima.
Quid modificatum impurum? modificatum quod simul est forma, seu modus. ut albedo, item intellectus.
Da quod est purus modus et simul modificatum: non datur.
Da quod est impurus modus, et impurum modificatum: albedo.
Da impurum modificatum quod non est modus impurus: non datur.
Da contra: compositum ex intellectu et omni forma informante intellectum.
Cur illud compositum non est impurum modificatum? quia non est modificatum ut suppositum.
qualis est distinctio inter animam rationalem et eius subsistentiam realis, stricte an modalis? in primis sic supponatur quod subsistentia

animae rationalis sit realis identitas stricte dicta, sitne illa distinc-
tio erit etiam realis stricte.
Suppono illam subsistentiam esse purum modum: tunc dico illam
distinctionem factam comparatione ad ista extrema esse realem stricte:
quia est talis diversitas realis, quae nec consistit inter duos puros mo-
dos eiusdem proximi modificati, nec inter purum modum et proximum
eius modificatum.
Quomodo enim subsistentia animae rationalis supponatur purus mo-
dus? non refert. quia anima rationalis non est eius modificatum, quia
modificatum debet esse subiectum, anima vero rationalis non est sub-
iectum suae subsistentiae, quia subsistentia animae rationalis est
purus animae
Qualis est distinctio inter naturam animae rationalis, et eius sub-
sistentiam? est modalis, illa enim se habent ut purus modus et
proximum eius modificatum.
Quomodo enim per eandem distinctionem anima rationalis distingua-
tur a sua subsistentia? est verum et non refert.
Quomodo enim ante sit dictum animam rationalem et eius subsisten-
tiam differre realiter stricte? non refert.
Quomodo enim sit aliqua debeant differre per distinctionem moda-
lem realiter stricte? per distinctionem quae sit modalis aliquo re-
spectu hoc possibile sed nequit fieri quod differant realiter stricte per distinc-
tionem quae sit modalis respectu ipsorum.
An idem possit esse extremum distinctionis realis stricte, et mo-
dalis? imo. sic praesentia hominis distinguitur enim modaliter a homine, et rea-
liter stricte a lapide.
Da quod ab aliquo distinguitur stricte realiter et a nullo modaliter: Deus, quia
Deus nec est purus modus, nec modificatum respectu ullius puri.
Da rem creatam quae distinguitur ab aliquo realiter stricte, et a nullo
modaliter: compositum ex intellectu Petri et omnibus modis informan-
tibus ipsum intellectum.
Cur non distinguitur modaliter a quoquam? quia nec est purus modus
nec subiectum ullius puri modi, alterutrum vero est necessarium ut
aliquid distinguatur modaliter.
Da distinctionem modalem cuius Deus est extremum: cuius Deus sit
extremum per se talis nequit dari.
An saltem Deus non possit esse extremum per accidens distinctionis
modalis? imo.
Da distinctionem modalem cuius Deus est extremum per acciden-
distinctio modalis qua aggregatum ex Deo et homine distinguitur a
praesentia hominis.
Cur ergo Deus non dicitur modaliter distingui? quia ut aliquid di-
catur distingui modaliter ab aliquo debet esse extremum per se distinc-
tionis modalis, unde homo qui est extremum remotum distinctio-
nis modalis proxime consistentis inter suam albedinem, et praesen-
tiam istius albedinis non distinguitur ideo modaliter ab albedine.
An una distinctio sit maior quam altera? imo. sic distinctio realis

maior est quam distinctio rationis.
An maioritas distinctionis desumatur ex maiori eius intentione?
non. quia distinctio non intenditur sicut nec aliae relationes.
An maioritas distinctionis desumatur ex maiori eius extensione: non.
Declara non recte: quia distinctio est extensive indivisibilis sicut pa-
ternitas, et aliae similes relationes.
Unde ergo desumitur maioritas distinctionis? ex perfectione rationis
fundandi.
Da distinctionem maiorem alterâ comparando: ut distinctio consistens
inter hominem et brutum est maior quam distinctio consistens in(ter)
hominem, et risibile.
Declara rationem fundandi eius esse perfectiorem: quia ratio fun-
dandi distinctionem inter hominem, et brutum est unum non esse
alterum a parte rei, ratio vero fundandi alterius est unum non esse
alterum secundum rationem.
Utra distinctio est maior totalis an partialis? totalis.
Declara rationem fundandi eius esse perfectiorem: quia ratio
fundandi distinctionis totalis est unum non esse alterum nec per
se primo, nec per partem illa vero ratio fundandi est perfectior
quam unum non esse alterum secundum partem: quod est ratio fun-
dandi distinctionis partialis. stricte
Utra distinctio est maior realis an modalis? ex genere suo neutra
est maior alterâ, dantur enim distinctio realis et modalis quae
sunt aequales. datur realis stricte quae est maior modali, et datur
etiam modalis quae maior est aliquâ reali stricte.
Da distinctionem realem stricte, et modalem quae sunt aequales: distinc-
tio inter duas albedines aequalis est cum distinctione inter duas prae-
sentias albedinis in eodem loco. quia non est ullum fundamentum suffi-
ciens dicendi quod ratio fundandi unius sit perfectior ratione fun-
dandi alterius.
Da distinctionem modalem quae sit perfectior aliquâ reali stricte:
distinctio modalis inter Deum et eius praesentiam maior est quam
inter duas albedines, quia ratio fundandi prioris est perfectior, quia
illa simul est diversitas specifica, posterior vero tantum numerica
perfectiori vero modo differunt illa quae differunt specie quam quae
differunt solo numero.
Da diversitatem realem stricte quae est maior aliquâ modali? sic
ut distinctio consistens inter petrum et lapidem perfectior est
quam distinctio consistens inter duos puros modos eiusdem speciei
quas petrus potest habere successive.
An petrus possit simul habere duos puros modos eiusdem spe-
ciei? per Deum hoc potest fieri, naturaliter vero loquendo non,
agimus vero de illis puris modis quae sunt eiusdem speciei rigorose.
An similiter una identitas possit esse alterâ maior? imo videtur.
sumitur maioritas identitatis ex perfectione rationis fundandi.
assigna identitatem maiorem alterâ? sic identitas totalis maior est
quam partialis tantum, similiter identitas realis et rationis simul

perfectior est quam identitas rationis sola, vel identitas realis sola.

An dentur aliqua signa ex quibus an aliqua distinguantur realiter an non, possit colligi? imo, si unum possit realiter existere sine altero signum est illa realiter distingui, quia realiter existere attributum reale est, ergo non potest convenire uni realiter eorundem nisi etiam competat alteri.

An similitudo albedinis non sit realiter eadem cum albedine? hoc sub opinione est, aliqui enim affirmant, et alii negant.

An albedo non possit existere sine sua similitudine? supposito quod similitudo realiter identificetur albedini tunc non potest existere nisi existat similitudo a parte rei, interim tamen poterit existere absque eo quod denominetur similis, quia ad hoc ut possit sic denominari ~~[illegible]~~ requiritur ut existat terminus similitudinis.

An omnia quae realiter distinguuntur sic se habeant ut unum possit existere realiter sine altero? non.

Da realiter distincta quorum neutrum potest existere sine altero: homo, et eius subsistentia.

An possint dari realiter distincta quorum neutrum potest existere sine altero? imo, ut pater et filius in divinis.

Da talia creata: compositum ex hoc gradu albedinis, et unione ad istum gradum, et compositum ex isto gradu, et unione ad hunc gradum.

Cur neutrum istorum compositorum potest existere sine altero? quia utrumque respicit essentialiter alterum gratia unionis.

Da aliud signum realis distinctionis inter aliquas, si unum realiter alterum causet, quia realis causalitas requirit extrema realiter distincta.

An illud signum probet distinctionem realem in ordine ad Deum? probabilius est quod non, quia per Deum probabilius potest idem causare seipsum.

Da aliud signum realis distinctionis: si unum realiter alteri uniatur.

Cur tunc debet realiter distingui? quia etiam unio realis debet consistere inter extrema realiter distincta.

An per Deum possit idem realiter uniri sibi ipsi? imo, sicut per Deum potest idem se ipsum causare.

Da aliud signum realis distinctionis: aliud est si quodcumque attributum reale conveniat uni et non alteri, signum est illa realiter distingui.

Cur dictum est attributum reale? quia si uni ex duobus conveniat aliquod attributum rationis [illegible] non est signum quod propterea realiter distinguatur ab altero, ut petro competit compositio logicalis, hecceitati vero petri non competit talis compositio, et tamen hecceitas et petrus non distinguuntur propterea realiter.

An distinctio possit dividi in potentialem et actualem, sumendo verba prout sonant? non potest subsistere illa divisio, quia non potest dari ulla distinctio potentialis tantum.

Quomodo ergo detur distinctio potentialis tantum inter partes quae actu uniuntur? nego, sed inter tales partes datur distinctio actualis.

Quomodo ergo unio tollat distinctionem inter partes? nego, quinimo unio est potius signum distinctionis ut dictum est.

An distinctio non competat rebus contingentibus? non, sed necessariis, unde quaelibet res sicut enim se ipsa necessario est eadem ita etiam a qualibet alia necessario est diversa, unde nulli competit contingenter, iam ex eo bene colligitur quod aliqua non possint modo distingui et modo non? imo, sic enim distinctio deberet ipsis competere contingenter.

An interim non possit aliquo sensu tolerari divisio distinctionis in potentialem et actualem?

Quid tunc erit distinctio potentialis? distinctio consistens inter talia quae de facto uniuntur.

An talis distinctio competat rebus contingenter? imo, quia unio competit extremis contingenter et ergo contingens est quod partes aquae uniantur, et etiam quod non uniantur, supposito vero quod uniantur competit ipsis distinctio potentialis, si vero tollatur unio integralis tunc competet illis distinctio actualis.

Da sequentem proprietatem entis: necessarium vel contingens.

Cur illa ponitur praecise tertio loco inter proprietates complexas? non est ibi alia ratio quam voluntas docentium.

Quotupliciter sumuntur illae voces contingens et necessarium? dupliciter, semel pro complexo, semel pro incomplexo.

Quomodo sumuntur hic pro simplici an complexo? pro simplici.

Cur non pro complexo? quia ~~simplex~~ necessarium vel ~~contingens~~ contingens sumendo pro complexo non conveniunt omni enti.

Da ens cui neutrum illorum convenit: homo.

Cur homo non est contingens complexum? quia contingens complexum debet esse enuntiatio contingenter vera.

Quotupliciter sumuntur contingens simplex, et contingens necessarium? dupliciter, pro necessario et contingenti physice et pro necessario et contingenti metaphysice.

Quid contingens physice? quod potest esse et non esse per vires agentis naturalis. ut hic calor.

Quomodo hic calor est contingens physice cum sic de eo deberent affirmari contradictoria? non deberent.

Quomodo cum de eo deberent affirmari existere, et non existere? non deberent, sed solum posse existere, et posse non existere illa autem contradictoria non sunt.

Quid contingens metaphysice? est quod potest existere, et non existere per absolutam dei potentiam: albedo, et generatim omne ens reale creatum.

An etiam ens rationis sit contingens metaphysice? non, quia per absolutam dei potentiam non potest existere.

Unde oritur contingentia metaphysica rerum? ex dependentia illarum a Deo.

Unde oritur contingentia physica rerum? ex variis capitibus illa oriri potest, et primo ex eo quod causa a qua res dependet defectibilis sit, sic ut in locum istius non substituatur alia, et per hoc lumen in cubiculo conclusum est defectibile, et contingens, quia candela potest extingui.

Ex quo alio capite praeterea potest oriri talis contingentia? ex eo quod causa a qua effectus dependet possit impediri, sive ex libertate agentis, sive etiam propter mutatas circumstantias.

An necessarium etiam dividatur in necessarium physice, et metaphysice? imo.

Quid necessarium physice? quod non potest non existere per vires agentis naturalis, ut coelum, materia prima, angelus, anima rationalis.

Quid necessarium metaphysice? quod non potest non existere per absolutam Dei potentiam, ut Deus et ille solus.

Quale contingens et necessarium intelligitur in proprietate physicum an metaphysicum? metaphysicum.

Proba non posse intelligi necessarium et contingens physicum: quia contingens vel necessarium physice non est attributum convertibile cum ente famose sumpto, quia non convenit omni enti.

Da cui famose enti non conveniat: hec materia prima mere possibilis.

Declara illam non esse contingens physice: quia non potest existere per vires agentis naturalis.

Declara illam non esse necessarium physice: quia cum non existat de facto, falsum est dicere de illa quod sic existat ut per vires agentis naturalis non possit non existere.

An contingens vel necessarium metaphysice sit attributum convertibile cum ente? imo.

Quomodo cum etiam conveniat compositis per accidens? si nullo modo restringantur tunc etiam conveniet compositis per accidens, hic vero restringuntur sub famose ut in simili dictum est in aliis proprietatibus.

Quomodo cum accipiuntur contingens et necessarium in proprietate entis? simpliciter pro necessitate et contingentia, quasi diceretur necessitas vel contingentia est proprietas entis.

Cur non possint accipi personaliter pro denominatis? quia sic homo, brutum, et similia inferiora entis deberent dici proprietas entis, quia illa sunt denominata istius vocis contingens.

Quid contingentia in proprietate entis? est aptitudo ad esse et non esse saltem per absolutam Dei potentiam.

An sit unica simplex potentia, an vero duplex? potest dici quod sit

duplex, et etiam quod sit simplex.
Quomodo dicetur duplex potentia? si dicatur composita ex aptitudine ad existendum et etiam ex aptitudine ad non existendum.
Quomodo potest defendi esse vera potentia? si dicatur esse aptitudo ad existendum habens coniunctam aptitudinem ad non existendum, vel aptitudo ad non existendum habens coniunctam aptitudinem ad existendum.
Quae necessitas significata in hac proprietate? aptitudo ad esse coniuncta cum ineptitudine ad non esse.
Cur nequit esse actualis existentia coniuncta cum ineptitudine ad non esse? etiam sic potest sumi, magis tamen ordinarie sumitur priori modo.
An sit vera simplex aptitudo necessitas sic sumpta? imo.
Quomodo distinguitur ab illa quae est contingentia? quia contingentia habet coniunctam aptitudinem ad non esse, necessitas vero habet coniunctam negationem talis aptitudinis.
An necessitas possit dici esse aggregatum ex aptitudine ad esse et negatione aptitudinis ad non esse? imo, tam bene quam contingentia dicitur esse aggregatum ex aptitudine ad esse et aptitudine ad non esse.

De sequentem proprietatem entis: actus vel potentia.
Quomodo cum potentia et etiam actus sint inferiora entis? possent quidem sic sumi, sed non sumuntur tamen eo modo hic.
Quomodo ergo hic sumuntur? simpliciter sicut in similibus iam saepe dictum est in aliis proprietatibus praecedentibus.
Quales sunt illae voces actus et potentia concretae an abstractae? possunt quidem sumi tanquam abstracta, non sumuntur tamen hic eo modo, sed sumuntur concretive.
proba non sumi abstractive: quia rationalitas visibilitas et similia logice simplicia sunt hic potentiae vel actus, non sunt tamen potentiae vel actus abstractive.
qualis potentia intelligitur hic activa an passiva? communiter et bene intelligitur potentia activa.
Quid potentia hic? ens natum efficienter alterum causare.
Quid actus conformiter? ens natum efficienter ab altero causari, vel quod est ipsum et actio.
Quomodo cum sic non repugnabunt actus et potentia? aliqui propter hanc obiectionem sumunt potentiam cum exclusione ut sit entitas nata efficienter alterum causare, et non causari, et secundum illos solus Deus sit potentia, communiter tamen respondetur quod sub eadem consideratione aliquid non possit esse actus et potentia, et secundum hoc sufficienter repugnant.
Quomodo potentia vel actus sic sumpta conveniunt adaequate enti cum etiam conveniant Deo? nego, quia utrumque restringitur ad ens [illegible] sumptum.

An in proprietate non possit intelligi potentia passiva et actus correspondens ipsi? non, quia tunc potentia vel actus non conveniret omni enti.
Proba quod non: quia neutrum istorum convenit deo, deus enim non est potentia passiva, neque actus potentiae passivae, utrumque enim involvit imperfectionem quae in deum cadere nequit.
An deus non sit saltem potentia passiva rationis? non, quia est talis respectu intellectus et voluntatis, et aliorum attributorum.
Cur ergo nequit intelligi potentia passiva vel eius actus in illa proprietate? quia per potentiam passivam famose intelligitur potentia passiva realis, alias intelligendo potentiam passivam rationis posset subsistere proprietas entis, sed sic explicari non solet, sed capitur potentia pro potentia activa et actus pro effectu illius, vel ipsamet actione uti antedictum est.

Divide potentiam: in activam, passivam et obiectivam.
Subdivide potentiam activam: in substantialem et accidentariam.
Quotupliciter dicitur aliqua potentia activa substantialis? dupliciter, late, et stricte.
Quid potentia activa substantialis late? est potentia activa quae in entitate sua est substantia.
An actus talis potentiae debeat etiam esse substantia? non est necesse.
Da ergo talem potentiam substantialem activam cuius actus non est substantia? angelus, nullam enim substantiam per se efficit angelus, est tamen potentia activa substantialis respectu intellectus, item respectu conceptuum.
Quid potentia activa substantialis stricte? est potentia activa quae efficit substantialem, ut deus.
Da talem creatam: homo, ignis.
An talis potentia activa substantialis etiam in entitate sua debeat esse substantia? putamus probabilius quod sic.
Quomodo enim etiam datur accidens quod per se efficit substantiam? nego.
Quomodo cum talis sit potentia nutritiva? nego.
Quomodo cum illa efficiat partem integralem viventis quae est substantia? vel potentia nutritiva per se non efficit illam partem integralem viventis, vel si efficiat ipsa etiam in entitate sua substantia est sicut solum sit accidens secundum rationem, utroque autem casu patet quod per illud exemplum non probetur quod accidens per se efficiat substantiam.
Quotupliciter sumitur potentia activa accidentalis? dupliciter, late et stricte.
Quid potentia activa accidentalis late? est potentia effectiva alicuius accidentis, ut intellectus, voluntas.
An etiam homo? imo.
Quomodo cum homo sit potentia activa substantialis? non obstat, quia idem bene potest esse potentia activa substantialis

et accidentalis late.
Quid potentia activa accidentalis stricte? est potentia activa quae in
entitate sua est accidens. ut intellectus.
Da talem quae sit substantialis: non datur, quia potentia activa sub-
stantialis sive late sive stricte debet esse substantialis.
Quid potentia passiva? est entitas nata recipere intrinsice aliam
condistinctam per modum praedicamentis. ut paries respectu albedinis.
Da quod est potentia activa, et passiva respectu eiusdem? intellectus
respectu conceptus.
Da potentiam activam quae non est passiva respectu sui effectus:
deus respectu cuiuslibet sui effectus.
Da talem creatam: ignis respectu caloris quem producit in ligno.
Da potentiam passivam non activam: paries respectu albedinis.
Quomodo potentia passiva et eius actus debent esse condistincta
realiter an secundum rationem? neque semper realiter neque semper
secundum rationem.
An subiectum quod differt sola ratione a sua forma debeat esse
secundum rationem condistinctum ab illa? non est necesse.
Da tale subiectum quod non est condistinctum: sic natura materiae
primae est subiectum quantitatis supposito quod sola ratione diffe-
rat ab illa, et tamen illa secundum rationem non sunt condistincta.
Declara cum neutrum sit pars alterius secundum rationem:
non refert.
Quomodo ergo illa non sunt condistincta secundum rationem? quia
involvunt aliquod idem secundum rationem: eo in genere involvitur
in utroque idem secundum rationem manens.
In quo ergo genere potentia passiva et eius actus debent esse
condistincta? in illo genere in quo simul constituunt totum.
Declara quod natura materiae primae et quantitas in eo genere sint
condistincta? quia materia prima et quantitas tantum constituunt
simul unum compositum accidentarium, in genere vero accidentario
illa sunt condistincta, quia neutrum est pars accidentaria alterius
neque involvunt eandem partem accidentariam.
Divide potentiam passivam: in substantialem et accidentariam.
Quotuplicier sumitur potentia passiva substantialis? dupliciter late
et stricte.
Quid potentia passiva substantialis late? est potentia passiva quae
in entitate sua est substantia. ut materia prima respectu formae sub-
stantialis, item respectu albedinis.
Quid potentia passiva substantialis stricte? est potentia passiva quae
recipit in se substantiam. ut materia prima respectu formae substan-
tialis.
Da talem quae sit accidens? non datur, quia accidens non potest
esse subiectum substantiae.
Da potentiam passivam substantialem stricte praeter materiam pri-
mam: natura angeli illa enim est potentia passiva respectu subsisten-
tiae.

An forma substantialis sit potentia passiva substantialis? sic est, imo respectu unionis.

An detur potentia pure passiva? imo. ut probabiliter materia prima, probabile tamen etiam est quod per resultantiam producat quantitatem.

An detur potentia pure activa? imo, Deus.

An detur potentia creata pure activa? non, quia omnis potentia creata activa etiam est passiva respectu alicuius formae vel praesentiae actionis.

Quare ultimum accidens non est potentia creata pure activa? quia ultimum accidens est purus modus qui non est potentia activa quia non potest agere.

An detur qualitas quae est pure passiva? imo. ut conceptus intellectivus, quia est passiva respectu suae praesentiae localis.

An detur qualitas primae speciei quae est pure passiva? et quod non, quia omnis qualitas primae speciei debet esse principium accidentarium secundarium operationis, adeoque debet esse activum.

An qualitas secundae speciei possit esse pure passiva? non, quia qualitas secundae speciei debet esse principium effectivum primariae operationis.

An diaphaneitas non sit qualitas pure passiva? non.

Quid diaphaneitas? aptitudo ad facile transmittendum lumen.

Declara non esse potentiam pure passivam: quia non est vera et realis potentia, nec etiam est vera et realis qualitas, sed est a parte rei ipsa materia prima corporis diaphani.

An sanitas sit aliqua potentia pure passiva? non.

An ergo sit activa? aliqui habent illam pro potentia activa, quia aliqui ponunt illam in prima specie qualitatis, aliqui in secunda, alii dicunt quod sit quaedam relatio, alii quod sit ipsamet substantia corporis sani.

An non dentur aliae potentiae praeter activam et passivam? imo, quia datur etiam potentia causandi finaliter, formaliter, et exemplariter quae non sunt potentia activa vel passiva.

An potentia activa et passiva sint correlativa? non.

Cur minus quam agens et patiens? etiam non sunt.

Da ergo correlativum agentis sive potentiae activae: effectus ab agente productus.

Da potentiam activam cui non correspondet potentia passiva: Deus quando creat angelum, quia angelus non habet subiectum in quo recipiatur.

Da econtra: non datur, quia omnis forma quae recipitur in materia debet effici ab aliquo agente.

An potentia resistendi sit aliqua realis potentia distincta ab activa et passiva? non.

Quid potentia resistendi? est potentia per quam res aliqua avertit

a se actionem agentis.
Da potentiam resistendi: potentia qua ignis resistit aquae.
Declara illam esse potentiam activam: quia non est aliud quam calor ignis
qui per hoc resistit aquae, quia destruit ipsum frigus aquae.
Quomodo calor est potentia cum sit qualitas tertiae speciei? non refert.
Quomodo cum potentia debeat poni in secunda specie qualitatis? ita
quidem agendo de potentia stricte, non vero si agatur de potentia
late, quia illa non debet esse qualitas, unde homo et deus ipse hic di-
cuntur potentiae, et tamen non sunt qualitates.
Quid resistentia? negatio eius quod est facile admittere in se effectum
agentis.
An ergo resistentia sit formaliter negatio?
An detur aliqua vera et realis potentia ad resistentiam formali-
ter sumptam? non
Quomodo resistentia est formaliter negatio cum detur aliqua resisten-
tia positiva? non refert, quia etiam illa resistentia quae dicitur posi-
tiva formaliter negatio est.
Cur ergo aliqua resistentia dicitur positiva? quia oritur ex positiva
actione istius quod debet pati ab agente.
Quid resistentia positiva? negatio istius quod est facile in se admittere
effectum agentis proveniens ex positiva actione ipsius patientis.
Ad quid debet terminari illa positiva actio? proxime terminatur ad aliquid
incompatibile cum effectu agentis in patiente, res autem illa proxime
producta varia esse potest.
Specifica modos quibus patiens resistit positive agenti: aliquando resistit
positive destruendo ipsum agens, aliquando resistit tollendo aliquam con-
ditionem necessariam ad hoc ut agens agat, aliquando vero resistit
puro per actionem conservativam alicuius qui effectus cum hoc est
incompatibilis effectus producendus ab agente, ratio est quia omnibus
illis modis potest impediri agens ne agat.
Da quod resistit positive destruendo ipsum agens: sic ignis resistit positive
aquae producendo in illa calorem et sic consequenter destruendo eius
frigus, similiter homo qui occidit adversarium suum positive illi resistit,
et talis resistentia maxime efficax est.
Da quod resistit positive sine destructione agentis: sic resistit illud quod
tollit aliquam conditionem necessariam ut agens agat, vel ponit ali-
quod impedimentum ratione cuius impeditur agere.
Da quod sic resistit positive: sic qui satis longe recedit ab igne resistit po-
sitive igni, quia tollit aliquam conditionem necessariam ad hoc ut ignis
possit agere in ipsum, nempe illam quod patiens debeat esse intra sphe-
ram activitatis agentis.
An sic non resistat qui tempestive fugit antequam veniat hostis? imo
quia talis ponit se extra sphaeram activitatis hostilis, quia quo agens
aliquod dependet a pluribus conditionibus, eo facilius eius actio impediri
potest ei resistere.

Da casum quo aliquid resistit positive ponendo impedimentum agenti: sic qui interponit corpus opacum resistit illuminanti, qui induit loricam volenti occidere per gladium resistit.

Da quod resistit positive nihil faciendo circa ipsum agens? Et sic lapides molares resistunt positive furibus ne auferantur.

Quomodo fit illa resistentia positiva? per hoc quod gravitas talis lapidis conservet suam praesentiam localem ita ut fures nequeant illam destruere, et consequenter non possint tales lapides auferre.

Quid ~~[illegible]~~ resistentia negativa seu passiva? negatio eius quod est facile admittere effectum agentis proveniens ex incapacitate ipsius subiecti.

Da quod resistit negative: sic angelus resistit igni calefacienti quia ipse est naturaliter incapax caloris.

An aliquid possit resistere positive et negative eidem agenti? quia angelus non tantum resistit igni negative sed posset etiam resistere positive ipsi, vel tollendo aliquam conditionem necessariam ad hoc ut ignis agat.

An lapis etiam non resistit partim positive partim negative corpori humectanti? imo

Quomodo resistit negative cum lapis non sit incapax humectationis? non est quidem absolute incapax quia experimur lapides aliquo modo humectari, sed hoc non refert quia saltem non ita facile admittit illam humectationem, unde siccitas eius formaliter dicitur resistere humectationi, sicut albedo nigredini, licet subiectum album possit fieri nigrum, quia ob sui informationem impedit ne tam facile possit introduci forma repugnans.

An omnes qualitates activae aequaliter resistant? non, nec omnes aequaliter positive nec omnes aequaliter negative.

Unde fit quod non resistant aequaliter positive? quia non omnes habent aequalem activitatem, ut patet experientia. Tanta vero est resistentia positiva agentis quanta est eius activitas.

Enumera qualitates primas eo ordine quo magis resistunt positive: calor, frigus, humiditas et siccitas, quia ordine illo sunt magis activae, ergo etiam eo ordine debent magis resistere positive.

An frigus non producat tam intensum effectum quam calor? quia si calor producat aliquem calorem ad octo etiam frigus producit aliud frigus paris intensionis.

Quomodo ergo verum est quod calor sit magis activus quam frigus? quia agit multo celerius, secundo quia agit per maiorem sphaeram.

Unde provenit? ex natura ipsius caloris nobis experientia manifestata.

An illae qualitates etiam resistant eodem ordine passive seu negative? non.

Enumera quatuor qualitates primas eo ordine quo magis resistunt passive: siccitas, humiditas, frigus, calor.

Unde oritur maior illa resistentia passiva? quia illis maior seu firmior debetur conservatio, si enim qualitates magis activae etiam magis resisterent formaliter fortiores absumerent totum.

An maior resistentia formalis seu passiva non oritur ex maiori repugnantia? Imo: quia calor, et frigus æque repugnant sicut humiditas et siccitas, et tamen minus resistunt formaliter.
An maior illa resistentia non oriatur ex minori robore contrarij? licet magis et minus robur aliquid contrarij contrahat, tamen ex eo adæquate non convenit, maior vel minor resistentia passiva.
Proba hoc: quia siccitas ordinarie dicitur magis resistitiva formaliter quam humiditas, contrarium tamen siccitatis nempe humiditas est maioris roboris quam sit siccitas quæ contrariatur humiditati.
Declara nihilominus illud minus robur contrarij aliquid conferre ad resistentiam: quia quandocunque agens potest agere, patiens debet posse pati velit nolit, ergo si ~~ali~~ agens possit magis agere cæteris paribus alterum patiens resistet minus.
An potentia obiectiva vel actus eius sit etiam proprietas entis? non saltem sic generatim sumendo et non limitando: quia non est attributum convertibile cum ente famose sumpto, quia convenit etiam compositis per accidens.
An limitando ad ens famose sicut cæteræ proprietates limitantur tunc poterit esse proprietas entis? imo.
Quomodo cum potentia obiectiva, et eius actus non repugnent? poterunt repugnare si potentia obiectiva sumatur cum exclusione actus.
Quid potentia obiectiva? entitas nata obijci potentiæ, habitui, vel actui. Ut homo.
Da quod non est potentia obiectiva: non datur. quia omnis res nata est obijci intellectui.
Quid actus potentiæ obiectivæ? est potentia, habitus vel actus tendens in aliquod obiectum. Ut intellectus, habitus, item conceptus.
Qualis potentia intelligitur in illa definitione? potentia appetitiva, et cognitiva, illæ enim maxime proprie habent obiectum.
An ergo ignis non habeat suum obiectum? proprie non habet.
Quomodo cum lignum sit eius obiectum? improprie est.
Cur non est obiectum eius proprie? quia solæ potentiæ cognitivæ et appetitivæ habent obiectum proprie, lignum vero respectu ignis est obiectum improprie quia obijcitur igni tanquam id in quod ignis debet agere.
Quanta distinctio requiritur inter potentiam obiectivam et eius actum? tantum distinctio rationis ratiocinantis sive officij.
Da potentiam obiectivam quæ solo officio distinguitur a suo actu: intellectus, quia est potentia obiectiva respectu sui ipsius, quia potest se ipsum concipere.
Da secundam divisionem potentiæ: dividitur in naturalem, et supernaturalem.
Quæ potentia sic dividitur activa an passiva? activa, et passiva
An etiam obiectiva sic possit dividi? imo.
Quid potentia naturalis? quæ per vires naturalis agentis potest consequi suum actum. Ut potentia quam habet homo ad ambulandum.
Da potentiam passivam naturalem: potentia quam habet materia prima ad recipiendam formam substantialem.

Da potentiam obiectivam naturalem: potentia quam habet albedo respectu conceptus visivi quo potest videri

Quid potentia supernaturalis? quae non potest consequi suum actum nisi per vires agentis supernaturalis. Ut potentia quam habet anima rationalis ad claram visionem Dei.

Qualis potentia supernaturalis est illa, activa an passiva? Utraque, quia et efficit, et etiam recipit illam per vires agentis supernaturalis.

Da potentiam obiectivam supernaturalem: ut Deus respectu clarae visionis ipsius.

Quid agens naturale? est agens creatum quod operatur per virtutem sibi connaturaliter debitam in ordine ad obtinendum suum finem naturalem, vel Deus ipse concurrens cum tali agente, vel supplens defectum talis agentis.

Da exemplum primi membri: homo respectu suae ambulationis.

Da secundi membri: Deus concurrens cum igne ad producendum calorem

Da tertii membri: Deus producens animam rationalem in materia disposita.

Quid agens supernaturale? quod non est agens naturale. Ut anima rationalis respectu visionis beatificae.

Da agens quod est naturale, et supernaturale: homo est agens naturale respectu suae ambulationis, est vero supernaturale respectu visionis beatificae.

Quomodo se habent agens creatum, et supernaturale? Utrumque est homo. prius tantum est ignis respectu caloris, posterius tantum est Deus concurrens cum homine ad visionem beatificam sui ipsius.

Quomodo se habent agens increatum, et agens naturale? Utrumque est Deus concurrens cum igne ad producendum calorem. prius tantum est Deus concurrens cum homine ad visionem beatificam, posterius tantum est ignis respectu caloris.

An effectus quem producit agens supernaturale debeat esse in se supernaturalis? non, sed satis est quod sit supra naturales vires agentis, unde si nigredo produceret albedinem illa productio erit supernaturalis respectu nigredinis producentis, erit albedo tamen effectus in entitate sua naturalis.

An etiam visio beatifica possit naturaliter produci ab aliquo agente? hoc utrumque probabiliter controvertitur apud theologos, quidam enim illorum dicunt visionem beatificam omni substantiae per Deum creabili esse supernaturalem. alii dicunt quod possit creari aliqua talis substantia cui illa visio sit naturalis.

An habitus fidei spei et charitatis sint supernaturales? imo, et consequenter actiones talium habituum supernaturales sunt.

Da agens supernaturale quod non est naturale: habitus fidei supernaturalis, quia tantum producit actum fidei supernaturalem, illum vero producit tanquam agens supernaturale; aliqui tamen probabiliter dicunt quod talis habitus producat etiam actum fidei naturalem, et secundum illos non erit agens supernaturale tantum.
Da agens naturale non supernaturale ullo respectu: tale quod de facto est lapis, quia nullum effectum producit de facto tanquam causa supernaturalis.
An lapis per deum possit fieri agens supernaturale? probabilius est quod sic tam bene quam aqua in multorum theologorum sententia de facto est agens supernaturale.
Quid ergo producit aqua tanquam agens supernaturale: gratiam in baptismo ut habet probabilis theologorum sententia, aliqui tamen probabiliter dicunt quod aqua tantum moraliter et per accidens concurrat ad gratiam.
Quomodo vocatur illa potentia per quam aqua sic concurrit ad gratiam? potentia obedientialis.
Quid potentia obedientialis? potentia per quam creatura elevatur ad causandum aliquem effectum quem naturaliter causare non potest.
Quid rei illa elevatio? nihil aliud quam dei volitio qua vult cum creatura concurrere ad aliquem effectum extraordinarium quem naturaliter non potest causare.
An potentia obedientialis differat realiter a creatura cui competit? non, quia non potest assignari quid sit illud realiter distinctum a creatura in quo consistat potentia obedientialis.
Quomodo ergo inde sequatur quod potentia obedientialis sit naturalis? distinguo, potentia obedientialis in entitate sua naturalis quidem est dicitur tamen esse supernaturalis extrinsece in ordine ad suum actum.
An sit certum talem potentiam obedientialem dari in rebus creatis? certum est in aliquibus, nimirum in anima rationali, vel eius potentiis, quia ipsa vel eius potentiae concurrunt ad actum supernaturalem.
Qualis potentia est potentia obedientialis activa an passiva? R aliqua est activa, et aliqua passiva.
Declara utramque esse admittendam in anima rationali: quia anima rationalis vel eius potentiae recipiunt actus supernaturales tanquam illorum subiectum, et etiam efficit eosdem actus supernaturales.
An in aliis rebus sit admittenda talis potentia obedientialis? R hoc probabiliter utrimque disputatur.
Divide aliter potentiam: in naturalem, violentam et neutram.
Cui potentiae accommodatur illa divisio? potentiae passivae.
Quotupliciter potentia passiva dicitur naturalis? dupliciter, nempe in ordine ad subiectum, et in ordine ad suum actum.

Quid potentia passiva naturalis in ordine ad subiectum? potentia conveniens suo subiecto. Ut gravitas, est eminenti modo naturalis respectu terrae.

Quid potentia passiva naturalis in ordine ad suum actum? potentia passiva comparata ad actum sibi convenientem. Ut terra respectu motus deorsum.

Quid potentia passiva violenta in ordine ad subiectum? potentia passiva disconveniens suo subiecto.

Da potentiam passivam eo modo violentam: ut levitas respectu aquae.

Quid potentia passiva violenta in ordine ad suum actum? potentia passiva comparata ad actum sibi disconvenientem. Ut aqua respectu levitatis.

Quid potentia passiva neutra in ordine ad actum? est potentia passiva comparata ad actum nec convenientem, nec disconvenientem. Ut elementum ignis respectu motus circularis.

An potentia activa etiam sic possit dividi in ordine ad actum in naturalem, violentam, et neutram? non, quia potentia activa respectu actus nunquam est violenta vel neutra.

Quomodo cum aqua sit talis potentia activa violenta respectu caloris? nego quia nec quidem est potentia activa respectu caloris, quia aqua non producit calorem nisi mediante suo accidente.

An potentia progressiva non sit violenta respectu claudicationis? non, quia suppositio quod non possit exercere motum rectum naturalis ipsi erit claudicatio.

An cuilibet potentiae correspondeat suus actus? imo

Quid actus potentiae passivae? forma quae recipitur in subiecto vel ipsa receptio formae in subiecto. Ut anima rationalis respectu materiae primae, calor respectu ignis vel etiam.

Quomodo se habent quoad prioritatem temporis potentia passiva, et eius actus? aliquando potentia passiva et eius actus sunt simul tempore aliquando potentia passiva est tempore prior aliquando tempore posterior.

Da potentiam passivam quae est simul tempore cum actu? anima rationalis respectu intellectus.

Da quae est tempore prior: ut petrus respectu conceptus quem elicit in senectute.

Da quae sit tempore posterior: ut ignis generatus ex ligno respectu caloris qui prius inerat ligno et post inest igni.

An ignis sit per se primo tempore posterior illo calore? non, quia tantum est tempore posterior gratia formae non vero gratia materiae.

Da potentiam passivam quae per se primo est tempore posterior suo actu: talis naturaliter loquendo non videtur, licet tamen dari potest.

Quomodo se habent quoad prioritatem naturae potentia passiva et eius actus? ordinarie potentia passiva est natura prior suo actu.

Quare? quia ordinarie actus potentiae passivae dependet a potentia sua passiva tanquam a subiecto sustentante.
An ille actus non semper sic dependeat? non, quia anima rationalis non dependet sic a materia prima, quamvis ab illa aliquo modo dependeat tanquam a suo fine.
An accidens semper dependeat a suo subiecto tanquam sustentante? naturaliter loquendo sic semper dependet a suo subiecto proximo non tamen a subiecto remoto.
Declara accidens non debere dependere a subiecto suo remoto: quia intellectus v.g. Petri non dependet a materia prima Petri tanquam subiecto sustentante
Declara sic non dependere a materia: quia potest naturaliter esse extra illam materiam absque eo quod aliqua causa succedat in locum illius materiae.
Quomodo se habeat quoad perfectionem potentia passiva et suus actus? potentia passiva aliquando est perfectior aliquando imperfectior suo actu.
Da potentiam passivam perfectiorem suo actu: ut homo respectu albedinis, caloris etc.
Da potentiam passivam imperfectiorem suo actu: materia prima respectu animae rationalis.
Quid actus potentiae activae? est effectus productus a potentia activa vel ipsamet actio. ut homo respectu dei calor respectu ignis.
Quomodo se habeat quoad prioritatem temporis potentia activa et suus actus? aliquando sunt simul tempore aliquando potentia activa est tempore prior, aliquando vero tempore posterior.
Da potentiam activam quae est simul tempore cum suo actu: anima rationalis respectu intellectus humani.
Da potentiam activam quae est tempore prior suo actu: deus respectu Petri.
Da potentiam activam quae est tempore posterior suo actu: lumen hodie productum conservans lumen productum heri.
An potentia activa possit esse posterior tempore primo producto a suo actu? non potest fieri quia sic effectus debuisset existisse antequam existeret causa per quam erat primo producendus, hoc vero impossibile est.
Quomodo se habeant quoad prioritatem naturae potentia activa et suus actus? potentia activa semper est natura prior suo actu, quia potentiae activae actus semper dependet a potentia activa.
An idem possit esse prius et posterius natura respectu eiusdem? imo sub diversa consideratione.
probo: quia possunt dari quaepiam se mutuo efficientia ut in physica. in quantum unum istorum est potentia activa respectu alterius sic erit natura prius, in quantum vero erit effectus sic erit natura posterius.

Divide aliter potentiam: in rationalem et irrationalem.
Quomodo cum nostro membro contineatur homo? non refert
Quomodo cum homo sit et potentia activa sit etiam passiva? R

non refert, quia tunc potentia sumitur late, hic vero stricte pro:
qualitatibus secundae speciei, et sic manifestum est hominem non esse
potentiam rationalem vel irrationalem, quia non est qualitas, et ob
eandem rationem albedo, calor et similia non sunt potentiae rationa:
les vel irrationales, quia licet sint qualitates non sunt tamen qua:
litates secundae speciei.
Quid potentia rationalis? est potentia cuius actus est ratio vel
dirigitur a ratione eiusdem subiecti: ut intellectus, item voluntas.
Declara de intellectu: quia actus intellectus est ratio.
Quid ibi ratio? conceptus intellectus.
Cur non est idem quod conceptus generaliter? quia tunc definitione
continerentur sensus brutorum, quia etiam illorum actus sunt
cognitiones.
Qua acceptione accipitur particula actus in hac definitione? ~~[illegible]~~
particulariter, quia non est specialis ratio pro alia acceptione.
An salva convertibilitate definitionis possit accipi universali:
ter? universaliter plene non potest accipi, quia sic intellectus non
esset potentia rationalis, quia falsum est quod omnis actus
intellectus sit ratio.
Da actum intellectus qui non est ratio: habitus intellectivus quem
intellectus etiam in se producit, item species intelligibilis.
Da potentiam rationalem cuius nullus actus est ratio: voluntas.
Quomodo cum potentia rationalis debeat esse talis cuius aliquis
est ratio? nego quod hoc dicatur simpliciter, sed additur vel cuius
actus dirigitur a ratione eiusdem subiecti, ut vero aliquid continea-
tur definitione disiunctiva, satis est quod contineatur una parte
disiuncti.
Da potentiam rationalem quae non cognoscit: voluntas.
Declara esse potentiam rationalem: quia eius actus dirigitur
a ratione eiusdem subiecti.
Quomodo accipitur ibi particula actus in posteriori parte? etiam
particulariter.
Cur non universaliter? quia tunc voluntas non contineretur
illo posteriori membro, quia etiam aliquis actus voluntatis non
dirigitur a ratione eiusdem subiecti.
Da actum voluntatis qui non dirigitur a ratione eiusdem subie:
cti? habitus voluntatis, quia illi producuntur independenter a cog:
nitione, unde illi qui numquam aliquid de habitibus audiverunt
tam bene producunt habitus quam alii.
Da potentiam cuius omnis actus dirigitur a ratione eiusdem sub:
iecti: voluntas divina.
Quomodo cum aliquis eius actus esset habitus non dependens a
directione cognitionis? non admittimus habitus in voluntate divina.
Quomodo cum etiam in Deo dentur virtutes? in Deo quidem dan:
tur virtutes actuales, non tamen habituales.
An illa particula eiusdem subiecti sit necessaria ad convertibilita:

talem definitionis? imo. quia potentia irrationalis potest etiam dirigi a ratione alterius subiecti, quia sic gravitas lapidis dirigitur a ratione seu cognitione divina.

An ut aliqua potentia contineatur posteriori membro debeat actus eius dirigi a ratione eiusdem subiecti proximi? non, unde partis illa proximi non potest dari salua convertibilitate definitionis.

Da ergo potentiam rationalem cuius actus tantum dirigitur a ratione eiusdem subiecti remoti: potentia progressiva illa enim subiectatur in materia prima intellectus vero subiectatur proxime in natura animae rationalis.

An interim aliqua potentia non sit talis ut eius actus dirigantur a ratione eiusdem subiecti proximi? imo.

Da talem potentiam rationalem: ipsemet intellectus, quia eius actus etiam diriguntur a ratione cum qua simul insunt eidem subiecto proximo nempe intellectui.

Quomodo cum intellectus contineatur priori parte huius definitionis? non refert, quia aliquid idem bene potest contineri utroque membro definitionis disiunctivae.

An intellectus contineatur omni respectu posteriori parte quo continetur priori? non: quia respectu primi sui conceptus continetur priori parte, et non posteriori.

Declara quod respectu illius contineatur priori parte? quia ille primus actus eius etiam est ratio.

Declara quod respectu illius non contineatur posteriori membro: quia intellectus non potest dirigi in productione primi sui conceptus a ratione eiusdem subiecti, quia sic deberet habere primus conceptus illius intellectus alium conceptum se priorem saltem natura quod implicat quia non potest dari prius primo

An solus ~~[illegible]~~ conceptus intellectivus dicatur dirigens? solus conceptus dirigit proxime sed mediante illo conceptu etiam intellectus et anima dicuntur dirigens.

An ad hoc ut aliquid dirigens dicatur sufficiat quod sit subiectum conceptus dirigentis? non, quia materia prima etiam est subiectum remotum talis conceptus dirigentis, et tamen illa non dicitur dirigens.

An ut aliquid dicatur potentia rationalis sufficiat quod sit principium rationis seu conceptus intellectivi? non.

Da ergo principium rationis quod non est potentia rationalis: homo.

Da accidens quod est principium effectivum rationis et non est potentia rationalis? habitus intellectivus, item species intelligibiles, quia non sunt potentiae sed habitus pertinent ad primam speciem ubi etiam species intelligibiles quae tamen secundum aliquos pertinent ad tertiam speciem qualitatis.

In quibus agentibus datur potentiae rationales? in solis agentibus ~~agentibus~~ cognitivis.

Da ergo potentiam rationalem in lapide? non datur.

Da in omni agente cognitivo detur potentia rationalis? non, ut brutum.

An potentia rationalis non sit idem quod potentia cognitiva in definitione defatigationis? non.

Quid ergo potentia cognitiva in definitione defatigationis? cuius proprius actus est cognitio, vel dirigitur a cognitione eiusdem subiecti.

Quomodo se habent potentia rationalis, et potentia cognitiva sic sumpta? utrumque est intellectus.

Da prius tantum: non datur.

Da posterius tantum: visus brutorum. unde appetitus habent se ut magis et minus communia.

Specifica agentia in quibus dantur potentiae rationales: deus, angeli et homines.

Da potentias in deo non rationales: non dantur.

Da potentias in angelis non rationales: ut impetus impressus angelo ab alio superiori.

Da potentiam talem necessario convenientem angelo: talis dari non potest quia in angelo tantum sunt tres potentiae necessario, intellectus, voluntas et potentia loco motiva distincta ab impetu, illae vero omnes tres sunt rationales.

Da potentias in homine rationales: intellectus, voluntas et aliqua potentia loco motiva.

Da potentiam loco motivam non rationalem in homine: gravitas hominis quia eius actus non est ratio, nec dirigitur a ratione eiusdem subiecti.

Unde probas non dirigi a ratione eiusdem subiecti? quia etiam illo tempore quo nulla datur cognitio in homine eque et eodem modo operatur suum effectum ac alio tempore quo homo cognoscit.

An potentia nutritiva in homine sit rationalis? non, quia satiam nutritio optime fit in somno dum homo nihil cogitat.

Quid rationale a quo potentia dicitur rationalis? est ipsa met ratio vel directum a ratione eiusdem subiecti.

Cur rationale non sumitur eodem sensu quando est differentia hominis? quia voluntas etiam hic est rationalis, et potentia progressiva, illae vero non sunt rationales prout rationale est differentia convertibilis cum homine.

Divide potentiam rationalem: dividitur in rationalem per essentiam, et rationalem per participationem.

Quid potentia rationalis per essentiam? est potentia rationalis quae dicit essentialem ordinem ad rationem tanquam nata illam efficere vel ab illa dirigi.

Quot sunt potentiae rationales per essentiam? tantum duae, nempe intellectus, et voluntas.

Quomodo non sunt tres, cum etiam potentia abstracta ab intellectu et voluntate sit rationalis per essentiam? non obstat, quia illa non est realiter distincta a iam dictis quia est superius illarum.

Quid voluntas essentialiter? est potentia appetitiua spiritualis.
Quomodo ergo est rationalis per essentiam cum hoc in definitione
non importetur? importatur saltem implicite quia hoc implicite im=
portatur per hoc quod dicatur esse appetitiua spiritualis; cum enim
sit appetitiua debet ipsi proponi obiectum per cognitionem eiusdem
subiecti; per hoc vero quod dicitur esse spiritualis importatur quod
illa cognitio per quam debet dirigi spiritualis et consequenter quod
debeat esse intellectio seu ratio.
Quid potentia rationalis per participationem? est potentia rationalis
quæ tantum dicit accidentarium ordinem ad rationem sui subiecti tan=
quam nata ab illa dirigi. ut potentia progressiua hominis
Da potentiam rationalem per participationem cuius actus est ratio?
nequit dari, quia potentia rationalis cuius actus est ratio dicit
essentialem ordinem ad rationem sui subiecti, quia potentiæ dicunt
essentialem ordinem ad suum actum.
Quænam potentia rationalis dicit essentialem ordinem ad rationem
tanquam ad suum actum? intellectus solus.
An differant essentialiter potentia rationalis per essentiam, et poten=
tia rationalis per participationem? imo quia potentiæ rationalis per
essentiam tantum sunt intellectus, et voluntas, illæ vero essen=
tialiter differunt ab omni potentia rationali per participationem.
Quid pars a qua potentia dicitur per participationem rationalis?
idem quod pars potentialis seu subiectiua.
Quid potentia irrationalis? potentia quæ non est rationalis, item po=
tentia cuius actus nec est ratio nec dirigitur a ratione eiusdem sub=
iecti. ut omnes potentiæ equi.
Da potentiam irrationalem in homine: grauitas item potentia nu=
tritiua hominis.
Audetur potentia irrationalis in homine quæ sit cognitiua? imo. ut visus.
Quomodo cum visus hominis dirigatur a ratione hominis? dirigitur
quidem remote et per accidens, quia potentia loco motiua per quam
claudit, et aperit oculos, et per quam se applicat variis obiectis di=
rigitur a ratione eiusdem subiecti, hoc tamen non sufficit ad hoc ut
illæ potentiæ dicantur rationales.
proba non sufficere: quia alias eadem ratione etiam potentia nutritiua
diceretur rationalis, quia etiam illa remote, et per accidens dirigitur
a ratione eiusdem subiecti, quatenus per illam homo se dirigit in
quærendo conueniens alimentum, quo actu si non precederet non posset
operari potentia nutritiua interim tamen quia posita illa applica=
tione alimenti potentia nutritiua operatur independenter a ratione eius=
dem subiecti, hinc potentia nutritiua absolute dicitur irrationalis, ergo
idem videtur debere dici de visu.
An grauitas sit potentia irrationalis? imo.
Quomodo cum aliquis eius actus dirigatur a cognitione eiusdem
subiecti? nego.
Quomodo cum quando homo mouet manum deorsum ad illum motum

concurrat gravitas? non refert.

Quomodo cum motus ille dirigatur a cognitione eiusdem subiecti sed illum motum concurrunt plura principia nempe gravitas, et potentia locomotiva vitalis, quatenus vero ille motus deorsum procedit a potentia loco motiva vitali eatenus dirigitur a cognitione eiusdem subiecti, non autem quatenus procedit a gravitate.

An differant essentialiter potentia rationalis, et potentia irrationalis? non.

probabiliter plures potentias eiusdem speciei quarum una est rationalis et altera non? R. tales probabiliter sunt potentia progressiva hominis, et potentia progressiva bruti, sicut enim visus hominis et bruti probabiliter sunt eiusdem speciei ita illae potentiae progressivae, et tamen potentia progressiva hominis est rationalis, potentia vero progressiva bruti irrationalis est.

An eadem numero potentia non possit esse modo rationalis, modo non? imo per deum, quia potentia nutritiva hominis quae modo est irrationalis poterit per deum fieri rationalis, quia actus eius poterit per deum dirigi ab intellectione eiusdem subiecti.

An unum contradictorium possit fieri alterum? non, unde contradictoria semper essentialiter differunt.

Quomodo ergo potentia irrationalis potest fieri rationalis? licet potentia rationalis, et irrationalis subsistent contradictoriis illae tamen contradictoriae non sunt, idem vero tenus potest substare duobus contradictoriis successive.

Declaratur alio exemplo: sicut hic paries modo potest habere albedinem modo negationem albedinis, ita eadem potentia modo potest substare rationalitati, modo irrationalitati.

An sic recte definiatur potentia irrationalis, est potentia cuius actus vel non est ratio, vel non dirigitur a ratione eiusdem subiecti? non, quia illa definitione continetur potentia rationalis tum per participationem, tum etiam per essentiam, quia continetur voluntas item potentia progressiva, quia voluntas item potentia progressiva continentur priori parte, quia illarum potentiarum actus non est ratio

Quid tum cum non contineantur posteriori parte? quia ut aliquid contineatur definitione disiunctiva, satis est quod contineatur uno membro disiuncto.

Quomodo accipitur particula actus in definitione potentiae irrationalis? universaliter ut sensus sit, potentia irrationalis est cuius nullus actus est ratio.

Cur nequit particulariter sumi ut sit sensus cuius aliquis actus non est ratio? quia tunc etiam intellectus deberet dici potentia irrationalis, quia aliquis eius actus etiam non est ratio, quia species intelligibilis, item habitus intellectivus qui etiam actus intellectus non sunt ratio.

Quomodo sumitur in posteriori membro actus? universaliter.

Cur nequit ibi sumi particulariter? quia tunc contineretur voluntas, quia aliquis eius actus non dirigitur a cognitione eiusdem

subiecti sit quod productio habituum non dirigitur a ratione eiusdem subiecti

An voluntas debeat habere intellectionem in eodem subiecto per quam dirigatur? imo, quia voluntas de se potentia caeca est quae proinde indiget directore qui ipsi monstrat viam seu proponat obiectum.

An omnis causa creata quando aliquid efficit non indigeat causa exemplari per quam dirigatur? imo, causa enim exemplaris tam necessaria est ad quemlibet effectum quam efficiens.

An omnes causae dirigantur eodem modo per causam exemplarem? non, quia aliqua agentia diriguntur mere per exemplar extrinsecum, aliqua vero per intrinsecum.

Quaenam agentia diriguntur per exemplar extrinsecum tantum? ut lapides, bruta.

Per quod ergo exemplar diriguntur agentia irrationalia? per exemplar divinum ipsis extrinsecum.

An non sit perfectius dirigi per exemplar intrinsecum? imo.

Proba hoc esse perfectius caeteris paribus: quia perfectius est causare effectum per plures causalitates quam per unam tantum ex illis pluribus, unde creatura rationalis quae per suum exemplar formale concurrit ad effectum perfectius concurrit quam illa quae concurrit sine causa exemplari intrinseca.

Proba alia ratione esse maioris perfectionis dirigi per exemplar intrinsecum quam extrinsecum: quia Deus qui perfectissimus est solum per exemplar intrinsecum dirigitur.

An cognitio seu exemplar formale Dei non sit certius quam exemplar formale seu cognitio creaturarum? imo.

Cur ergo non est melius dirigi per cognitionem Dei tantum quam per cognitionem creaturae? quia licet ex uno capite excedat illa directio per exemplar extrinsecum, ex alio tamen capite superatur.

Proba aliunde compensari sic ut perfectius sit dirigi a se ipso quam ab alio: quia per hoc quod dirigamus nos ipsos nos ipsi sumus laude et praemio digni, hoc vero non haberemus si dirigeremur per cognitionem Dei extrinsecam tantum.

An per hoc quod dirigamus nos ipsos non sequatur quod aliquando peccemus? imo hoc per accidens sequitur.

Cur ergo non esset melius esse extra illud periculum per directionem extrinsecam? quia Deus equidem nobis providit sufficienter ut possimus peccata cavere saltem graviora si volumus, et aliunde valde magnum bonum nostrum est quod opera bona libere et meritorie faciamus.

An non sit melius dirigi cognitione ~~falsa~~ vera quam falsa? imo moraliter hoc melius est caeteris paribus, naturaliter tamen melius est dirigi per cognitionem intrinsecam licet illa saepius falsa sit, quia possumus nos sic regere per cognitionem intrinsecam veram?

Qualis cognitio intellectus requiritur ad dirigendum
voluntatem, iudicativa an apprehensiva? putamus cognitio-
nem apprehensivam sufficere, quia per cognitionem appre-
hensivam satis determinatur brutum ad prosequendum aliquod
obiectum, ergo nihil impedit quominus voluntas determinetur
seu potius se ipsam determinet ad aliquod obiectum prosequendum
per simplicem intellectionem apprehensivam.
Unde probas bruta sufficienter determinari per cognitionem appre-
hensivam? quia bruta non sunt capacia cognitionis iudicativae.
An non requiratur saltem cognitio virtualiter iudicativa ut per
illam possit se determinare voluntas? imo maxime si agatur
de actu aliquo efficaci voluntatis ponendo.
proba ad talem actum requiri iudicium saltem virtuale: quia
cognitio pure apprehensiva bonitatis non sufficit ut voluntas exe-
at in aliquem actum efficacem, quia ut voluntas exeat in ac-
tum efficacem, intellectus debet saltem virtualiter iudicare obiec-
tum quod prosequitur esse possibile ut obtineatur.
Qualis cognitio requiritur ad dirigendam voluntatem vera an
falsa? etiam falsa potest sufficere ad movendam voluntatem.
proba hoc: quia sic dum quis movetur ad peccandum hoc iudicio
melius est hoc cum peccato facere quam omittere, tunc movetur
per iudicium falsum, quia illud iudicium non tantum est falsum
sed hereticum.
An ergo omnis qui peccat fiat hereticus? non, imo ordinarie
homo fidelis non fit tunc hereticus.
An ergo non requiratur tale iudicium ad hoc ut aliquis peccet?
non, unde potest etiam quis per veram cognitionem se deter-
minare ad peccandum.
da casum quo hoc contingat: sic v.g. potest se quis determinare per
iudicium correspondens huic propositioni est bona et bene sapit
se determinare ad committendum excessum in potu etiam usque
ad ebrietatem et tamen illud iudicium potest esse verum
An ~~aliq~~ ille qui peccat non debeat iudicare esse melius facere pec-
catum quam omittere? non, hoc enim iudicium falsum est, imo
hereticum.
Unde probas tale iudicium non requiri ad peccandum? experientia
quia dum homo peccat tale iudicium in se non experitur.
An omnis peccans non debeat esse ignorans? si per ignoran-
tem intelligatur formans iudicium falsum, sic omnis peccans
non debet esse ignorans, interim tamen peccans etiam dum di-
rigitur per iudicium verum est ignorans hoc sensu, quia saltem
est imprudens.
Cur est imprudens si format iudicium verum? ideo, quia format
tale iudicium illo tempore quo est periculum quod voluntas mo-

eligitur ad tale malum.
An voluntas possit determinari ad aliquid agendum per cognitio=
nem quae iudicet aliquid esse bonum intellectus licet oppositum iudicet
esse [esse] melius? imo. experientia patet quam testatur ille versus

Video meliora: proboq[ue]

Deteriora sequor

Divide aliter potentiam: in liberam et necessariam.
Qualis est illa divisio? divisio generis in suas differentias divisi-
bilitas quod si divisum repetatur in membris dividentibus tunc
sit divisio generis in species, vel totius in modo, in partes in modo.
An sit divisio generis in species essentiales? imo, quia essentialiter
differunt potentia libera, et potentia necessaria.
Quomodo tunc eadem potentia modo possit esse libera modo necessaria?
nego.
Quomodo cum talis potentia sit voluntas? nego.
Quomodo cum in homine vigilante sit potentia libera et in dormien-
te necessaria? nego illam necessariam in homine dormiente.
Quomodo cum tunc non possit operari libere.
Quomodo dico tunc non est potentia necessaria? quia aliud est esse
potentiam liberam et habere usum libertatis, in somno vero voluntas non
habet usum suae libertatis, manet nihilominus potentia libera sic ut
eius libertas possit exire in actum pro alio tempore.
An eadem actio non possit modo esse libera quomodo necessaria? imo.
proba: quia possumus actionem aliquam inchoare in somno, et eam-
dem post continuare in vigilia, sic ut in somno sit necessaria
in vigilia vero sit libera.
Unde probas esse eandem actionem in vigilia quae erat in somno?
quia non est necessitas illam actionem variandi.
Cur non idem quia ante erat necessaria, et post libera? quia illa
variatio potest fieri propter aliquod extrinsecum licet actio in, se
maneat invariata.
Cur similiter eadem potentia non potest tam bene modo esse
necessaria modo libera? est magna ratio disparitatis, quia actio ex
necessaria potest fieri libera per mutationem aliquid extrinsecum nempe
cognitionem, libertas vero est essentialis differentia potentiae
liberae, hinc fieri nequit ut illa eadem manens fiat non libera
sed necessaria.
Quid potentia libera? quae potest agere et non agere positis
omnibus ad agendum praerequisitis. ut voluntas, quod probaverant
theoriste, tum scripturae, tum theologorum et ecclesiae traditione.
An possit hoc probari ratione naturali? imo
proba aliqua ratione naturali: quia evidens est, stando in ratione
naturali hominem aliquando peccare,

An ergo sit tam evidens voluntatem nostram esse potentiam liberam quam quod duo et tria sint quinque? non, quia hoc posterius a nemine sanae mentis negari potest.

Quomodo ergo hoc tam evidenter probatur ex peccatis hominum? ergo hoc tam evidenter probari, quam quod duo et tria sint quinque, quia non est tam evidens talem libertatem requiri ad peccandum. interim moraliter tamen loquendo per rationem naturalem satis evidens est libertas indifferentiae voluntatis.

An eidem potentiae liberae possint convenire contradictoria? non.

Quomodo cum ipsi conveniat agere et non agere positis etc.? ergo ipsi solum illi convenit posse agere, et posse non agere illa vero contradictoria non sunt.

An recte sic definiatur potentia libera est quae positis omnibus ad agendum praerequisitis potest agere vel non agere? non. unde illud et in definitione potentiae liberae non potest mutari in coniunctionem disiunctivam salva convertibilitate definitionis.

Cur non? quia omnis potentia activa talis est ut positis omnibus ad agendum praerequisitis possit agere vel non agere, quia positis omnibus ad agendum praerequisitis, potentia necessaria necessario agit, ergo verum est dicere quod possit tunc agere vel non agere.

An recte sic definiatur potentia libera, est quae positis omnibus ad agendum praerequisitis potest agere et non potest agere? non quia sic contradictoria attribuerentur eidem potentiae liberae.

An ex eo quod positis omnibus ad agendum praerequisitis potentia libera possit non agere, sequatur quod non possit agere? non.

Quomodo enim ex mera transpositione vocabulorum non mutatur sensus ~~[illegible]~~ enuntiationis? sed aliquando quidem non mutatur, sed aliquando etiam illa occasione mutatur.

An loco istius particulae praerequisitis possit poni requisitis? non. quia sic nulla daretur potentia libera, quia nulla potentia potest agere et non agere positis omnibus ad agendum requisitis, quia positis omnibus ad agendum requisitis etiam debet poni terminus actionis, iam vero posito termino actionis non potest non poni actio terminata ad istum terminum.

An hoc, positis omnibus ad agendum praerequisitis non possit omitti in definitione potentiae liberae? non, quia etiam gravitas et similes potentiae necessariae etiam possunt agere et non agere, quia si habeant omnia ad agendum praerequisita tunc necessario debent agere, adeoque possunt tunc agere, quod si aliquod praerequisitum desit tunc non poterunt agere, ergo verum erit dicere de illis poterunt non agere, quia quod non potest agere potest non agere.

Quid praerequisitum in definitione potentiae liberae? est aliquid natura prius altero sic ut simul non sit natura posterius eodem.
Cur non sufficit ut sit natura prius? quia terminus actionis liberae tunc deberet dici praerequisitum, hoc vero dici non potest
quare non? quia posito termino actionis non potest non poni actio.
Declara illum terminum excludi a nostra definitione praerequisiti quia licet sit aliqua ratione natura prior actione est simul aliqua ratione natura posterior.
Qua ratione terminus actionis liberae est natura prior actione libera? in quantum est causa materialis talis actionis: actio enim recipitur in suo termino tanquam in causa materiali in qua.
Declara nihilominus terminum actionis liberae esse aliquo modo natura posteriorem illo termino: quia per illam actionem terminus dependet a causa et ab illa accipit suum esse, ergo ut sic actio debet esse natura prior termino.
An praerequisitum hic non sit idem quod causa? non.
Quomodo illa se habent? utrumque est deus respectu cuiuslibet effectus creati.
Da praerequisitum aliquo respectu quod non est causa: dispositiones in materia sunt praerequisitae ad formam substantialem, non sunt tamen causa formae substantialis.
Da causam aliquo respectu quae non est praerequisita: terminus actionis est causa respectu actionis quam sustentat, et tamen ille terminus non est praerequisitus.
An calor producendus alium calorem sit aliquid praerequisitum ad istum calorem? non, quia ne quidem est aliquid requisitum ut producatur iste calor cum ille calor potuerit produci ab alio calore.
An saltem non sit aliquid praerequisitum respectu actionis qua producit hunc calorem? imo, est enim natura prius illa actione et non est natura posterior eadem, et etiam est aliquid requisitum ad hoc ut ista actio possit poni quia illa actio respicit essentialiter istud principium.
An sufficiat ad potentiam liberam quod positis aliquibus praerequisitis ad agendum possit agere et non agere, aut non agere? non, quia sic etiam gravitas et similes potentiae necessariae deberent dici liberae quia positis aliquibus ad agendum praerequisitis possunt agere et non agere, quia positio deo et positis ipsis potentiis in rerum natura possunt agere et non agere.
An requiratur ad potentiam liberam ut possit agere et non agere positis omnibus ipsam consequentibus actionem? non, quia sic nulla potentia foret libera, ne quidem voluntas ipsius dei, quia positis omnibus consequentibus ipsam, falsum est quod possit agere et non agere, posita enim eius scientia, qua deus videt actionem futuram non potest non poni illa actio, quia fieri nequit ut scientia dei

reddatur falsa, Deo tamen iam illa scientia Dei non impedit libertatem actionis causae creatae, quia licet sit tempore prior est tamen natura posterior actione causae creatae.

An requiratur ad potentiam liberam ut possit agere et non agere positis omnibus iisdem concomitantibus actionem? non, quia sic nulla creatura posset esse libera, quia actio Dei terminata ad eundem effectum cum qua realiter identificatur actio creaturae est aliquid concomitans actionem liberam creaturae, iam vero posita illa actione Dei, non potest non poni actio creaturae, quia verum realiter eandem non potest existere sine alio.

An recte sic definiatur potentia libera, est potentia quae potest esse et non esse non.

Quomodo se habent potentia libera, et potentia quae potest esse et non esse? utrumque est voluntas humana.

Da posterius tantum. ut gravitas, item potentiae brutorum.

Da prius tantum: voluntas Dei.

Quid potentia necessaria? est potentia quae non potest non agere positis omnibus iisdem ad agendum praerequisitis. ut omnes potentiae brutorum.

An lapis non sit etiam potentia necessaria? non quia non est potentia dicitur quidem lapis est potentia activa, sed tunc potentia sumitur late, hic vero sumitur stricte potentia pro qualitate secundae speciei.

An saltem lapis non sit agens necessarium? imo.

Quid agens necessarium? est agens quod non potest non agere positis omnibus ad agendum praerequisitis.

Quid agens liberum? est agens quod potest agere, et non agere positis omnibus iisdem ad agendum praerequisitis.

quam identitatem significat ibi particula iisdem? specificam.

An non possit salva convertibilitate definitionis significare numericam? imo, quia in sensu diviso positis omnibus iisdem ~~[illegible]~~ numero ad agendum praerequisitis manet potentia indifferens ad agendum et non agendum, ita ut utrumvis seorsim possit facere, licet non utrumque simul, licet utrumque actu ponatur.

Quid libertas potentiae liberae? est aptitudo potentiae ad agendum et non agendum positis omnibus iisdem ad agendum praerequisitis.

Quid actio libera? quae sic procedit a suo principio ut possit ab eodem non procedere positis omnibus iisdem ad agendum praerequisitis. ut dilectio qua aliquis libere diligit aliquod obiectum.

An omnis actio non sit aliqua comparatione libera? imo, quia omnis actio libere egreditur a Deo

Quid necessitas potentiae necessariae? ineptitudo potentiae ad agendum et non agendum positis omnibus iisdem ad agendum praerequisitis

Quid actio necessaria? est actio quae sic egreditur a suo principio ut non possit ab eodem non egredi positis omnibus iisdem ad agendum praerequisitis. ut calefactio ignis.

Da actionem necessariam nullo respectu liberam? non datur: quia omnis actio necessaria est libera respectu Dei.
Da contra actionem liberam quae non sit necessaria respectu ullius principii? quaelibet actio quae egreditur a solo Deo.
Quomodo enim productio filii in divinis non sit libera licet egrediatur a solo Deo? non refert quia productio illa non est actio sicut de qua nos loquimur quia per illam filius in divinis non dependet a patre sicut debet dependere effectus a sua causa per actionem proprie dictam.
An respectu eiusdem principii eadem actio modo possit esse libera modo necessaria? imo, quia voluntas potest inchoare aliquam actionem in somno, et eandem continuare in vigilia libere, tunc vero eadem actio erit primo necessaria et postea erit libera.
An etiam possit inchoari libere, et post continuari necessario? imo imo semper nostra actio libera quae primo libere egreditur a nobis post aliquamdiu necessario conservatur. ut alibi latius docetur. quia non possumus quolibet instanti abrumpere actionem libere inchoatam.
An respectu eiusdem agentis aliqua actio possit simul esse libera et necessaria? imo per accidens.
Dic modum: hoc fieri potest si homo ille sit replicatus in duobus locis et eandem actionem exerceat utrobique, sicut in uno loco necessario et in altero eandem exerceat libere:
Declara hoc posse fieri: quia hoc fiet tunc si in uno loco dormiat et in altero vigilet.
Declara tunc posse et [illegible] eandem actionem utrobique: quia eadem actio successive potest elici in somno necessario et libere continuari in vigilia, ergo poterit hoc fieri simul praesupposita replicatione.
quandonam actio est libera tunc quando exercetur, ante, an post? tunc quando exercetur.
Quomodo enim tunc actio sit necessario quando est? non refert quod tunc sit necessario ex suppositione existentiae.
Proba non referre: quia suppositio illa existentiae actionis non est aliquid praerequisitum ad actionem, sed est aliquid concomitans ipsam actionem.
An actio possit esse libera in praeterito vel futuro si non esset libera quando exerceretur? non quia si non sit verum dicere, actio quae nunc nunc exercetur est libera non poterit esse verum dicere quando illud tempus transierit illa actio fuit libera.
An possit esse verum hoc actio erit libera si nunquam sit verum hoc actio est libera? non, quia veritas propositionis de praeterito colligitur ex veritate alterius de praesenti sicut ex eadem colligitur veritas de futuro.
An libertas creaturarum non auferatur per scientiam Dei? non

An

An hoc sit certum an tantum probabile? est certum.
probatur esse certum: quia de fide est Deum habere scientiam futurorum; item de fide est hominem operari libere. ergo utrum per alterum non evertitur.
An sit in potestate nostra reddere praescientiam Dei falsam? non.
An ergo non possumus ire post prandium ambulatum, supposito quod Deus ab aeterno praeviderit nos ambulaturos? non, quia alioquin deberet dicere esse in nostra potestate praescientiam Dei reddere falsam.
Quomodo ergo libere possumus omittere ambulationem post prandium si Deus praeviderit nos ambulaturos? libere omittemus positis omnibus ad agendum praerequisitis; praescientia vero Dei non est aliquid praerequisitum ad nostram ambulationem, sed est aliquid posterius.
An potuerimus impedire ne Deus praevideret nos hic iam futuros? imo, quia nos poteramus nos ab hoc loco modo nos abstinere; si vero sic fuisset futurum, tunc Deus ab aeterno non praevidisset nos hic iam futuros.
Quandonam nos potuimus impedire illam Dei praevisionem ab aeterno an iam? Quia Deus praevidit nos hic iam futuros, et quod nos non poteramus hoc impedire ab aeterno quia tunc non eramus. neque possumus iam impedire illam praescientiam Dei supposito quod posita sit ab aeterno.
Declara tamen per hoc non impedire quo minus iam simus hic libere? quia poteramus iam oppositum facere, et supposito quod oppositum fuissemus facturi, tunc Deus etiam ab aeterno non praevidisset nos hic futuros iam, sed tunc praevidisset aliquid aliud de nobis. ergo scientia visionis in Deo qua praevidet nostras actiones liberas absolute futuras non praeiudicat libertati nostrae.
An praeter illam scientiam visionis qua Deus praevidet actiones nostras absolute futuras detur alia scientia in Deo? imo, quia in Deo etiam datur scientia simplicis intelligentiae, et scientia media seu conditionalium.
An illae scientiae non praeiudicent libertati nostrae? non.
Quid intelligitur per scientiam simplicis intelligentiae? scientia qua Deus cognoscit omnia possibilia.
An illa etiam ideo non praeiudicet libertati nostrae quia est posterior natura actionibus nostris liberis? non, quia illa est revera natura prior nostris actionibus liberis.
Cur ergo illa scientia simplicis intelligentiae non praeiudicat libertati nostrae? quia per hoc quod Deus novit aliquid esse possibile non sequitur ullo modo illud esse ipsa futurum, quia oppositum tunc potest manere possibile, ac proinde non obstante illa scientia possumus unum facere, et etiam alterum.
Quid solet intelligi per scientiam mediam Dei? scientia qua Deus novit futura sub conditione, etiamsi illa conditio ponenda non sit.
Unde probatur dari talis scientia in Deo? efficacissime ex

scripturae, quia Deus aliquando talia praedixit, signanter Davidi cui praedixit quod salitę incolę ceutę civitatis ipsum essent traditur si ad ipsos divertisset. quae conditio nunquam fuit posita quia David audito tali responso ad illos non divertit.

An illa scientia Dei media non praejudicat libertati nostrarum actionum? non, quia est eadem ratio de illa scientia media quae est de scientia visionis qua Deus praevidet futura absolute.

Declara hoc: quia sicut illa scientia visionis est natura posterior nostris actionibus liberis, ita etiam illa scientia media, qua Deus praevidet aliquid sub conditione futurum, quia sic futurum erat, unde conditionata illa futuritio tam est natura prior respectu scientiae mediae quam futuritio absoluta est natura prior respectu scientiae visionis.

An sit in potestate nostra reddere aliquam scientiam Dei falsam? non.

An si nos faceremus oppositum istius quod Deus praevidit, tunc Deus non falleretur, v.g. si Deus praevidisset nos hic iam futuros sicut praevidit, et nos eo non obstante fuissemus nunc in foro, redderemus falsam scientiam Dei qua praevidit nos iam non futuros in foro.

Quomodo ergo non est in potestate nostra reddere praescientiam Dei falsam, cum possemus esse in foro? distinguo sensu diviso, id est sublata illa praescientia Dei, tunc quidem potuissemus esse in foro, sed non in sensu composito, supposito nimirum quod Deus aliud de nobis praescivisset, hoc vero non praejudicat nostrae libertati, quia ut supra dictum est praescientia illa Dei qua Deus praevidet absolute futura est natura posterior illa futuritione, adeoque non est aliquod praerequisitum ad actionem vero liberam sufficit quod possit agere, et non agere positis omnibus ijsdem ad agendum praerequisitis, non autem positis omnibus ipsi concomitantibus aut subsequentibus, patet ergo quomodo intellectus divinus seu eius actus non praejudicet nostrae libertati.

An volitio qua Deus vult aliquid efficaciter semper praejudicet nostrae libertati? non.

Quomodo enim efficaci Dei voluntati non possimus resistere? non refert.

Unde ergo fit quod illa efficax Dei volitio non semper tollat nostram libertatem? quia efficax Dei volitio saepe est natura posterior actu nostro libero, et sic non est aliquod praerequisitum ad nostram actionem. proba voluntatem qua Deus vult nobiscum concurrere efficaciter ad ambulandum esse natura posteriorem volitione qua nos volumus ambulare. quia scientia qua Deus praevidet nos ambulaturos illa est natura posterior nostra operatione libera ut ante fusius dictum est, ergo etiam efficax volitio qua Deus vult concurrere nobiscum ad aliquem actum liberum est natura posterior illo actu libero.

proba illam volitionem esse naturaliter posteriorem nostro actu libero: quia scientia media qua deus novit quid nos essemus facturi in hac vel illa occasione est naturaliter posterior nostro actu libero, ergo multo magis volitio dei.
proba illam consequentiam: quia volitio illa dei est adhuc posterior naturaliter quam sit illa scientia dei media, ergo multo magis illa debet esse posterior nostro actu libero.

An praedifinitio dei impediat libertatem nostram? potest dari in deo talis praedefinitio quae libertatem nostram laedat, potest etiam dari talis quae libertatem non laedat.
Quid praedefinitio dei? volitio qua deus absolute vult aliquem effectum fieri antequam praevideat causam secundam determinatam ad talem effectum.
proba talem praedefinitionem dei non nocere libertati creaturarum: quia non nocebit si deus per illam praedefiniat aliquem effectum causis necessariis.
An praedefinitio dei actus liberi praeiudicet libertati talis actus? non, quamvis de eo non omnes theologi idem sentiant.
An de facto detur in deo aliqua talis praedefinitio actus liberi? hoc ad theologiam pertinet, ex qua putamus probabilius esse aliquam talem praedefinitionem esse admittendam.
quando admitti potest in deo talis praedefinitio post scientiam mediam an ante? post scientiam mediam, quando enim deus praevidit quid causa creata libera sit factura posita hac vel illa conditione potest deus tunc absolute velle et praedicare, ut creatura talem actum bonum eliciat.
An praedefinitio praecedens scientiam dei mediam praeiudicaret libertati creaturae? communiter tenetur quod sic, quia talis praedefinitio vel esset fallibilis, vel praeiudicaret libertati creaturae.
declara hoc: quia stante illa praedefinitione creatura deberet necessitari ad actum praedefinitum, vel si non necessitatur posset facere oppositum eius quod praedefinitum esset, adeoque praedefinitio esset fallibilis.
Quo fundamento nihilominus potest admitti talis praedefinitio in deo ante scientiam mediam dei? quia posita illa praedefinitione possunt deo occurrere media per quae videt creaturam infallibiliter inducendam ad actum praedefinitum liberum, tali ergo casu deus posset suspendere influxum necessitatem creaturarum, et permittere ut ista creatura libere ponat effectum praedefinitum.
An sit aliquis modus quo deus potest voluntatem creatam necessitare ad aliquem actum? imo.
da talem modum: potest hoc facere infundendo illi physicam praedeterminationem, qua simili modo rapiat voluntatem sicut lapis movetur per impetum ipsi impressum a proiiciente.
An possit deus voluntatem creatam necessitare nihil in ipsa producendo? imo.
proba posse fieri: quia voluntas hominis potest necessitare poten

tiam progressivam aliquid eo quod quidquam producat in illa, ergo
multo magis Deus potest sic necessitare voluntatem creatam, quia
illa magis subijcitur Deo quam potentia progressiva voluntati.
Unde fiat Deus aliquando sic necessitet voluntatem humanam?
non nullum enim est fundamentum hoc asserendi, unde non audien-
tur aliquis excusans se eo modo ab aliquo delicto illo praetextu, quia
libertas esset per Deum sublata. interdum tamen aliquantum impeditur
et diminuitur propter aliquas causas ut v.g. ob vehementem passionem
quae licet totaliter non tollat libertatem, valde tamen minuit.

Quid potentia formaliter libera? est potentia libera per liber-
tatem sibi inhaerentem.
Quid potentia non formaliter libera? potentia libera per li-
bertatem sibi extrinsecam tantum.
An detur in omni agente detur aliqua potentia formaliter libera?
non quia non in agentibus non cognitivis qualia sunt ligna lapides
An in brutis detur aliqua potentia formaliter libera? non.
Quomodo cum sit canis inter duas offas debeat fame perire
inter utramque offam.
Quomodo cum non possit se determinare ad unam potius quam
ad alteram? in primis si sint aequales necessario determinabit se ad
illam quam apprehendet meliorem.
Quid si illae offae sint pares? non debebit quidem mori, tunc po-
tius poterit determinare ad unam quam ad alteram, quia una erit
vicinior vel alias melius proposita.
Quid si supponantur saltem omnino parva? R. hoc quidem aliqui
dicunt sed nobis videtur ridiculum.
Quomodo cum tunc non poterit potius se determinare ad unam
potius quam ad alteram cum non sit liber? ideo tali casu non
determinabitur a se ipso sed determinabitur a causa prima.
Declara non esse absurdum tali casu ad causam primam deter-
minantem recurrere? R. quia in multis alijs casibus similibus de necessitate
oportet ad causam primam recurrere ut v.g. quando lapis cadit supra
vitrum aliquod planum vitrum frangitur in aliquot partes sed non
in omnes, quod ergo frangatur in has potius quam in alias
ex determinatione causae primae provenire debet. Similiter sit equus
alligatus curru utrique filo tantum uniformis crassitiei et robori-
sitatis talis equus incipiat trahere talem currum illud filum
frangetur quod vero frangatur in uno loco potius quam in alio hoc
provenit ex determinatione causae primae.
Specifica ergo agentia in quibus datur potentia formaliter libera? R.
Deus, angelus, et homo.
An sub homine comprehendendo animam rationalem separatam an
Deus homo et angeli sint eodem modo liberi? non, quia quaelibet
actio procedens a Deo est libera ipsi Deo; non omnes vero actiones ange-
lorum et hominum sunt liberae respectu illorum. producit suas
ea actionem necessariam angeli: actio quia angelus

potentias intellectivum etc. item actio quae angelis prodiit per unum conceptum intellectivum.

Quotuplex est potentia libera: duplex, quia alia est libera quoad speciem, alia quoad exercitium.

Quid potentia libera quoad speciem? est potentia quae positis omnibus iisdem ad agendum praerequisitis potest exercere actionem certae speciei, et etiam aliam actionem ipsi repugnantem. sic voluntas humana est libera quoad speciem respectu amoris, et odii eiusdem obiecti.

Quid potentia libera quoad exercitium? quae positis omnibus iisdem ad agendum praerequisitis potest agere, et non agere. ut voluntas.

An hoc ipso quo aliqua potentia est libera quoad speciem, debeat esse libera quoad exercitium? imo, quia si possit exercere actionem certae speciei, et aliam ~~…~~ eidem repugnantem positis omnibus iisdem ad agendum praerequisitis, ergo multo magis poterit ab eadem cessare, quia hoc ipso quo elicit unam actionem debet cessare ab actione repugnante.

Da potentiam liberam quoad exercitium, non quoad speciem: talis non datur.

An circa certum obiectum aliqua potentia non possit esse libera quoad exercitium, et non quoad speciem? imo, quia circa bonum ut sic voluntas est libera quoad exercitium, quia post amorem boni ut sic elicere, et etiam ab illo amore cessare, non potest tamen voluntas elicere actum odii circa bonum in genere, et sic non est libera quoad speciem.

An sicut datur potentia libera quoad speciem, ita detur potentia libera quoad individuum? imo.

Da potentiam liberam quoad individuum: voluntas divina, illa enim positis omnibus iisdem ad agendum praerequisitis potest unum individuum efficere, et etiam aliud.

Da potentiam creatam liberam quoad individuum: non datur, quia cum intellectus creatus non distinguat individua eiusdem speciei rigorose, a se multo multo minus voluntas poterit se determinare ad unum individuum potius producendum quam aliud.

Unde ergo provenit quod potius hoc individuum producat quam aliud? ex determinatione causae primae.

An potentia aliqua sit libera quoad genus? imo

Quid potentia libera quoad genus? est potentia quae positis omnibus ad agendum praerequisitis potest elicere actionem certi generis, et etiam actionem alterius generis priori repugnantem.

An hoc ipso quo potentia est libera quoad genus etiam sit libera quoad speciem? imo, quia hoc ipso quo potest elicere actionem certi generis, et etiam alterius generis repugnantem priori, hoc ipso potest elicere actionem certae speciei, et actionem alterius spe-

vide.

Quomodo cum hoc non fiat si tantum possit elicere duo individua generica actionis? quaestio supponit falsum, quia non potest elici individuum genericum nisi simul elicitatur specificum, unde nec quidem deus potest producere individuum genericum animalis quin simul producat specificum.

An hoc ipso quod potentia est libera quoad speciem sit etiam libera quoad genus? hoc non sequitur praecise ex eo, quia potest circa certum obiectum potentia elicere actum huius et istius speciei, non tamen actum alterius generis.

Quaenam potentia est formaliter libera? voluntas.

Unde probatur? probatur potissimum authoritate theologorum.

An sola voluntas sit formaliter libera? imo.

Unde probatur nullam potentiam praeter voluntatem esse formaliter liberam? hoc etiam potissimum probandum est per authoritatem.

Qua ratione probatur quod intellectus non sit formaliter liber? Quia intellectus non est liber quoad speciem neque quoad exercitium.

Unde probas intellectum neutro modo sic esse liberum? quia neque est liber circa obiectum clare propositum, neque etiam circa obiectum propositum obscure.

Declara quod non sit liber quoad obiectum propositum clare? R. quia quando obiectum proponitur clare tunc intellectus determinatur ad assensum et necessitatur ab evidentia obiecti sicut visus necessitatur ad visionem albedinis clare propositae.

Proba intellectum etiam non esse liberum circa obiectum propositum obscure: R. quia quando obiectum proponitur obscure, tunc indiget determinatione voluntatis ad unum actum potius quam ad alterum, posita vero illa determinatione necessario intellectus agit id ad quod determinatur.

An illa ratio evidenter convincat intentum, nempe intellectum non esse formaliter liberum? non, quia nec probat evidenter quod intellectus necessitetur circa obiectum propositum clare, neque etiam quod necessitetur circa obiectum propositum obscure.

An ergo obiecto evidenter proposito tanquam vero possit intellectus dissentire? non.

Quomodo ergo non necessitatur intellectus circa tale obiectum? necessitatur quidem quoad speciem, quia circa tale obiectum non potest elicere dissensum, non tamen evidenter constat quod tali casu intellectus necessitetur quoad exercitium.

An saltem probetur evidenter altera pars nempe quod intellectus non sit liber circa obiectum propositum obscure? non, quia non potest evidenter ostendi quod tali casu intellectus determinetur a voluntate ad unam partem potius quam ad alteram, quia posset dici

quod determinaret se ipsum.
An non dentur aliqui actus intellectus qui sint peccata? imo
haeresis v. g. est actus intellectus, et illa est peccatum.
An ex eo non sequatur quod intellectus sit formaliter liber? non.
Quomodo cum omne peccatum debeat esse liberum? peccatum
quidem non debet esse actus liber elicitus a potentia a qua proce-
dit, sed sufficit quod sit liber imperatus, cum vero licet actus intel-
lectus non sit in se formaliter liber potest tamen a voluntate li-
bere imperari, hoc vero ad peccatum sufficit quia alioquin opor-
teret dicere quod soli actus voluntatis essent peccata.
An appetitus sensitivus non sit formaliter liber? non, in primis cla-
rum est quod appetitus sensitivus brutorum in se formaliter li-
ber non sit.
An saltem appetitus sensitivus in homine non sit formaliter liber?
non.
Quomodo cum sit eadem ratio de appetitu sensitivo quae est de vo-
luntate humana, ergo per omnia esse eandem rationem.
Quomodo cum in obiecto appetitus sensitivi possit esse permixta
ratio boni et mali.
Quomodo cum illa sit adaequata ratio cur voluntas sit libera? [illegible]
illa non est praecisa adaequata ratio, sed simul est ista quia vo-
luntas est spiritualis et sic perfectior appetitu sensitivo, non con-
veniebat vero plures potentias formaliter liberas esse in eodem
supposito, quia alioquin sequeretur schisma et turbatio in eodem ho-
mine, v. g. si potentia progressiva nostra esset libera posset
voluntas velle ambulare ad [illegible] et potentia progressiva
duceret nos ad portam ~~[illegible] [illegible]~~ negligentem.
An saltem non dicatur quod ~~[illegible] [illegible]~~ appetitus sensitivus obediat volun-
tati politice sicut cives regi? imo.
An cives non obediant regi libere? imo, vide etiam interdum rebellant
et libere faciunt oppositum istius quod mandat rex.
Cur ergo non dicitur similiter appetitus sensitivus non obedit li-
bere voluntati? non debet esse paritas quoad omnia inter appetitum
sensitivum respectu voluntatis et cives respectu regis.
Qua ratione ergo appetitus sensitivus dicitur libere obediens volun-
tati? quia sicut aliquando sequitur imperium voluntatis, ita etiam
aliquando non sequitur, non quia est liber, sed quia determina-
tur a fortiori obiecto quod potest magis appetitum determinare quam
possit voluntas impedire.
Declara talia obiecta appetitus sensitivi dari: quia si quis v. g.
combureret [illegible] manum subito et notabiliter velit nolit volun-
tas appetitus dolebit quia combustio efficacius determinat ad
dolorem quam imperium voluntatis possit tali casu determinare
ad quidquam aliud.

An in homine appetitus sensitivus non sit a parte rei idem cum vo-
luntate? putamus probabilius quod non. quia supponimus potentias
animae realiter a natura animae distingui.
An oppositum non sit etiam probabile quod ...... differant sola
ratione? imo.
Quomodo secundum hoc appetitus sensitivus tam bene erit liber
quam voluntas? id quidem quod est appetitus sensitivus a parte
rei hoc erit liber sicut eo casu supposito etiam id quod est a parte
rei intellectus voluntas etc. Item est formaliter liberum sed hoc
non refert quia quidem appetitus sensitivus in homine sub illa for-
malitate sub qua est appetitus non est formaliter liber, sicuti
quod habemus in ipso deo intellectus divinus est idem a parte
rei cum voluntate divina et tamen voluntas divina est
libera in deo et intellectus non.

An intellectus saltem sit radix libertatis? imo

An ideo dicatur radix libertatis quia est vera et physica cau-
sa actionis liberae voluntatis? non
proba intellectum non esse veram et physicam causam istius: quia
intellectus tantum agit actione immanente, unde non potest physi-
ce concurrere ad actum voluntatis quia sic deberet agere extra
se.
Cur ergo intellectus dicitur radix libertatis? quia intellectus debet
proponere voluntati suum obiectum circa quod libere operetur illa
vero propositio fit per cognitionem intellectus.
An voluntas interdum non operetur sine cognitione intellectus? non.
Quomodo cum contrarium experientia pateat in cythardo? ergo
Quomodo cum ludat saepius nihil cogitans de lusu? etiam cy-
tharedus ille non reflectat se supra suam cognitionem de lusu
verum tamen habet aliquam cognitionem de illo lusu licet imper-
fectam et idem est in multis aliis occasionibus.
An posita cognitione intellectus necessario sequatur in nobis actus
voluntatis? non quia quod cognitio illa sit aliquid praerequisitum ad
actionem voluntatis sequeretur quod volitio illa non foret libera.
Unde fit quod voluntas potius dependeat a cognitione intellectus
quam aliae potentiae in operando? debet hoc referri in naturam
potentiarum.
An nos habeamus aliquod signum ex quo possimus colligere no-
stros actus voluntatis? imo
An illos sufficienter colligamus ex nostra cognitione? non.
Unde ergo colligimus illos? actus voluntatis efficaces satis
colligimus ex operibus quae sine actu voluntatis fieri non pos-
sunt, v.g. ex eo quod ambulemus studeamus etc. efficaciter col-
ligimus nos tales actus voluisse quia sine actu voluntatis non
fiunt.
Unde deprehendimus in nobis actus voluntatis inefficaces? illique
causant in nobis aliquam sensibilem alterationem nos colligi-
mus ex tali alteratione, et sic colligimus nostram iram etc. capien-

de illam pro actibus voluntatis.
unde colligemus tales actus si nullam sensibilem alterationem
causent in nobis? tali casu illi actus imperfecti a nobis cognosci
non possunt. unde quando ambulamus v.g. per hortum videmus
multos flores v.g. saepe omnino ignoramus an habuerimus aliquam
delectationem in visione illorum an non.

An actio libera recte dividatur in actionem liberam elicitam et
actionem liberam imperatam? imo.
Quid actio libera elicita? est actio libera quae procedit a poten-
tia formaliter libera. ut libera dilectio dei.
Quid actio libera imperata? est actio quae procedit a suo principio vi voli-
tionis liberae. ut ambulatio nostra.
An actio libera imperata debeat esse alterius potentiae quam voluntatis?
non quia voluntas non tantum aliis potentiis sed etiam sibi ipsi po-
test imperare, v.g. per actum poenitentiae potest sibi imperare actum amo-
ris dei.
An ergo tali casu eadem actio sit elicita et imperata a voluntate? imo
An omnis actio elicita voluntatis non sit imperata a voluntate? non.
Da ergo aliquam talem actionem quae non sit: prima volitio libera quam
homo elicit post somnum.
An omnis actio voluntatis egrediatur libere ab ipsa? non.
Da actionem voluntatis necessariam: ut actio qua voluntas pro-
ducit suos habitus.
An etiam aliqui actus voluntatis sint ipsi liberi? non omnes
assigna aliquem actum voluntatis necessarium: dilectio qua
beati diligunt deum in coelo.
Quomodo est necessaria quoad speciem tantum an quoad exercitium?
utroque modo.
proba esse necessariam quoad speciem: quia beati qui clare vident
deum non possunt deum odisse ex eo quod in illo nullam videant
malitiam.
declara quod dilectio beatorum etiam sit necessaria quoad exerci-
tium? quia experimur quod pulchritudo creata saepe nos valde
attrahat ad amorem ergo pulchritudo infinita dei necessitabit ad
exercitium amoris, quia quo pulchritudo maior est eo efficaci-
oribus nos magis attrahit ad amorem sui.
An in hac vita dentur etiam aliqui actus voluntatis necessarii?
imo.
in quibus? in stultis pueris et dormientibus.
An dentur aliqui actus voluntatis liberi imperfecti? imo et tales si
sint peccata sunt tantum venialia propter defectum perfectae
libertatis, ita enim tradunt omnes theologi.
An nos possimus certo scire quam perfecta libertas requiratur ad
peccatum mortale? non, sed hoc est soli deo notum.
An saltem nos habeamus aliqua signa probabilia imperfectae liber-
tatis? imo.
unde provenit quod libertas tantum sit imperfecta? partim ex vehe-
menti passione, partim ex imperfecta cognitione.

proba passionem aliquid ad hoc conferre? quia passio valde incli-
nat hominem ad unam partem ita ut non sit tanta indifferentia sicut
requiritur ad perfectam libertatem.
An homo possit se aliquando excusare a peccato quia habuit passio-
nem vehementem? non, licet fortasse in ipsa possit homo ex tali ca-
pite coram deo excusari apud homines tamen in nostro foro talis
excusatio est admittenda, unde homicida punietur capite saltem ordi-
narie loquendo non obstante quod dicat ira commotum se fecisse.
Unde provenit quod aliquando cognitio requisita ad actum liberum sit
tantum imperfecta? hoc partim provenit ex distractione intellectus
circa alia obiecta, partim etiam ex obscuritate et tenuitate cognitionis
ita ut cognitio sit similis illi qualem habent dormientes et somno-
lentes.
An propter imperfectam cognitionem aliquis se possit excusare
a peccato saltem gravi? imo, et si contingat quod homo vix cur-
[illegible] esse [illegible] talis sine dubio excusatur
a peccato non tantum mortali sed etiam veniali.
Unde possumus scire quando actus est transactus an habuerimus
perfectam advertentiam aut cognitionem an non? illa de re tradun-
tur aliquae probabiles regulae. prima est:
Si vir dubitans alias bonus sit praesumitur in dubio non gravi-
ter deliquisse. alia regula est:
Si homo sic sit constitutus ut non voluisset actum facere si
scivisset malitiam, praesumitur non deliquisse graviter, quia po-
tentia executrix obedit voluntati ad nutum; sic e contrario si homo
sit sic constitutus ut si scivisset malitiam actus voluisset actum
facere signum est imperfecti consensus.
Da aliam regulam. R.
Actus plane subitaneus praesumitur tantum imperfecte liber, quia
homo ad perfecte operandum libere indiget aliquo tempore saltem brevi.
An ex sola mora diuturniori colligatur actus fuisse perfecte liber?
non, quia subinde non est in hominis potestate statim actum reii-
cere.
An ipsa dubitatio qua homo dubitat de perfecto consensu non sit aliquod
signum consensus imperfecti? imo. unde qui dubitat an actum ali-
quem fecerit in somno an in vigilia praesumitur in somno fecisse
si homo alias bonus sit.
Quinam actus voluntatis est liber electio an intentio? inten-
tio et etiam electio, libere enim intendimus finem, et libere etiam
eligimus media.
An solum sit liberum inchoare intentionem an vero eandem con-
tinuare? etiam continuare illam est liberum, modo agatur de aliqua
continuatione diuturna.
Cur additur illa exceptio? quia hoc instanti non possumus inchoare
aliquam intentionem et sequenti rursus abrumpere, unde necessario
continuamus aliquantisper tum actus intellectus tum etiam
voluntatis.

proba quod actus intellectus necessario continuentur aliquam diu: quia
in ictu oculi facile fiunt centum instantia et amplius, in ictu vero
oculi nemo nisi tamen est qui sciret tota numerare consequenter.
Unde constat quod sicut facile centum instantia in ictu oculi quia
facile centum puncta spatii desiccat interea pertransire talis libra
transit vero illa spatia successive, quia non potest naturaliter de-
scribi; imo secundum sententiam aristotelis de continuo transit spatium infi-
nitum.
Unde probas idem accidere in actibus voluntatis quod experimur
in actibus intellectus? quia voluntas non potest esse magis velox
in suo actu quam intellectus in suo.
Unde proveniat illa tarditas intellectus et voluntatis? incertum est.
an hoc proveniat ex coniunctione cum corpore, an vero ex natura
istarum potentiarum et consequenter dubium est an anima separa-
ta debeat etiam naturaliter aliquando suos actus continuare an non.
An electio medii sit actio libera voluntatis? quando occurrunt plu-
ra media idonea ad finem obtinendum tunc electio unius medii
est formaliter libera, quia tali casu non potest dari ulla ratio
necessitans potius ad unum medium quam ad aliud.
An supposito quod occurrat tantum unicum medium possit electio
medii esse libera? imo, quia potest tunc voluntati esse liberum an
velit hoc medium applicare hoc tempore an aliquo alio.
An supposito quod occurrat tantum unicum medium hoc instanti
applicandum possit electio medii esse libera? tali casu illa electio
stante tali intentione non est in se formaliter libera.
Declara quod non: quia stante tali intentione voluntas necessita-
tur ad electionem talis medii quae intentio est aliquid prerequisitum
ad electionem ~~talis~~ talis medii.
An voluntas libere imperet aliis potentiis eiusdem suppositi?
dantur aliquae potentiae quibus libere imperat, et talis est potentia
progressiva quae voluntati obedit ad nutum. dantur vero aliquae
potentiae quibus voluntas nullo modo potest imperare, et talis
potentia est gravitas, item potentiae vegetativae, dantur autem
aliquae potentiae quibus voluntas imperat imperfecte, et tales sunt
intellectus phantasia et appetitus sensitivus.
proba voluntatem imperare intellectui saltem imperfecte? quia quando
voluntas vult ut intellectus ulterius examinet aliquod obiectum
vel circa illud intendat intellectus hoc facit saltem imperfecte.
Et idem de phantasia experimur quae simul cum intellectu debet
versari circa idem obiectum vel aliud.
Declara quod intellectus non obediat perfecte imperio voluntatis?
hoc etiam satis patet experientia, quando [illegible] volumus orare
deum cum attentione, saepe vix possumus dicere unum pater
noster sine distractione quia nempe intellectus aliunde fertur deter-

minatur ad aliud obiectum, quam per imperium voluntatis determinatur ad intentionem

Quomodo voluntas potest ullo modo intellectui aut aliis potentiis imperare cum nihil possit producere in illis? licet ipsamet voluntas nihil producat in aliis potentiis iuxta sententiam communem quam tamen aliqui negant, imperat tamen ipsis potentiis per hoc, quia ipsa anima habens talem actum efficacem voluntatis determinat se ipsam ad concurrendum cum aliis potentiis ad actum imperatum.

Quomodo voluntas imperat appetitui sensitivo? solum indirecte imperando intellectui et phantasiae ut proponant appetitui rationes propter quas possit inclinari ad hunc vel illum actum

Quomodo imperat eidem appetitui ut a certo actu cesset? imperando intellectui et phantasiae ut cogitent de alio obiecto, cum enim appetitui sensitivo debeat etiam proponi obiectum per cognitionem, si cesset illa cognitio etiam debet cessare passio appetitus sensitivi, unde bonum remedium est contra iram, odium etc, cogitare de alio obiecto quam de obiecto odii, irae etc.

Tractatus Quartus De Substantia.

Quid substantia et subsistentia.

An ens in genere dividatur adaequate in substantiam et accidens? loquendo de ente plane generaliter non potest adaequate dividi quia composita per accidens illa sunt etiam entia capiendo ens late, illa tamen neque sunt substantia neque accidens si volumus proprie loqui.

An ens unius naturae dividatur adaequate in substantiam et accidens? non quia individua generica entis nec sunt substantia neque accidens si proprie loqui volumus.

Quotupliciter sumitur illa vox substantia? dupliciter, quia aliquando sumitur substantia pro essentia, aliquando vero pro ente per se subsistente.

Declara aliquando sumi pro essentia? quia sic sumitur in definitio aristotelica aequivocorum et univocorum, ubi ratio substantiae non est aliud quam ratio repraesentans essentiam.

Declara omne accidens esse substantiam eo modo: quia omne accidens est essentia sui ipsius.

An formae substantiales quae dependent a materia sint substantiae? imo.

Quomodo cum dependeant a subiecto substentante? non refert, quia hoc non impedit quo minus sint substantiae, quia constituunt per unius naturae cum suo subiecto.

Quid existere per se in definitione substantiae? est existere independenter a subiecto inhaesionis stricte dicto?

Definiri essentialiter per se prout est differentia constitutiva substantiae? potest.

cur non definitione logica? quia est differentia logice simplex, id vero quod definitur definitione logica debet habere partes essentiales logicas?

Cur nequit definiri definitione essentiali physica? quia substantia in genere cuius est differentia non habet partes essentiales physicas

unde probas substantiam in genere non habere partes essentiales physicas? quia si substantia in genere haberet partes essentiales physicas quaelibet inferiora deberent partes physicas habere, iam vero dantur inferiora substantiae physice simplicia.

Cur similiter non potest definiri substantia in genere definitione metaphysica? quia etiam substantia in genere non habet partes metaphysicas, sic enim easdem partes deberet habere omnis substantia.

Da substantiam quae nec habet partes physicas nec metaphysicas? nam tunc angelus, item quaelibet subsistentia.

Quotupliciter sumitur subsistentia? dupliciter, semel latissime ut idem sit quod existentia, secundo aliquando pro existentia naturae substantialis, falso vero sumitur hic pro una parte metaphysica et de subsistentia sic sumpta hic agendum.

Quid subsistentia? est pars quae cum natura absoluta compositum metaphysicum.

Unde probatur quod detur aliqua subsistentia? hoc efficacissime ex fide probatur.

An non possit probari per rationem naturalem? non, quia patet ex eo quod antiqui philosophi qui non habuerunt revelationem de misterio trinitatis, vel incarnationis, illi inquam philosophi ne quidem semel dubitaverunt de subsistentia, ergo signum est quod illa naturaliter sine fide supernaturali sufficienter probari non possit.

proba ex misterio trinitatis dari subsistentiam? quia in isto misterio eadem natura divina subsistit per tres subsistentias diversas.

proba similiter ex misterio incarnationis dari subsistentiam? quia misterium illud factum est per hoc quod natura humana Christi fuerit destituta subsistentia humana ipsi propria, et loco istius subsistentiae divina Persona terminavit naturam humanam, et per hoc factum est quod deus sit homo et homo deus.

Quomodo distinguitur subsistentia a natura quam terminat? certum est quod in deo distinguatur sola ratione, quia si distinguerentur realiter deberet natura divina esse subiectum reale, et realiter

distinctum a subsistentia, hoc vero involveret imperfectionem re-
pugnantem deo.
Quomodo subsistentia divina distinguitur sola ratione a natura
cum sic omnes subsistentiæ divinæ deberent esse realiter eædem
inter se? non deberent.
Quomodo cum illa quæ sunt eadem uni tertio singulari sint
eadem inter se? est verum si illud tertium sit singulare et incom-
municabile hoc vero in proposito non accidit, quia natura divina
non est incommunicabilis, sed potest communicari pluribus realiter
distinctis.
Unde probas subsistentias divinas differre realiter inter se? ex eo
quod tres personæ divinæ inter se realiter differant
Declara ex eo sequi quod subsistentiæ realiter sint diversæ? quia
tres personæ divinæ non differunt inter se realiter per naturam di-
vinam, ergo debent realiter differre per suas subsistentias quia
aliud assignari nequit per quod realiter differant.
Unde probas dari subsistentiam creatam? quia mysterium incarnationis fac-
tum est per hoc quod Christus caruerit subsistentia creata, et loco istius
habuerit subsistentiam divinam
An colligatur inde quod alii homines habeant subsistentiam creatam?
imo.
An angeli etiam habeant subsistentiam creatam? imo
An hoc sit tam certum quam de hominibus? non,
Unde igitur hoc probatur de angelis quod habeant subsistentiam creatam?
multi hoc colligunt ex sacra scriptura quæ commendat charitatem dei
erga homines quia assumpsit deus naturam humanam, non vero angelicam,
ergo supponit naturam angeli etiam posse assumi.
proba tamen illo argumento non probari efficaciter dari in angelis sub-
sistentiam creatam? quia scriptura quæ commendat illam charitatem dei
erga homines potius quam erga angelos quia naturam humanam
assumpsit deus, non vero naturam angeli potest intelligi de assumptione
per gratiam
An in brutis sit admittenda subsistentia? imo.
proba in illis etiam debere admitti subsistentiam? quia in brutis est ma-
teria prima eiusdem speciei cum materia prima hominis, ac proinde
sicut materia hominis habet suam subsistentiam, ita etiam materia bruti,
et consequenter materia lapidis habet suam subsistentiam.
Cur non dicitur quod materia prima hominis non habeat propriam sub-
sistentiam sed quod tantum subsistat per subsistentiam animæ rationalis?
quia hoc non recte dicitur, quia in triduo mortis Christi quando anima
erat separata a corpore natura materiæ primæ habebat subsistentiam
divinam, ergo si illa caruisset debuisset habere subsistentiam creatam.
quod vero illa natura materiæ primæ Christi tunc habuerit subsisten-
tiam divinam probatur illo axiomate patrum quod verbum divinum quod
assumpsit numquam dimisit.
An formæ substantiales brutorum habeant suam subsistentiam? pro-
babilior sententia est affirmativa.
An ergo sicut deus assumpsit naturam humanam potuisset assumere
naturam bruti? hoc aliqui consequenter admittunt, alii tamen negant

quia brutum non est capax bonorum operum; desiderius autem hoc sic non dimittet.

Quomodo distinguatur subsistentia creata a natura creata quam afficit realiter an sola ratione? R. quidam dixerunt sola ratione distingui, nihilominus tamen probabilius est distingui realiter.

Quo fundamento dixerunt aliqui illam distingui sola ratione? quia per rationem naturalem non potest maior distinctio ostendi, mysteria vero fidei etiam cum tali distinctione rationis possunt [illegible] salvari, nihilominus tamen probabilius est subsistentiam creatam debere distingui realiter a natura quam terminat.

Proba hoc esse probabilius? R. quia oppositum dicendo oporteret consequenter dicere quod natura humana Christi ultra subsistentiam divinam habuisset subsistentiam creatam, hoc vero repugnat principiis fidei.

Cur deberet dici quod natura humana Christi tunc habuisset subsistentiam creatam? quia quod sola ratione ab aliquo distinguitur non potest ab ipso tolli.

Quomodo cum similitudo albedinis differat sola ratione ab albedine a qua tamen tolli potest? in primis multi distinguunt similitudinem illam realiter differre ab albedine, et secundum illos cessat haec obiectio, supposito vero quod similitudo illa differat sola ratione tunc potest dari ratio disparitatis cur similitudo potius possit tolli quam subsistentia a natura.

Quaenam tunc erit ratio disparitatis? R. quia similitudo dependet ab aliquo extrinseco quo sublato similitudo cessat, subsistentia vero non dependet sic ab aliquo extrinseco.

Quomodo subsistentia differt realiter a natura realiter positive an realiter negative? Aliqui quidem dixerunt quod subsistentia creata solum differat realiter negative a natura creata sibi correspondente, et propterea illam sententiam tenet Scotus cum Scotistis, alii vero tenent subsistentiam creatam distingui realiter positive. et illam sententiam tenet Sanctus Thomas et Thomistae cum illis quos etiam nos solemus communiter sequi.

Quo fundamento nititur sententia Scoti? [illegible] quia nec ex ratione nec ex fide colligitur distinctio realis positiva subsistentiae a natura quam terminat, ergo dicendum distinctionem realem negativam sufficere.

An subsistentia in sententia Scoti sit unica simplex negatio? non sed componitur ex duabus negationibus.

Da duas negationes requisitas ad subsistentiam in sententia Scoti?

Primo requiritur negatio aptitudinalis inhaerentiae in alio.

Cur illam negationem requirit Scotus ad subsistentiam? ut ostendat quomodo accidens existens extra omne subiectum miraculose non subsistat.

Quare hoc non subsistit in sententia Scoti? quia illud accidens habet aptitudinalem dependentiam ab alio tanquam subiecto inhaesionis, sic dicto cum postulet tali subiecto inhaerere.

Cur requiritur insuper alia negatio nempe actualis coniunctionis cum alio quo sit dependentia? ut ostendat quare natura humana Christi non sit suppositum quia non habet talem negationem actualis connexionis cum illa habeat actualem connexionem cum alio subsistente, subsistentia verbi, ergo falsum est quod habeat negationem talis con=

nexionibus.
An sententia illa Scoti sic explicata sit probabilis? imo
quo fundamento nihilominus sustinetur oppositum, nempe quod subsisten-
tia divina sit positiva? probatur a simili de subsistentia illud enim
est positiva ut Scotistae admittunt, ergo videtur idem debere dici de
subsistentia creata quod nimirum illa sit positiva, quia nequit convenien-
talis disparitas assignari, nos ergo in posterum supponemus subsis-
tentiam creatam, etiam esse positivam

An inter naturam et subsistentiam intercedat aliqua unio?
An illa sit distincta ab extremis? imo.
Quomodo? in Christo illa unio distinguitur realiter ab utroque
extremo.
An in creaturis illa unio sic realiter distinguatur ab utroque ex-
tremo? non.
Quomodo ergo distinguitur talis unio in rebus creatis? a sola na-
tura distinguatur realiter, a subsistentia creata vero distinguitur
sola ratione, quia ut postea latius dicetur subsistentia creata
est purus modus, ac proinde ~~[illegible]~~ est incapax ullius unionis rea-
liter superadditae
Quomodo distinguitur unio inter naturam et subsistentiam ab extremis?
Sola ratione differt ab utroque extremo
Qualis unio intercedit inter subsistentiam et naturam? unio per se.
Unde probas? ex symbolo Athanasii quod habet sicut anima rationa-
lis et caro unus est homo, ita deus et homo unus est Christus, ergo
sicut anima rationalis, et caro uniuntur unione per se, ita natura
humana Christi et subsistentia verbi divini.
Qualis unio est consistens inter naturam et subsistentiam essen-
tialis an integralis? unio metaphysica consistens inter illa ex-
trema ordinarie est essentialis, non tamen semper.
Cur ordinarie est essentialis? quia extrema sibi uniuntur unione
per se et habent se per modum actus et potentiae.
Da unionem metaphysicam quae non est essentialis? unio consistens
inter naturam humanam Christi, et subsistentiam verbi divini, quia
extrema istius unionis non habent se per modum actus et poten-
tiae, quia neutrum est forma respectu alterius.
Qualis est unio intercedens inter naturam humanam et subsistentiam
divinam? est quidem unio per se, non tamen unio essentialis, quia
extrema illa non habent se per modum formae et subiecti.
An sit unio integralis proprie dicta? non, quia unio integralis pro-
prie dicta debet consistere inter extrema eiusdem speciei qualia
non sunt natura humana et subsistentia divina.
Qualis ergo tandem illa unio erit? unio aliqua ineffabilis quae ad
nullam speciem unionis per se directe pertineat ut colligitur ex iam
dictis.
Quid compositio metaphysica? est compositio per se ex natura et sub-
sistentia illam terminante.
Cur dictum est compositio per se? ut excludatur compositio per accidens

ex natura petri et subsistentia pauli.
An compositio metaphysica sit essentialis? ita quidem ordinarie accipitur tamen compositio metaphysica Christi.
Declara quod reliquae sint essentiales, quia in reliquis natura et subsistentia habent se per modum actus et potentiae.
Qualis compositio est compositio metaphysica? compositio metaphysica dei est rationis, reliquae vero sunt reales.
Proba compositionem metaphysicam dei tantum esse rationis: quia consistit inter extrema sola ratione distincta.

Qualis est subsistentia realiter simplex an composita? aliqua realiter simplex alia vero realiter composita.
Da subsistentiam realiter simpliciter: in primis subsistentia dei patris, et divinis.
Da subsistentiam creatam realiter simplicem: subsistentia angeli, item subsistentia animae rationalis.
Proba illas subsistentias esse realiter simplices: quia natura angeli, et natura animae rationalis realiter simplex est, non est autem maior necessitas componendi realiter subsistentiam quam naturam imo minor.
Da subsistentiam realiter compositam: subsistentia petri quia alias oporteret dicere quod subsistentia petri esset replicata.
An efficaciter ergo probatur subsistentiam petri esse realiter compositam? non, quia si quis diceret petrum non habere aliam subsistentiam quam subsistentiam animae rationalis talis non posset efficaciter convinci.
An detur subsistentia materialis integraliter indivisibilis? imo ut subsistentia indivisibilis integraliter indivisibilis materiae primae.
An subsistentia partis integralis indivisibilis petri sit realiter indivisibilis? imo.
Da ergo tales partes reales ex quibus talis subsistentia componitur? subsistentia animae rationalis et indivisibilis materiae primae.
An non sufficiat unica unio physica inter materiam et formam substantialem indivisibiles? imo, non enim est necessitas multiplicandi uniones.
Cur similiter non dicitur quod materia prima et forma substantialis subsistant eadem subsistentia? hoc quidem non est plane improbabile, probabilius tamen est oppositum.
Quare? quia alias oporteret dicere quod anima rationalis separata haberet aliam subsistentiam quam anima rationalis coniuncta corpori.
Declara: quia per subsistentiam quam habet anima rationalis separata a corpore non subsistit ulla materia prima, adeoque essentialiter differret subsistentia animae separatae, et subsistentia animae coniunctae corpori, adeoque multiplicarentur tunc subsistentiae sine necessitate magis quam si diceretur quod esset tantum unica subsistentia, vel saltem aliquid multum quod afficeret utramque partem physicam.
Qualis unio intercedit inter subsistentiam materiae primae et inter subsistentiam formae substantialis? inter illas nulla immediata unio

intercedit quae uniuntur unione per se.
Cur inter illas subsistentias non est unio essentialis per se? quia utraque illa subsistentia purus modus est, purus vero modus non potest esse subiectum reale alterius realiter distincti.
Probat inter illas subsistentias non esse unionem integralem per se et proximam: quia unio integralis per se consistit inter proxima extrema eiusdem speciei, iam vero subsistentia naturae et subsistentia formae diuersae sunt speciei quia sunt speciei modi respicientes essentialiter diuersa non tantum numero sed etiam specie modificata.
Quomodo ergo ex illis duabus subsistentiis materiae et formae potest fieri sub unius naturae? quia ad esse unius naturae non requiritur ut omnes partes eius uniantur immediate unione per se, sed satis est quod sic uniantur saltem mediate.
Declarat hoc etiam hic accidere in illis subsistentiis sine quod uniantur inter se mediate unione per se? quia subsistentia formae unitur immediate naturae formae, et natura formae unitur immediate per se naturae materiae, et natura materiae ulterius unitur suae subsistentiae per se.
Declarat hoc sufficere ad esse unius naturae: quia alias oporteret dicere quod ne quidem natura humana petri esset sub unius naturae. declarat quod non: quia natura capitis et natura pedis petri non uniuntur inter se immediate.
Quomodo hoc recte dicitur cum sic poterit dici quod chymaera sit sub unius naturae? hoc non sequitur.
Quomodo cum una forma substantialis chymaerae uniatur per se materiae in qua subiectatur, et illa materia uniatur unione integrali per se alteri materiae, et altera materia ulterius alteri formae substantiali? non sequitur quod chymaera ideo sit sub unius naturae, quia facta illa suppositione licet forma una chymaerae uniatur per se materiae sibi correspondenti, illa tamen materia non unitur per se alteri materiae, nec illa altera materia habeat distinctam formam substantialem non magis quam de facto materia prima hominis uniatur per se materiae primae hominis?
An subsistentia sit entitas stricte dicta, an purus modus? aliqua est entitas stricte dicta.
Da subsistentiam quae est entitas stricte dicta: subsistentia diuina.
Probat subsistentiam diuinam non esse purum modum: quia purus modus necessario inuoluit imperfectionem repugnantem deo, quia debet esse realis forma essentialiter dependens a subiecto.
An subsistentia creata sit purus modus an entitas stricte dicta? iuxta communiorem sententiam subsistentia creata purus modus est, quia non debet rebus creatis maior perfectio assignari quam sit necesse.
Quo fundamento nihilominus sustinetur quod subsistentia creata sit entitas stricte dicta? quia non sunt assignanda entia alijs entibus essentialiter, sine necessitate, talis autem necessitas non apparet in

subsistentiae? unde fit quod doctrina illa de subsistentia sit tam incerta quia per rationem naturalem nihil omnino possumus scire de subsistentia, fides autem non docet quidquam unde possimus colligere subsistentiam creatam esse potius primum modum quam entitatem stricte dictam.

Defini sic subsistentiam ut in utraque sententia valeat definitio: subsistentia est forma quae cum natura constituit compositum metaphysicum

Cur non sic est pars formalis compositi metaphysici? quia illa definitione non continetur subsistentia Christi, quia illa non est forma respectu naturae humanae Christi.

An subsistentia non sit aliqua relatio? subsistentia divina aliqua relatio est, non vero subsistentia creata.

proba subsistentiam divinam esse relationem: quia subsistentia patris nihil est a parte rei distinctum a paternitate subsistentia

An saltem paternitas distinguatur secundum rationem a subsistentia patris? imo, sed illis latius agunt theologi.

Cur subsistentia creata non est etiam relatio? quia relatio creata est accidens, subsistentia vero debet esse substantia.

An possit eadem natura terminari pluribus subsistentiis? imo

Da naturam quae terminatur pluribus subsistentiis: natura divina sic terminatur pluribus subsistentiis divinis.

An eadem subsistentia possit terminare plures naturas? imo, et subsistentia Christi de facto simul terminat naturam humanam et divinam, et hinc factum est ut Christus sit deus et homo.

An eadem subsistentia possit afficere plures naturas creatas? imo, quia de facto eadem subsistentia divina filii in divinis afficit naturam materiae primae et naturam animae rationalis Christi.

An possit eadem subsistentia sic terminare plures naturas creatas totales? imo, quia sic subsistentia divina filii ultra naturam humanam Christi potuit et terminare naturam humanam petri, unde ea controversia esse potest.

An eadem subsistentia creata possit plures naturas terminare? imo, quia plures res possunt sibi mutuo uniri per eandem unionem, ergo nihil videtur obstare quominus subsistant in una natura eadem subsistentia, imo de facto dicunt aliqui hoc accidere.

An eadem subsistentia creata possit terminare plures naturas totales? infra.

An subsistentia terminans naturam petri possit postea in-pere naturam pauli terminare? imo

Quomodo enim non possit fieri prius modus respectu pauli? in primis probabile est subsistentiam creatam esse entitatem stricte dictam et secundum hoc cessat illa obiectio.

An supposito quod subsistentia sit purus modus possit fieri quod tu[?] in quaestione hac[?] ~~probabilius~~ probabilius.
Quomodo enim id quod est etiam purus modus respectu petri tamen non possit fieri purus modus respectu pauli? non video. Quomodo ergo subsistentia petri poterit sic esse subsistentia pauli? hoc quidem fieri non potest ut sit subsistentia naturae pauli tanquam purus modus istius naturae, poterit nihilominus terminare naturam pauli tanquam entitas stricte dicta respectu istius naturae ponendo videlicet unam unionem in natura humana pauli tertiam quae terminetur ad subsistentiam petri simili modo sicut etiam in natura humana Christi ponitur aliqua unio hypostatica terminata ad subsistentiam divinam sic ut propterea natura humana Christi subsistat per subsistentiam divinam.
An eadem natura creata possit terminari pluribus subsistentiis? Imo quia sic eadem natura creata potest terminari tribus subsistentiis divinis quia subsistentiae divinae talis naturae sunt ut non excludant se a terminatione eiusdem naturae, quia de facto simul terminant eandem naturam divinam.
An eadem natura creata possit simul terminari subsistentia ~~[illegible]~~ propria et altera aliena? etiam utrimque probabiliter disputari potest nobis vero videtur quod in eo non sit implicantia. Quomodo enim sancti patres colligant Christum non habuisse subsistentiam propriam quia habuit subsistentiam divinam? sancti patres loquuntur de eo quod ibi debebat fieri ex natura rei si videlicet non accederet aliud miraculum, nonnullo vero miraculo accedente bene potuisset Christus cum subsistentia divina etiam subsistentiam humanam habere.
Declara quomodo Christus seu natura humana Christi potuisset cum subsistentia divina propriam habere: quia si fuisset replicata natura humana Christi potuisset in uno loco habere subsistentiam divinam et in alio propriam.
proba hoc esse possibile: quia eidem rei replicatae bene possunt simul inesse duo contraria, ergo nihil impedit quo minus replicata terminetur sic duplici subsistentia, una propria, et altera aliena.
An ut eadem natura creata habeat propriam subsistentiam et alienam simul debeat esse replicata? putamus hoc non esse necessarium, quia per deum possunt bene inesse simul contraria eidem subiecto non replicato, non potest vero conveniens ratio dari cur duae illae subsistentiae propria videlicet et aliena, non possint similiter terminare per deum eandem naturam non replicatam.
An natura metaphysica possit omni subsistentia carere? probabilius est hoc posse fieri.
proba hoc esse possibile: quia in eo etiam non potest ostendi ulla implicantia.
Declara hoc ulterius: quia materia prima per deum bene potest

privari omni forma substantiali, item omni extensione, et etiam quantitate, supposito quod quantitas realiter differat, ergo Deus potest naturam privari omni subsistentia, quia non potest dari congrua ratio disparitatis.
An subsistentia habeat causas? aliqua non habet, nempe subsistentia divina.
An subsistentia creata habeat omnis generis causas? non.
in quo genere causae subsistentia creata habeat causam? in genere causae efficientis, finalis et exemplaris, quia in illo genere omnis creatura debet habere causam.
Quaenam est causa efficiens subsistentiae creatae? Deus, qui etiam est finalis et exemplaris.
Da causam efficientem creatam subsistentiae: probabiliter ipsamet natura metaphysica producit per naturalem resultantiam suam subsistentiam, sicut aqua producit per naturalem resultantiam frigus, et reliquae res eo modo producunt suas proprietates.
Quaenam est causa creata exemplaris subsistentiae? ipsamet subsistentia creata, quia quaelibet creatura est exemplar obiectivum sui ipsius.
Quaenam est causa finalis creatae subsistentiae? natura metaphysica quam terminat, item totum compositum metaphysicum.
cuius generis causam praeterea habet quaelibet subsistentia creata? quaelibet necessario causam materialem in qua, quia omnis subsistentia creata est primus modus, vel saltem forma dependens a subiecto.
An subsistentia creata habeat causam formalem? non, neque informantem neque componentem.
Cur non habet causam formalem informantem? quia non est subiectum ullius formae realiter distinctae, quia primus modus non est.
Suppono non esse primum modum et respondeo: equidem tunc non habebit causam formalem informantem, quia non poterit assignari ulla substantia quae realiter in ipsa subiectetur.
Cur subsistentia creata non habet causam formalem componentem? quia etiam non componitur ex partibus quarum una sit subiectum reale respectu alterius, et ob eandem rationem non habet subsistentia creata causam materialem ex qua.
An subsistentia habeat aliquem effectum? imo.
An in omni genere? non, quia non in genere causae efficientis, primus modus proba: quia in primis subsistentia creata cum sit primus modus in isto genere effectum habere non potest.
Cur ad saltem subsistentia divina non potest habere effectum in genere causae efficientis? quia omnes effectus Dei sunt communes

tribus personis diuinis, quia omnes procedunt ab eadem omnipo-
tentia communi tribus personis diuinis, ita ut una persona
sine alia operari non possit. Si uero subsistentiae diuinae essent
actiuae, una persona ratione suae subsistentiae posset efficere aliquem
effectum quem non efficeret alia.
In quo genere causae subsistentia est causa? in genere causae
formalis.
Qualis causa formalis est subsistentia, informans an compo-
nens? informans, et etiam componens subsistentia scilicet creata
respectu creatae? quia subsistentia diuina nec est causa forma-
lis informans nec componens ullo respectu.
An subsistentia sit aliquo respectu causa materialis? non, quia
non est subiectum ullius formae realiter distinctae.
An sit causa exemplaris? imo, videlicet sui ipsius.
An sit etiam causa finalis? imo aliquo respectu.
Quomodo subsistentia non est causa efficiens cum actiones
sint suppositorum? non obstat.
Quomodo cum per hoc significetur quod actiones egredian-
tur a suppositalitate? ergo
quis ergo est sensus istius axiomatis actiones sunt suppo-
sitorum? concreta actionum connotant supposita, unde homo
qui est suppositum dicitur ambulare, videre etc.
An per illud axioma non significetur quod natura non possit
agere nisi habeat suppositalitatem? non, probatur hoc non debere
dici, quia natura animae rationalis separatae caret supposita-
litate et tamen illa bene potest agere.
An saltem natura requirat subsistentiam ad hoc ut possit
agere? naturaliter quidem natura non agit antequam habeat
subsistentiam, per deum tamen nihil impedit quo minus
agat etiamsi sit priuata omni subsistentia, unde natura
animae rationalis destituta omni subsistentia etiam posset agere
quia accidens existens extra hominem subiectum ut albedo
bene potest producere species visibiles, ergo similiter natura
metaphysica animae destituta illo modo substantiali qui est sub-
sistentia bene potest similiter agere.

An subsistentia reddat naturam metaphysicam incom-
municabilem? imo.
An reddat illam incommunicabilem per modum uniuersalis?
non, quia natura affecta subsistentia non perdit per hoc suam
uniuersalitatem, sicut materia prima non perdit suam uni-
uersalitatem per hoc quod informetur forma substantiali.
An subsistentia reddat naturam incommunicabilem alteri sub-
sistentiae? non, quia natura affecta una subsistentia afficitur
ulterius altera, et sic subsistentia diuina paternitas relinquit na-
turam diuinam communicabilem subsistentiae filii.
An subsistentia creata reddat naturam incommunicabilem alteri

subsistentiae? ita quidem naturaliter sed non in ordine ad Deum.
unde per Deum potest fieri ut ante dictum est quod eadem natu=
ra creata terminetur pluribus subsistentiis creatis.
An subsistentia reddat naturam metaphysicam incommunicabilem
per modum partis integralis? non quia subsistentia capitis relin=
quit naturam capitis communicabilem alicui per modum
partis integralis quia natura capitis de facto est pars inte-
gralis alterius.
An subsistentia reddat naturam incommunicabilem per modum
partis physicae? non quia natura materiae habet subsistentiam
potest eo non obstante fieri pars physica.
An subsistentia reddat naturam incommunicabilem per modum
partis accidentariae? non quia non obstante quod natura habeat
subsistentiam bene potest fieri pars accidentaria alicuius ut
substantia prima bene est pars accidentaria respectu compositi
ex ipsa et albedine.
Quomodo ergo subsistentia reddat naturam incommunicabilem?
subsistentia creata reddit illam incommunicabilem alteri sub=
sistentiae quae afficiat ipsam subsistentiam, quia una subsisten=
tia non potest ulterius terminari alia subsistentia.

An subsistentia recte dividatur in positivam et nega=
tivam? sic quidem potest dividi subsistentia in sententia
eorum qui subsistentiam creatam statuunt esse negativam,
subsistentiam vero divinam positivam sed in sententia nostra
divisio illa non subsistit quia secundum nos omnis subsistentia
est positiva.
An subsistentia recte dividatur in creatam et increatam? immo
An etiam in spiritualem et materialem? immo. Spiritua=
lium rerum subsistentiae sunt spirituales ut rerum spiritua=
lium ut angeli Dei et animae rationalis, reliquae vero sub=
sistentiae materiales sunt.
An subsistentia recte dividatur in absolutam et relativam? immo
quaedam subsistentiae sunt absolutae ut subsistentiae creatae, subsisten=
tiae autem divinae sunt relativae.
Divide aliter subsistentiam in subsistentiam puram et sup=
positalitatem.
Quid subsistentia pura? est subsistentia naturae incompletae. ut
subsistentia materiae primae item animae rationalis.
Quid suppositalitas? est subsistentia naturae completae. ut subsis=
tentia Petri item angeli.
An differant essentialiter suppositalitas et subsistentia pura? non
quia eadem subsistentia modo potest esse suppositalitas, modo
subsistentia pura, quia sic subsistentia aquae separatae ab alia
aqua est suppositalitas, si autem ipsa aqua iterum adiungatur
alteri aquae tunc illa eadem subsistentia erit subsistentia pura.

Unde fit quod eadem subsistentia modo possit esse subsistentia
pure, modo suppositalitas? quia eadem natura modo potest esse
completa modo non.
In quo genere hoc potest fieri? in genere integrali, non autem
in genere essentiali.
Declara posterius: quia id quod semel est completum essentia-
liter semper manet sic completum, uti etiam quod semel
est incompletum essentialiter semper manet essentialiter
incompletum.
Quid subsistere? est esse naturam affectam subsistentia, vel
compositum ex natura et subsistentia illam terminante.
Quid subsistens? est natura affecta subsistentia vel compo-
situm ex natura et subsistentia illam terminante.
Cur non sit est natura quae est subiectum subsistentiae vel com-
positum etc.? quia natura humana Christi tunc non esset
subsistens, quia illa natura nec est subiectum subsistentiae
neque componitur ex natura et subsistentia.
Da aliquid quod non subsistit: ex naturalibus item nullum accidens,
quia accidens non est natura metaphysica, neque compositum ex
natura metaphysica.
Quid natura metaphysica? est pars quae cum subsisten-
tia constituit compositum metaphysicum.
An omnis substantia subsistat? non. Ut ipsamet subsistentia
quaedam subsistentia neque est natura metaphysica, neque compo-
nitur ex natura metaphysica.
An omnis substantia stricte entitatis sit subsistens? non. Ut
subsistentia divina.
Da talem creatam: de facto non datur talis substantia
creata stricte entitatis, potest tamen talis dari, quia talis
esset materia prima destituta omni subsistentia.
An uniones substantiales etiam subsistant? tenetur com-
muniter quod non, quia nec sunt naturae metaphysicae, nec
componuntur ex natura metaphysica; aliqui tamen etiam
contrarium tenent, nempe illi qui dicunt subsistentiam divi-
nam non tantum terminasse naturam animae et materiae,
sed etiam ipsius unionis.
Divide subsistens: dividitur in subsistens purum et suppositum.
An recte dividatur in naturam et suppositum? non, quia datur
subsistens quod nec est natura nec suppositum.
Da subsistens quod nec est natura nec suppositum: animam ra-
tionalis item materia prima.
Quid suppositum? est compositum ex natura completa et sub-
sistentia illi adaequate correspondente. Ut homo, item sequens.
Quomodo ergo homo non sit natura metaphysica? quia hoc
non requiritur ad suppositum, quia ad compositum sufficit
ut sit compositum ex natura completa et subsistentia illi

adaequate correspondente.

Quid natura completa in definitione suppositi? est natura quae non potest ingredi compositionem essentialem physicam entis unius naturae, neque de facto ingreditur compositionem integralem talis entis, nec postulat illam ingredi ad hoc ut connaturaliter existat. ut natura humana.

An requiratur ad naturam completam quod non possit ingredi compositionem essentialem entis unius naturae? non, quia sic natura humana in genere non esset natura completa quia ingreditur compositionem essentialem logicam entis unius naturae, nempe huius naturae animae.

An requiratur ut non possit ingredi compositionem essentialem realem entis unius naturae? non quia sic natura humana Petri non esset hic natura completa quia ingreditur compositionem essentialem realem entis unius naturae, videlicet compositionem ex se, et subsistentia adaequata ipsi correspondente.

Quid natura incompleta? est natura quae potest ingredi compositionem essentialem physicam entis unius naturae vel actu ingreditur compositionem integralem talis vel saltem postulat illam ingredi ad hoc ut connaturaliter existat, ut natura materiae primae, item animae rationalis.

An etiam natura capitis hominis non sit natura incompleta? imo

An non sufficiat ad naturam incompletam quod possit ingredi compositionem integralem entis unius naturae? non, quia illa definitione continetur totalis natura Petri quae tamen est hic natura completa, quia potest ingredi compositionem integralem entis unius naturae nempe compositi ex se et parte integrali adveniente per nutritionem.

An ad naturam integraliter incompletam requiratur ut actu ingrediatur compositionem integralem entis unius naturae? non quia sufficit quod postulet ingreditalem compositionem ad hoc ut connaturaliter existat.

Da aliquid integraliter incompletum quod non ~~postulet~~ ingredi talis actu compositionem integralem entis unius naturae: talis est pars alicuius vermis vel anguillae divisae in duas partes adhuc viventes quia tales partes sic divisae postulant ingredi compositionem integralem etc.

Quid incompletio naturae incompletae? est aptitudo naturae ad ingredi compositionem essentialem physicam ~~entis~~ integralem entis unius naturae vel exigentia talis actualis ingressus compositionem talis entis, vel ingressus ad hoc ut connaturaliter existat.

Quomodo illa incompletio competit naturae incompletae necessario an contingenter? aliqua necessario aliqua vero contingenter.

Da incompletionem quae competit necessario suo subiecto? R. incompletio quam habet natura animae rationalis, unde ista natura nequidem per deum potest fieri completa.

Da incompletionem quae competit subiecto contingenter? incom

pletio quam habet natura partialis aquae, quia illa natura potest fieri completa si illa partialis aqua a reliqua aqua separetur.

Quid completio naturae completae? est negatio incompletionis in natura.

An compositum ex natura humana et subsistentia capitis sit suppositum? non.

Quomodo cum componatur ex natura completa et subsistentia? non refert, quia illa subsistentia non correspondet adaequate isti naturae.

Quandonam subsistentia dicitur adaequate correspondere isti naturae? quando nihil est in illa natura quin terminetur illa subsistentia, et vicissim nihil est in illa subsistentia quin terminet ipsam naturam.

Declara iam quod illa subsistentia capitis non correspondeat adaequate naturae humanae: quia datur aliquid in natura humana quod non terminatur illa subsistentia, nempe natura pedum.

An ut subsistentia correspondeat adaequate naturae debeat natura illa omnis et tota terminari illa subsistentia? non, quia natura humana Christi terminatur adaequate subsistentia Verbi divini, et tamen [illegible] non terminatur illa subsistentia.

Declara non terminari totam: quia natura divina etiam terminatur eadem subsistentia.

Declara quod natura humana Christi terminetur adaequate subsistentia Verbi iuxta nostram definitionem: quia nihil datur in natura humana Christi quin terminetur subsistentia Verbi divini, nec datur quippiam in subsistentia Verbi quin terminet naturam humanam Christi.

An subsistentia Verbi divini non terminet adaequate naturam animae Christi? imo.

Quomodo ergo compositum ex natura animae Christi et subsistentia Verbi non est suppositum? quia non est compositum ex natura completa et subsistentia illi correspondente, quia natura animae incompleta est.

An suppositum non possit componi ex natura incompleta? imo.

Da suppositum quod componitur ex natura incompleta: homo, quia componitur ex natura animae rationalis quae incompleta est, item ex natura materiae primae quae etiam est incompleta.

Quomodo ergo requiritur ad suppositum quod componatur ex natura completa? solum requiritur quod componatur ex aliqua natura completa, non vero ex omni.

An omne suppositum componatur ex aliqua natura incompleta? non.

Da suppositum quod ex nulla natura incompleta componitur: angelus, item deus.

Declara de angelo. R. quia in angelo datur tantum unica natura quae non componatur realiter nec ex partibus physicis nec integrantibus.

An pater in divinis sit suppositum? imo.

Quomodo cum non componatur ex natura completa et subsistentia ipsi adaequate correspondente? nego.

Quomodo cum ipsis natura divina habeat insuper aliam subsistentiam nempe subsistentiam filii? non refert quia quidquam nihil est in illa natura quin terminetur illa subsistentia, et similiter nihil est in illa subsistentia quin terminet istam naturam.

An suppositum recte definiatur sic: est compositum ex suppositalitate? non.

Da compositum ex suppositalitate quod non est suppositum: aggregatum per accidens ex suppositalitate Petri et albedine.

Cur non est suppositum? quia non est compositum ex natura metaphysica et subsistentia.

Da compositum ex natura metaphysica et suppositalitate quod non est suppositum: aggregatum per accidens ex natura Petri et suppositalitate Pauli.

Da compositum per se ex natura et suppositalitate quod non est suppositum: compositum ex natura assumpta Christi et suppositalitate verbi divini quia non constat ex natura completa et subsistentia ipsi correspondente.

Quid subsistens purum? est subsistens quod non est suppositum. ut anima rationalis, materia prima.

An subsistens purum debeat esse compositum metaphysicum? non est necesse.

Da subsistens purum quod est metaphysice simplex: natura materiae prima.

An suppositum possit esse metaphysice simplex: non, quia illud debet necessario componi ex natura metaphysica et subsistentia ipsi correspondente.

Da quod nec est subsistens purum nec suppositum: albedo. quia non subsistit, id enim unquam subsistit debet esse substantia.

Da substantiam quae nec sit subsistens purum nec suppositum: subsistentia Petri, quia licet illa subsistentia sit substantia non tamen subsistit quia nec est natura metaphysica nec componitur ex natura metaphysica alterutrum vero istorum est necessarium ad hoc ut aliquid subsistat.

Da subsistens quod nec est subsistens purum nec suppositum? non datur quia quidquid subsistit vel est suppositum vel non quia non datur medium inter illa si vero non sit suppositum necessario erit subsistens purum.

Da aliquid cui insit subsistentia pura et tamen non subsistit purum: haec subsistentia Petri quia haec subsistentia pura non subsistit.

Da subsistens cui insit subsistentia pura, et tamen non subsistit purum? homo.

quo subsistentia pura inest homini? subsistentia materiae primae.

Cur homo non est subsistens purum? quia est suppositum.

An distinguatur essentialiter subsistens purum et suppositum? non

proba: quia idem subsistens uno modo potest esse subsistens pure
modo suppositum: sicut totalis aqua ab alia separata est sup-
positum, quando continetur in poculo; si vero effundatur in subtilian,
tunc erit subsistens pure, quia tunc erit pars integralis.
An omne subsistens pure possit fieri suppositum? non, ut anima
Rationalis.
Da econtra suppositum quod nequit fieri subsistens pure: ange-
lus.
Cur non erit subsistens pure si fiat pars integralis alicuius al-
terius? quia hoc supponit falsum; non potest fieri pars integralis
alicuius alterius quod sit eius[dem] unius naturae.
Cur duo angeli non possint sibi tam bene integraliter uniri
quam duae aquae? hoc referendum est in naturam angeli, et aquae.
An petrus possit fieri subsistens pure? imo si fiat pars inte-
gralis compositi ex se et aliqua alia parte adveniente per nutri-
tionem.
Divide suppositum: in personam et suppositum purum.
Quid persona? est suppositum intellectuale.
Enumera: Trinitatis divinae, angeli et hominis.
Cur non addis animas rationales? quia non est suppositum, quia
non componitur ex natura completa.
Da hominem qui non est persona: non datur.
Cur non stultus qui non est intellectivus? quia etiam habet intel-
lectum, licet hic et nunc propter impedimentum non possit utira-
tione.
An homo qui esset destitutus intellectu, equidem, esset perso-
na? imo quia [illegible] sustinueret intellectum haberet.
An homo possit destitui intellectu? hoc pendet ab eo an realiter
distinguatur intellectus a natura animae rationalis; si sic differat
poterit i[llegible] ab anima tolli; si vero non differat tunc tolli
non poterit.
Da naturam metaphysicam quae est persona: non datur, quia per-
sona debet esse compositum metaphysicum ex natura et subsisten-
tia incommunicabili; talis vero compositum nunquam potest esse
natura metaphysica, quia natura metaphysica est metaphysice
simplex.
An aliquid quod non est persona possit fieri persona? imo, sic
totus petrus excepta tibia nunc non est persona, quia non est
suppositum; poterit vero fieri persona si illa tibia auferatur.
Sciendum quod similiter persona possit desinere esse persona:
sic petrus nunc persona est, erit autem non persona si fiat
pars integralis per hoc quod compars integralis adveniens cons-
tituat compositum integrale maius.
An omnis persona possit desinere esse persona? non, ut angelus.
An definitio personae sit essentialis? non.
Defini essentialiter personam: non potest, quia non differt essentia-

liter ab omni eo quod non est persona, quia eadem modo est perso-
na modo subsistens per se. Ut v.g. petrus nunc est persona, fiet
autem id quod petrus subsistens per se si acquirat aliquas
partes integrales per restitutionem.
An quaelibet persona sic possit fieri subsistens per se?
non, quia non v.g. angelus, ille enim non potest fieri
[illegible] integralibus sicut [illegible] petrus potest.
An omne subsistens per se possit fieri persona? non, quia
non v.g. materia prima item anima rationalis.
Da subsistens per se quod potest fieri persona: totus petrus
excepta manu eius nunc est subsistens per se, fiet
autem persona si illa manus abscindatur.
Da personam quae non est subiectum personalitatis. deus
An persona possit esse subiectum personalitatis? naturaliter fieri nequit, licet bene possit per [?], quia petrus v.g.
ultra personalitatem ex qua iam componitur potest habere alienam personalitatem quae in ipso subiectetur.
Quomodo cum sic petrus possit etiam esse subiectum personalitatis? etiam hoc fieri potest, quia ultra animam rationalem ex qua componitur potest habere animam rationalem pariter quae in ipso subiectetur.
An persona sic recte definiatur: est id cui inest interne personalitas vel non
Da cui insit interne personalitas et non est persona? natura humana Christi item haec personalitas.
Quarto modo personalitas debet inesse personae? ordinarie inest quarto modo per se. Persona non tamen semper
Declara primum? quia inest ipsi ordinarie tanquam pars essentialis metaphysica.
Declara secundum: non inest ipsi semper quarto modo per se? quia personalitas non semper est pars formalis personae, sed aliquando est tantum pars integralis per se respectu personae.
Da personalitatem quae est pars integralis per se personae: talis est personalitas respectu Christi, quia personalitas divina in Christo non est forma respectu naturae humanae.
Quid suppositum brutum? est suppositum non intellectuale. ut equus, galatea.
An sola bestia? non, sed etiam pars ligna, et reliqua corpora quae non sunt partes integrales proprie dictae.
Quid personalitas? suppositalitas naturae intellectualis. ut per-

Qualitas petri, item huius angeli.
Da subsistentiam naturae intellectualis quae non est personalitas:
subsistentia animae rationalis.
Defini essentialiter personalitatem: non potest, quia eadem sub-
sistentia modo potest esse personalitas modo subsistentia partia-
lis ex antedictis.
Da subsistentiam quae potest esse personalitas et subsist-
entia pura: personalitas divina filii in divinis.
Quae actio est necessaria ut subsistentia pura fiat personalitas?
non est ad hoc aliqua actio necessaria, quia fit personalitas modo
per ablationem alicuius unionis integralis ut in totali sub-
sistentia petri excepta subsistentia manus, nunc est subsistentia
pura, fiet autem personalitas cum manus auferatur.
An personalitas sit unica simplex subsistentia an vero compo-
sita ex pluribus? aliquando unica simplex subsistentia, aliquan-
do vero componitur ex pluribus subsistentiis.
Da personalitatem compositam ex pluribus subsistentiis: totalis
personalitas petri, quia componitur ex subsistentiis materiae pri-
mae et animae rationalis, item ex subsistentia capitis, pectoris etc.
Da personalitatem quae est unica et simplex subsistentia: perso-
nalitas divina.
Da talem creatam: personalitas angeli.
An suppositalitas pura possit dividi in simplicem et compo-
sitam? non, quia non datur suppositalitas pura quae sit omnino
simplex.
An sit possibilis talis suppositalitas? imo quia talis suppositali-
tas posset fieri personalitas divina si assumeret Deus naturam
irrationalem.
Da quod sit suppositum purum et personam: naturaliter non datur.
An possit dari per Deum? imo.
Quomodo enim per Deum non possit fieri ut eadem natura sit
intellectualis et non intellectualis? non refert.
Declara hoc, non debet fieri ut idem sit persona et suppositum
purum? quia hoc potest fieri si duae naturae una intellectualis
et altera non intellectualis terminentur eadem suppositalita-
te.
Quomodo hoc posset fieri cum sic etiam posset fieri quod homo
sit brutum? consequenter admittendum est hoc etiam posse
fieri.
Quomodo enim sic illa propositio homo est brutum non esset
impossibilis sed contingens? illa propositio solum esset impossi-
bilis in ordine ad potentiam naturalem, in ordine vero ad Deum
illa est tantum contingens, quia si homo assumeret naturam
bruti tunc fieret brutum sicut Deus factus est homo dum assum-
psit naturam humanam. Aliis vero probatum est divinitus
posse fieri ut eadem subsistentia creata terminet duas
naturas creatas, illa autem doctrina probabilis per suppositalitatem non

est difficultas in eo quod homo, quod dici fiat brutum.
An persona debeat esse individuum? non, quia homo in genere.
item angelus in genere, quae universalia sunt, etiam sunt personae.
Quomodo enim persona recte sic definiatur rationalis naturae in-
dividua substantia? non recte.
Quomodo enim per hoc significatur quod persona debeat esse indi-
vidua? Ergo.
Quid ergo individuum in antedata definitione personae? idem quod
incommunicabilis incommunicabilitate propria suppositi.

An voces substantiales significent principaliter suppo-
situm an naturam metaphysicam? aliquae principaliter
naturam tantum, aliquae vero suppositum tantum, aliae
quae utrumque aliquid resultans.

Da vocem significantem principaliter suppositum tantum:
vox Petrus.
Da vocem significantem principaliter tantum naturam: talis
est illa vox natura.
Da vocem significantem principaliter utrumque tam naturam
quam suppositum: vox homo.
Da vocem substantialem quae nec principaliter significet na-
turam nec compositum metaphysicum: vox subsistentia, idem
personalitas.
Quaeritur est vox homo concreta an abstracta? est utrumque
in diversa significatione principali, quia quando significat prin-
cipaliter naturam humanam tunc est vox concreta de-
nominativa, quando vero principaliter significat suppositum
tunc est vox abstracta.
Quaeritur vox est vox homo respectu Petri et Christi? est
univoca et etiam aequivoca. quando sit univoca respectu istorum? quando utrique tribui-
tur in illa significatione principali in qua principaliter signifi-
cat naturam humanam.
An possit esse univoca supposito quod tribuatur in illa signi-
ficatione in qua principaliter significat suppositum? imo si una-
fiet si tribuatur utrique in ista significatione principali in qua
significat principaliter compositum ex natura humana et
subsistentia ipsi correspondente sive illa sit divina sive hu-
mana.
Quando vox homo sit aequivoca respectu Petri et Christi: quando
alteri eorum tribuatur in ista significatione principali in qua
principaliter significat naturam, alteri vero in ista in qua prin-
cipaliter significat suppositum.
An vox homo sic possit esse aequivoca respectu Petri et Pauli?
imo.
An vox homo sit etiam aequivoca respectu Petri et Christi
sumendo abstractive? imo, sic intelligendo: Petro tribuatur sic in
illa significatione principali in qua significat principaliter com-
positum ex natura et subsistentia, Christo vero in ista in

quia principaliter significat compositum ex natura et sub-
sistentia in genere substantia a divina et humana.

De Deo

An possit per naturalem rationem probari dari Deum? Affirmo. Unde illi qui hoc negant non tantum sunt absurdi sed et stupidi.

Proba per rationem naturalem posse probari dari Deum: probatur efficacissime ex sacra scriptura quae indicat gentiles fuisse inexcusabiles ex eo quod Deum non coluissent, ergo gentiles illi per rationem naturalem cognoverunt dari Deum.

An ex illo loco scripturae colligatur quod gentiles cognoverint dari Deum demonstrative? Non, quia ut essent inexcusabiles non requirebatur cognitio per demonstrationem, sicut filii sunt inexcusabiles si non honorent parentes, item subditi si non honorent suos principes, licet non cognoscant per demonstrationem illos esse parentes aut principes.

An nihilominus non possit probari demonstrative dari Deum? Affirmo. quia probatur hoc argumento

Omne ens est productum vel improductum, atqui
non omne ens est productum, ergo
datur ens improductum, atqui
ens improductum est Deus, ergo
datur Deus.

An omnes praemissae et consequentia istius argumenti sint evidentes? Affirmo.

Proba maiorem, omne ens est productum vel improductum, quia productum et improductum contradictoria sunt quae nullum proinde habent medium, ergo alterutrum potest affirmari de quolibet ente.

Proba dari aliquod ens improductum: quia si omne [illegible] ens esset productum vel esset productum a se vel ab alio, neutrum vero istorum potest dici.

Quomodo enim probabile sit quod idem possit producere se ipsum primo instanti suae existentiae? Ita quidem si in priori naturae habeat suum esse ab aliqua alia causa, alias non, est enim inconceptibile quod id quod non est det sibi ipsi esse.

Proba non omne ens esse productum ab alio: quia si essent tantum quinque entia et in rerum natura esset impossibile ut illa quinque essent omnia producta ab alio, ergo idem erit dicendum de centum millibus vel etiam centum millionibus entium, est enim par ratio.

proba quod si darentur tantum quinque entia esset impossibile
ut omnia essent producta ab alio? quia si essent producta ab alio,
vel illud aliud esset extra istum numerum quinarium, vel
intra illum, neutrum vero potest dici.
Cur nequit dici quod illud aliud esset extra numerum quina-
rium? quia ex supposito sunt tantum illa quinque.
Cur nequit dici quod omnia sint producta ab aliquo contento
in isto numero quinario? quia sic aliquid ex istis quinque vel
debuisset se ipsum primo immediate producere vel saltem
mediate, neutrum vero istorum potest dici, nec de immediata pro-
ductione ante ostensum est.
Quare nequit aliquid producere se ipsum mediate, ut si pri-
mum produceret secundum, secundum tertium, tertium quar-
tum, quartum quintum, et quintum primum? quia sic etiam
illud primum in illo priori instanti naturae quo deberet esse prius
secundo quod producit deberet esse, et non esse simul, hoc vero
impossibile est.
Cur deberet esse? quia alias non posset secundum producere.
Cur deberet non esse ~~[illegible]~~ pro tunc? quia demum est pro-
ducendum primo post quintum.
Da optimam solutionem ad istud argumentum quae dari potest:
optima est si dicatur omne ens esse ab alio productum sic
ut non possit deveniri ad ullum primum improductum, quia
sunt entia producta successive in infinitum, unde sicut nequit
deveniri ad finem a parte post, ita non potest deveniri ad ini-
tium a parte ante, ac proinde non est necesse devenire ad aliquod
ens improductum.
An illa solutio sit probabilis? non, si enim hoc admitteretur
tunc non maneret amplius demonstratio.
quid ergo respondendum ad illam solutionem? dicendum est licet
non possit perveniri ad initium infiniti per partes successivas
finitas, poterit tamen deveniri si procedatur per partes
infinitas, ergo sic saltem procedendo deveniendum est ad ali-
quod ens improductum
proba demonstrabiliter dari deum: quia debet dari aliquod ens
summe necessarium, illud autem ens est deus.
Cur nequit dici quod omnia entia sint contingentia? quia si
potuisset fieri ut nullum ens esset in rerum natura, si
vero nullum ens esset in rerum natura nullum ens posset
post existere, non enim daretur ens a quo acciperet suum
esse, et sic nos omnes fuissemus entia tam possi
Da optimam solutionem ad illud argumentum quae dari potest:
si dicatur quod aliquod ens in confuso sit necessarium et
consequenter semper existat in rerum natura, nullum vero
determinate, sicut altera contradictoriarum necessario est
vera indefinite, nulla vero determinate, quia utraque contingens est
An illa solutio probabilis sit? non, hoc tamen melius ostendi

non potest quam probando dari aliquid quo impeditum quod in particulari seu potius in infinitudo necessarium est.
Quomodo probatur demonstratio dari deum cum dentur hoc mundo qui hoc negant? non refert.
Quomodo cum illa quae sunt evidentia non negentur ab ullo sano mente? distinguo: illa quae sunt omnino evidentia sine ullo discursu ut hoc et similes propositiones, duo et tria sunt quinque, illa a nemine sano mente negantur. aliqua vero sunt evidentia mediante discursu aliquo modo operoso, et illa, sive propter tarditatem ingenii, sive aliquando etiam propter malorum affectum subinde negari possunt.
An ex regimine universi recte colligant athei non dari deum? non, imo ex universi pulchritudine, et optimo ordine qui cernitur in gubernatione universi potius colligitur contrarium, nempe quod detur deus.
Quomodo cum ad deum pertineat impedire ne exaltentur mali in hoc mundo et deprimantur boni? nego, quia utrumque potest deus permittere ob iustissimas causas.
cur deus permittit deprimi bonos? in primis propter illorum peccata, secundo ut habeant occasionem patientiae aliarumque virtutum.
cur iudicio permittit malos exaltari? in primis ut compenset aliqua ipsorum bona opera, secundo ut ostendat non esse bona haec temporalia tam multum aestimanda utpote quae deus saepe solet inimicis suis tribuere.
An ratione naturali demonstretur deum esse unicum? imo.
An possit hoc tam clare demonstrari quam quod detur deus? non, unde aliqui antiqui licet concesserint aliquem esse deum, finxerunt tamen multitudinem deorum.
Demonstra eo modo quo potest dari unum deum? quia deus est perfectissimum ens, perfectissimum ens tantum potest esse unicum, ergo tantum potest unicus deus, quod deus sit ens perfectissimum probatur infra.
proba perfectissimum ens tantum posse esse unicum: quia perfectissimum ens debet continere omnem perfectionem formaliter vel eminenter, non potest vero dari nisi unicum, omne sive quod contineat omnem omnino perfectionem.
Cur nequeunt esse plures dii quorum quilibet contineat omnem perfectionem? quia vel unus continebit omnem eandem perfectionem quam alter, vel non, si continet omnem eandem perfectionem, tunc sicut personae divinae, omnem eandem perfectionem continent, tunc non erunt plures dii, sed tantum unus deus, sicut tres personae sunt unus deus. si vero unus istorum deorum contineret aliquam perfectionem quam alter non contineret, neuter esset summe perfectus, et consequenter neuter esset deus.
An possit demonstrari deum esse trinum in personis per rationem naturalem? non, sed sola fide credimus id mysterium.

per quod possimus pervenire in notitiam trium personarum
divinarum.
Cur per effectus dei non potest trinitas personarum dici? quia
effectus qui procedunt a deo non procedunt ab eodem prout pre=
cise est trinus, sed prout est unus in essentia, quia procedunt
ab omnipotentia communi tribus personis.
An saltem possit ratione naturali probabili ostendi quod sint
tres personae divinae? non, quia nulla potest assignari talis ra=
tio probabilis.
Quid deus? est ens a se.
Quid ens a se? est ens reale quod non est aptum dependere ab
alio tanquam causa efficiente.
Per quid excluduntur entia rationis? per illud ens reale.
Per quid excluduntur entia mere possibilia? per illud ineptum de=
pendere ab alio, quia licet entia mere possibilia non dependeant
actu ab aliquo tanquam causa efficiente, nihilominus sunt
apta ab aliquo sic dependere.
An secunda persona divina contineatur definitione dei? imo.
Quomodo cum habeat suum esse a patre? non refert, quia non ha=
bet suum esse ab illo cum dependentia.
An definitio dei sit essentialis? imo.
An ergo deus non sit ens positivum? imo.
Quomodo cum definitio dei detur per negationem? nego, quia
illud a se capitur fundamentaliter pro quadam aliquo positivo
ex quo profluit ineptitudo ad dependendum ab alio tanquam cau=
sa efficiente.
Quomodo valet definitio dei cum contineatur aliquod univer=
sale? in eo non est inconveniens.
Da universale contentum definitione dei: persona divina.
Da contentum definitione dei quod non est deus: non datur, sicut
non datur contentum definitione hominis quod non sit homo.
Quomodo cum paternitas in divinis contineatur, et tamen
non sit deus? paternitas in divinis etiam a parte rei deus est, et
sic non est mirum quod definitione dei con-
An illa definitione exprimantur omnes partes essentiales dei?
potest dici quod sic, et etiam quod non.
Quo fundamento potest dici quod non? quia potest dici quod deus
involvat in essentia [illegible] spiritualis, et perfecte quod sunt diffe=
rentia constitutiva substantiae in genere.
Quo fundamento potest dici quod illae differentiae non involvantur
in essentia dei? quia potest sustineri quod illae resultent ad dif=
ferentiam ipsius dei quae est a se per modum proprietatum, et
sic non erunt opus illas educi tanquam inclusas in sua essen=
tia.
An deus non habeat aliquas partes? distinguo: deus non habet par=
tes reales, habet tamen secundum rationem.
In quo genere? in genere logico et metaphysico.

declarabo non impediri quominus deus sit a se quia a partibus secundum rationem tantum non potest esse deus et realiter dependere.

Quid attributum dei? aliquid quod vere potest deo attribui, frequenter stat pro aliquo attributo ratione distincto, et accidentaliter competente.

Da primum dei attributum: deus est realiter simplex, quia deus non habet partes reales, quia illas non posset habere sine imperfectione, tum quia totum dependet a partibus realibus, tum etiam quia vel illae partes essent deus vel non; si non essent deus ex illis non posset deus fieri; si vero singulae essent deus, tunc darentur plures dii.

An deus sit simplex secundum rationem? non, quia secundum rationem componitur ex genere et differentia.

An deus non esset perfectiori modo simplex si esset simplex secundum rationem? magis tunc quidem esset simplex, sed non esset sub tam perfectum, quia summa dei perfectio requirit ut deus sit virtualiter multa, adeoque componatur secundum rationem.

An esse ~~realiter~~ simplex sit attributum omnino proprium dei? non, quia convenit etiam multis creaturis, ut naturae angeli, item intellectus.

Da rem materialem realiter simplicem: indivisibilis albedo.

Da aliud dei attributum: deus est realiter immutabilis.

Cur dicis realiter? quia secundum rationem potest dici quod deus mutetur.

Da mutationem rationis in deo: transitus quo deus transit a privatione relationis creationis ad illam relationem.

Cur deus nequit mutari realiter? quia quod realiter mutatur debet aliquam realem [redacted] perfectionem acquirere, vel aliquam amittere, utrumque vero repugnat summae perfectioni dei.

An deus non possit sibi unire albedinem? videtur quod sic, quia de facto univit sibi naturam humanam, videtur ergo quod eadem ratione posset sibi unire albedinem.

An deus illo supposito non mutaretur ad albedinem? non, quia eandem non fieret subiectum albedinis quia non acquireret novam perfectionem per albedinem, hoc vero requiritur ut aliquid mutetur.

An esse realiter immutabilem sit attributum plane proprium dei? non, quia convenit etiam sanctis modis qui non possunt ullam formam realem acquirere vel deperdere, convenit etiam illis rebus quae tantum existunt unico instanti.

Da aliud dei attributum: deus est summe perfectum, quia deus habet omnem perfectionem formaliter vel eminenter, formaliter quidem illam quae nullam adnexam imperfectionem, eminenter vero reliquas.

Cur deus debet sic habere omnem perfectionem? quia quod

habet perfectionem limitatam tantum, ideo illam habet quia est limitatum a sua causa efficiente, deus vero non habet causam efficientem.

An illud attributum sit plane proprium deo.

An ergo non convenit creaturis infinitas? non, quia illa necessario habet aliquam imperfectionem videlicet dependentiam ab alio.

Da quartum dei attributum: deus est eternus.

Quomodo est eternus a parte ante an a parte post? Utroque modo.

Proba esse eternum a parte ante: quia nisi esset eternus a parte ante deberet aliquando non fuisse, et sic non potuisset postea habere esse, nisi ab aliqua causa efficiente, hoc vero deo repugnat, quia ab omni causa efficiente independens est.

Proba similiter deum esse eternum a parte post: quia alias deus deberet posse desinere esse, quia nisi desineret esset eternus.

Cur nequit deus desinere esse? quia id quod desinit esse per hoc desinit esse quod causa efficiens eius subtrahat suum influxum conservativum.

An aliquid non possit alterum destruere quod non dependet ab ipso? imo sic petrus potest occidere paulum, licet paulus non dependeat a petro.

Quomodo ergo destructio sive desitio rei debet fieri per subtractionem influxus conservativi? non debet quidem determinate fieri per hoc quod illud ipsum agens quod destruit subtrahat suum influxum conservativum, ut recte probat obiectio, sed vel illud ipsum agens quod destruit debet suum influxum conservativum subtrahere vel saltem aliquod aliud agens determinare ut illum influxum conservativum subtrahat, licet vero prius non contingat quando petrus occidit paulum, contingit tamen posterius, quia petrus per suam actionem tunc determinat deum ut ipse subtrahat suum influxum conservativum terminatum ad paulum.

An esse eternum sit attributum proprium deo? imo, unde nulla creatura est eterna a parte ante, sicut deus, aliquae tamen creaturae erunt eternae a parte post, ut angeli, item homines post diem iudicii.

Da aliud dei attributum: deus est ubique praesens.

An hoc probetur demonstrative per rationem naturalem? imo.

Proba sic: quia deus non potest esse in uno loco tantum, ergo debet esse in omni.

Unde probas quod deus non tantum possit esse in coelo? quia esse sic affixum certo spatio vel loco sic ut non possit esse extra illud, est imperfectionis compatiens prius modis, ita quod etiam res creatae perfectiores non sint sic alligatae certae parti spatii vel loci, ergo multo minus perfectissimum

deus potest sic esse limitatum.
Cur negatur dici quod deus possit modo esse in uno loco modo
in alio sic ut non simul in duobus? quia sic deberet deus esse
mutabilis quoad locum, hoc vero facit imperfectionis.
An deus etiam sit extra totum hoc universum? imo ut vere extra
ultimam superficiem summi coeli est adhuc deus, quia posset
condere novum mundum, atqui tunc deberet esse tam bene in
isto mundo quam in hoc, ergo dicendum quod etiam iam sit ibi,
quia alias deberet eo venire per motum localem qui deo re-
pugnat.
An ergo deus recte dicatur esse in spatiis imaginariis? secun-
dum illos qui dicunt spatium imaginarium esse ens rationis
negatur hoc dici, quia deus negatur esse magis in illis spatiis tunc
quam possit esse in chimaeris, nemo vero dicit deum esse in
chimaeris, quia sic chimaera deberet esse.
Ubi ergo erat deus antequam conderet mundum? in se ipso,
sicut idem est in se ipso extra totum hoc universum
Da aliud attributum? deus est omnipotens
Quid omnipotentia dei? est potentia ad producendum omne
producibile.
An sit potentia faciendi omne id quod non implicat contra-
dictionem? non, quia deus ipse non implicat contradictionem et
tamen potentia dei non extendit se ad efficiendum ipsum deum,
quia deus factibilis non est.
An omnipotentia dei sit idem quod voluntas dei? est idem
quidem a parte rei cum voluntate dei, sed non secundum
rationem, quia sicut in creatis voluntas distinguitur
realiter a potentia executiva, ita in deo distinguitur secun-
dum rationem omnipotentia a voluntate divina.
An in deo detur intellectus? imo quod iterum non tantum
probatur ex fide sed etiam per rationem naturalem.
proba dari intellectum in deo! quia deus habet omnem per-
fectionem quae non adducit imperfectionem.
Quotuplex scientia datur in intellectu divino? triplex.
scientia simplicis intelligentiae qua deus cognoscit omnia
possibilia, item scientia conditionata qua cognoscit futura
contingentia sub conditione, tertia scientia dei vocatur scien-
tia visionis qua deus cognoscit futura absoluta.
Quomodo illae scientiae distinguuntur in deo? tantum secun-
dum rationem quia omnes identificantur realiter ipsi deo
nec est ullum fundamentum realis distinctionis inter illas.
Quomodo scientia dei qua scit nos hic iam esse identifica-
tur deo realiter cum potuerit a deo abesse, si videlicet
nos fuissemus iam iteri ambulatum? tali casu fuisset
quidem scientia eadem a parte rei, sed non fuisset termi-
nata ad eadem obiecta ad quae iam terminatur.

An terminatio illa qua scientia dei terminatur ad obiectum non identificetur cum essentia dei realiter? imo.
An illa potuerit non esse in scientia dei? sub formalitatione terminationis istius potuisset non esse, sed videlicet scientia illa non fuisset terminata ad illud obiectum, sed ad verum aliud, sed propterea non colligitur quod illa terminatio realiter distinguatur a scientia, quod sicut similitudo albedinis potest abesse ab albedine licet a parte rei identificetur isti albedini, ita etiam conformiter dicendum cum illa terminatione.
An in deo sit admittenda voluntas? imo.
proba per rationem: quia est eadem ratio de voluntate quae est de intellectu.
An voluntas dei habeat varios actus? imo, habet amorem et odium. aliqui etiam ex illis actibus in deo sunt liberi quoad terminationem, licet non sint liberi quoad suum esse.
An non dentur alia attributa in deo? imo, plura quae enumerantur a theologis, quod sit invisibilis, ineffabilis etc.

De Angelis

An eadem sint angelus et intelligentia? imo.
Quid angelus? substantia creata spiritualis intellectiva completa.
Cur dicis substantia? ut excludatur intellectus angeli.
Cur dicitur substantia creata? ut excludatur deus.
Cur dicitur spiritualis? ut excludatur homo qui materialis est
Per quid excluditur anima rationalis? per particulam completa, anima rationalis enim est substantia physice incompleta.
Defini aliter angelum: persona creata spiritualis, deus excluditur quia non est creatus, homo excluditur quia non est spiritualis, reliqua vero non excluduntur quia non sunt personae.
Unde constat dari angelos? efficacissime probatur ex scriptura, proinde potest esse controversia.
An hoc efficaciter probetur per rationem naturalem? non.
Cur hoc non probatur efficaciter ex eo quod angeli pertineant ad perfectionem universi? quia non potest ostendi quod angeli magis pertineant ad perfectionem universi quam corpus physice simplex.

iam vero ordinarie negatur quod corpus physice simplex per-
tineat ad perfectionem universi quia de facto non datur tale
corpus ut habet probabilior sententia.
An ex energumenis seu obsessis a diabolo non sufficienter colliga-
tur dari angelos? non.
Unde possumus scire quinam sint energumeni seu obsessi a dia-
bolo? resp. hoc valde difficile est quia diabolus saepe non ma-
nifestat se satis clare, et saepius aliqui nebulones se fingunt ob-
sessos ut melius acquirant eleemosynas vel ob aliquos alios fines.
Quaenam sunt indicia magis verisimilia obsessionis istius?
in primis si loquantur linguis peregrinis quas obsessi ante non
noverunt; unde si misera aliqua muliercula incipiat loqui graece
latine etc. signum est illam esse obsessam; item si sit immo-
bilis ex loco, aut similia, faciat quod naturaliter facere non
potest, et non sit causa cur talis effectus possit referri
in deum vel angelum bonum.
Probatur tamen ex eo non efficaciter colligi dari angelos:
quia omnes illi effectus possunt provenire et ab solis anima-
bus rationalibus separatis.
Quomodo enim anima rationalis in corpore non possit illud reddere
immobile? licet una anima hoc non possit, multae tamen
possent se simul iuvare.
Da primum attributum illorum: angeli sunt ingenerabiles,
et incorruptibiles, quia nequeunt generari per se primo
nec etiam per partem.
Cur nequeunt generari per se primo? quia quod generatur
per se primo debet esse forma, angeli vero non sunt formae.
Cur angeli nequeunt generari per partem? quia non datur
illa pars in angelo quae possit transire a privatione unius
partis ad istam alteram partem.
quare natura angeli non potest transire a privatione subsiste-
ntiae ad subsistentiam? quia naturaliter loquendo natura ipsa sem-
per et necessario habet subsistentiam sibi correspondentem.
An per deum saltem angelus non possit esse generabilis per
partem? imo quia per deum angelus potest transire a priva-
tione subsistentiae ad subsistentiam, et ob eandem rationem an-
geli non sunt corruptibiles nec per se primo, nec per partem.
An saltem angeli sint generabiles et corruptibiles subiective?
imo, sicut in simili de materia prima dictum est, possunt
enim esse subiectum generationis et corruptionis accidenta-
rie.
Da aliud attributum: angeli sunt physice et integraliter simplices,
quia sunt spirituales, ergo nequeunt componi ex materia prima,
sicut debent componi corpora naturalia sive composita praeci-

debeb.
An saltem angeli non componantur ex partibus essentialibus realiter stricte distinctis? non.
An implicat creaturam spiritualem sic componi? non.
probo non implicare: non implicat vero materialem sic componi ut patet in corpore naturali, ergo poterit etiam sic componi vero spiritualis.
unde ergo scis de facto angelum sic non componi? maxime ex authoritate theologorum, et hac ratione quia non est admittenda compositio realis stricte in angelis sine necessitate quae hic non apparet.
An implicat substantiam spiritualem componi integraliter? non quia de facto [illegible] componuntur accidentia spiritualia ut sunt habitus intellectus et voluntatis, maxime illi qui sunt supernaturales, ergo non implicat ~~[illegible]~~ substantiam spiritualem integraliter componi.
unde ergo scis de facto angelos sic non esse integraliter compositos? etiam hoc potissimum [illegible] ob authoritatem et hanc rationem, quia non est admittenda compositio integralis sine necessitate quae hic non apparet.
Da aliud attributum: angeli sunt intellectivi, et liberi.
unde probatur libertas angelorum? efficacissime ex scriptura et ex fide.
Collige hoc ex fide: quia fides docet aliquos angelos bene fecisse, et aliquos male, sed vero nec bona opera, nec etiam mala potuerunt esse facta sine libertate.
An ex eo colligatur quod angeli sint intellectivi? imo, quia obiectum actus liberi debet proponi voluntati per intellectum, ergo in angelis admittendus est intellectus.
proba aliqua ratione naturali angelos esse intellectivos et liberos: quia homines sunt intellectivi, et liberi qui tamen sunt notabiliter imperfectiores angelis, ergo [illegible] de angelis.
Da aliud attributum: aliqui angeli sunt eiusdem speciei aliqui diversi.
An sint possibiles angeli eiusdem, et aliqui diversae speciei? imo.
unde probas? quia sunt possibilia aliqua corpora eiusdem speciei, et aliqua diversae, quia de facto talia dantur, ergo idem videtur dicendum de spiritibus, sive de angelis.
unde probas de facto dari aliquos angelos eiusdem speciei et aliquos diversae? non potest aliter probari quam authoritate theologorum, quia res illa pendet a libera dei voluntate de qua nihil possumus scire per rationem vel experientiam.
Da aliud attributum angelorum: angeli sunt in loco definitive, quia angeli secundum idem sui occupant plura spatia

contigua non tamen omnia
Unde probas angelum non existere in unico puncto tantum?
exemplo animae rationalis quae replicatur per totum corpus
ergo dicendum quod angelus habeat certum spatium extensum
per quod possit se replicare sicut habet anima rationalis quae
est angelo imperfectior
Unde probas angelum non occupare locum infinitum? quia
fortasse infinitum actu est impossibile et ut sit possibile
videtur hoc esse nimis maioris perfectionis quam ut attri-
buatur angelis.
An omnes angeli habeant aequalem sphaeram per quam se possint
replicare? non sed quo sunt perfectiores eo verisimilius est
quod habeant maiorem sphaeram per quam se possint replicare.
An hoc non sit certum? non.
Quomodo tum perfectior essentia habeat perfectiores pro-
prietates? non est necesse quod res perfectior in omnibus
suis proprietatibus excedat imperfectiorem sed ut homo
est perfectior coelo item equo multo bove, et tamen illa ex-
cedunt hominem in aliqua perfectione quia coelum est in-
corruptibile, homo non, similiter equus est multo fortior ho-
mine
Cuius figurae est illud spatium per quod angelus se potest
replicare? rotundae.
Cur potius quam figurae quadratae vel alterius? quia ange-
lus existens in puncto tantum est aequaliter activus respectu
unam situs differentiam quam respectu alteram, ergo si agat
respectu quamlibet situs differentiam aequaliter agit per spa-
tium sphaericum.
An angelus omnes suas potentias quas potest simul
habere non possit distendere per sphaeram eius? non, alioquin
angelus qui haberet pro sua sphaera tantum spatium imagina-
bile quantum est locus (?) posset simul esse hic et Parisiis,
immo etiam Romae et ultra, hoc vero falsum est.
Quanta ergo potest esse extensio istius loci quam angelus
potest simul occupare? non potest esse maioris extensionis
quam diameter totius sphaerae per quam potest se simul re-
plicare unde qui posset esse replicatus simul per totum
Lovanium non posset simul esse replicatus per lineam longio-
rem quam sit illa quae ducitur a porta Mechliniensi ad Hevera-
lem.
Da aliud attributum angelorum: angeli movent se localiter
quia probatur exemplo animae rationalis quae se transfert
de uno loco ad alterum, efficacius vero probatur ex Scrip-
tura.
An moveant se angeli localiter per potentiam realiter distinc-

tamen est immo quia non est ullo modo verisimile subsistentiam
angeli esse partem talis potentiae loco motivae, ergo realiter
illa potestas debet esse distincta a toto angelo.
An illa potentia loco motiva distinguatur realiter a natura
angeli? creditum est, sicut hoc creditum est de anima rationa-
bilium videlicet potentias illius intellectus et voluntas etc distin-
guuntur realiter ab ipsa an non.
Quomodo moveant se angeli in instanti an successive? utroque modo
videlicet inter aliqua spatia motus illorum necessario est succes-
sivus, inter alia necessario instantaneus, inter alia vero est
est instantaneus vel successivus pro libitu ipsius angeli.
Da spatia a quorum uno ad alterum angelus non potest moveri
nisi successive: spatium hic et spatium romanum, cum enim
angelus non habeat sphaeram tam magnam ut possit se extendere
hinc usque romam necessario consequitur ipsum debere successive
moveri et non in instanti si velit hinc usque ire romam.
Da spatia inter quae angelus debet moveri in instanti tantum?
si moveatur ab uno spatio indivisibili ad aliud spatium indivisi-
bile contiguum.
Da spatia inter quae angelus potest pro libitu moveri in
instanti et successive: duo spatia quae sunt in distantia intra
sphaeram ipsius angeli, ut si angelus aliquis habeat sphaeram
applicationis tam magnam quam sit totum Lovanium talis
angelus posset moveri a porta mechliniensi ad portam bruxellen-
sem in instanti.
proba: quia non potest assignari ratio ob quam ad unum
vel alterum motum necessitetur.
An tali casu angelus possit ab una porta possit transire
ad aliam non transeundo per forum? immo si vadat per instans
Quomodo ergo debent agere in distans non agendo per
medium? ergo ad sensum istius axiomatis quia axioma illud
non vult quod agens debeat successive agere per medium
mediam? sed ad veritatem istius axiomatis sufficit si agens
agat per spatia contigua recte vero an oblique non refert.
An angelus hoc instanti existens per totum Lovanium posset
sequenti existere in bruxellensi porta tantum et distensus non
hoc non potest fieri.
Quomodo saltem per totum forum? quia si existeret per
totum forum per hoc non esset in locis ~~discontiguis~~ discontiguis
esset vero in locis discontiguis si esset in locis antedictis
ita ut non esset in spatiis intermediis.
An ille idem angelus existens hic per totum Lovanium

tantum non possit existere in maioribus tantum? Imo.
Cur ergo eadem ratione non possit esse in porta Bruxellensi et distensi tantum? quia priori casu tantum est in locis contiguis mediate scilicet seu immediate, in altero vero casu est in locis discontiguis.
Cur nequit esse in locis discontiguis? quia ordo destructionis opposito modo se habet ad ordinem generationis. Unde sicut quando agens agit primo saltem naturaliter debet agere in partibus vicinioribus et deinde in spatium remotius, ita etiam quando effectus aliquis est destruendus ab eodem agente supposito quod continuo ab eodem dependeat, prius saltem naturaliter debet destrui in spatio remotiori quam in propinquiori. Iam autem angelus constitutus per totum locum medium non potest in porta distensi existens incipere facere illam destructionem in spatiis illis omnibus intermediis relicta praesentia ad portam Bruxellensem, sed potius debet a destructione illius praesentiae incipere, cum quia non velit illam continuare cum aliis praesentiis.
An angeli tantum ~~non~~ possint localiter movere se ipsos an vero alias res? etiam alias res, etiam corpora, ut patet ex Scriptura.
An corpora possit angelus eadem velocitate movere qua se ipsum? non, unde licet ipse possit esse hinc usque Bruxellas solum antequam possit eo ferre istum lapidem, quia illud corpus non potest replicari, unde per singula spatia debet transire successive, angelus vero se ipsum per notabile spatium ~~[illegible]~~ potest replicare, unde ostenditur ille qui haberet sphaeram replicationis tam magnam quam sit totum longitudinis spatio octo instantium hinc usque Bruxellas.
An angeli possint movere corpora quantumvis magna? Verisimile est quod non, quia habent limitatam virtutem ad movendum corpora. Unde non credo quod possint castra montium hominibus aut etiam jaculari cum tormento bellico sicut nos cum bombarda, nihil tamen certi de eo affirmari possumus.
An unus angelus possit movere alium angelum? Imo.
Quomodo volentem, an invitum? in primis volentem fortiorem vel aeque fortem non potest movere invitum, sicut unus homo non potest fortiorem se invitum movere.
An plures angeli non possint simul esse in eodem loco? non.
Quomodo ergo unus potest alterum ex loco expellere? non expellit ipsum sicut unum corpus expellit alterum per hoc quod occupet locum alterius, sed quia imprimit ipsi impetum

Qui alter debet cedere.
An angelus possit alterum continere in loco ne possit inde exire? imo si imperfectior videlicet ipsi tam fortem impetum faciat ut alter non possit illum superare.
An angeli sint formaliter in loco per operationem? non.
An ergo essent in loco si non operarentur in illo? imo, quia probatur ex corporibus quae bene sunt in loco licet nihil operentur in illo.
Per quid angeli sunt formaliter in loco? per praesentiam localem, quia per illam corpora sunt formaliter in loco ergo dicendum quod etiam angeli per suam praesentiam formaliter sunt in loco.
Da aliud attributum: angeli habent ab initio creationis species intelligibiles sibi a Deo infusas.
Unde probas intellectum angeli indigere speciebus intelligibilibus ad intelligendum? probatur a simili, quia illis indiget intellectus humanus et hoc probatur iterum a simili de visu qui indiget specie visibili ad videndum, ergo intellectus angeli indiget specie intelligibili ad intelligendum.
Sed ergo sit omnino certum angelum uti specie intelligibili? non, imo ne quidem in homine est hoc absolute certum. probat: quia aggregatum ex intellectu et specie intelligibili finitae perfectionis est, ergo nihil vetat dari intellectum qui per se possit sine specie totum quod aliquis alius potest cum specie, incertum vero est an talem intellectum non habeat angelus.
Unde probas quod angelo infundantur illae species in initio creationis? quia non decebat ut angeli essent instar statuarum ab initio rudes.
Quarum rerum species sunt angelis infusae ab initio? de eo etiam nihil certi possumus determinare, videtur tamen verisimile, in primis quod habuerint species praecipuarum rerum naturalium.
An habuerint tot species quot sunt obiecta quae per illas possint cognosci? non, quia per unicam speciem possunt cognosci plura obiecta sicut per unum conceptum formalem plura obiecta possunt intelligi.
An per unicam speciem intelligibilem possint intelligi omnia entia? difficile est ostendere implicantiam in tali specie intelligibili, quia de facto per unum simplicem intellectum beati repraesentantur omnia.
An angeli accipiant aliquas species intelligibiles ab obiectis? de eo nos non possumus quidquam certi affirmare.
An saltem non sit certum quod non accipiant species

intelligibiles? non.

Quomodo enim certum sit quod obiecta materialia non possint agere in intellectum angelicum? neque esse dictum.

Quomodo enim non possint producere rem spiritualem? incertum est an hoc non possint, si videlicet iuventur ab alia causa spirituali quae in proposito potest esse intellectus angelicus, sicut in proposito phantasia in homine concurrit cum intellectu ad producendam speciem intelligibilem in intellectu. Ratio autem istorum cur hoc sit incertum: quia videtur posse dari aliquis angelus qui sic accipiat species ab obiectis, et videtur etiam posse dari talis qui non accipiat. Quales vero sint ipsi angeli qui de facto dantur, an videlicet de genere eorum qui accipiant tales species, an vero de genere illorum qui non accipiunt, nos ignoramus; et ignoramus quia non habemus ullum principium alicuius momenti dicendi potius unum quam alterum.

Da sequens attributum: angeli sunt in continuo actu intelligendi.

Quomodo enim non intelligant quando dormiunt? quaestio est: nunquam dormiunt. Hoc vero non tantum verum est de facto in angelis beatis et damnatis, sed etiam de angelis constitutis in statu pure naturali.

Quid angelum dormire? est angelum cessare ab omni intellectione.

An sit certum angelum esse in continuo actu intelligendi? loquendo de angelo constituto in puris naturalibus, id est independenter a salvatione et damnatione, hoc certum non est.

Quibus rebus probatur angelum esse in continuo actu intelligendi? una est quia viventia semper eliciunt aliquem actum vitalem, ut nutritionem; ergo idem videtur dicendum de angelis; iam vero nequit alia vitalis actio assignari quam continuo eliciant praeter intellectionem. Alia ratio est quia si semel cessarent angeli ab intellectione, non possent iterum naturaliter reduci ab intrinseco ad intellectionem.

Cur minus quam homines? quia homines possunt denuo reduci ad intellectionem occasione causationis externae.

Declara neutram ex illis rationibus esse efficacem: prima efficax non est, quia certum non est plantas debere continuo nutriri; deinde si hoc deberet fieri, non potest ostendi similis necessitas continuae intellectionis in angelo.

Declara posteriorem rationem efficacem non esse: quia licet angelus semel cessaret ab intellectione, tam bene posset reduci iterum ad actum intellectionis quam fuit determinatus primo ad intelligendum.

An angeli semper debeant intelligere se ipsos? hoc quidem aliqui

dicunt quia sunt semper sibi praesentes, alij tamen negant, nihil vero certi est.
Quo fundamento communiter negatur? quia angeli possunt tam multa alia simul intelligere ut non sit amplius locus pro conceptu quo concipiunt se ipsos.
An angeli semper intelligant tam multa simul quam possint? de eo nihil certi possumus affirmare, quia non est fundamentum nec pro una parte, nec pro altera.
Unde determinantur angeli, ad intelligendum potius unum obiectum quam aliud? de eo etiam nihil certi possumus affirmare, verisimile est quod semper cognoscant omnes species in confuso, unica facta, posita vero tali notitia possunt per voluntatem se determinare ad cognitionem unius potius quam alterius obiecti.
Da aliud attributum: angeli nequeunt naturaliter cognoscere secreta cordium tam in aliis angelis, tum etiam in hominibus.
Unde probatur? potissimum ex authoritate theologorum, deinde sequerentur magna incommoda si nullum posset esse secretum, sic ut omnes semper possent scire totum.
An saltem angeli possint coniecturaliter scire secreta cordium? imo quia nos homines possumus hoc utcumque coniicere ex circumstantiis, ergo multo magis poterunt idem praestare angeli qui sunt multo subtiliores.
An angeli possint etiam naturaliter cognoscere futura? futura quae dependent a causis necessariis quo naturaliter infallibiliter possunt illa bene praecognosci ab angelis, non vero illa quae dependent a libertate aliorum agentium, unde de illis verum est illud sacrae scripturae annunciate quae ventura sunt nobis, et dicemus quia dij estis vos, ergo talia certo praedicere non possunt.
Unde provenit quod angeli talia futura non possint certo praedicere? quia non habent illorum species intelligibiles, neque dedit ipsis sufficiens principium ad talem cognitionem futurorum, sicut etiam ad cognoscendos secretos actus voluntatis.
Da aliud attributum: angeli non tam frequenter componunt, dividunt aut ratiocinantur quam homines.
Quid ibi componere? vitaliter elicere iudicium formale affirmativum.
Quid dividere? est elicere vitaliter iudicium formale negativum.
Quid ratiocinari? vitaliter elicere formalem discursum.
Quaenam est ratio huius proprietatis angeli? quia cum angeli sint multo perfectiores quam homines, non tam saepe indigent formali iudicio vel discursu sicut homines, ac proinde ipsi saepe praestant per iudicia virtualia et discursus virtuales quod homines debent praestare per iudicia et discursus formales.

Da aliud attributum: angeli sibi mutuo loquuntur, quia angeli
simul constituunt unam rempublicam et civilem societatem
ergo sicut homines maxime cives eiusdem civitatis debent
sibi mutuo posse loqui ita angeli.
An similiter unus angelus possit alium loquentem audire? imo,
alioquin alter frustra loqueretur.
Quomodo cum angeli non habeant os nec aures? non refert
quia habent intellectum qui supplet in ipsis virtutem sensitivam.
unde colores sonos et reliqua obiecta sensuum quae nos cog-
noscimus per sensus ipsi omnia illa cognoscunt per intellectum
unde non indigent tanta varietate potentiarum sicut indigent
homines.
Quid locutio qua unus angelus loquitur alteri? nihil est
aliud quam volitio qua unus angelus vult suum conceptum
esse alteri manifestum.
Quo modo unus manifestat alteri suum conceptum? varii mo-
di sunt possibiles quibus hoc possunt praestare angeli, sed
tamen dubium est quonam ex illis modis possibilibus de facto
utantur angeli.
An unus angelus possit loqui alteri per signa sensibilia
impressa aeri vel alteri corpori? imo, sicut etiam homo potest
loqui alteri homini, ergo non est ratio cur unus angelus
non possit sic loqui alteri angelo quandoquidem intellectus
angeli virtute contineat sensus externos ut ante dictum est.
An unus angelus possit loqui alteri per signa externa spiri-
tualia? [illegible] etiam in illo modo locutionis non est ~~[illegible]~~ im-
plicantia.
An unus angelus possit loqui alteri causando speciem intelli-
gibilem in eius intellectu? imo, etiam ille modus possibilis est.
An etiam possit loqui petendo divinitus revelari suum concep-
tum alteri? imo etiam ille modus locutionis possibilis.
Quonam ex illis modis de facto utuntur angeli? hoc incertissi-
mum est.
An unus angeli possit alteri mentiri? si loquatur alteri
per signa exteriora formata in aere vel in alio corpore, tam
facile potest mentiri angelus quam homo; si vero loqua-
tur quando illo modo petendo a deo ut revelet suum conceptum
alteri tunc angelus nequit mentiri quia deus falsum reve-
lare nequit.
An quando unus angelus vult alteri loqui alter debeat
semper ipsum loquentem audire? non est necesse, sicut enim
homines saepe nolunt alios loquentes audire, ita etiam an-
gelus potest nolle audire loquentem alterum angelum.
Quid auditio angeli? cognitio qua angelus cognoscit conceptum
alterius angeli ex voluntate ipsius angeli.
Proba angelum non teneri semper loquentem audire: quia scien-
tias novit per hoc quod immediate vel mediate causat species

intelligibilem in intellectu alterius non tenetur tamen ange-
lus uti tali specie intelligibili, sicut nec tenetur uti aliis
speciebus.
An ex pluribus praesentibus angelus possit loqui uni et non al-
teri? imo si locutio illa fiat mediante Dei revelatione, quia an-
gelus potest velle ut Deus revelet uni suum conceptum et
non alteri.
An ut angelus loquatur absenti debeat etiam eo ipsum diri-
gere suum nutum? non.
An ergo possit ipsi loqui in quantumvis magna distantia?
imo si locutio illa fiat per revelationem Dei, alias si fiat per
signa sensibilia tunc hoc fieri non in quantumvis magna dis-
tantia.
An animae rationales separatae loquantur sibi eodem modo sicut
angeli? credibile est quod sic, indubie cum possimus facile simi-
lem aliquem modum communicationem.
An similiter anima et angeli loquantur etiam eodem modo
inter se? imo
An spectrum aliqui angeli surdi et muti? non.
Quomodo ergo scriptura nominavit daemonem mutum? scrip-
tura vocat illud daemonium mutum quia faciebat homi-
nem obmutescere.
Da aliud attributum: angeli non possunt per se producere
ullam substantiam, quia nullum est fundamentum attribuen-
di ipsis talem activitatem.
An saltem per accidens possint efficere aliquam substantiam?
quia possunt ferre ligna ad ignem, et sic producere novum ignem.
Unde ergo fit quod diaboli non comburant interdum integras
civitates? quia Deus non permittit.
Quas qualitates materiales potest per se producere ange-
lus? R. potest per se producere impetum corporeum ipsi-
materialem, ipsum praesentiam localem materialem, consequenter po-
test movere corpora.
Da ultimum attributum: angeli interdum assumunt corpora.
Quid angelum assumere corpus? est angelum penetrare corpus
eo fine ut se in tali corpore manifestet, constat vero ita
saepe factum esse, quia alias vix possent hominibus appa-
rere.
Qualia sunt corpora quae assumunt, humana an vero alia?
subinde sunt corpora hominum defunctorum, subinde alia for-
mata ab angelo ex aere et aliis corporibus.
An angeli sic apparentes in corporibus humanis possint dis-
tingui ab hominibus? plerumque sic possunt, quia ut ex histo-
riis constat quando apparent diaboli maxime in corporibus hu-
manis semper est notare aliquem defectum in tali corpore, tum
quia Deus non permittit ut diabolus sic illudat hominibus.

tum quia est certa temporis in corpore humano quae certo dependet ab [anima] vivificanti praesenti et informanti illud corpus.

De Accidente.

Quid accidens? ens in alio.
Quid ens in alio? est ens postulans dependere a subiecto inhaesionis stricte dicto ut albedo.
An sic bene est ens aptum dependere a subiecto inhaesionis stricte dicto.
Declara illam definitionem non coincidere cum priori: quia probabiliter aliqua forma substantialis etiam apta est dependere a subiecto inhaesionis stricte dicto, quia tamen illa non postulat sic dependere a subiecto inhaesionis stricte dicto, hinc illa est substantia et non [accidens].
Datur aliquid quod nec est substantia nec accidens? datur [bene] aliquid quod nec est substantia nec accidens entitative ut haecceitas petri, item haecceitas huius albedinis, [in super] tamen illa realiter identificantur substantiae vel accidenti.
An posit dari aliquid quod non identificetur realiter substantiae nec accidenti? si substantia definiatur per modo est ens postulans existere independenter a subiecto inhaesionis stricte dicto, et accidens conformiter ens quod postulat existere dependenter a subiecto inhaesionis stricte dicto tunc poterit dari ens neutrum, quia tale erit illud quod neutrum ex antedictis postulabit, sed erit indifferens sic ut modo posit existere independenter a subiecto inhaesionis stricte dicto modo vero posit dependere.
An anima equi sit accidens? non
Quomodo non dependet a subiecto inhaesionis stricte dicto cum dependeat a composito per accidens ex calore et materia prima equi? equidem non dependet ab illo composito tanquam subiecto inhaesionis stricte dicto ad sensum huius loci.
Quomodo cum faciat tantum unum compositum per accidens cum illo composito? non refert, quia hoc non provenit ex parte istius unionis quae proxime intercedit inter animam equi et istud compositum quia illa est unio per se sed provenit ab illo composito propter unionem accidentalem

quae est inter partes ipsius compositi.
An inter ipsam animam equi et materiam primam eiusdem
non sit unio per accidens? Imo, ut localis contiguitas inter
illas duas.
Quomodo ergo per ipsam unionem anima non dependet a
materia tanquam subiecto inhaesionis stricte dicto? Quia per
illam non dependet a materia tanquam a subiecto, quia localis
contiguitas non debet consistere inter formam et subiectum,
sed potest consistere inter substantias completas, sicut acci-
dentia sic substantia quae neutrum est subiectum alte-
rius.
An accidens possit uniri suo subiecto unione per se? Imo etiam
naturaliter hoc potest fieri, ut intellectus qui unitur ma-
teriae primae per unionem consistentem inter materiam
et animam rationalem, illa vero unio est unio per se.
Quomodo ergo non obstante intellectus est accidens? Quia per
unionem proxime terminatam ad intellectum intellectus
unitur per accidens tum animae rationali, tum etiam
materiae primae.
An accidens debeat dependere a subiecto suo proximo tanquam
subiecto inhaesionis stricte dicto? Non.
Proba non esse necesse: quia unio integralis consistens in-
ter partes albedinis est accidens, illa tamen non dependet
ab extremis in quibus proxime subiectatur tanquam a sub-
iectis inhaesionis stricte dictis, quia cum illis consti-
tuit aliquod compositum unius naturae, sufficit ergo quod
dependeat a subiecto remoto tanquam a subiecto inhaesionis
stricte dicto.
Quid subiectum inhaesionis stricte dictae? Subiectum compa-
ratum ad suam formam cum qua tantum constituit
unum compositum per accidens.
An actualis inhaerentia in tali subiecto non sit de essentia
accidentis? Non, quia datur aliquod accidens quod per Deum
potest esse extra subiectum, ergo signum est quod actualis
illa inhaerentia non sit de essentia ipsius accidentis.
Quodnam accidens potest per Deum esse extra subiectum?
Accidens stricte entitativum, tale vero determinatum non po-
test a nobis certo assignari, satis tamen constat aliquod
indeterminate esse tale.
An ergo non sit certum albedinem posse esse extra subiec-
tum per Dei virtutem?
Quomodo cum sit certum quod non sit pluribus modis ergo
hoc esse certum? Quomodo
Quomodo cum sit actualia? In primis hoc certum non est.

Denudo licet esset certum non referret, quia non est certum
quod primus modus non sit actualis.
An actualis inhaerentia sit de essentia cuiuslibet prioris modi.
non.
Da primum modum cuius essentia sit actualis inhaerentia. haec
actualis inhaerentia.
Quomodo haec actualis inhaerentia contingenter inhaereat [illegible]
paries? non refert, quia haec actualis inhaerentia
habet duplicem actualem inhaerentiam, unam competentem
ipsi per modum superioris, et illa vero est de eius essentia,
aliam vero per quam actu inhaeret tamquam per suam for-
mam ratione distinctam, illa competit ipsi contingenter, sic
ut saltem sit extra essentiam.
An accidentis esse sit inesse? imo, aliquo sensu.
An per hoc significetur quod inexistentia actualis sit de essentia
accidentis? non, hoc enim falsum est, ut ante ostensum est, datur
enim aliquod accidens quod potest esse sine inexistentia actua-
li in alio.
Quis est ergo sensus verus istius dicti, accidentis esse
est inesse? potest hic sensus esse verus, essentia accidentis
concomitatur inexistentiam aptitudinalem illius in alio.
An salva veritate per inesse non possit intelligi inexistentia
actualis? imo, si hic reddatur sensus, essentia accidentis conco-
mitatur inexistentiam illius in alio tamdiu quamdiu connaturaliter existit
illud accidens.
Quomodo distinguitur inexistentia aptitudinalis accidentis ab actuali inexistentia
sibi correspondente? aliquando distinguitur realiter, aliquando sola
ratione.
Da quae distinguatur realiter: sic inexistentia aptitudinalis al-
bedinis distinguitur realiter ab actuali ipsi correspondente, quia
inexistentia aptitudinalis albedinis identificatur realiter ipsi al-
bedini, inexistentia vero eius actualis identificatur unioni
qua albedo unitur suo subiecto.
Quodnam est proximum subiectum reale inexistentiae aptitu-
dinalis accidentis? ipsum subiectum accidentis, unde materia prima
quae est proximum subiectum albedinis, est etiam proximum
subiectum reale inexistentiae aptitudinalis ipsius, quia inexis-
tentia aptitudinalis realiter identificata albedini.
Quodnam est proximum subiectum reale inexistentiae actualis
accidentis? idem quod est subiectum proximum unionis acciden-
tis cum subiecto, quia inexistentia realiter identificatur ipsi
unioni.
Quodnam est subiectum proximum istius unionis? illa unio
proxime potest dici proxime subiectari in ipso accidente, [illegible]
in subiecto istius accidentis, vel etiam in utroque simul.

Ea causa quod inexistentia aptitudinalis [accidentis] distinguitur sola ratione, ab actuali? quando illud accidens est purus modus, quia puri modi uniuntur immediate ipsis subiecto sine unione realiter superaddita.

Quomodo inexistentia actualis potest dici de essentia puri modi: cum non sit de essentia puri modi mere possibilis? duplex est inexistentia actualis, una nempe quae correspondet actuali, altera vero quae correspondet mere possibili.

Quaenam ex illis duabus potest dici de essentia puri modi? inexistentia actualis quae correspondet aptitudinali quae aliquando distinguitur sola ratione, aliquando etiam realiter, ut dictum est.

Quomodo distinguuntur inexistentia mere possibilis, et inexistentia actualis ipsi correspondens? realiter negative, sicut petrus mere possibilis et idem petrus actu existens distinguuntur realiter negative, non quidem secundum illud quod dicunt in recto, sed secundum illud quod dicunt in obliquo, ut hoc latius declaratum est in secundo tractatu.

Dividitur accidens in physicum, seu reale, et in logicum sive rationis.

Quid accidens physicum seu reale? est quod realiter differt a suo subiecto. Ut albedo respectu hominis.

Quid accidens logicum sive rationis? quod sola ratione differt a suo subiecto. Ut risibile respectu hominis, calefactivum respectu ignis.

An duo accidentia eiusdem speciei possint simul inesse eidem proximo subiecto? imo, ut duo gradus intensionis eiusdem albedinis.

An tales gradus non possint simul inesse eidem subiecto proximo sine unione ad se mutuo? non saltem naturaliter loquendo.

Cur non? quando tota capacitas subiecti est expleta cum istis gradibus sine unione, ille casus dari nequit, quia limitatio subiecti seu capacitatis eius non est facta secundum unionem, sed secundum gradus.

An saltem per Deum possint illi gradus esse in eodem subiecto sine unione ad se mutuo? imo, quia nihil potest assignari ratione cuius Deus necessitetur ad producendam semper unionem inter illos gradus supposito quod producti sint in subiecto.

An non dentur duo lumina in eodem subiecto sine unione ad se mutuo? imo.

An hoc non colligatur ex duabus nubibus quas pingit columna illuminata a duabus partibus? non.

An in eodem aere non sint plures soni simul sine unione ad se mutuo? fortassis sint simul plures soni diversae speciei in eodem divisibili aeris, sine unione ad se mutuo, sed hoc nihil obest nostro

resolutioni quae tantum agit de qualitatibus eiusdem speciei, negamus
vero quod in eodem actu sint simul plures, quamvis eiusdem
speciei sint unione ad se mutuo, quod eadem tales sint carent unio-
ne ad se mutuo nulla ratione probari potest.
An non dentur duae qualitates eiusdem speciei non intensibiles
in eodem subiecto? non.
Unde colligitur non dari plures intellectus in eadem anima rationa-
li? quia unicus intellectus sufficit, unde secundus intellectus esset
frustraneus.
Cur non possit servire casu quo alter perderetur? non est pro-
videndum talibus deperditionibus.

An intensio qualitatum fiat per maiorem radicationem in
eodem subiecto? ita sustinent thomistae, sed minus recte.
Probatur eo modo non fieri intensionem: quia datur intensio
extra omne subiectum, ut albedo in venerabili etiam inten-
ditur ibi tamen non magis radicatur in eodem subiecto quia
est extra subiectum.
An qualitas magis intensa non sit magis activa quam qualitas
minus intensa? imo, ut patet experientia.
An ex eo colligatur quod intensio non consistat in firmiori unio-
ne seu radicatione cum eodem subiecto? imo, quia non apparet
quomodo ob solam unionem possit esse maior activitas qua-
litatis.
An thomistarum sententia sit plane improbabilis? non, quia
argumenta nostra iam allata possunt utcumque probabiliter
solvi.
Quid ergo dici potest ad primum quo dicebatur quod inten-
sio qualitatis possit fieri extra subiectum? negandum est illud
assumptum, nam contrarium probatur efficaciter ex venera-
bili sacramento, quia potest respondere quod etiam intensio
albedinis ibi fiat per maiorem radicationem in eodem subiecto
nempe quantitate panis.
Quid respondere potest ad alterum nostrum argumentum
a thomistis? potest dici licet unio non sit activa, posse tamen
esse conditionem sine qua non respectu maioris activitatis
sicut praesentia localis etiam activa non est, et tamen subinde
ipsa est conditio requisita ad maiorem activitatem, quo enim
agens est vicinius patienti, eo magis agit, et fortius agit ut
patet experientia.
Quomodo fit intensio qualitatis in sententia nostra? fit additione
partis ad compartem in eodem spatio et non diverso subiecto.
An fiat per additionem graduum eiusdem speciei, an diversae
speciei? ut nobis probabilius putamus quod fiat per additio-
nem graduum eiusdem speciei.
Cur non dicimus quod gradus intensionis sint diversae speciei?
quia tunc non possent simul facere sub unius latitudine.
In illo argumento efficaciter probatur nostra sententia? non.
Quomodo ergo potest solvi? in primis probabile est intendum

partibus integralibus diversae speciei posse simul constituere unum
unius naturae, dum partes illae incompletae sint integraliter, sicut multi
ti docent de forma substantiali equi, quae una est et unica; at
tamen probabile est quod constet partibus integralibus diver-
sae speciei.
An sit plane certum calorem intensum esse unius naturae?
non.
Quomodo non est necessario dicendum quod gradus intensivi sint
diversae speciei, cum alias non poterit dari ratio cur simile non
agat in simile? imo poterit dari; nonnulli assignant hanc, quia
si calidum ad quatuor ageret in aliud calidum ad quatuor
producendo in eo quintum gradum, non disponeret ad suam formam
substantialem quae requireret tantum calorem ad quatuor, sed
ad unam aliam speciei diversam, quae requireret plures gra-
dus, et sic everteretur finis agentium naturalium, quae ideo
agunt ut communicent suam formam substantialem passo.
An illa ratio sit adequata cur simile non agat in simile?
non, quia non est universalis pro omnibus agentibus, quia etiam
illa agentia quae non disponunt ad ullam formam substantia-
lem, etiam non agunt in simile quoad gradum, ut v.g. lumino-
sum ad quatuor non potest producere quintum gradum in
alio luminoso ad quatuor, et tamen luminosum non dispo-
nit ad ullam formam substantialem.
Unde probas quod luminosum ad quatuor non possit producere
quintum gradum in alio simili? quia si hoc posset fieri, possent
duo luminosa unius gradus tantum illuminare se mutuo usque
ad summum, et consequenter in hyeme sufficeret unica can-
dela ad totaliter illuminandum scholam, quod repugnat.
proba quod duo luminosa unius gradus possint se mutuo illumi-
nare ad summum: quia unum posset producere secundum
gradum in alio et alterum vicissim secundum gradum in primo,
et hinc ulterius alterum tertium, et sic consequenter; hoc
vero manifestae experientiae repugnat.
An luminosum ad quatuor possit producere aliud simile quoad
gradum? plurimis videtur quod non; si enim candela v.g.
produceret prope se lumen ad octo, et illud lumen ad octo iterum
aliud lumen ad octo, unica candela sufficeret ad producendum
per totum conclave lumen ad octo, siquidem sicut prius lumen
potuisset producere aliud simile in spatio vicino, ita secun-
dum.
An in opposita sententia non colligatur quod lumen tan-
tum possit producere lumen ad octo punctum spatii? non.
Quomodo enim in spatio proximo tantum produceret lumen
ad octo, et deinde septem etc? potest dici quod produceat
lumen ad octo per aliquod spatium divisibile, v.g. per unum

pedem, vel per medium, et post per aliquod spatium similem
maius sit minus septem gradibus, vel certe oportebit dicere
quod hicendum summam intensionem non tantum componatur ex octo
partibus sed ex partibus sine fine, et secundum illam sen-
tentiam potest dici continuo descendere ad solo hic usque
Quis ex octo gradibus intensivis caloris perit quando cale-
dum ad octo acquirit unum gradum frigoris? Hoc pendet a dei
determinatione secundum nostram sententiam quae facit omnes istos
gradus intensivos eiusdem speciei, in sententia autem nostra non
est potior ratio cur unus gradus pereat quam alter?
Quis gradus perit in altera sententia secundum quam gra-
dus sunt heterogenei sive diversae speciei? secundum illos pri-
mo perit qui fuit ultimo productus, deinde qui fuit productus
octavus loco
Declara non esse absurdum recurrere ad dei determinationem sicut
nos recurrimus? quia in multis aliis occasionibus oportet sic
ad deum recurrere, v.g. cur hoc potius individuum producatur
quam unum aliud, hoc debet in deum refundi.
An intensio qualitatis non fit nisi per ablationem contrarii?
non quia etiam illae qualitates intenduntur quae nullum habent
contrarium v.g. lumen, et probabiliter species tum sensibiles
tum intelligibiles.
An species visibiles albedinis et nigredinis non contrariantur?
non quia insunt simul eidem aeri, nec etiam contrariantur
species intelligibiles ipsis correspondentes quia insunt simul
eidem intellectui.
An saltem quando qualitas habet contrarium intenditur dimi-
nutione contrarii? hoc etiam non est necesse quia non est necesse
quod unum contrarium prius infuerit in aliquo subiecto quando
alterum introducitur.
Da qualitatem habentem contrarium quae intenditur sine di-
minutione contrarii: sic v.g. virtus temperantiae, item intempe-
rantiae possunt intendi sine diminutione contrarii.
Quo casu sic intenditur virtus temperantiae? quando in aliquo
subiecto augetur intensive temperantia in quo ante non infuit
intemperantia, et similiter in eo qui numquam habuit tem-
perantiam post augeri vitium intemperantiae absque eo quod di-
minuatur temperantia.
Quid extensio? additio gradus ad gradum in diverso spatio vel
subiecto.
An gradus extensivi sint eiusdem speciei, an vero diversae?
eiusdem, nec hoc potest tantam apparentiam controversiae sicut
de gradibus intensivis
An idem gradus possit esse intensivus et etiam extensivus? imo vide-
tur unus gradus potest esse... quia potest gradus unius qualitatis
respectu diversorum graduum quia potest gradus unius qualitatis
esse in eodem spatio et subiecto, et sic respectu illius esse gra-
dus intensivus, et potest etiam uniri alteri tertio existenti
in spatio diverso, et sic respectu illius tertii erit gradus ex-

tensiuus.

An respectu eiusdem gradus idem gradus possit modo esse intensiuus et extensiuus? imo, et hoc fit si [illegible] gradus uniatur alteri extra omne subiectum in eodem spatio, tunc enim erit ille gradus intensiuus, quod si alteruter istorum graduum ponatur in subiecto et alter non, tunc erit ille gradus extensiuus.

An eadem unio possit esse intensiua et extensiua? imo, et sic unio intensiua inter duos gradus albedinis existentes extra omne subiectum fiet extensiua si alteruter istorum graduum ponatur in subiecto, alter vero non.

An hoc possit fieri si illi duo gradus intensiui ponantur in diuersis locis? hoc pendet ab eo an unio intensiua sit conflata ex duabus illis unionibus quarum una subsistat in uno extremo, alia vero in alio, an vero sit unica unio proxime afficiens utrumque extremum.

Quo casu illa unio potuerit fieri extensiua, et quo non? si sit unica unio afficiens proxime utrumque extremum, tunc non poterit fieri extensiua supposito quod extrema sint in locis distinctis, quia sic unio illa indiuisibilis deberet esse in utroque loco. quod si unio intensiua componatur ex duabus unionibus quarum una sit in uno extremo, altera in alio, tunc nihil obstat quominus illa eadem unio intensiua fiat extensiua licet extrema locum mutent, sic ut incipiant esse extra se mutuo.

De Relatione

An relatio spectet ad obiectum metaphysicae? imo tam [illegible] quam substantia et qualitas, et similiter gradus generales.

An relatio omnium specierum inferiorum pertineat relatio ad obiectum metaphysicae? non, quia relatio specierum singularum inferiorum non est sub reali, relatio aliquorum non est realiter abstracta a materia, relatio aliquorum non est naturaliter cognoscibilis, relatio aliquorum non abstrahit a singularibus realibus.

Ea relationum quae non spectat ad obiectum metaphysicae haec realitas chymerae secundum, quia non est magis entitas quam chymera.

An similitudo duarum albedinum spectet ad obiectum metaphysicae? non, quia non est magis realiter abstracta a materia quam ipsa albedo.

An paternitas in divinis spectet ad obiectum metaphysicae? non
quia non est naturaliter cognoscibilis.
Da relationem quae spectat ad obiectum metaphysicae: similitudo
inter duos conceptus angeli
Quid relatio? ut in logica dividitur in realem et Relatio-
nem rationis
Quid relatio realis? est relatio quae est verum ens reale
habetque extrema realiter distincta
quaenam extrema relationis realis debent esse realiter distin-
cta? fundamentum proximum debet realiter distingui a ter-
mino proximo.
Da relationem praedicamentalem quae est realis stricte: unio
intensiva inter gradus albedinis, item unio extensiva.
Da relationem transcendentalem quae est tantum relatio ra-
tionis: actio qua producitur aliquid potius modus, quia sola
ratione differt a suo modo.
An relatio praedicamentalis debeat esse modus et transcenden-
talis non.
Quid relatio mutua? est relatio cui correspondet correlatio habens
se eodem modo quoad esse reale vel rationis ut simili-
tudo binis albedinis conflata!
Quid relatio non mutua? est relatio cui correspondet correlatio
quae non habet se eodem modo quoad esse reale vel rationis.
ut relatio unionis in humanitate Christi quia illa est realis,
correlatio vero istius unionis nempe unio terminus se ex parte
subsistentiae divinae tantum est relatio rationis quia non distin-
guitur realiter a subsistentia divina.
Quomodo distinguitur relatio realis a suo fundamen-
to? a suo fundamento proximo distinguitur realiter mo-
daliter.
An ergo relatio realis sit potius modus sui proximi funda-
menti? imo.
An una relatio realis non possit esse fundamentum proximum
alterius? non quia unus possibilis modus nequit esse subiectum
alterius realiter distincti.
Quomodo distinguitur relatio a suo termino? relatio realis a suo
termino distinguitur realiter stricte, actio v.g. qua ignis
producit calorem distinguitur realiter stricte ab igne.
Quomodo relatio distinguitur a sua ratione fundandi? aliquan-
do realiter, aliquando sola ratione.
Da rationem fundandi realiter distinctam a sua relatione: sic
generatio quae est ratio fundandi respectu paternitatis distin-
guitur realiter a paternitate.
Da rationem fundandi quae distinguitur sola ratione a sua
relatione? v.g. similitudo habet pro ratione fundandi convenien-

entiam specificam quae sola ratione distinguitur ab ipsa.
An relatio terminetur ad absolutum an ad relativum? aliquando ad relativum, aliquando tamen terminatur ad absolutum.
Da relationem terminatam ad relativum: diversitas qua paternitas differt a filiatione, illa enim habet pro termino filiationem.
Da relationem quae pro termino habet aliquid absolutum: paternitas pro termino habet substantiam filii quae est absoluta.
An paternitas pro termino non habeat filiationem? non, quia homo per paternitatem non ordinatur ad filiationem, sed ad substantiam filii.
Ut intelligamus relatio non habeat pro termino oppositam correlationem? non potest quidem habere pro termino aliquam relationem, nunquam tamen potest habere pro termino oppositam correlationem.
Quomodo tamen una correlatio respiciat essentialiter aliam? nequaquam, quia neutra est pars alterius nec dicit essentialem ordinem ad alteram.
Quomodo ergo verum est quod una relatio non possit cognosci sine sua correlatione? absolute bene potest cognosci una relatio sine sua correlatione, quia neutra est pars alterius, et etiam neutra respicit alteram essentialiter.
Quomodo ergo recte dicitur ordinarie quod correlativa sint simul cognitione? quia eadem sunt praerequisita ut utraque possit cognosci.
Unde ergo fit quod de facto non semper simul cognoscantur? ex arbitrio voluntatis quae potest intellectum applicare ad cognoscendum unum, et non alterum.

An relatio possit habere plures terminos? imprimis bene potest habere unum terminum proximum et alium terminum remotum, sic enim similitudo huius albedinis pro termino proximo habet istam albedinem, et pro termino remoto subiectum istius albedinis, unde de eo controversia esse possit.
An eadem relatio possit habere plures terminos proximos? partiales bene potest habere plures terminos proximos, relatio medii.
Assigna talem relationem: relatio medii partiales utrumque extremum.
Da eius terminos proximos partiales, subiicitur utroque extremo.
Quomodo cum correlatio medii non subiicitur extremo? imo subiicitur.
An relatio possit suum terminum variare? terminum remotum bene potest, ipsum non proximum, quia haec est disparitas quod terminum proximum respiciat essentialiter relatio, non ita terminum remotum.

De Quantitate

An quantitas pertineat ad obiectum metaphysicae? non quia
vel est a parte rei eadem cum natura materiae primae vel
saltem est aliquod accidens materiale cuius potentia sit non est rea-
liter abstracta a materia.
Quare ergo agitur hic de quantitate? quia est unum membrum
dividens famosae divisionis entis, quia nimirum ens dividitur in sub-
stantiam et quantitatem etc.
An essentia quantitatis non consistat in mensura? non, quia
mensura convenit quantitati solum in ordine ad aliquod extrinsecum
cum essentia vero quantitatis debet esse tota intrinseca.
An essentia quantitatis non consistat in divisibilitate? non, quia
in primis multae res sunt divisibiles praeter quantitatem, ut
homo, albedo intensa vel extensa
unde illa divisibilitas ad summum est aliqua proprietas quan-
titatis.
Quid ergo quantitas? est accidens per se postulans extendi.
An illa definitione contineatur sola magnitudo? potest sic ex-
plicari ut etiam contineantur aliae species quantitatis
quae spectant ad hoc praedicamentum secundum veteres, ut
oratio, tempus et quantitas discreta contineatur.
Quandoquidem omnia ista continebuntur illa definitione? capien-
do generaliter illud extendi ut comprehendat non tantum
extensionem quoad locum sed etiam extensionem quoad succes-
sionem et numerationem; si autem per extendi intelligatur
extensio propria quoad locum tunc continebitur magnitudo
non vero aliae species quantitatis late dictae.
Per quid excluditur tunc homo a definitione quantitatis? per
genus definiti quia non est accidens, alioquin partes integra-
les hominis etiam postulant esse extra se invicem quoad
locum.
An punctum magnitudinis contineatur hac definitione? in pri-
mis valde dubium est an tale punctum detur vel dari possit,
quia tale punctum non dabitur si quantitas componatur ex
divisibilibus sicut ubi cum aristotele mathematici defendunt.
An in nostra sententia quae admittit puncta tanquam

partes magnitudinis punctum continuatur illa definitione?
Capiendo verba ut sonant non; quia punctum est incapax
extensionis proprie dictae?
Declara punctum esse incapax talis extensionis? quia ex-
tensio proprie est praesentia alicuius totius secundum diver-
sas sui partes ad diversa spatia contigua; ergo id quod ex-
tenditur necessario debet esse aliquod totum integrale.
An autem data definitio non possit sic explicari ut punctum
continuatur? si per extendi intelligatur etiam coextendi.
Declara punctum posse coextendi? quia punctum potest esse
pars integralis quantitatis quae secundum diversas sui partes
occupet diversa spatia contigua.
An differentia magnitudinis etiam continuatur illa definitione?
non; quia illa non est accidens essentialiter.
Quomodo distinguitur magnitudo a materia prima? a totali
materia prima distinguitur realiter, quia distinguitur rea-
liter a subsistentia; quia Christus habuit suam quantitatem
non potest vero dici quod subsistentia divina sit una pars
quantitatis Christi.
Unde probas Christum habuisse quantitatem; quia Christus
naturaliter non poterat alia corpora penetrare; fecit qui-
dem hoc aliquando sed miraculose.
Cur non potest dici quod Christus habuerit effectum quan-
titatis sine quantitate? quia tale miraculum sine necessi-
tate asseri non debet.
An ex illo argumento colligatur quod quantitas petri distin-
guatur realiter a materia prima petri? imo; quia subsis-
tentia petri non magis est pars realis respectu quantitatis
petri quam subsistentia divina sit pars quantitatis Christi.
An quantitas distinguatur realiter a natura materiae pri-
mae? probabilius est quod non.
Proba non distingui realiter; quia nullum est fundamentum
sufficiens agnoscendi distinctionem realem inter quantitatem
et naturam materiae primae ipsi correspondentis.
An ergo materia prima per se ipsam possit postulare habere
partes extra partes sine quantitate superaddita? imo.
Quomodo cum sit quantitas non possit constituere aliquod prae-
dicamentum? imo potest.
Quomodo cum entia diversorum praedicamentorum debeant esse
realiter condistincta? nego, quia albedo, et similitudo eius spectant
ad diversa praedicamenta, nempe albedo ad praedicamentum qua-
litatis, similitudo vero ad praedicamentum relationis, et ta-
men probabilissima est sententia quod albedo, et eius similitudo
sint eadem a parte rei, deinde licet quantitas illa quae de facto
datur differat sola ratione a natura materiae primae videtur

tamen esse possibilis aliqua alia quae realiter differat, et illa posset poni in hoc secundo praedicamento si illud deberet realiter esse condistinctum a natura materiae primae.
An ex venerabili sacramento non colligatur quod quantitas distinguatur realiter a natura materiae primae? non.
Quomodo cum ibi remaneat quantitas panis et non materia panis? nego quod ibi remaneat quantitas panis.
Quomodo cum alias multa accidentia deberent esse extra subiectum? est verum, sed non refert.
Quomodo cum sic multiplicabuntur miracula sine necessitate? nego.
Quomodo cum si remaneat quantitas tantum erit unum accidens ~~[illegible]~~ in subiecto? nempe quantitas? non refert, quia deo aeque facile est ponere plura accidentia sine subiecto quam ponere unum: cum vero propter illud misterium nihil debet variari circa illam opinionem de quantitate.
An ex calore qui producitur in hostia consecrata non colligatur quod sit ibi quantitas panis? non.
Quodnam ergo erit subiectum caloris si ibi non sit quantitas panis? calor non habebit tunc ullum subiectum.
Quomodo cum sic calor debebit ibi creari? non refert.
Quomodo cum ignis producens calorem creare non possit? R. in primis non est certum quod deus tunc illum calorem producat sed fortasse ille producitur a solo deo ut sic occultetur istud misterium. secundo probabile etiam est quod ignis divinitus possit calorem creare.
Quomodo non debet ibi manere quantitas panis cum alias accidentia remanentia deberent redigi ad punctum? non deberent.
Quomodo cum solum sint extensa ratione quantitatis? nego, quia retinent eandem extensionem quam habebant ante sic deo disponente ut misterium illud maneat occultum

An quantitas actualis etiam pertineat ad hoc secundum praedicamentum? non
Quid quantitas actualis? est extensio seu quaedam praesentia excludens aliam eiusdem rationis ab eodem loco.
An absolute excludat omnem aliam praesentiam ab eodem loco? non, quia non excludit aliam praesentiam diversae rationis, unde non excludit praesentiam qualitatum ab eodem loco item neque praesentiam materiae primae aut formae substantialis.
declara quod non: quia omnia illa sunt simul in eodem loco cum ipsamet quantitate.
An sint aliquae res quae admittant alias similes in eodem loco secum? imo quia plures angeli bene possunt esse simul in eodem loco.
An solae res spirituales possint esse simul in eodem loco? non.
da res materiales eiusdem speciei quae simul sint in eodem loco: ~~[illegible]~~ duo gradus intensivi albedinis.
An quantitas reddat suum subiectum impenetrabile? non

reddit illud impenetrabile absolute, quia potest penetrari ab alio
simili et forte etiam potest penetrari ab alio simili partia-
li, ut contingit in condensatione rigorosa.
An saltem quantitas reddat subiectum impenetrabile ab alio
simili totaliter? imo.
An quantitas actualis sit aggregatum ex certa praesentia
et impenetrabilitate? non.
Cur non est tale aggregatum? quia sic componeretur quanti-
tas actualis ex aliqua negatione; hoc vero non posse dici patet,
quia non posset esse ens praedicamentale, communiter enim
dicitur quod quantitas actualis pertineat ad praedicamentum ubi
An quantitas debeat esse integraliter composita? non.
Quomodo cum hoc colligatur ex definitione quantitatis conti-
nuae? nego.
Quomodo cum illa sic definiatur cuius omnes partes copu-
lantur termino communi? non refert quia ibi definitur quae-
libet magnitudo.
Cur non ergo ibi tantum definitur? tantum illic definitur mag-
nitudo integraliter composita.
An locus sit species quantitatis? locus vulgaris non est
species quantitatis, quia est spatium imaginarium quod in com-
muni sententia nihil est.
An locus aristotelicus sit species quantitatis? non, quia est
aggregatum per accidens ex superficie et certa quantitate.
An saltem superficies illa quae est pars materialis loci sit
quantitas? imo, illa est quantitas aptitudinalis supposito
quod sit ens unius naturae, ut esse potest, quod utrumque ad-
dubitur, quia potest etiam esse aggregatum per accidens.
An sit eadem ratio de aliis compositis extensis quae est de mag-
nitudine quoad compositionem ex indivisibilibus? imo, quia argu-
menta pro utraque sententia aeque procedunt in omni composito
extenso quoad locum.
An in omni composito reali non debeat dari aliquid condistinctum
ab unione? imo.
An ex eo sequatur quod omne compositum componatur ex
indivisibilibus? imo, quia id quod est condistinctum ab unione
debet esse indivisibile, quia quod adhuc est divisibile debet unio-
nem involvere.
Proba quod in omni composito reali debeat reperiri aliquid con-
distinctum ab unione? quia alias quidquid reperiretur in com-
posito deberet esse unio, vel pars unionis, vel certe compo-
situm ex unione.
Quid respondent authores contrariae sententiae ad hoc argumen-
tum? admittunt totum membrum nempe quamlibet partem
extensivam ulterius involvere aliquam unionem.
Refuta illam? hoc modo deus potest auferre omnes uniones

ex composito extenso siue sit magnitudo siue substantia, quod vero
deus hoc fecerit, illas quae tunc restabunt erunt indivisibilia
et consequenter non involvent unionem.
probatur deum posse auferre omnes uniones ex toto relictis ex-
tremis: quia certum est deum posse tollere aliquas uniones ex
illo toto, scimus etiam homines possint talia tota in aliquas partes
dividere, ergo videtur quod deus possit omnes uniones auferre rema-
nentibus extremis, quia extrema continui non respiciunt essentia-
liter unionem, ergo non videtur posse dari ratio cur deus po-
~~[struck]~~tius possit has uniones integrales auferre ex isto composi-
to quam omnes.
Cui respondent authores oppositae sententiae ad illud argumentum
dicunt esse impossibile quod deus auferat uniones omnes relictis
extremis, quia hoc repugnat essentiae continui quod essentialiter
requirit componi ex divisibilibus, sicut tunc post ipsi supponunt
per sua argumenta probari.
An ex motu globi super planum non colligatur quod ~~[struck]~~
continuum componatur ex indivisibilibus? Primo.
probatur: quia globus perfecte rotundus non potest superficiem per-
fecte planam tangere nisi in uno puncto tantum, quia si
tangeret in pluribus punctis vel globus non esset perfecte
rotundus, vel superficies non esset exacte plana, et consequen-
ter inde sequitur quando talis globus perfecte rotundus super-
tur super tale planum quod tunc describat lineam conflatam
ex punctis in tali plano.
An eius successivum non componatur ex partibus indivisibilibus
quoad successionem? Primo
Cur non dicitur quod omnia ex quibus componitur sint divisibi-
lia quoad successionem? quia sequeretur quod deus nunquam po-
tuisset creare angelum nec etiam animam rationalem, quia
angelus item anima rationalis non possunt aliter produci
quam in instanti, ergo si eius successivum sic componatur
ex indivisibilibus quoad successionem, ita etiam res extensa
quoad locum componetur etiam ex indivisibilibus quoad exten-
sionem.
Unde desumunt aristotelici sua argumenta contra sententiam
nostram? partim ex physica, partim ex mathesi, physica ar-
gumenta quae adferunt possunt satis facile solvi, sed dif-
ficilia sunt mathematica, declarabimus tamen illa tam
valere contra ipsorum sententiam quam contra nostram, tantum
pro nobis ipsi hoc habent commodi quod propter infinita quibus
se involvunt prodigium non sit tam apertum
Quomodo potest dici quod continuum componatur ex indivi-
sibilibus cum indivisibile additum indivisibili non faciat maius?
Facit maius, sicut unitas addita unitati facit numerum
binarium qui maior est unitate.
An indivisibile additum indivisibili non debeat occupare eundem

locum cum illo? non, sed sufficit quod sit in loco vicino.

Quomodo hoc recte dicitur, cum illud indivisibile secundum unam faciem erit vicinius alteri indivisibili quam secundum aliam? Nego, quia in eo corrigenda est nostra apprehensio, quia apprehendit indivisibile per modum unius parvi globuli, sed indivisibile talis globulus non est, unde secundum idem sui respicit orientem, occidentem, septentrionem et etiam austrum, sicut probatur exemplo angeli et exemplo animae rationalis, quae secundum idem sui quando non sunt replicata respiciunt simul quatuor cardines mundi.

An si hoc argumentum valeret, non valeret etiam contra sententiam aristotelis? imo, quia si primum indivisibile additum alteri non faciat maius, nec secundum faciet, nec tertium nec millesimum, ergo neque si infinita addentur facient maius.

An ex nostra sententia non sequatur quod canis venationis nunquam poterit assequi limacem currendo? non.

Quomodo cum limax singulis instantibus tantum conficiat unum punctum spatii, et canis venationis non plus? negandum est quod limax conficiat singulis instantibus conficiat unum punctum spatii.

Quomodo cum non possit conficere minus? est verum si moveretur continuo, sed nos dicimus quod continuo non moveatur.

Quomodo cum hoc sit sensui notum quod continuo repat? nego esse sensui notum, sicut propter imperfectionem nostrorum sensuum iudicamus illas morulas quibus non possumus tam bene advertere licet sentiamus tamen illas subesse. proba hoc: quia probo a contrario, quando enim alicuius motus est valde tardus tunc non possumus etiam sensu notare istum motum, unde nemo nostrum qui aspiceret per integrum diem indicem horologii posset dicere hoc instanti progreditur, illo non.

An si limax continuo moveretur argumentum concluderet intentum? non, quia tunc respondendum esset quod canis venationis replicaretur, ita ut ipse in uno instanti temporis conficeret plura puncta spatii.

An ex nostra sententia non sequatur quod possit dari linea quae non possit dividi in duas partes aequales? omnis talis est linea trium punctorum et quinque punctorum.

Quomodo cum linea quinque punctorum possit dividi in duas partes quarum quaelibet contineat duo puncta cum medio? nego, quia non datur medium punctum, quia punctum debet esse integraliter indivisibile.

Quomodo illa possunt dici cum mathematici demonstrent quamlibet lineam posse dividi in duas partes aequales? ita quod demonstrant quoad sensum, quia extensio in puncto indivisibili observari non potest, sed sensus noster debet

per rationem corrigi.

Finis

Hoc opus, Hoc studium, Labor atque molestia dura,
Sint maiestati, Christe sacrata tuæ.
Sint sacrata tibi summorum Diua polorum
Quæ fletum in risum vertere sæpe soles.
Adsis Corneli **Castri** patrone beate,
Post detur seruis faustaque meta tuis.

Index primi Libri physicorum.

Quid sit physica. folio primo.
De partibus scientiae physicae earumque ordine. fol: 1.
De obiecto octo librorum physicorum. folio: 2.
Quis ordo sit servandus in tradendis scientiis. fol: 2.
Quid et quotuplex notitia. fol: 2
Quibus modis unum dicatur altero notius. fol: 4.
Quid intellectus prius cognoscat singulare an universale, item minus universale an magis universale. fol: 6
De tribus axiomatibus. fol. 7.
De principiis physicis. fol. 8.
Divisio principii physici. fol: 11
De materia prima. fol. 11.
De materia prima aristotelica. fol. 12.
Prima proprietas materiae primae. fol: 13.
Secunda proprietas. fol: 14.
Tertia proprietas. fol. 14.
Quarta proprietas. fol 15.
Quinta proprietas. fol. 15.
De forma substantiali. fol: 16.
Prima proprietas formae substantialis. fol: 17
Secunda proprietas. fol: 17
Tertia proprietas. fol. 18
Quarta proprietas. fol. 18.
Quinta proprietas. fol. 18.
De privatione formae substantialis. fol. 18.

An detur subiectum ultimę formę, et an detur compositio physica ex materiâ primâ, et formâ substantiali. fol: 19.
Quomodo forma substantialis et materia prima distinguatur a composito. fol. 19
An in composito sit duplex unio an tantum unica? fol. 20.
De deductione formę e potentiâ materię. fol. 20.
An dentur plures formę substantiales in eadem materiâ.

Index Libri Secundi.

Divisio eorum quę sunt. fol. 1.
Definitio naturę. fol: 2
De habentibus naturam. fol: 4
De iis quę sunt secundum naturam. fol. 4.
De distinctione physicę a scientiis mathematicis. fol: 5.
De axiomate, ars imitatur naturam. folio eodem.
De causis. fol: 6.
De causalitate. fol: 7.
Divisio Causę. fol. 9.
De causâ materiali. fol: 10.
Quę sit causalitas causę materialis in quâ. fol. 11
Utrum causent materialiter aliquam formam? fol: 11
Quęnam requirantur in materiâ ad causandum formam. fol 12
Quęnam causentur materialiter. fol. 12.
An compositum ex materiâ et formâ possit dici per se primo
Causari a materiâ. fol 12
De causâ formali. fol 13.
De causâ efficiente. fol. 14.
An Causa efficiens recte dividatur in principalem et instrumentalem. 17
An causa recte dividatur in totalem et partialem. fol 20.
Divisio Causę in causam per se et per accidens. 23.
Divisio Causę in causam actu et potentia. fol. 26
Divisio Causę in univocam, et ęquivocam
An Creaturę aliquid efficiant. fol. 2[illegible]
An accidentia etiam sint activa. fol. 33.

An detur impetus qui efficiat motum localem. fol. 33.
An qualibet res possit elevari ad quemlibet effectum producendum. 34.
An causa efficiens possit esse imperfectior effectu. fol. 35.
De conditionibus requisitis ad agendum. 35.
An Deus aliquid agat. 38.
An Deus immediate producat omnes creaturas immediate. 39
An Deus tantum primo producat creaturas an vero eas conservet. fol. 40.
An Deus concurrens cum creaturis debeat eas physice praedeterminare. fol. 40
An Deus et creatura concurrant eadem actione ad effectum. 42
Qua ratione Deus praebeat suum concursum causis creatis.
An praedefinitio Dei noceat libertati causae secundae. fol. 45
An Deus et creatura determinent se ad effectum. fol. 45.
An concursus causae primae sit indifferens. fol. 46.
An Deus concurrens ad actum peccati possit dici causa moralis peccati. fol. 47.
An Deus tantum causet efficienter. fol. 48.
An Deus se solo possit causare quemlibet effectum. fol. 48
An solus Deus possit creare. fol. 49.
De causa finali. fol. 51.
In quo consistat causalitas causae formalis. fol. 54.
De differentiis causae finalis. fol. 55.
Quibus conveniat agere ob finem. fol. 57
De causa exemplari. fol. 58.
Utrum exemplar causet exemplariter An formale an obiectivum et qua causalitate. fol. 59
An causa exemplaris vere et physice causet effectum. fol. 80
An plures causae possint se mutuo causare. fol. 81
An omnia genera causarum debeant concurrere ad eundem numero effectum. fol. 83
An plures causae eiusdem generis possint ad eundem effectum concurrere. folio eodem.
An plura genera causarum concurrant ad eundem effectum. fol. 81.
De quatuor generibus causarum. fol. 84.
Prima proprietas causarum. fol. 86.
Secunda proprietas. fol eodem.
Tertia proprietas. fol. 87.
Divisio eorum quae fiunt. fol. eodem.
Secunda divisio eorum quae fiunt. fol. 88.
Tertia divisio. fol eodem.

De fortuna. fol. 88.
De casu. fol. 91
De frustraneo. fol. 92
De monstro. fol. eodem.

Liber tertius physicorum

De motu. fol. primo.
De infinito. fol. 3.
An de facto detur aliquod infinitum actu. fol. 6
An sit possibile infinitum actu per deum. fol. 7

Liber Quartus physicorum

De loco. fol. primo.
Prima proprietas loci. fol. 3.
Secunda proprietas. fol. 4
tertia quarta et quinta. fol. 5.
definitio aristotelica loci. fol. 6
Quomodo dicatur esse in loco. fol. 11.
Quid esse in loco in communi sermone. fol. 13
De penetratione. fol. 14.
De replicatione. fol. 19
De vacuo. fol. 23
An naturaliter vacuum detur. fol. 26
quibus modis soleat natura vacuum impedire. fol. 27
An per deum possit dari vacuum. fol. eodem
An non sit frustraneum disputare de motu possibili in vacuo. fol. 28.
De tempore. 31

An tempus sit verum ens reale. fol. 33
Quid sit instans. fol. 34.
An motus et tempus sint idem. fol. eodem.
Quid sit esse in tempore. fol. 37
Prima proprietas temporis. fol. 37
Reliquæ Proprietates. fol. 38 39.

Liber Quintus physicorum

Prima divisio eorum quæ mutantur. fol. 1
Secunda divisio. fol. 5.
tertia divisio. fol. 6.
Divisio mutationis. fol. 8
De contrariis physicis. fol. 11
De identitate et diversitate motus.

Finis physicæ.

Index Metaphysicae.

Tractatus de scientia. fol. 2
An medium demonstrationis sit obiectum formale scientiae. fol. 4.
An omnes scientiae habeant eandem unitatem. fol. 5
Divisio scientiae in physicam, metaphysicam et mathematicam. fol. 7
An abstractiones sint obiecta formalia scientiarum. fol. 9
De praxi. fol. 10
An idem habitus possit esse practicus et speculativus. fol. 12
Divisio scientiae in subalternam, et non subalternam. fol. 13
An metaphysica sit scientia proprie dicta. fol. 14
quodnam sit obiectum metaphysicae. fol. 15
De principiis metaphysicis. fol. 16.
Tractatus secundus de ente reali, et de ente rationis. fol. 18
Divisiones entis rationis. fol. 19. 20.
De intentione. fol. eodem.
De reali existentia. fol. 22
De univocatione. fol. 23
An ens contrahatur realiter ad inferiora entis.

Annotata
Minus Principalia
Sub
Doctissimo Domino
Salomone
Seruranx

In

Sphæram

Joannis a Sacro

Bosco.

Polus mundi seu articus.
Circulus Arcticus.
polus Zodiaci.
tropicus
Cancri
zodiacus.
Æquinoctialis
circulus antarticus
tropicus
capricorni
polus mundi antarticus
Sphæra
Mundi.

De Astronomia.

Utrum scientia quæ traditur in sphæra sit pars physicæ? non.
Quodnam est obiectum scientiæ quæ hic traditur? est corpus cœleste quatenus mobile circa medium centrum universi.
An illud non sit obiectum astronomiæ? imo.
Quomodo ergo potest esse obiectum scientiæ quæ traditur in sphæra? equidem quia scientia quæ in sphæra traditur est pars astronomiæ.
Quomodo se habet astronomia ad mathematicam? tanquam pars ad totum.
Quotuplex est astronomia? duplex, nempe speculativa et practica.
Utrum per astronomiam practicam possint aliqua certo prædici ex cœlis? imo. videlicet eclypses, stellarum oppositiones, et alii illarum aspectus.
Utrum etiam ex cœlis possint certo prædici sterilitates, pluviæ etc? non, sed tantum coniecturaliter.

Licet enim illa et similia multum dependeant a virtute astrorum, illae tamen virtutes non sunt nobis infallibiliter notae, imo non nisi coniecturaliter, deinde virtutes aliquorum astrorum possunt impediri in producendis suis effectibus per alias causas (v.g. per alia astra.

Utrum aliquo modo possint praedici illa quae dependent a libertate ut virtutes aut peccata? R. non, quia illa nullo modo ab astris dependent.

De Sphærâ.

Quotupliciter Sumitur

illa vox sphęra? tripliciter, semel pro corpore solido plane et perfecte rotundo, semel pro corpore non solido perfecte rotundo, semel denique pro aliquo instrumento conflato ex certis circulis quod ab astronomis inventum est ad designandos motus coelorum.

Quid Sphæra? est transitus circumferentię semicirculi quę fixa diametro eo usque circumducitur donec ad locum suum redeat.

Quodnam est definitum illius definitionis? sphęra sumpta pro corpore plane solido et perfecte rotundo.

Quid Corpus plane solidum? est corpus unica superficie contentum.

Quid corpus ibi? est aliquid habens tres dimensiones videlicet longitudinem latitudinem et profunditatem.

An coelum lunę sit corpus plane solidum? non. quia coelum lunę continetur duabus superficiebus videlicet una superiori scilicet quę est versus coelos superiores et altera quę contingit hęc sublunaria.

Quomodo vocatur illa superficies coeli lunę versus coelos superiores? Convexa superficies coeli lunę.

Quomodo vocatur illa inferior quę coelum lunę contingit hęc sublunaria? concava superficies coeli lunę.

Quid superficies convexa? est extrema superficies corporis secundum quam illud aptum est contineri ab alio.

Quid superficies concava? est extrema superficies alicuius corporis secundum quam illud aptum est aliud continere.

Ostende illas duas superficies in alio corpore preterquam in coelis: sic v.g. in poculo concava est illa superficies quę poculum proxime continet e converso convexa est superficies poculi exterior.

An definitio sphęrę sit definitio formalis? non sed est causalis.

Declara quod non sit formalis: quia sphęra non est formaliter transitus, cum sphęra sit corpus et transitus tantum sit certus motus localis.

Declara quod sit definitio causalis: quia transitus ille est causa licet impropria ipsius sphęrę.

Quare transitus non est propria causa sphęrę? quia ut iam dictum est transitus est tantum motus localis, et sphęra corpus; motus localis autem non potest esse proprie dicta causa corporis

Qualiter ergo transitus ille est causa sphaerae? est causa secundum
fictionem mathematicorum qui fingunt lineam oriri ex motu puncti
et superficiem oriri ex motu transversali lineae, et denique corpus ex motu
superficiei.
Quid semicirculus? est medietas circuli.
Quid circulus? est figura plana et rotunda in cuius medio est centrum
a quo omnes lineae rectae ductae ad circumferentiam sunt aequales.
An ergo circulus hic non sumatur eodem modo sicut in materia sphaerali?
non, quia circulus in materia sphaerali non est figura plana, sed linea
circularis excepto Zodiaco qui concipitur tanquam habens latitudinem.
Quid circumferentia semicirculi? est extremitas semicirculi.
Quid extremitas? est pars terminans corpus aliquod integraliter
indivisibilis, sic extremitas lineae est primum atque punctum, item ulti-
mum punctum.
Quomodo cum sic ex circumductione circumferentiae semicirculi fixo dia-
metro non oriatur sphaera? proprie quidem ex circumductione circumferen-
tiae semicirculi non oritur sphaera, sed tantum linea circularis aut
superficies; quando autem sphaera definitur transitus circumferentiae se-
micirculi etc. intelligitur transitus circumferentiae semicirculi simul
cum area ipsius semicirculi.
Quid est diameter? est linea recta transiens per medium alicuius figurae
ex ea parte qua latissime patet dividens eam in duas partes aequales.
An diameter tantum detur in figura rotunda? non, sed etiam in quacunque
alia figura.
Da sensum totalem definitionis sphaerae: est corpus aliquod perfecte ro-
tundum quod describitur a superficie semicirculari per ejus circum-
ductionem circa diametrum manentem immotum.
Defini aliter sphaeram: est solidum quoddam in cuius medio est centrum
a quo omnes lineae rectae ductae ad circumferentiam sunt aequales.
Quare dicitur est solidum quoddam? ut excludatur circulus.
Declara quod circulus per illam partem excludatur: quia circulus non habet
trinam dimensionem, qualem debet habere solidum.
Quaenam ergo ex tribus dimensionibus deest circulo? profunditas.
An etiam per illam particulam non excludantur orbes coelestes? imo.
Quomodo cum orbes coelestes habeant trinam dimensionem? non refert,
quia hoc non sufficit ad solidum, sed insuper requiritur ut unica super-
ficie contineatur; iam autem orbes coelestes continentur duplici, vide-
licet concava et convexa superficie.
Quare dicitur in cuius medio est centrum? ut excludatur solidum illud
quod non est perfecte rotundum ut [illegible] ovum.
Quid axis? est linea recta transiens per centrum sphaerae applicans utram-
que suam extremitatem ad superficiem eius ex utraque parte circa quam
sphaera volvitur aut volvi concipitur.
Quomodo se habent quoad praedicationem axis et diameter? ut magis et
minus communia, magis communis est diameter.
Quotuplicis axis mentio fit in sphaera? triplicis, videlicet axis mundi,
Zodiaci, et horizontis.
Quid axis mundi? est axis circa quem movetur primum mobile et
coeli inferiores ad raptum primi mobilis ex oriente in occidentem.
Quomodo vocantur puncta hinc inde terminantia axem? poli.

Quomodo vocantur poli terminantes axem mundi? unus vocatur
polus arcticus et alter antarcticus.
Quis polus mundi vocatur arcticus? punctum illud quod est septentrio.
An isti puncto correspondeat precise aliqua stella? non.
An ergo precise illi non correspondeat stella polaris? non, sed illa adhuc
tribus gradibus cum medio circiter distat a polo mundi arctico.
An ergo etiam stella polaris moveatur motu primi mobilis? imo quia
nullum est punctum in coelis mobilibus quod eo motu moveatur exceptis
ijs quae correspondent axi mundi.
Quomodo ergo nobis appareat quod stella polaris non moveatur? hoc quidem
nobis sic apparet ex eo quod stella polaris non moveatur tam ce-
leriter ut facile observari possit.
An ergo stella polaris non moveatur tam celeriter quam sol aut aliae
stellae? non.
An ergo stella polaris spatio viginti quatuor horarum non faciat tam
bene integram circumvolutionem quam sol aut aliae stellae? imo.
Quomodo ergo non movetur tam celeriter? quia circulus quem stella
polaris absolvit in una circumvolutione non est tam magnus quam cir-
culus ille qui absolvitur ab alijs stellis in una circumvolutione.
Unde polus arcticus dicitur arcticus? ab una insigni constellatione ipsi
vicina quae graecis dicitur arctos, latinis ursa.
Quid polus antarcticus? est polus in opposita parte coeli primi
mobilis diametraliter correspondens polo mundi arctico.
An ergo poli mundi statuantur in primo mobili? imo, possunt tamen
etiam statui in coelo empyrio, et ibi communius statuuntur.
An uterque ille polus sit semper elevatus supra nostrum horizontem?
non, sed polus arcticus solus est supra nostrum horizontem eleva-
tus, et polus antarcticus infra illum depressus.
Quam alte est elevatus polus arcticus supra nostrum horizontem
Lovaniensem? quinquaginta et uno gradibus.
An stella polaris etiam semper maneat supra nostrum horizontem? imo.
probo hoc ex dictis: quia dictum est quod stella polaris tantum distet a polo
arctico tribus gradibus cum medio circiter, ac proinde circulus ille quem
motu diurno describit, stella polaris tantum distat secundum omnes sui par-
tes etiam quatuor gradibus cum dimidio circiter a polo arctico, iam autem
insuper dictum est quod polus arcticus sit elevatus supra nostrum hori-
zontem quinquaginta et uno gradibus, ac proinde nunquam infra horizon-
tem nostrum poterit deprimi circulus ille quem describit stella polaris
motu diurno.
Quid axis zodiaci? est axis circa quem motu proprio moventur coeli
inferiores ab occidente in orientem.
Quomodo vocantur poli axis zodiaci? non habent speciale nomen, unus
tamen vocatur septentrionalis ob vicinitatem quam habet cum septentrio-
ne et alter australis ob vicinitatem quam habet cum austro seu meridie.
Quantum distant poli zodiaci a polis mundi? circiter viginti quinque
gradibus, sicuti a polis mundi distant circuli polares in quibus sunt poli
zodiaci.
Quid poli horrizontis? sunt puncta terminantia axem circa quem
volveretur horizon si esset mobilis.
Quomodo vocantur poli horizontis? unus vocatur zenith, et alter Nadir

Quid Zenith? est punctum coeli quod directe vertici uniuscuiusque imminet.
An ergo tot sunt quot sunt diversi homines? imo.
An toties mutemus Zenith quoties mutamus locum? imo,
in quo coelo concipitur Zenith? in coelo empyreo.
Quare potius in illo quam in coelis inferioribus? quia punctum illud concipitur ut immobile, inter coelos autem solum empyrium est immobile.
Quid nadir? est punctum coeli quod diametraliter opponitur Zenith.

De Sphæra artificiali.

Quid sphæra artificialis? est instrumentum mathematicum ex variis circulis confectum quo commode universi situs et astrorum motus explicantur.
Quot circulis constat sphæra artificialis? decem, videlicet sex maioribus et quatuor minoribus.
Enumera sex maiores: æquinoctialis, Zodiacus, colurus solstitiorum, colurus æquinoctiorum, meridianus et horrison.
Enumera quatuor minores: tropicus cancri, tropicus capricorni, circulus polaris arcticus et circulus polaris antarcticus.
Divide circulos sphæræ: dividuntur in maiores et minores.
Quid circulus maior? est circulus dividens sphæram in duas partes æquales.
Quot sunt circuli maiores? sex.
An omnes circuli maiores habeant idem centrum? imo.
Quodnam est illud? centrum universi
Quid intelligis per centrum universi? punctum constitutum in medio universi a quo omnes lineæ rectæ ductæ ad superficiem universi, sive ad convexam superficiem coeli empyrei sunt æquales.
Quid circulus minor? est circulus dividens sphæram in duas partes inæquales.
Enumera circulos minores: duo tropici, et duo circuli polares.
An etiam circuli minores habeant idem centrum? non, sed omnes habent diversum centrum.
An ergo nullus circulus minor pro centro habeat centrum universi? non, sed centrum circuli minoris distat a centro universi, et eo magis quo circulus est minor
Divide aliter circulos: dividuntur in internos et externos.
Quid circulus internus? est circulus qui concipitur tanquam affixus sphæræ et ad motum eius movetur.
Quinam sunt circuli interni? omnes præter meridianum et horrisontem.
In quo coelo concipiuntur circuli interni? in convexa superficie primi

mobilis.
Quid circulus externus? qui non concipitur tanquam affixus sphere neque ad motum eius movetur.
Quot sunt circuli externi? duo, meridianus et horizon.
In quo coelo concipiuntur illi duo circuli? in concava superficie coeli empyrei.
Quare potius ibi quam circuli interni? quia illi duo circuli externi concipiuntur tanquam immobiles ac proinde melius in coelo empyreo quod solum est immobile. circuli autem interni sunt mobiles.
Divide aliter circulos: dividuntur in paralelos et non paralelos.
Quid circuli paraleli? sunt circuli equaliter a se invicem distantes secundum omnes suas partes.
Paraleli: circuli polares, tropici, equinoctialis, et horizon cum equinoctiali coincidens videlicet illorum qui habitant sub alterutro polo mundi.
Quid circuli non paraleli? sunt circuli qui non distant equaliter a se invicem secundum omnes suas partes.
Paraleli: equinoctialis et Zodiacus.
An ergo idem circulus possit esse paralelus respectu unius, et non paralelus respectu alterius? imo sic patet in circulo equinoctiali qui est paralelus v.g. cum tropico cancri, et non paralelus respectu Zodiaci.
Divide aliter circulos: dividuntur in polares et non polares.
Quid circuli polares? sunt circuli transeuntes per polos mundi.
Quinam circuli sunt polares? duo coluri et horizon habitantium sub equinoctiali.
An illi circuli intelligantur quando absolute fit mentio circulorum polarium? non, sed illo nomine solent tantum intelligi illi duo circuli minores vicini polis mundi includentes polos Zodiaci.
Quid circuli non polares? qui non transeunt per polos mundi.
Quinam circuli sunt non polares? omnes preter tres antenominatos.
An ergo etiam circuli polares sunt non polares? illi circuli polares qui solent illo nomine intelligi videlicet illi duo minores de quibus ante sunt etiam circuli non polares hic.
Divide aliter circulos: dividuntur in rectos et obliquos.
Quid circuli recti? qui habent in sphera situm rectum. ut equinoctialis et colurus.
Quinam circuli censentur habere situm rectum in sphera? illi qui intersecant se ad angulos rectos.
Quid angulus? est figura illa que oritur ex concursu duarum linearum.
Divide angulum: dividitur in rectum et obliquum.
Quid angulus rectus? est figura illa que oritur ex concursu duarum linearum quarum una ita incidit in alteram ut non magis inclinetur in unam partem eius quam in alteram. ut angulus qui oritur ex incidentia coluri in equinoctialem.
Quid angulus obliquus? est figura illa que oritur ex concursu duarum linearum quarum una ita incidit in alteram ut magis inclinetur

versus unam partem eius quam versus alteram. Ut angulus qui
oritur ex incidentia coluri (equinoctiorum) in zodiacum.
Divide angulum obliquum: dividitur in obtusum et acutum.
Quid angulus obtusus? est angulus obliquus maior.
Quid angulus acutus? est angulus obliquus minor obtuso.
Quid circuli obliqui? qui in sphera habent situm obliquum.
Divide aliter circulum: dividitur aliter divisione integrali in trecentos et sexaginta gradus.
An omnis circulus habeat precise trecentos et sexaginta gradus?
imo.
An ergo circulus maior et circulus minor habeant eque multos gradus? imo.
Quomodo potest fieri? possibile est quia gradus circuli minoris sunt
minores quam gradus circuli maioris.
Quid gradus? est trecentesima sexagesima pars circuli.
Divide gradum: dividitur in sexaginta minuta.
Quid minutum? est sexagesima pars gradus.
Divide minutum: dividitur in sexaginta secundas. Secunda ulterius
dividitur in sexaginta tertias et sic consequenter.

De Circulo
aequinoctiali et eius officiis

Diffini illum: est circulus maior intrinsecus secundum omnes suas partes equaliter distans ab utroque
polo mundi.
Per quid excluditur horrison habitantium sub polis? per
illam particulam intrinsecus sive internus.
Per quid excluduntur tropici in primis? per illam particulam maior.
Coluri? per illam secundum omnes suas partes etc.
Per quid excluditur zodiacus? etiam per illam ultimam particulam
secundum omnes suas partes.
Quomodo vocatur aliter circulus equinoctialis? equator.
Quare sic vocatur? quia sole describente circulum illum motu diurno
est equinoctium apud omnes homines quorum horrison intersecat equinoctialem.
Quid intelligis per equinoctium? tempus illud quo noctes et dies
sunt equales.
Quoties in anno describit sol illum circulum motu diurno? bis scilicet
semel vigesima prima martij sole existente in initio arietis
et semel vigesima quarta septembris sole existente in initio libre.

proba quod sole describente circulum equinoctialem debeant dies et noctes esse equales apud omnes homines quorum horison intersecat equinoctialem: probatur quia cum horison et equinoctiales sint duo circuli maiores habentes idem centrum necessarium est horisontem dum equinoctialem intersecat ipsum intersecare in duas partes precise equales quarum una est supra horisontem, et altera infra horisontem, iam autem sol equè ~~[illegible]~~ multum temporis intendit decurrendo per illam medietatem equinoctialis existentem supra horisontem et decurrendo medietatem equinoctialis existentem infra horisontem, iam autem sole existente supra horisontem est dies, et sole existente infra horisontem est nox, ac proinde tum noctes et dies debent esse equales apud illos quorum horison intersecat equinoctialem.

Quare additum est apud illos quorum horison intersecat equinoctialem? quia sole describente circulum equinoctialem non est equinoctium apud illos homines quorum horison coincidit cum equinoctiali sive illum non intersecat.

Ubinam habitant illi homines habentes talem horisontem? sub altero polo mundi.

Quare illi homines tum non habent equinoctium? quia habent diem per viginti quatuor horas consequentes.

Quando illi habitantes sub polis habent suum equinoctium sive dies et noctes equales? numquam.

An illi non habeant per medium annum diem, et per medium annum noctem? imo.

Quomodo ergo non habent dies et noctes equales? equidem non habent precise equales sed habitantes sub polo arctico habent ad novem dies dies longiores quam noctes, quia ut postea videbitur sol in decurrendis signis zodiaci septentrionalibus impendit novem dies amplius quam in decurrendo signa zodiaci australia, unde sequitur quod habitantes sub polo antarctico habeant dies ad novem dies breviores quam noctes.

An circulus ille non possit dici equinoctialis ab eo quod habitantes sub ipso semper habeant dies et noctes equales? imo.

Unde provenit quod illi semper habeant dies et noctes equales? ex eo quod horison illorum intersecat omnes circulos parallelos quos sol motu diurno describit in duas precise medietates equales quarum una est supra horisontem et altera infra.

Quid tum? iam autem sol precise equè multum temporis impendit decurrendo medietatem unius cuiusque circuli supra horisontem existentem, et decurrendo medietatem existentem infra horisontem, iam autem dies nihil aliud est quam mora solis supra horisontem, et nox nihil aliud est quam mora solis infra horisontem, cum ergo precise equè multum temporis impendat percurrendo medietatem supra horisontem existentem, et percurrendo medietatem existentem infra horisontem necessarium est

quod mora solis supra horizontem [?] sit equalis morae solis infra horizontem
Quid Dies? est mora solis supra horizontem.
Quam diem definis ibi naturalem an artificialem? artificialem
Quid nox artificialis? est mora solis infra horizontem.
Quis est usus circuli equinoctialis? primo mensurare motum primi mobilis, indicat enim motum primi mobilis, sive integram circumvolutionem eius peragi spatio viginti quatuor horarum
Unde colligitur ex circulo equinoctiali motum primi mobilis peragi spatio viginti quatuor horarum? quia observatum est ab astronomis singulis horis elevari supra nostrum horizontem quindecim gradus circuli equinoctialis, iam autem, unde sequitur totum circulum equinoctialem oriri supra nostrum horizontem spatio viginti quatuor horarum, quia quindecim gradus multiplicati per viginti quatuor faciunt trecentos sexaginta, sibi est totus circulus equinoctialis.
Quisnam est alius usus eius? quod mensuret tempus, quia ex ortu totius equinoctialis supra horizontem colligimus esse elapsas viginti quatuor horas.
Quisnam est alius usus eius? quod indicet puncta equinoctialia.
Declara hoc: quia ostendit initium arietis, et initium librae quia per illa transit.
Da alium eius usum: ut ostendat quaenam pars sphaerae sit septentrionalis et quaenam australis, illa enim est septentrionalis quae est inter equinoctialem et polum arcticum, illa autem est australis quae est inter equinoctialem et polum antarcticum.

De Zodiaco.

Quid Zodiacus? est circulus maior intersecans obliquè intersecans equinoctialem.
Per quam particulam excluditur noster horizon? per illam intersecans.
Per quam particulam excluditur colurus? per illam obliquè intersecans equinoctialem, uterque enim colurus tantum intersecat equinoctialem ad angulos rectos.
In quot partes dividitur Zodiacus? in duodecim signa Zodiaci.
Quid signum Zodiaci? est pars duodecima Zodiaci sub nomine alicuius constellationis.
Enumera duodecim signa Zodiaci: R enumerantur his versibus

sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo

Libraque, scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces.
Quot gradus continet quodlibet signorum? triginta.
An ergo omnia signa Zodiaci sint equis magnitudinis? imo.
An inde non sequatur quod sol equaliter in singulis signis moveatur? non, quia sol diutius moratur in signis septentrionalibus quam in signis australibus. Unde hoc proveniat dicetur postea.
Divide signa Zodiaci: dividuntur in septentrionalia et australia.
Quid signa Zodiaci septentrionalia? sunt signa constituta in parte Zodiaci a linea equinoctiali declinante versus septentrionem.
Quam longe declinat illa pars Zodiaci versus septentrionem? considerando illam secundum lineam ecclypticam declinat ab equinoctiali ad viginti et tres gradus cum medio.
Quare dicis considerando illam secundum lineam ecclypticam? quia pars illa sicut et totus Zodiacus est notabilis latitudinis, et propterea secundum unam extremitatem magis declinat ab equinoctiali versus septentrionem quam linea ecclyptica, et secundum alteram minus.
Numera signa Zodiaci septentrionalia: sunt illa contenta primo versu supra, aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo.
Quare primum signum vocatur aries? ab insigni constellatione referente similitudinem arietis, et idem dicendum de ceteris.
Quid signa Zodiaci australia? sunt signa constituta in illa parte Zodiaci que ab equinoctiali declinat versus austrum.
Quam longe illa pars Zodiaci declinat versus austrum? etiam illam considerando secundum lineam ecclypticam ad viginti tres gradus cum medio, unde Zodiacus utrinque equaliter declinat ab equinoctiali versus polos.
Quot sunt signa Zodiaci australia? sex enumerata ultimo versu, videlicet libra, scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius et pisces.
An sol equaliter moretur in signis septentrionalibus et australibus? non, quia ut antedictum est in septentrionalibus moratur diutius, et quidem ad novem dies.
An signa australia non sint tam magna quam septentrionalia? imo, quia omnia signa Zodiaci sunt eque magna.
Unde ergo provenit quod sol diutius moretur in signis septentrionalibus quam australibus? ex orbe excentrico simpliciter in quo sol movetur, orbis ille enim habet augem in signis septentrionalibus, et oppositum augis in signis australibus.
Quenam signa Zodiaci vocantur equinoctialia? aries et libra.
Quare sic vocantur? quia quando sol est in primo gradu illorum, tunc est equinoctium apud omnes homines quorum horizon intersecat equinoctialem.
Declara: quia quando sol existit in primo gradu illorum, tum motu diurno describit equinoctialem, etiam autem quando sol de-

secabit equinoctialem tunc ut dictum est circa definitionem equinoctialis. [Q]uid est equinoctium apud omnes illos quorum horizon equinoctialem intersecat.

Quid equinoctium? est tempus illud quo dies et noctes sunt [equales].

Divide equinoctium: dividitur in vernum et hiemale.

Quid equinoctium vernum? est equinoctium quod contingit sole existente in primo gradu arietis.

Quando contingit equinoctium vernum? vigesima prima martij.

Utrum tum sit equinoctium vernum apud omnes homines? non sed tantum apud nos, et alios habitantes inter equinoctialem et septentrionem: alias respectu illorum qui habitant inter equinoctialem et austrum tunc est equinoctium hiemale.

Quid equinoctium hiemale? est equinoctium quod contingit sole existente in primo gradu libre.

Quando fit equinoctium autumnale? vigesima quarta septembris.

Que sunt signa Zodiaci dicuntur solstitialia? Cancer et capricornus quia quando sol est in primo gradu illorum fit solstitium.

Quid solstitium? est finis declinationis solis ab equinoctiali, sive est tempus illud quo sol maxime recessit ab equinoctiali.

Quare tempus illud vocatur solstitium? quia sol tunc videtur in zodiaco stare, et non progredi.

An tunc re vera sol in zodiaco non progrediatur? imo, sol enim nunquam in zodiaco quiescit, sed semper progreditur.

Unde ergo provenit quod sol tunc videatur stare? ex eo quod sol tum maxime declinaverit ab equinoctiali, adeo ut die sequenti immediate solstitium sol non distet longius ab equinoctiali quam distabat die immediate precedenti solstitium, et secundo die post solstitium non longius distat quam distabat secundo die ante solstitium, et sic consequenter.

Divide solstitium: dividitur in estivale et hiemale.

Quid solstitium estivale? est solstitium quod fit sole existente in initio cancri.

Quare illud vocatur estivale? quia fit in initio nostre estatis videlicet vigesima secunda Junij.

Quid solstitium hiemale? est solstitium quod fit sole existente in primo gradu capricorni.

Quando fit illud solstitium? vigesima secunda decembris.

Quare zodiacus ponitur latior quam ceteri circuli? quia zodiacus debet in se comprehendere vias omnium planetarum.

An ergo omnes planete semper moveantur in zodiaco? imo.

An omnes planete habeant eandem viam in zodiaco? non, sed sol semper movetur in linea ecclyptica, alij autem planete moventur ab una extremitate zodiaci ad aliam transeundo per lineam ecclypticam.

Quid linea ecclyptica? est linea dividens zodiacum in duas partes equales secundum latitudinem.

Quare linea illa vocatur ecclyptica? quia ut fiant ecclypses notabiliores quales tantum sunt solis et lunae, necessarium est solem et lunam existere in illa linea, aut saltem lunam existere prope illam.
An ergo etiam luna aliquando sit in linea ecclyptica? imo videlicet dum luna est in puncto istius lineae quam motu proprio describit in quo linea illa intersecatur a linea ecclyptica.
Quantae latitudinis est Zodiacus? secundum aliquos est quindecim graduum, secundum alios sedecim.
Quaenam pars Zodiaci vocatur septentrionalis? illa pars quae est inter lineam ecclypticam et septentrionem.
Quaenam pars Zodiaci vocatur australis? illa quae est inter lineam ecclypticam et austrum.
Quantae latitudinis sunt singulae illae duae partes Zodiaci? secundum aliquos singulae latae sunt ad septem gradus cum medio secundum alios ad octo gradus.
Utrum omnes planetae aliquando deflectant a linea ecclyptica ad illam latitudinem? non, ut patet ex ante dictis, quia ante dictum est quod sol semper movetur precise in linea ecclyptica, adeo ut centrum solis semper correspondeat lineae ecclypticae.
An saltem reliqui planetae ad istam latitudinem deflectant a linea ecclyptica? non, sed tantum deflectunt ad illam latitudinem Venus et mercurius.

De Coluris

Quid colurus? est circulus maior intervius transiens per polos mundi.
Per quid excluditur meridianus? per particulam intervius.
Per quid excluditur horison coincidens cum meridiano? per eandem particulam.
Dividitur colurus? dividitur in colurum solstitiorum et colurum aequinoctiorum.
Quid colurus solstitiorum? est circulus maior intervius transiens per polos mundi, et puncta Zodiaci solstitialia.
In qua parte Zodiaci sunt illa puncta solstitialia? in primo gradu cancri, et primo gradu capricorni.
Quid colurus aequinoctiorum? est circulus maior intervius transiens per polos mundi et puncta Zodiaci aequinoctialia.
In qua parte Zodiaci sunt illa puncta aequinoctialia? in primo gradu arietis, et primo gradu librae.
Quodnam est officium coluri solstitiorum? ostendere puncta Zodiaci

solstitialia, deinde etiam indicant solstitia.
Quodnam est officium coluri æquinoctiorum? ostendere puncta zodiaci
æquinoctialia, deinde indicant æquinoctia.

De Meridiano?

Quid meridianus? est circulus maior ex terminus transiens
per polos mundi et per polos horizontis cuiusque loci.
per quid excluditur colurus coincidens cum meridiano? per illud ex-
ternus, colurus enim est circulus internus.
per quid excluditur horizon? per illud transiens per polos hori-
zontis cuiusque loci.
An idem circulus non possit esse meridianus et horizon respectu
diversorum? imo sic meridianus respectu illorum qui habitant sub
polis potest esse horizon respectu habitantium sub æquinoctiali.
Quinam sunt poli horizontis? Zenith et nadir.
Quid Zenith? est punctum coeli correspondens, etc.
An tantum sit unus meridianus? non, sed sunt multi.
Quot sunt meridiani? tot quot sunt puncta in linea semicirculari
in superficie terræ ducta ab oriente in occidentem videlicet loquendo
rigorose.
An quotiescunque mutamus locum, mutemus meridianum? non, quia
non mutabimus meridianum si directe ex septentrione ambulare-
mus versus austrum.
Declara, quod non: quia manet eadem linea circularis quæ transit
per polos mundi et omnia ista zenith quæ per talem ambulationem
acquirimus.
An ergo non semper mutemus meridianum quando mutamus ze-
nith? non ut iam ex dictis colligitur.
An saltem aliquando mutando locum non mutemus meridia-
num? imo semper quando mutamus locum recedendo ab oriente
versus occidentem vel econtra recedendo ab occidente versus
orientem.
Declara quod tum mutemus meridianum: quia non est idem
circulus qui transit per polos mundi et ista zenith quæ circumeun-
tando locum acquirimus.
Quid de meridiano: dividitur in intelligibilem et sensibilem.
Quid meridianus intelligibilis? est qui concipitur tanquam
indivisibilis secundum latitudinem.
Quot sunt tales meridiani? tot sicut ante dictum est, quot sunt
puncta in linea semicirculari in superficie terræ ducta ab orien-
te in occidentem.
Quid meridianus sensibilis? est meridianus qui concipitur tan-
quam notabilis latitudinis.

versus quas partes mundi extenditur latitudo istius meridiani? versus orientem et occidentem.

Quantae latitudinis est meridianus sensibilis? latitudinis triginta sex minutorum, quod est medij gradus, seu unius decimae partis horae dius.

Quot milliaria correspondent in terra isti latitudini? triginta septem cum medio.

Quare meridianus statuitur tantae latitudinis? quia tantum admutationem tantae latitudinis in terra commode observari potest mutatio ortuum et occasuum stellarum, quando enim quis ad triginta septem miliaria cum medio recedit ab oriente versus occidentem tunc notabiliter serius oriuntur ipsi astra, et serius occidunt quam ante, si vero ad triginta septem milliaria cum medio recedat ab occidente versus orientem, tunc illi notabiliter citius oriuntur et occidunt astra quam ante.

Utrum omnes meridiani sensibiles ab omnibus statuantur praecise istius latitudinis? non, quia ab aliquibus statuuntur tantum centum et octoginta meridiani sensibiles, ac proinde illi statuuntur notabiliter latiores quam praecedentes, imo ab aliquibus tantum statuuntur duodecim.

Quantae latitudinis sunt illi duodecim meridiani? singuli sunt tantae latitudinis ut existentibus in extremitate illorum meridianorum propinquiori occidenti oriantur astra una integra hora serius, et similiter una integra hora serius occidant quam existentibus in altera extremitate propinquiori orienti.

In quo coelo concipitur meridianus? in coelo empyreo, et quidem in eius concava superficie.

Quare circulus ille concipitur in isto coelo? quia concipitur tanquam immobilis, inter coelos autem tantum coelum empyreum est immobile.

Quodnam est officium meridiani? designare tempus quo in quo est medius dies, et in quo est media nox.

Quandonam est media dies sive meridies? quando sol est in meridiano supra nostrum horisontem.

Quandonam est media nox? quando sol est in meridiano infra nostrum horisontem.

Quodnam est aliud officium eius? ostendere maximam elevationem astrorum supra nostrum horisontem.

Quandonam astra sunt maxime supra nostrum horisontem elevata? dum existunt in meridiano.

An ergo astra existentia in meridiano non possunt uno die magis esse elevata supra nostrum horisontem quam alio? imo, quia sic sol in aestate existens in meridiano est magis elevatus supra nostrum horisontem quam dum in meridiano existit tempore hiemali.

Quomodo ergo ante recte generaliter dixisti quod astra sunt maxime elevata supra nostrum horisontem dum existunt in meri

diano? Hoc intelligendum est hoc sensu quod illo eodem die num-
quam sit magis supra horizontem elevata.
Unde colligitur quod sol in estate existens in nostro meridiano
magis supra nostrum horizontem sit elevatus, quam dum in
illo existit tempore hiemali, colligitur ex eo quod sol ~~tunc~~ in
estate proiiciat umbram breviorem quam in hieme, iam autem
quo sol proiicit umbram minorem eo magis est supra horizon-
tem elevatus.
Quodnam est aliud officium meridiani? illud quod sit secundum
astrologos initium a quo incipit dies naturalis.
An omnes incipiant suos dies naturales a meridiano? non sed
aliqui computant diem naturalem ab uno ortu solis usque ad ortum
solis subsequentem, alii autem ab uno occasu solis ad alium
occasum solis subsequentem.
An non sit differentia quomodo ~~...~~ dies naturales compu-
tentur? non, quia illi qui incipiunt diem naturalem ab existen-
tia solis in meridiano supra horizontem et finiunt in
existentia solis iterum in meridiano supra horizontem die
sequenti illi habent dies naturales semper equales, et simi-
liter illi qui computant ab existentia solis in meridiano infra
horizontem usque ad existentiam eiusdem in meridiano nocte sequen-
ti habent dies semper equales, non autem alii quia dies na-
turales non sunt secundum computum illorum equales, ~~sed~~
quia non in sphera obliqua.

Huc usque sub Doctissimo
Domino Domino
Salomone
Ceruranx.

De Horrisonte Sub Doctissimo Domino Domino De Wit Brugensi

Quid horrison? est circulus maior externus hemisphe-
rium visum a non viso separans.
Quid circulus maior? est circulus dividens sphæram
in duas partes æquales.
Da circulum maiorem non horrisontem: meridianus.
Quomodo meridianus non est horrison cum sit circulus maior
externus hemisphærium visum a non viso separans? non est talis.
Quomodo cum separet hemisphærium visum; a non viso respectu
illorum hominum qui habent polos meridiani pro suo Zenith vel nadir:
nihil refert quia respectu illorum hominum ille circulus non est meri-
dianus sed horrison.
Quid hemisphærium? est una medietas sphæræ.
pro quo hemisphærio sumitur hemisphærium in hac definitione?
pro hemisphærio coelesti.
Quid hemisphærium visum? est illa medietas sphæræ quæ ab oculo
saltem pro maxima sui parte conspici potest sublatis impe-
dimentis à globo terrestri distinctis.
Quid hemisphærium non visum? est illa medietas sphæræ quæ
ab oculo conspici non potest.
Quomodo illa definitio est bona cum horrison non debeat esse
circulus maior? nego, quia debet.
Quomodo cum non dividat sphæram in duas partes æquales?
nego.
Quomodo cum separet hemisphærium visum a non viso? est
verum et non refert.
Quomodo nihil refert cum hemisphærium visum et non visum
non sint partes æquales? sunt partes æquales prout hic.

In quo loco solet concipi horrison? in coelo empyreo.
Quare non concipitur in primo mobili? quia horrison est circulus immobilis adeoq melius concipitur in loco immobili qualis est coelum empyreum quam in loco mobili qualis est primum mobile.
Quo nomine appellantur poli istius horrisontis? appellantur zenith et nadir.
An semper sit idem horrison respectu omnium hominum? non.
Quandonam homines habent diversum horrisontem? quando sunt in diverso loco infra idem hemispherium quia habent diversum zenith et nadir qui sunt pol[i] horrisontis.
Quid tum? iam autem si habeant diversos polos etiam habent diversum horrisontem quia generaliter diversificatis polis diversificatur circulus.
An nulli homines in diverso loco existentes possint habere eundem horrisontem? imo si sint sibi mutuo antipodes.
An duo homines in eodem hemispherio non possint habere eundem horrisontem? hoc aliquo casu fieri potest nimirum si unus directe ponatur supra alterum in eodem hemispherio.
Declara quod tunc habebunt eundem horrisontem: quia haberent idem zenith iam autem quicunq habent idem zenith habent eundem horrisontem.
Quomodo ergo ante recte dictum est quod homines in diversis locis existentes sub eodem hemispherio habeant diversum horrisontem? equidem recte.
Quomodo cum hi homines in diversis locis sub eodem hemispherio existentes habeant eundem horrisontem? non existunt in diversis locis ad sensum questionis.
Quid ergo intelligitur per existere sub eodem hemispherio in diversis locis? intelligitur existere in diversa parte superficiei convexe terre iam autem hi homines de quibus ante non existunt in diversa parte superficiei convexe terre.
An quando homo movetur in terra, etiam eius horrison moveatur in coelo? non, quia horrison est circulus immobilis.
Quid ergo contingit quando homo movetur per terram? homo mutat suum horrisontem continuo tamdiu nimirum quam movetur infra idem hemispherium.
Quot ergo sunt horrisontes? innumerabiles.
Da circulum cum quo potest coincidere horrison: equinoctialis
respectu quorum hominum horrison coincidens cum equinoctiali est horrison? respectu hominum directe habitantium sub polis mundi.
An horrison possit coincidere cum coluro solstitiorum? imo.
Quinam homines habent horrisontem coincidentem cum coluro solstitiorum? homines habitantes sub equinoctiali, et habentes pro suo zenith punctum illud equinoctialis, in quo ipse tangit colurum equinoctiorum.

Quinam homines habent horrisontem coincidentem cum colurio aequinoctiorum? illi qui habitant sub aequinoctiali, et habent pro suo Zenith punctum in quo ipse tangit colurum solstitiorum.
An possit dari horrison coincidens cum Zodiaco? ipso.
An ergo dentur homines qui semper habent eundem? dico non.
Quare non illi quorum horrison coincidit cum Zodiaco? illi non sunt tales, quia nimirum horrison eorum non semper coincidit cum Zodiaco.
Unde contingit quod non semper coincidat cum Zodiaco? quia horrison est circulus immobilis et Zodiacus movetur continuo motu translationis per raptum primi mobilis.
Quid motus translationis? est motus localis quo corpus aliquod sic movetur ut mutet suum locum totalem. ut motus quo petrus ambulat per scolam [struck].
Quid motus conversionis? est motus localis quo aliquod corpus sic movetur ut partes subintrent in locum partium, ipsum autem corpus retineat suum totalem locum
Divide horrisontem: dividitur in [struck] sensibilem et rationalem
Quid horrison rationalis? est horrison precise sphaeram dividens in duo hemisphaeria exacte aequalia.
Quid horrison sensibilis? est ille circulus precise undequaque terminans partem coeli visibilem ab oculo sublatis impedimentis.
An illa divisio horrisontis sit divisio univoci in sua univocata? non, quia horrison sensibilis non est proprie dictus horrison, quia ille horrison non est circulus maior quia non dividit sphaeram in duas partes aequales, quia pars coeli visa a nobis et non est aequalis parti coeli non visae.
An ergo homo in terra existens non possit videre integrum hemisphaerium sublatis impedimentis? non, propter vastitatem terrae.
Divide aliter horrisontem: dividitur in rectum, obliquum et neutrum.
Quid horrison rectus? qui intersecat aequinoctialem ad angulos rectos.
Quinam homines habent horrisontem rectum? qui habitant directe sub aequinoctiali quia habent horrisontem intersecantem aequinoctialem ad angulos rectos.
Quandonam censetur unus circulus intersecare alterum ad angulos rectos? quando nimirum sic intersecat alterum circulum ut partes utriusque se mutuo intersecantes constituant perfectam crucem.
Quid horrison obliquus? qui intersecat aequinoctialem ad angulos obliquos.

Quando censetur unus circulus intersecare alterum ad angulos
obliquos? quando sic intersecat alterum ut intersecando magis declinet
vertat versus unam partem quam ad alteram. vel sic quando partes utriusque
circuli se mutuo intersecantes non constituunt perfectam crucem.
Quid Horrison neuter, seu inversus? est horrison coincidens
cum equinoctiali.
Qui nam homines habent horrisontem neutrum? homines habitantes directe sub polis mundi.
Qui nam homines habent horrisontem obliquum? omnes illi qui nec
habitant sub equinoctiali, neque directe sub polis mundi.
Quae nam est distinctio inter tres illos horrisontes? una distinctio
peti potest ex cuiuslibet definitione nempe quod rectus intersecet
equinoctialem ad angulos rectos, obliquus ad obliquos, neuter
autem seu inversus cum equinoctiali coincidat.
Assigna aliam distinctionem: quod nimirum horrison neuter sit
unicus, horrison autem rectus est multiplex tendendo versus
occidentem aut orientem, obliquus autem est multiplex versus
omnem situs differentiam.
Declara quod horrison rectus sit multiplex tendendo versus
orientem vel occidentem: quia homo existens sub equinoctiali
et manens sub equinoctiali si tendat versus occidentem sub
eodem hemisphaerio scilicet mutat continuo suum horrisontem
rectum.
Declara quod mutabit suum horrisontem: quia mutabit continuo
suum zenith sub eodem hemisphaerio, iam autem cum sub eodem hemisphaerio mutat suum zenith mutat etiam suum horrisontem.
Quare additur sub eodem hemisphaerio? quia quando aliquis sub
equinoctiali eo usque tenderet ut ad alterum hemisphaerium perveniret etiamsi ibi mutaret suum zenith, non ideo tamen
necessario mutaret horrisontem.
Declara: quia posset in alio hemisphaerio habere pro suo zenith
illud punctum quod antea habebat pro suo nadir.
Quandonam censetur aliquis movendo se acquirere idem hemisphaerium? quando zenith quod movendo se acquirit est pars eiusdem hemisphaerii sub quo erat ante.
Da aliam distinctionem inter tres predictos horrisontes: horrison neuter
habet polos coincidentes cum polis mundi.
Declara: quia coincidit cum equinoctiali, iam autem equinoctialis
pro polis suis habet polos mundi, iam autem si horrison neuter
coincidat cum equinoctiali debet habere eosdem polos, ac proinde
polos mundi. generatim enim quando circuli coincidunt poli eorum
necessario coincidunt.
Da aliam: horrison rectus transit per polos mundi. horrison
autem obliquus neque transit per polos mundi, neque habet polos
coincidentes cum polis mundi.

Declara quod Horrison rectus transeat per polos mundi: quia ille Horrison rectus transit per polos Equinoctialis qui coincidunt cum polis mundi.

Declara quod Horrison rectus ~~[struck word]~~ per polos Equinoctialis transeat. quia est circulus maior intersecans Equinoctialem ad angulos rectos, iam autem generatim circulus maior transit per polos illius circuli maioris quem intersecat ad angulos rectos.

Quare Horrison obliquus neque transit per polos mundi, neque habet polos coincidentes cum polis mundi? quia neque coincidit cum Equinoctiali neque intersecat Equinoctialem ad angulos rectos, iam autem ut haberet polos coincidentes cum polis mundi, deberet coincidere cum ~~polis~~ Equinoctiali. ut autem transiret per polos mundi deberet Equinoctialem intersecare ad angulos rectos

Quodnam est officium Horrisontis? est multiplex, primum est dividere hemisphaerium visum a non viso, dividere hemisphaerium superius ab inferiori.

Quid hemisphaerium superius? est hemisphaerium in quo est Zenith illius hominis respectu cuius dicitur superius.

Quid hemisphaerium inferius? est hemisphaerium in quo est nadir illius hominis respectu cuius dicitur inferius.

An idem hemisphaerium possit esse superius et inferius? imo respectu diversorum hominum, quia sic hemisphaerium quod est superius respectu petri potest esse inferius respectu pauli antipodis.

An idem hemisphaerium possit esse superius respectu diversorum? imo etiam in rigore loquendo ~~[struck word]~~ duo homines qui erigantur per eandem celi diametrum terre, hoc autem contingeret quando unus directissime poneretur supra alterum.

Da aliud officium: ostendere puncta ortus et occasus astrorum.

Quid punctum ortus alicuius astri? est punctum Horrisontis per quod astrum transit ab hemisphaerio inferiori ad superius

Quid punctum occasus alicuius astri? est punctum Horrisontis per quod astrum transit ab hemisphaerio superiori ad inferius.

An quilibet Horrison ostendat punctum ortus et occasus cuiuscumque astri? non,

Quisnam Horrison generaliter non ostendit tale punctum cuiuscunque astri? Horrison obliquus cuius circumferentia parum notabiliter recedit a polis mundi.

Declara: quia tales Horrisontes semper habent alteram stellam polarem perpetuo supra se lucentem. talis etiam Horrison est Horrison noster.

An non detur Horrison qui ostendit punctum ortus et occasus cuiuscunque stelle? imo, talis est Horrison rectus.

An detur Horrison in quo nullae stelle habent punctum ortus aut occasus? imo. talis est Horrison neuter.

Quomodo cum sol existat aliquando supra horrisontem nostrum, ali=

quando infra ? non refert.
Quomodo cum sic habebit punctum ortus et occasus in illo horizonte? non habebit proprie loquendo.
Quare non illud punctum utrinque per quod ascendit et illud punctum per quod descendit? quia per illud punctum non ascendit supra horizontem motu diurno, nec per alterum punctum descendit motu diurno, iam autem illud proprie loquendo est punctum ortus astri quod est punctum horizontis per quod astrum motu diurno ascendit supra horizontem, conformiter dicendum de puncto occasus.
Quidnam ergo? motu solis ascendit supra horizontem utrumque? motu proprio per viam Zodiaci. aliud officium horizontis est ostendere ortum verum et latitudinem ortivam, item ostendere occasum verum et latitudinem occiduam.
Quid ortus verus? est punctum illud horizontis per quod stella oritur dum motu diurno describit equinoctialem.
Quomodo se habent punctum ortus et ortus verus? ut magis et minus communia. magis communis est punctum ortus.
Da punctum ortus non verum: punctum ortus solis dum describit tropicum cancri.
Quid latitudo ortiva? est arcus horizontis interceptus inter ortum verum et punctum horizontis per quod stella hic et nunc oritur
Quid arcus mathematicus? est pars divisibilis circuli, generaliter arcus circuli speciatim dictus est pars divisibilis circuli minor quadrante circuli, et sic intelligitur in definitione latitudinis ortivae.
Quid occasus verus? est punctum illud horizontis per quod stella occidit dum motu diurno describit equinoctialem.
Quid latitudo occidua? est arcus horizontis interceptus inter occasum verum et punctum illud horizontis per quod stella hic et nunc occidit.
Da latitudinem occiduam: ~~latit~~ arcus circuli horizontis interceptus inter punctum horizontis quod correspondet equinoctiali et punctum illud per quod sol ascendit dum describit tropicum cancri.
An omnes stellae habeant verum ortum? non, quia stella polaris nunquam habet verum ortum, quia illa non potest describere equinoctialem motu diurno, iam autem ut stella possit habere verum ortum debet posse describere equinoctialem motu diurno.
An stella semel habens verum ortum semper illum retineat? non. quia ~~planeta~~ modo habet verum ortum, modo latitudinem ortivam, quia sol v.g. habet verum ortum supra nostrum horizontem quando motu diurno ~~describit~~ equinoctialem describit, et habet latitudinem ortivam quando describit tropicum cancri.
An dentur stellae quae semper habeant verum ortum? imo, moraliter loquendo.

Da talem: tales sunt stellae fixae quae in firmamento motu diurno describunt aequinoctialem.

Quid stella fixa? est stella distincta a planeta.

Quare dictum est moraliter loquendo? quia physice loquendo non habent semper verum ortum propter motum nonae sphaerae.

Da aliud officium horizontis? ostendere stellas perpetuae apparitionis, et ostendere stellas perpetuae occultationis.

Quaenam stellae censentur perpetuae apparitionis supra aliquem horizontem? illae quae describunt sic suos circulos totos supra horizontem ut nullum describant infra.

Quandonam censentur stellae perpetuae occultationis? quando sic describunt totos suos circulos infra horizontem ut nunquam ullum supra, ne quidem pro parte describant.

An eaedem stellae possint esse perpetuae occultationis et perpetuae apparitionis? imo respectu diversorum hominum, quia sic stellae quae sunt circa polum arcticum, sunt perpetuae apparitionis respectu hominum habitantium sub polo arctico, et eaedem stellae sunt perpetuae occultationis respectu hominum habitantium sub polo antarctico.

Quomodo se habent quoad praedicationem homines habentes stellas perpetuae occultationis, et homines habentes stellas perpetuae apparitionis? Convertuntur, quia dum aliquae stellae describunt omnes suos circulos supra horizontem aliquorum hominum, tunc etiam aliquae stellae in parte mundi opposita describunt omnes suos circulos infra horizontem eorundem.

Quomodo se habent homines habentes stellas perpetuae apparitionis et homines habentes stellas non perpetuae apparitionis? ut magis et minus communia: magis commune est homines habentes stellas non perpetuae apparitionis.

Declara quod hoc sit magis commune: quia dantur homines habentes stellas non perpetuae apparitionis, qui non habent stellas perpetuae apparitionis sed non contra.

Da tales homines: tales sunt qui habitant directe sub aequinoctiali.

Quare illi non habent stellas perpetuae apparitionis? quia omnes stellae modo oriuntur modo occidunt respectu ipsorum.

Quare non dantur homines qui habent stellas perpetuae apparitionis, et qui simul non habeant stellas non perpetuae apparitionis? quia homines habentes stellas perpetuae apparitionis necessario habent stellas perpetuae occultationis, et consequenter stellas non perpetuae apparitionis.

An detur horizon qui ostendit ~~stellas~~ planetas perpetuae apparitionis? non. quia non datur horizon contra quem aliquis planeta describit omnes suos circulos diurnos.

Quare non? quia omnis horizon vel coincidit cum equinoctia-
li vel intersecat equinoctialem. si coincidat cum equinoctiali
tunc quilibet planeta describit unum tropicum supra illum, et
unum tropicum infra illum. si intersecet equinoctialem tunc pla-
neta non potest describere equinoctialem supra illum, quia qua-
ratim circulus non potest totaliter describi supra illum circu-
lum a quo intersecatur.
Quales stellas nos habemus an perpetue apparitionis an perpe-
tue occultationis? aliquas perpetue occultationis, et aliquas per-
petue apparitionis, et aliquas nec perpetue occultationis, nec ap-
paritionis perpetue.
Da stellam que respectu nostri est perpetue apparitionis:
Stella polaris arctica.
Da stellam que est perpetue occultationis respectu nostri:
Stella polaris antarctica.
An inveniuntur alie perpetue apparitionis respectu nostri? imo.
nempe aliquot stelle fixe lucentes versus septentrionem.
Quot gradibus potest distare a polo arctico stella fixa perpe-
tue apparitionis respectu nostri? Circiter quinquaginta et duo gra-
dibus, quia polus arcticus est supra nostrum horizontem ele-
vatus quinquaginta et duo gradibus.
Quot gradibus potest distare stella perpetue apparitionis
ab altero polorum mundi ad summum? nonaginta gradibus cir-
citer. et talis est stella fixa describens circulum diurnum pre-
cise contiguum equinoctiali.
Aliquod aliud officium horizontis: ostendere quantitatem die-
rum et noctium artificialium.
Quid dies artificialis? est totum illud tempus quo sol existit
supra alicuius horizontem.
Quid nox artificialis? est totum illud tempus quo sol existit
infra alicuius horizontem.
Declara quod horizon ostendat quantitatem dierum et noctium
artificialium: quia quamdiu est supra horizontem alicuius
tam diu est dies artificialis respectu illius, et quamdiu est infra
alicuius horizontem tam diu est nox artificialis respectu il-
lius.
Quanto tempore potest durare dies artificialis? ~~quantum tem-~~
~~pore sol est supra horizontem.~~ aliquando durat duodecim horis
aliquando diutius, aliquando minus diu.
An omnes dies artificiales qui contingunt supra eundem
horizontem sint equales? non, quod patet in nostro horizonte
supra quem est dies artificialis longior in estate quam in hye-
me.
An aliqui horizontes ostendant diem artificialem longiorem

vigenti quatuor horis? imo talis est horison coincidens cum aequinoctiali.

Dic adequate quisnam horison habeat omnes dies artificiales aequales noctibus sibi correspondentibus: talis est horison rectus.

An tantum? non quia etiam horison neuter.

Dic adequate quisnam horison non habeat omnes dies aequales noctibus sibi correspondentibus: generatim obliquus.

Quot solent assignari horisontes sensibiles notabiliter scilicet inter se distincti? duodecim tendendo scilicet ab oriente in occidentem vel contra, quia solet mutari horison sensibilis toties quoties pro diversitate loci sol oritur una hora citius tendendo ab occidente in orientem; taliter autem computando inveniuntur duodecim horisontes sensibiles notabiliter distincti inter orientem et occidentem.

Quid posset ergo contingere si aliquis valde notabili tempore iter faceret continuo ab [struck through] occidente in orientem: hoc posset fieri si ille dies numeraret continuos secundum ortum solis tandem posset venire ad unum locum in quo ipse putaret esse diem sabbathi cum tamen apud illos esset dies dominica.

De Circulis Minoribus et

Quaenam eorum sint officia.

Quid Circulus minor? est circulus dividens sphaeram in duas partes inaequales. ut tropicus cancri, quia dividit sphaeram in duas partes inaequales.

Quot sunt Circuli minores? quatuor, nempe polus arcticus et polus antarcticus, tropicus cancri et tropicus capricorni.

Quid Circulus tropicus? est circulus qui motu diurno describitur a sole in maxima declinatione ab ecclyptica.

Quotuplex Circulus tropicus? duplex: tropicus cancri et capricorni.

Quid tropicus Cancri? est tropicus qui a sole describitur motu diurno existente in principio Cancri.

Quid tropicus Capricorni? est tropicus qui describitur a sole existente in principio Capricorni.

Quoties sol describit in anno tropicum Cancri et tropicum Capricorni? singulos semel in anno.

Quomodo sol describit tropicum Circulum Cum existens est
in principio cancri non describat verum Circulum? non describit
verum Circulum proprie loquendo sed tamen dicitur describere
circulum vulgariter loquendo.
Declara quod sol non describat verum Circulum existens in
principio cancri proprie loquendo: quia dum movetur in principio can=
cri post viginti quatuor horas non revertitur ad idem principium
Cancri, hoc autem deberet fieri ut proprie loquendo describeret
verum Circulum tropicum Cancri.
Quid ergo sunt proprie loquendo Circuli diurni descripti a
sole? sunt spirae.
Quare sol tantum semel in anno describit tropicum Cancri?
quia ecclyptica tantum tangitur in uno puncto a tropico
Cancri.
An sol non describat alios Circulos minores nisi illos duos
tropicos motu diurno? imo. sic describit Circulum minorem etiam
dum est in principio leonis. item dum est in principio tauri.
Quomodo cum non notentur alii Circuli minores descripti a sole
nisi illi duo tropici in sphaeram artificiali? nihil refert, quia non est
necesse omnes illic notare.
An sol describat alios Circulos minores etiam tantum semel in
anno? non sed describit bis.
Declara quod illos necessario describat bis in anno: quia illi omnes
tangunt ecclypticam in duobus distinctis punctis.
An sol tantum Circulos minores describat motu diurno? non,
quia etiam describit aequinoctialem qui est circulus maior.
Quoties sol describit aequinoctialem in anno? bis, nempe in ariete
et libra.
Quodnam est officium tropicorum? est multiplex, unum est dis=
tinguere Zonam torridam a Zonis temperatis, quia Zona tor=
rida interiacet inter duos tropicos et post tropicum Cancri
sequitur una Zona temperata, post tropicum autem capricorni
sequitur aliа.
Da aliud officium: ostendere maximam declinationem solis ab
aequinoctiali quae possibilis est, quia sol nunquam magis distat ab
aequinoctiali, quam dum describit alterum tropicorum.
Quot gradibus distat sol ab aequinoctiali quando est in principio
Cancri vel capricorni? viginti tribus gradibus cum medio.
Unde hoc Colligitur? quia arcus coluri solstitiorum interceptus
inter principium Cancri, et illud punctum in quo ille Colurus
tangit aequinoctialem est latus viginti tribus gradibus cum
medio. item arcus Coluri solstitiorum interceptus inter principium
Capricorni, et punctum in quo ab alia parte tangit aequinoctia=
lem est latus viginti tribus gradibus cum medio.

Quomodo sol distat tantum viginti [tribus] gradibus cum medio ab aequinoctiali existens in principio Cancri cum ut ab aequinoctiali moveatur ad principium Cancri debeat conficere quartam partem Zodiaci? Est verum et non refert.

Quomodo cum quarta pars Zodiaci constet nonaginta gradibus? non refert quia per Zodiacum tantum movetur oblique ab aequinoctiali ad tropicum Cancri, et sic motus Zodiaci non potest esse mensura distantiae solis.

Quodnam est aliud officium tropicorum? ostendere longissimum et brevissimum diem, et longissimam et brevissimam noctem respectu nostri horizontis.

An singuli tropici ostendant longissimum et brevissimum diem respectu nostri? non, sed unus nobis ostendit longissimum diem et brevissimam noctem, et alter nobis ostendit longissimam noctem et brevissimam diem.

Quis nobis ostendit longissimum diem? tropicus Cancri, tropicus autem Capricorni brevissimum diem.

Quomodo ~~est~~ habent tropicus ostendere longissimum, et tropicus ostendere brevissimum diem? respectu eorum hominum repugnant, respectu ~~[illegible]~~ libero convertuntur, quia tropicus Cancri nobis ostendit longissimum diem, et hominibus qui sunt nostri antipodes ostendit brevissimum diem, tropicus autem Capricorni econverso.

Quodnam est aliud officium tropicorum? ostendere horisontem hominum habitantium sub circulis polaribus, quia omnis horison hominum habitantium sub polaribus tangit utrumque tropicum in illis punctis per quae horison maxime deflectit ab aequinoctiali.

Dic adaequate quinam homines possint habere horisontem aliquando coincidentem cum Zodiaco: omnes illi homines qui habitant sub circulis polaribus.

Declara: quia illorum Zenith et nadir est in circulis polaribus, iam autem polus Zodiaci vertitur per omnia puncta spatii correspondentis circulo polari, in isto autem spatio est Zenith cuiuslibet hominis habitantis sub circulo polari.

Quid inferes inde ulterius? ergo omnes homines habitantes sub polaribus [illegible] soli habent horisontem coincidentem cum Zodiaco aliquando.

Quandonam unusquisque illorum hominum habet horisontem coincidentem cum Zodiaco? quando polus Zodiaci motu suo venit ad illud punctum spatii quod est Zenith ipsius, ~~quia~~ iam autem si ille homo habeat Zenith coincidens cum polo Zodiaci, etiam habet tunc temporis horisontem coincidentem cum Zodiaco.

Da generalem regulam: quando poli circulorum maiorum coincidunt, etiam circuli maiores coincidunt.

Quid Circulus polaris? est circulus minor equatori parallelus descriptus a polo Zodiaci motu diurno circa polos mundi.

Quid equator? idem est quod equinoctialis.

Quid Circulus parallelus? qui distat equaliter secundum omnes suas partes ab altero. vel hic est circulus qui movetur supra eundem axem cum alio ad quem comparatur motu conversionis.

excludo ab hac definitione tropicos: polarium per illud descriptus a polo Zodiaci quia tropicus non describitur a polo Zodiaci, tropicus enim tangit Zodiacum, iam autem nullus circulus describi potest a polo illius circuli quem tangit.

Quare circulus polaris vocatur polaris? ob duplicem rationem, primo, quia est vicinus polo mundi, deinde quia describitur motu diurno a polo Zodiaci.

Quotuplex circulus polaris? duplex, alius arcticus, alius antarcticus

Quid circulus polaris arcticus? est circulus polaris qui describitur a polo Zodiaci circa polum arcticum, antarcticus qui describitur a polo Zodiaci circa polum antarcticum.

Quid polus arcticus? polus mundi septentrionalis.

Quid polus antarcticus? polus mundi meridionalis seu ~~a~~ australis.

Quodnam est officium Circulorum polarium? ostendere distantiam polorum Zodiaci a polis mundi.

Quantum distant poli Zodiaci a polis mundi? viginti tribus gradibus cum medio.

unde hoc colligitur? ex eo quod Zodiacus ratione suae ecclypticae distet viginti tribus gradibus cum medio ab equinoctiali in illis partibus in quibus maxime declinat ab equinoctiali, iam autem si hoc sit verum poli Zodiaci debent etiam tot gradibus distare a polis mundi qui sunt poli equinoctialis.

declaro hoc per generalem regulam: quia quantum distant duo Circuli maiores se mutuo oblique intersecantes in illis punctis in quibus maxime a se recedunt tantum distant poli eorundem.

Quodnam est aliud officium Circulorum polarium? ostendere etiam polos Zodiaci, quia describuntur a polis Zodiaci.

Da aliud officium: distinguere Zonas frigidas a Zonis temperatis, quia procedendo ab altero tropicorum usque ad alterum polarem sibi proximum vicinum habemus finem Zonae temperatae et procedendo ultra circulum polarem versus polum mundi habemus Zonam frigidam.

Quodnam est aliud officium Circulorum polarium? ostendere Zenith et Nadir omnium illorum qui habent horisontem obliquum ido coincidentem cum Zodiaco, quia Zenith et Nadir omnium istorum hominum est precise in spatio Circulari directe correspon

dente alteri Circulo polari.

Quare Zenith talium hominum non potest esse in spatio ad latus Circuli polaris? quia si esset ad latus unquam haberent hori=sontem coincidentem cum Zodiaco quia tunc ipsorum Zenith et nadir unquam coinciderent cum polis Zodiaci, iam autem quan=do poli circulorum maiorum unquam coincidunt tunc circuli unquam coincidunt.

declara quod tunc Zenith et nadir unquam coinciderent cum polis Zodiaci: quia si ipsorum Zenith sit ad latus circuli pola=ris semper manebit ibi utpote immobilis. et ab alia parte poli Zodiaci unquam recedunt a circulo polari, ergo conse=quenter unquam coincident.

Assigna aliud officium: ostendere distantiam qua a polis mundi distant Zenith et nadir illorum hominum qui aliquando habent horisontem coincidentem cum Zodiaco.

Quantum distant Zenith et nadir illorum hominum a polis mundi? viginti tribus gradibus cum medio.

Quanta est maxima distantia ab equinoctiali circumferentie illius horisontis qui aliquando coincidit cum Zodiaco? distantia vigin=ti trium gradium cum medio.

Quando circulus concipitur aliquam latitudinem habere secun=dum quod punctum dicitur distare a circulo quem intersecat? Secundum illud punctum quod est in linea media istius latitudinis.

Quomodo ergo intelligenda est hec questio qua petitur An Zodiacus tangens tropicum Cancri maxime distet ab equinoctiali ratione illius puncti quo tangit tropicum Cancri? intelligendum est ratione puncti quod est in linea ecclyptica que est media in Zodiaco

Assigna aliud officium polarum. aliud est designare homines qui aliquando habent diem artificialem longiorem die naturali

declara quod Circuli polares illos homines designent: quia omnes homines qui habitant sub spatio coelesti intercepto inter circulum polarem, et polum mundi habent aliquando diem artificialem longiorem viginti quatuor horis, tales autem homi=nes designantur a circulis polaribus.

Quare omnes illi homines habent diem artificialem longiorem die naturali? Quia omnes illi homines habent horisontem supra quem Sol describit plus quam unum circulum diur=num.

declara quod hoc sit necessarium: quia Zenith illorum hominum debet a polis equinoctialis distare minus quam viginti tri=bus gradibus cum medio, ergo etiam horison illorum debebit distare minus ab equinoctiali quam viginti tribus gradibus cum medio, et consequenter habebit supra se unum integrum tropicum distan=tem viginti tribus gradibus cum medio, et consequenter sol poterit

describere illum tropicum supra horisontem. Ultra autem tempus
viginti quatuor horarum debebit sol existere parum diutius ut descri=
bat illud spatium motu diurno per quod retrocessit motu proprio. pro
quo notandum est quod sol in rigore spatio viginti quatuor hora=
rum non absolvat integrum circulum diurnum, sed impendat parum
plus temporis propter motum proprium quo movetur in oppositam
partem.
Quam longum diem possunt habere illi homines quorum zenith
recedit a pollari circulo versus polum mundi ad unum gradum? possunt
habere diem artificialem longum circiter ad quatuor dies naturales
quia si ipsorum zenith recedat a polari versus polum equinoctia=
lis ad unum gradum, ergo etiam ipsorum horison debebit re=
cedere a tropicis versus equinoctialem ad unum gradum, iam au=
tem si hoc sit verum sol habebit circiter quatuor circulos diurnos
quos poterit describere supra illorum horisontem.
Quinam erunt isti circuli? unus tropicus, et tres circuli diur=
ni ipsi vicini.
Quare supra talem horisontem debent esse tot circuli diurni
solis? quia ut descendat infra illum horisontem debet distare
in linea recta a tropicis ad unum gradum, iam autem ut sol
a tropico versus equinoctialem moveatur ad distantiam unius gra=
dus in linea recta debet moveri oblique ad quatuor gradus per
viam zodiaci, singulis autem diebus naturalibus sol conficit ~~[illegible]~~
circiter in zodiaco unum gradum ~~[illegible]~~.

Diuisio Spheræ

Diuide sphaeram: diuiditur in rectam, obliquam, et uniuersam.
Quid sphaera recta? in qua horison et equinoctialis sese
intersecant ad angulos rectos. talem habent illi qui
habitant directe sub equinoctiali, quia habent sphaeram
in qua horison et equinoctialis sese intersecant ad angulos rec=
tos.
Quid sphaera obliqua? in qua horison et equinoctialis sese in=
tersecant ad angulos obliquos. talem habent homines habitantes
nec directe sub equinoctiali, nec directe sub polis mundi, quia illi
habent sphaeram in qua horison et equinoctialis sese intersecant
ad angulos obliquos.
Quid sphaera uniuersa? est sphaera in qua horison et equinoctia=

lib coincidunt. talem habent illi homines qui habitant directe sub polis mundi; quia illi habent sphaeram in qua horizon et aequinoctialis coincidunt.

Quaenam est distinctio inter sphaeram rectam et obliquam? in eo quod homines habentes sphaeram rectam semper habeant dies aequales noctibus sibi correspondentibus: homines autem habentes sphaeram obliquam non sic.

Quaenam est distinctio inter sphaeram rectam et inversam? in eo quod homines habentes sphaeram rectam nunquam habeant diem artificialem longiorem viginti quatuor horis; homines autem habentes sphaeram inversam talem habeant.

An homines habentes sphaeram obliquam possint habere diem artificialem longiorem viginti quatuor horis? imo; tales sunt homines habitantes sub spatio coelesti intercepto inter tropicum polarem et polum mundi ipsi vicinum.

Declara quod illi homines habeant sphaeram obliquam: quia illi habent sphaeram in qua horizon et aequinoctialis intersecant se ad angulos obliquos.

Declara quod illi homines aliquando habeant diem artificialem longiorem viginti quatuor horis: quia illi homines habent horizontem supra quem sol aliquando existit diutius quam viginti quatuor horis iuxta antedicta.

De Mensuris Mathematicis

Quid mensura generaliter? est extensio finita notior, vel res praedita tali extensione, per cuius applicationem ad aliarum rerum devenitur in cognitionem extensionis finitae ignotioris. Ut per ulnam, quia est extensio finita notior, vel res praedita tali extensione etc.

Declara in exemplo: sic per applicationem ulnae ad pannum cognoscitur pannus esse latus, vel longus ad unam ulnam.

Quid mensura mathematica? est res in longitudinem disposita, qua tanquam mensura solent uti mathematici ad cognoscendas extensiones corporum quoad locum. Ut granum mathematicum.

Quid intelligitur per granum mathematicum? granum hordei in longitudinem dispositum.

Quot grana mathematica continet digitus mathematicus? quatuor.

Quot digitos mathematicos continet palmus? continet similiter quatuor digitos.

Quot palmos continet pes mathematicus? etiam quatuor.

Quot pedes continet passus mathematicus? quinque pedes.

Quot palmos continet passus mathematicus? viginti palmos, quia continet quinque pedes, iam autem singuli pedes continent quatuor palmos, et quinquies quatuor sunt viginti, ergo si continet quinque pedes continet viginti palmos.

Quot passus mathematicos continet stadium? centum viginti quinque.

Quot stadia continet milliare? octo stadia.

Quale milliare hic intelligitur an germanicum an italicum? italicum.

Quare illud vocatur milliare? quia continet precise mille passus.

Declara quod tale milliare necessario contineat octo stadia: quia octo stadia faciunt precise mille passus, quia octies centum passus sunt octingenti passus, et tunc adhuc octies viginti quinque passus sunt ducenti passus, octingenti autem et ducenti faciunt mille, ergo a primo ad ultimum octies centum viginti quinque passus faciunt milliare italicum.

Quot milliaria italica continet leuca? unum milliare italicum cum medio.

Quot milliaria italica continent sex leucae? novem.

Quot milliaria italica continet milliare germanicum? quatuor.

Quot stadia continet milliare germanicum? triginta duo stadia, quia milliare germanicum continet quatuor milliaria italica, et singula milliaria italica continent octo stadia, quater autem octo sunt triginta duo, ergo milliare germanicum continet triginta duo stadia.

De Zonis.

Quotuplex Zona? duplex, alia coelestis, alia terrestris.

Quid Zona celestis? est spatium coeli interceptum inter utrumque tropicum, vel inter alterum tropicum et alterum polarem ipsi vicinum, vel est spatium interceptum inter circumferentiam alterius circuli polaris.

An spatium coeli interceptum inter aequinoctialem et tropicum Cancri sit Zona coelestis? non.

Quomodo cum illud spatium interiaceat inter duos tropicos? non refert.

Quare ergo non est Zona coelestis? quia non est spatium interceptum inter duos tropicos ad sensum definitionis, quia nimirum non est totale spatium interceptum, iam vero in illa definitione per spatium interceptum intelligitur totale spatium interceptum.

Quot sunt Zonae coelestes? quinque. nempe una torrida, duae frigidae, et duae temperatae.

Quid Zona torrida? est totum illud coeli spatium quod intercipitur inter utrumque tropicum.

Quare Zona illa vocatur torrida? a calore et aestu sic vocatur, quem veteres putabant esse in spatio terrae sub illa Zona constituto, ita ut existimarent illam terram esse inhabitabilem.

Quid Zona temperata? est Zona intercepta inter alterum tropicorum et circulum polarem ipsi vicinum.

Quotuplex est Zona temperata? duplex, alia septentrionalis, alia australis seu meridionalis.

Quid Zona temperata septemtrionalis? est Zona intercepta inter tropicum cancri, et circulum polarem arcticum.

Da homines habitantes sub tali Zona: Belgae.

Quid Zona temperata australis? est Zona intercepta inter tropicum Capricorni, et circulum polarem antarcticum. sub tali Zona habitant antipodes Belgarum.

Quid Zona frigida? est totum illud coeli spatium quod intercipitur inter circumferentiam alterius circuli polaris.

Quotuplex Zona frigida? duplex, australis et septentrionalis.

Quid Zona frigida septemtrionalis? est Zona frigida intercepta inter circumferentiam circuli polaris arctici.

Quid Zona frigida australis? est Zona frigida intercepta inter circumferentiam circuli polaris antarctici.

Quanta est latitudo omnium Zonarum simul sumptarum? est bis nonaginta graduum, quia latitudini omnium Zonarum correspondet medius meridianus, iam autem medius meridianus constat centum octoginta gradibus, ac proinde bis nonaginta.

An omnes Zonae sint aeque latae? non. quia una est latior altera.

Quaenam Zona est latissima inter quinque? Zona torrida.

Ad quot gradus est illa lata? ad quadraginta, septem gradus,

quia continet in se distantiam totalem utriusque tropici ab aequinoctiali, iam autem uterque tropicus distat ab aequinoctiali viginti tribus gradibus cum medio, atqui bis viginti tria cum medio sunt quadraginta septem, ergo si latitudo contineat in se distantiam utriusque tropici ab aequinoctiali debet ad minimum esse quadraginta septem graduum.

Quantam latitudinem habet zona frigida? Zona frigida tam australis quam septentrionalis habet latitudinem viginti trium graduum cum medio.

Quam latitudinem habent zonae temperatae? Utraque earum habet latitudinem quadraginta trium graduum.

Quid zona terrestris? Est totum illud spatium terrae in orbem circumductum praecise correspondens alicui zonae coelesti.

Quotuplex illa? Quintuplex: una torrida, duae temperatae, et duae frigidae.

Quid zona terrestris torrida? Est totum illud terrae spatium in orbem circumductum quod correspondet zonae coelesti torridae. Reliquae conformiter sunt definiendae.

Quid zona terrestris temperata septemtrionalis? Est zona terrestris correspondens zonae temperatae coelesti septentrionali. ~~[illegible]~~ In tali zona habitant Belgae.

Quot gradibus Belgae distant a tropico cancri? Viginti sex cum medio circiter.

Quot gradibus distamus a circulo polari arctico? Sedecim cum medio.

Quis est sensus huius dictionis qua dicitur quod nos distemus a circulo polari arctico sedecim gradibus cum medio? Sensus est quod nostrum zenith distet a circulo polari arctico sedecim gradibus cum medio.

Quot gradibus nos distamus ab aequinoctiali? Quinquaginta circiter gradibus.

Assigna modum inveniendi distantiam aliquorum hominum ab aequinoctiali? Oportet advertere quantum sit elevatus alter polorum supra horizontem illorum hominum.

Declara: quia quanto magis polus mundi elevatur supra horizontem alicuius tanto vicinius est zenith illius hominis polo mundi; iam autem quanto magis zenith alicuius appropinquat polo mundi tanto magis recedit ab aequinoctiali, ergo si zenith alicuius appropinquet polo mundi per viginti gradus etc. per totidem recedit ab aequinoctiali quia generatim quanto magis aliquid accedit a circumferentia circuli ad polum circuli tanto magis

gis recedit ab ipso circulo.

Declara quod nos distemus ab æquinoctiali quinquaginta gradibus: quia polus mundi arcticus est elevatus supra nostrum horizontem quinquaginta circiter gradibus.

Quot gradibus distant ab æquinoctiali homines habitantes sub altero polari? septuaginta sex cum medio: quia polus mundi est elevatus supra illorum horizontem septuaginta sex gradibus cum medio.

Quot gradibus distant ab æquinoctiali homines habitantes sub polis mundi? nonaginta quia polus mundi est supra eorum horizontem ad nonaginta gradus, quia polus mundi et ipsorum Zenith tunc coincidunt; iam autem Zenith semper est supra horizontem ad nonaginta gradus, generatim enim poli circuli maioris distant a circumferentiâ eiusdem quartâ parte circuli, ac proinde nonaginta gradibus.

Da aliquam differentiam inter Zonam torridam et utramque temperatam? hæc est differentia quod homines habitantes in Zonâ torridâ aliquando habeant solem transeuntem per suum Zenith in Zonâ autem temperatâ non sic, quia illi omnes in Zonâ torridâ habitantes habitant directe sub aliquo circulo diurno solis quem sol describens necessario transit per ipsorum Zenith.

Quare non convenit hoc etiam Zonis temperatis? quia Zenith hominum illic habitantium est inter tropicum et polarem ipsi vicinum illic autem nunquam existit sol.

Da differentiam inter Zonam temperatam meridionalem et septentrionalem: hæc nimirum quod homines habitantes in Zonâ temperatâ meridionali proiiciant umbram in meridie versus meridiem, et homines habitantes in temperatâ Zonâ septentrionali proiiciant in meridie umbram versus septentrionem.

Quandonam generatim homines proiiciunt umbram in meridie ad septentrionem? quando ipsorum Zenith magis accedit versus septentrionem quam sol existens in meridie.

An ergo Belgæ nunquam proiiciant umbram solarem in meridiem? non.

Quomodo non cum talem debeant proiicere quando sol est in tropico Cancri? non debent.

Quomodo cum sol tunc sit vicinior septentrioni quam terra? etiamsi hoc ita esset nihil referret.

Quare ergo tunc non proiiciunt umbram versus meridiem? quia equidem illorum hominum Zenith est vicinius septentrioni quam sol.

Quandonam generatim homines habent suum Zenith vicinius septentrioni quam sol? quando a centro terræ per verticem illorum hominum potest duci linea recta ad partem cœli viciniorem

septentrioni quam sit sol.
Quænam est distinctio inter zonas frigidas et temperatas? in eo quod homines habitantes sub zonis frigidis habeant aliquando dies longiores viginti quatuor horis, habitantes autem sub zonis temperatis nunquam.
An possit dari hæc distinctio quod zonæ frigidæ sint inhabitabiles, temperatæ habitabiles? non, quia etiam frigidæ inhabitantur.
Quomodo cum ibi debeat esse maximum frigus? nihil refert.
Quomodo ergo sunt habitabiles? Consuetudo et natura loci illos homines multum iuvant.
An etiam zona torrida sit inhabitabilis? de facto etiam habitant ibi homines.
Quomodo cum illi habeant solem sibi viciniorem quam nos in æstate? verum est.
Quomodo cum sic debeat ibi esse longe intensior calor? hoc non est necesse, quia ille calor potest impediri per hoc quod homines ibi habitantes semper habeant dies æquales noctibus ac proinde nunquam longiores viginti quatuor horis, vel saltem non notabiliter inæquales, deinde magna est illic copia nubium æstum solis impedientium.
Quare dictum est vel saltem non notabiliter inæquales? quia aliqui homines sub zona torrida aliquando habent dies inæquales noctibus sed non notabiliter, tales sunt qui habitant inter tropicum et æquinoctialem.
Quinam habent dies semper æquales noctibus? habitantes directe sub æquinoctiali.
An zonæ sint ubique æqualis latitudinis? imo, quia finiuntur utrinque per circulos paralelos, iam autem circuli paraleli secundum omnes sui partes æqualiter a se invicem distant, ergo ubique debent esse eiusdem latitudinis.
An zonæ sint ubique eiusdem longitudinis? non, quia secundum illam partem qua illæ magis accedunt ad alterum polum mundi sunt minus longæ, quia circuli paraleli quibus includuntur magis accedentes ad polum mundi sibi vicinum sunt breviores quam circuli paraleli earundem zonarum magis recedentes ab eodem polo.
Quandonam unus circulus censetur habere maiorem longitudinem quam alter? quando lineæ rectæ ductæ a centro unius circuli ad circumferentiam eiusdem sunt longiores quam lineæ sic ductæ alterius circuli.

De Climate

Quid Clima? est spatium terre interceptum inter duos semicirculos paralelos in cuius initio et fine est variatio diei maxime ad mediam horam procedendo versus alterum polorum mundi.

Quale spatium hic intelligitur? totale.

Quid semicirculi paraleli? sunt semicirculi equaliter a se inuicem distantes secundum omnes suas partes.

An semicirculi paraleli possunt sic definiri? sunt semicirculi duorum circulorum paralelorum? non, quia semicirculus tropici unius existens infra horizontem alicuius, et semicirculus tropici alterius existens supra horizontem eiusdem, sunt semicirculi duorum circulorum paralelorum, et tamen non sunt semicirculi paraleli.

An quando semicirculi sunt paraleli tunc etiam circuli eorum sint equales? imo.

Quomodo enim illi circuli possunt esse immobiles? non refert quia circuli immobiles possunt esse paraleli generaliter loquendo.

Quomodo ergo Circulus paralelus recte definitus fuit circa definitionem tropici polaris hoc modo: est circulus qui mouetur supra eundem axem? ibi agebatur de circulo paralelo mobili ad similem comparato. Qualis erat circulus polaris.

Quid circuli paraleli generaliter loquendo? sunt circuli non coincidentes habentes eundem actionem, vel sic sunt circuli equaliter a se mutuo distantes secundum omnes suas partes.

Da ergo circulos paralelos: duo tropici, quia equaliter distant a se mutuo secundum omnes suas partes.

Quandonam censetur fieri variatio maxime diei ad mediam horam in aliquo spatio terrestri? quando homines habitantes in una parte illius spatii habent solem ascendentem una hora media citius supra horizontem quam homines habitantes in alia parte eiusdem spatii.

Quandonam fit talis variatio solis in principio et fine spatii? quando in fine illius spatii sol oritur ita ut dies artificialis sit longior

ad mediam horam quam dies in initio illius spatii.

Quare dictum est, versus polum procedendo? quia omnia climata tantum interiacent inter ęquinoctialem et polum mundi; si autem darentur etiam climata versus orientem procedendo, illa deberent intersecare ęquinoctialem vel saltem circulum ipsi paralelum; hoc autem est falsum, et consequenter prius.

Quis modus optimus concipiendi Climata in sphęra terrestri? oportet concipere duos circulos maiores se mutuo intersecantes ad angulos rectos, quorum unus sit instar horizontis recti, et alter instar ęquinoctialis; tunc omnia climata erunt in aliquo quadrante sphęrę per illos duos circulos divisę.

Quotuplex est clima? duplex, aliud australe, aliud septentrionale.

Quid Clima australe? est clima descriptum in superficie terrę inter ęquinoctialem et polum antarcticum.

Quid Clima septemtrionale? est clima descriptum in superficie terrę inter ęquinoctialem et polum arcticum.

Quot sunt Climata in singulis quadrantibus terrę per duos antedictos circulos divisę? dantur viginti quatuor.

Quo ordine solemus numerare climata in aliquo quadrante terrę? hoc ordine: clima quod est proximum ęquinoctiali vocatur primum, quod deinde sequitur vocatur secundum, et sic consequenter.

Quanta est longitudo maximę diei in primo Climate? duodecim horarum cum media.

An detur tantum unum clima in quo maxima dies est duodecim horarum cum media? non, quia dantur quatuor talia, quia dantur quatuor quadrantes sphęrę terrestris in quorum singulis est tale Clima.

Quis est modus inveniendi in quo Climate aliqui homines habitant? oportet videre quanta sit dies longissima illorum; hoc supposito poterit sciri in quo climate illi habitent, si in aliquo habitent.

In quo climate habitant homines habentes diem longissimam duodecim horarum? quęstio supponit falsum, quia illi in nullo climate habitant, quia non datur clima in quo dies longissima est duodecim horarum tantum.

In quo climate habitant homines habentes diem artificialem unius mensis anni? quęstio supponit falsum, quia illi homines in nullo climate habitant.

In quo terre spatio tantum describuntur climata? in spatio ter-
re intercepto inter equinoctialem et alterutrum circulorum
polarium.
Da zonam terrestrem in qua nulla describuntur climata: Zona frigida.
Quare in illa zona non describuntur climata? quia in illa zona
mutato aliquo modo notabiliter horisonte non fit tantum varia-
tio diei maxime ad mediam horam, sed ad plures horas.
In quo climate habitamus nos? in octavo climate.
Unde hoc colligitur? quia nostra dies maxima artificialis est
sedecim horarum, ac proinde octies variatur dies maxima ad me-
diam horam ut habeatur dies maxima sedecim horarum in dis-
tantia ab equinoctiali.
In quoto climate simus secundum illos qui dicunt diem longissi-
mum esse septendecim horarum? in decimo.
Assigna modum conficiendi unam figuram ex qua possumus
colligere in quoto climate diversi homines diversos longissimos dies
habentes habitent: fiant viginti quinque lineae consequenter cum
aliquo interstitio inter se: supra primam lineam ponatur nume-
rus duodecim, supra secundam lineam numerus duodecim cum
medio, supra tertiam numerus tredecim, et sic consequenter
ascendendo semper ad mediam unitatem. in primo autem inter-
stitio quod est inter primam et secundam lineam ponatur unitas,
in secundo interstitio ponantur duo, et sic consequenter usque
ad finem ascendendo semper ad unam unitatem. Dico quod
illud spatium quod erit inter lineam positam sub numero decem
et lineam se precedentem designet illud clima in quo longissi-
mus dies est quatuordecim horarum, ut autem sciatur quotum sit
illud clima oportet videre qualis numerus habeatur in inter-
stitio inter utramque predictam lineam, et sic pariformiter.



Quare dies sunt longiores in climatibus magis recedentibus
ab equinoctiali? quia homines illic habitantes habent horison-
tem magis obliquum, et autem consequenter portiones circu-

horum diurnorum infra et supra illum horizontem existentes sunt magis inequales; iam autem quando sol motu diurno describit illum circulum qui pro maiori parte est supra illum horizontem tunc consequenter est maior dies supra illum horizontem.

An omnes dies sint longiores in climatibus magis ab equinoctiali recedentibus? non, quia hoc ipso quo illi habent dies longiores aliquos hoc ipso etiam habent aliquos dies breviores quam illi qui habitant magis versus equinoctialem.

Declara in exemplo: sic nos habemus aliquos dies longiores quam illi qui habitant in secundo climate, sic etiam habemus aliquos dies breviores eisdem, quia sic in decembri habemus diem tantum circiter octo horarum tam brevem autem nunquam illi habent.

An omnia climata sint equalis latitudinis? non, quia climata magis vicina equinoctiali sunt latiora climatibus ab eodem magis remotis, quia debet maius spatium intercedere ut prope equinoctialem fiat variatio maxime diei ad mediam horam quam procul ab equinoctiali.

Quid hoc est necesse? quia ab equinoctiali tendendo versus polum non tam facile acquirimus horizontem aliquo modo notabiliter equinoctialem intersecantem oblique.

An ergo facilius acquiramus talem horizontem in loco ab equinoctiali remoto? imo sic per consequens facilius ibi variatur clima.

Quanta est latitudo primi climatis? octo graduum.

Quot milliaria correspondent singulis gradibus in terra? sexaginta sex.

De Sphaera Naturali

Quid sphera naturalis? est corpus rotundum.

Divide spheram naturalem: dividitur in elementarem et coelestem.

Quid sphera coelestis? est corpus rotundum coeleste.

Quomodo cum sic sol deberet esse sphera coelestis? potest excludi quia non est corpus totale coeleste.

Quandonam censetur aliquid esse corpus totale coeleste? quando est tale corpus quod constituat integrum coelum.

An sphaera coelestis aliquando non sumatur strictius? imo, quia aliquando sumitur pro aggregato ex omnibus orbibus coelestibus debite dispositis.

Quot sunt sphaerae coelestes secundum illum sensum? est unica.

Quid sphaera elementaris? potest dici esse idem quod elementum.

An ergo ignis in camino possit dici sphaera elementaris? non.

Quomodo cum sit elementum? intelligitur hic elementum totale.

An sphaera elementaris aliquando non sumatur aliter? imo nempe pro aggregato ex quatuor elementis.

An mare sit sphaera elementaris? non.

Quomodo cum sit elementum aquae? non est secundum sensum definitionis qua definitur sphaera elementaris, quia dum dicitur esse elementum intelligitur in orbem congestum.

An tantum sit unicum coelum? non, quia dantur plures.

Quot dantur? duodecim. septem coeli planetarum, firmamentum, nona et decima sphaera, primum mobile et coelum empyreum.

An ratione naturali probari possit dari coelum empyreum? solet dici quod non.

Qua ergo ratione probatur? authoritate theologorum et patrum.

Ad quid servit coelum empyreum? pro sede beatorum.

An possit ratione probari dari septem coelos planetarum certo aliquo supposito? imo.

Quid ergo supponendum est? coeli debent supponi esse solidi.

Quare non possunt probari coeli planetarum supposito quod coeli sint fluidi? quia [redacted] unicum tunc coelum sufficeret omnibus planetis.

Qua ratione poterit tunc salvari [illegible] variatio distantiae planetarum a se mutuo? quia in illo eodem coelo possent planetae tunc mutare suam distantiam a se mutuo sicut aves in aere et pisces in aqua.

Proba ratione naturali dari septem coelos planetarum supposito quod sint solidi: quia advertimus planetas mutare distantiam a se mutuo, hoc autem fieri non posset si omnes essent in eodem coelo solido, quia tunc planetae se haberent in eodem coelo sicut plures clavi in eadem rota, iam autem plures clavi eiusdem rotae nunquam mutant distantiam a se mutuo,

ergo consequenter non planetae tunc mutarent
declara quod planetae possunt mutare distantiam a se invicem si sint in diverso solido coelo: quia tunc se haberent sicut plures clavi diversis rotis infixi.
Quid infers ex illis dictis? sicut autem diversi clavi in diversis rotis possunt sibi modo esse viciniores, modo remotiores a se invicem, sic etiam potuerunt esse diversi planetae in diversis coelis solidis.
proba firmamentum esse coelum distinctum a coelis planetarum: quia nullus planeta semper servat eandem distantiam a stellis firmamenti, ergo firmamentum est coelum distinctum a coelis planetarum iuxta antedicta.
declara quod planetae mutent distantiam a stellis firmamenti? sicut et sol modo vicinior est stellae poli arctici, modo remotior.
Quandonam sol vicinior est stellae poli arctici? quando describit tropicum cancri.
Quandonam est remotior? quando describit tropicum capricorni.
An sicut hoc probatur in sole, ita in aliis planetis probari posset? imo, quia alii planetae eandem viam zodiaci percurrunt, et aliquando sunt in cancro, aliquando in capricorno.
An omnes stellae fixae sint in eodem coelo? imo.
Quid intelligitur per stellas fixas? stellae a planetis distinctae.
in quo eodem coelo sunt stellae fixae? in firmamento
Quare stellae fixae non sunt in diversis coelis sicut planetae? quia non deprehenduntur mutare distantiam a se invicem.
proba reliquos coelos mobiles esse distinctos: quia in firmamento deprehenduntur quatuor distincti motus, et secundum aristotelem uni coelo tantum unicus motus potest esse proprius.
Quid infers inde? ergo supra firmamentum debent adhuc esse tres coeli mobiles quorum singulis unus ex illis motibus sit proprius relicto unico motu qui sit firmamento proprius.
Quinam sunt isti alii coeli mobiles? sunt nona sphaera, decima sphaera, et primum mobile.
An illa ratio qua probantur plures coeli mobiles supra firmamentum convincat? non sed tantum probat probabiliter quia etiamsi admittantur quatuor motus in firmamento, non ideo est necessarium dicere quod supra illud sint tres coeli communicantes tres motus firmamento quia poterit dici quod illi motus imprimantur firmamento ab intelligentiis.

Quid intelligitur ibi per intelligentias? angeli. 22

Quis est ordo inter coelos iam enumeratos? infimum coelum id est terrae vicinissimum est coelum lunae. supra illud est coelum mercurii, supra illud coelum veneris, deinde coelum solis, postea coelum martis, post illud coelum Jovis tunc coelum saturni.

Quodnam est proximum coelum supra planetas? firmamentum, post illud nona sphaera, postmodum decima sphaera, tunc primum mobile, et tandem coelum empyreum.

Quot sunt coeli stellati? octo.

Quinam coeli non habent stellas? omnes qui sunt supra firmamentum.

Ex quibus capitibus solet colligi iste ordo coelorum? ex triplici capite, nempe ex eclypsibus, ex paralepsibus et ex maiori vel minori tarditate motus aliquorum coelorum.

Quid hic paralepsis? est distantia loci visi stellae a loco vero eiusdem.

Quis locus verus stellae? est ~~[illegible]~~ punctum firmamenti terminans lineam rectam ductam a centro terrae per centrum stellae usque ad firmamentum.

Quis locus visus stellae? est punctum firmamenti terminans lineam rectam ductam ab oculo videntis stellam per centrum eius usque ad firmamentum.

Quandonam censetur stella pati paralepsim? quando locus visus stellae distat a loco vero eiusdem.

Quandonam censetur stella pati maiorem paralepsim quam altera? quando est maior distantia inter locum verum et visum unius stellae quam inter locum visum et verum alterius.

An ex illo indicio possit colligi ordo omnium planetarum. Quomodo cum omnes planetae patiantur paralepsim? verum est sed nihil refert quia tantum illorum planetarum ordo colligi potest ex hoc indicio qui sensibilem et notabilem patiuntur paralepsim.

Declara modum quo ostendi potest ordo istorum planetarum ex hoc indicio: quia generatim ille planeta est inferior altero qui maiorem patitur paralepsim quam alter.

Declara quod coelum lunae sit inferius coelo mercurii: quia luna capitur maiorem paralepsim quam mercurius.

Declara quod coelum mercurii sit inferius coelo veneris: ob eandem rationem.

An ex paralepsi possit probari coelum Jovis esse inferius coelo saturni? non. quia planetae superiores sole qualis est iuppiter non patiuntur notabilem paralepsim siam tamen ex illo indicio

tantum colligitur ordo planetarum patientium notabilem para=
laxim.
Ex quo indicio colligitur ordo planetarum sole superiorum? Ex
ecclypsibus, quia certum est quod planeta ecclypsans alium pla=
netam sit illo alio inferior, Visum autem deprehenditur quod mars
aliquando ecclypset Jovem, Juppiter autem saturnum, ergo mars
debet esse infra Jovem, et Juppiter infra saturnum.
Ex quo capite colligitur firmamentum esse supra coelum sa=
turni? Etiam ex ecclypsibus, quia aliquando deprehenditur sa=
turnus occultare aliquam stellam firmamenti, ac proinde coelum
saturni debet esse infra firmamentum iuxta antedicta.
Ex quo indicio colligitur ordo reliquorum coelorum mobilium?
Ex maiore vel minore tarditate motus ipsorum, quia quo tardius
coelum movetur eo videtur vicinius esse primo mobili?
Quomodo enim tunc facilius possit ipsi communicari motus
primi mobilis qui velocissimus est, et non refert.
Quomodo ergo potius non celerius movebitur coelum si sit
vicinius primo mobili? Inde bene sequitur quod celerius move=
bitur motu communicato, sed in eo autem bene consistit quod
tardius movebitur motu proprio qualis hic intelligitur, quia
motus proprius coelorum inferiorum est contrarius, vel saltem
repugnans motui primi mobilis.
Quid ibi intelligitur per motum repugnantem? intelligitur motus
localis quo aliquid tendit in distinctam differentiam spatii ab illa
ad quam aliquid tendit alio motu.
Da exemplum: Sic ergo motus quo aliquid movetur in orientem
est repugnans motui quo aliquid movetur in occidentem.
An illud indicium antedatum sit sufficiens ad colligendum
ordinem illum coelorum? in rei veritate non, quia coelum mer=
curii et veneris ferme moventur eque celeriter motu proprio ac
coelum solis, et tamen coelum mercurii multo remotius est a
primo mobili quam coelum solis.
Qua ratione probari potest ordo aliorum coelorum? Hac ratione
quia coelum quod habet plures motus debet esse infra coelum
habens pauciores motus, ergo nona sphaera habens tres motus
debet esse infra aliquod coelum habens tantum duos motus
quod recte vocatur decima sphaera. Decima autem sphaera ha=
bens duos motus debet esse infra coelum habens unum mo=
tum, hoc autem recte vocatur primum mobile.
Quare non dicitur quod decima sphaera habeat motum viginti
quatuor horarum tanquam sibi proprium? quia tunc dicendum
esset quod alius motus decimae sphaerae sit communicatus qui est
tardissimus, iam autem rectius dicitur motus velocior esse ali=
cui coelo a superiore communicatus, quam tardior, nisi aliquid

Quotuplex est motus coeli? duplex, alius proprius, alius
Communicatus.
Quid motus proprius? est motus immediate in aliquo
coelo, vel ab intelligentia, vel a propria forma productus.
Da motum proprium alicuius coeli: motus primi mobilis ab orien-
te in occidentem.
Quid motus communicatus? est motus qui neque immediate ab
intelligentia neque a propria forma producitur in coelo, sed ab
alio ipsi imprimitur. ut motus solis ab oriente in occidentem.
Quare ille non est proprius? quia non producitur immediate ab
intelligentia vel a propria forma.
Unde accipit Coelum solis illum motum? a primo mobili ime-
diate.
An idem motus possit esse proprius et communicatus? imo
diuerso respectu, quia sic motus primi mobilis est proprius re-
spectu primi mobilis, et est communicatus saltem in sua specie
respectu firmamenti.
Quare dicitur in sua specie? quia motus communicatus a primo
mobili inexistens firmamento est numero distinctus a motu
simili inexistente primo mobili
Quisnam est motus primi mobilis? est motus ab orien-
te in occidentem factus super axem mundi.
Quid ibi axis mundi? est linea recta ducta ab uno po-
lorum mundi per centrum universi usque ad alterum
Quanto tempore fit integra circumuolutio primi mobilis motu
proprio? spatio viginti quatuor horarum.
An primum mobile non communicet illum motum aliis
coelis? imo, quia communicat illum omnibus coelis inferi-
oribus.
An non communicet illum elementis? aliqui dicunt quod
ille motus etiam communicetur saltem pro parte elemento
ignis coelo lunae contiguo, sed valde incertum est an illud
sit elementum ignis.
An primum mobile non communicet suum motum coelo
superiori scilicet? non, quia supra illud tantum est coelum
empyreum quod est omnino immobile.
Quis est motus proprius decimae sphaerae? motus a sep-
tentrione in austrum per modum librationis.
An motus proprius decimae sphaerae sit integra circumvo-
lutio? non, sed est tantum libratio quaedam qua ~~[illegible]~~
decima sphaera adinstar librae mouetur

Quomodo fit ista libratio? poli decimae sphaerae qui modo
cum polis mundi coincidunt sic moventur ut unus movea=
tur supra alterum polorum mundi ad duodecim minuta,
et alter tantundem infra polum mundi priori correspon=
dentem deprimitur, tunc autem polus decimae sphaerae antea ele=
vatus motu suo redit versus polum mundi, et infra eun=
dem ad duodecim minuta deprimitur, alter autem polus eius=
dem sphaerae ad duodecim minuta elevatur supra polum mundi
priori correspondentem.
Ad quot minuta fit integer motus proprius decimae sphaerae?
ad viginti quatuor minuta utrimque, id est ex parte utriusque
poli.
Sub quo circulo sphaerae coelestis fit illa libratio? sub coluro
solstitiorum.
Quantam partem istius circuli describunt poli decimae sphaerae?
viginti quatuor minuta.
An hic motus non communicatur aliis coelis? imo nempe om=
nibus coelis inferioribus.
Ex quo fundamento posuerunt astronomi illum motum de=
cimae sphaerae? ex eo quod deprehenderunt solem aliquantulum
magis declinare uno tempore ab aequinoctiali quam alio.
Assigna ergo maximam distantiam qua sol potest esse re=
motus ab aequinoctiali: maxima distantia est viginti trium
graduum et quadraginta duorum minutorum.
Quomodo ergo alias dictum fuerit quod maxima declinatio
solis ab aequinoctiali sit viginti trium graduum cum medio?
non refert, quia hoc intelligitur de declinatione quae fit per
motum proprium solis.
Quanto tempore absolvitur illa libratio decimae sphaerae?
spatio trium millium, quadringentorum triginta et unius
annorum et diebus ducentis quadraginta duobus.
Quis est motus proprius nonae sphaerae? motus librationis
nonae sphaerae ab occidente in orientem.
Super quem axem fit illa libratio? super axem zodiaci.
In quo ergo distinguitur libratio nonae sphaerae a libratione decimae
sphaerae? quod habeant diversos axes, circa quos fiat illa li=
bratio.
Ad quot gradus fit illa libratio? ad unum cum decem mi=
nutis.
Sub quo circulo fit illa libratio? sub zodiaco.
An ille motus etiam communicatur aliis coelis? imo nem=
pe omnibus coelis inferioribus.
An ille motus fiat recta ab ~~[illegible]~~ occidente in orientem?
non sed oblique.

Quanto tempore absoluitur ille motus? spatio mille septin-
gentorum et quindecim annorum, et diebus fere duo-
bus.
Ex quo fundamento collegerunt astronomi hunc motum nonae
sphaerae? primo quia deprehenderunt annum solarem non semper
esse aequalem, hoc autem saluare potuerunt statuendo ta-
lem motum proprium nonae sphaerae et ab illo communicatum
coelo solis, deinde deprehenderunt stellas fixas modo celerius,
modo tardius moueri ab occidente in orientem.
Declara quod alius vel ratio dari possit statuendo talem
motum: quia tunc stellae fixae celerius moueri poterunt
quando non tantum motu proprio, sed etiam motu librationis
nonae sphaerae mouentur ab occidente in orientem.
Quandonam illae stellae poterunt moueri tardius ab occidente
in orientem? quando libratio nonae sphaerae fiet in oppositam
partem.
Declara quod tunc mouebuntur tardius: quia non habebunt
adiutorium a motu nonae sphaerae dum ille fit in oppositam
partem.
Quomodo fit libratio nonae sphaerae: hoc modo, nona sphaera con-
cipitur moueri contra motum primi mobilis sub ecclyptica decimi
coeli, ita ut singulae partes illius mouentur ad triginta quinque
minuta, et tunc concipitur sphaera redire ad pristinum situm, et moue-
ri ulterius in oppositam partem ad triginta quinque minuta, idque
super axem Zodiaci.
Quibus coelis communicatur ille motus? coelis inferioribus.
An ille motus nonae sphaerae sit semper aeque celer? non, quia
tunc est celerior quando magis iuuatur ab alio motu eidem
coelo communicato.
Quis est motus proprius firmamenti? motus ab occidente in
orientem perfectus sub ecclyptica nonae et decimi coeli.
Quid hic est motus perfectus? integra circumuolutio ali-
cuius orbis.
Quomodo recte ponitur ille motus cum non sit necesse ponere
ponere? non est omnino necesse, sed tamen est cum fundamento
in re.
Quomodo cum sufficienter firmamentum moueatur ab occi-
dente in orientem per motum nonae sphaerae? non recte hoc dice-
retur, quia in hoc coelo est motus perfectus ab occidente in orien-
tem, iam autem motus nonae sphaerae qui est tantum quaedam
libratio, non potest causare motum perfectum in firmamento.
Ex quo fundamento posuerunt astronomi illum motum in fir-
mamento? quia deprehenderunt stellas fixas paulatim magis re-

recedere a punctis solstitialibus et aequinoctialibus, iam autem illae revolutiones recte salvantur ponendo talem motum in firmamento.

Quid sunt puncta solstitialia? sunt puncta in quibus sol existit dum est solstitium. aequinoctialia sunt puncta in quibus sol existit dum est aequinoctium.

Quanto tempore absolvitur ille motus? spatio viginti quinque millium septingentorum nonaginta octo annorum et diebus ducentis viginti.

An hoc sit certum? non. alii enim multo plures annos ponunt alii praedictum tempus parum diminuunt.

Quomodo potuerunt colligere tale tempus cum mundus a tanto tempore nondum steterit? nihil refert, quia ut hoc colligam sufficit ut sciam quantum temporis impendat firmamentum ad hoc ut conficiat motu isto unum gradum, hoc autem cognito sciri potest quantum temporis requiratur ut motu isto percurratur integer zodiacus.

An sicut motus ille communicatur caelis inferioribus, ita etiam superioribus? non, quia aliqui potuit diversitatem ex intelligentiis aliae sunt deputatae ut simul cum firmamento eodem motu moveant caelos inferiores non autem superiores.

Suppono caelos moveri a propria forma, et respondeo ad quaestionem: tunc aliqui dicunt quod hoc ideo fiat, quia forma substantialis caelorum est talis naturae ut potius communicet motum proprium caelis inferioribus quam superioribus.

An illa ratio solida sit? non.

Da ergo aliam rationem: quia non est statuendus motus in aliquo caelo sine necessitate, nulla autem est necessitas statuendi motum firmamenti in caelis superioribus.

Quis est motus proprius caeli saturni? motus ab occidente in orientem super axem zodiaci.

Quare ille motus non dicitur communicatus a firmamento cum reperiatur talis motus in firmamento? quia similis ille motus in firmamento est multo tardior quam sit motus proprius caeli saturni, iam autem non apparet quomodo per motum multo tardiorem communicari possit motus celerior.

Quanto ergo tempore absolvitur motus proprius caeli saturni? spatio triginta annorum.

Quantam partem zodiaci describit saturnus singulis diebus? circiter duo minuta, quia sol uno anno conficiens zodiacum absolvit singulis diebus circiter unum gradum, ergo saturnus triginta annis absolvens zodiacum conficit quotidie tantum trigesimam partem unius gradus circiter, iam autem trigesima pars unius gradus sunt duo minuta

An ille motus communicatur alijs coelis inferioribus? non.
Quare non tam bene quam motus proprius firmamenti? quia
motu proprio firmamenti movetur totum firmamentum, motu
autem proprio coeli saturni non movetur totum coelum saturni.
pro quo notandum est quod singuli coeli planetarum constent
tribus orbibus quorum medius tantum movetur motu proprio.
Declara quod hoc supposito explicari possit quod planetae non
communicent suos motus alijs coelis? quia iste orbis medius
in coelo planetarum non attingit motu suo alios coelos.
Quis est motus proprius coeli Jovis? est motus ab occiden=
te in orientem super axem Zodiaci.
Quanto tempore absolvitur ille motus? spatio duodecim anno=
rum.
Quis est motus proprius coeli martis? motus ab occidente in
orientem super axem Zodiaci.
Quanto tempore absolvitur ille motus? tempore duorum anno=
rum.
Quantum spatium conficit mars singulis diebus in Zodiaco
motu proprio? circiter medium gradum.
Quis motus proprius solis? est motus ab occidente in orien=
tem super axem Zodiaci et conficitur spatio unius anni.
Quot diebus constat ille annus? trecentis sexaginta quinque
diebus et fere sex horis.
Quomodo cum non adnotamus singulis annis? adnotamus
adhuc hoc modo, quia singulis quatuor annis habemus annum
bissextum in quo illae sex horae quasi quater repetitae faciunt
unum diem amplius. vere superexcrescat ad integrum diem?
An ille annus bissextus desunt adhuc aliquot minuta
non, quia illis singulis sex horis integrum diem unde
ratione cuius non constituunt regulariter semel debebit omi=
consequens est quod post notabile tempus solet poni.
mitti annus bissextus eo tempore quo Veneris? motus ab occiden=
Quis est motus proprius coeli
te in orientem.
Quanto tempore absolvitur ille motus? tempore unius cir=
citer anni.
Quomodo cum Venus sic numquam possit magis a sole re=
cedere, vel ad eum accederet possit adhuc? quia Venus habet
adhuc particularem motum in suo orbe, sive in tempore motum epy=
cicli de quo postea.
Quis est motus proprius coeli mercurij? motus ab occiden=
te in orientem ut ante, et absolvitur circiter spatio unius
anni.
Quis est motus proprius coeli lunae? motus ab occidente in
orientem ut ante et absolvitur spatio viginti septem dierum
et octo circiter horarum.

Quoties Luna existit in Zodiaco ex opposito solis? singulis circiter mensibus saltem semel ex opposito solis est.
Quare ergo non habemus singulis mensibus eclypses lunares? quia Luna non manet semper in linea eclyptica sed ad latus subinde deflectit ad sex gradus et ultra. pro quo notta quod Zodiacus concipiatur latus ad duodecim gradus et parum ultra: in quibus singulis gradibus planetae subinde existunt sole excepto.

De Ortu et occasu siderum apud poetas

Quotuplex est ortus et occasus apud poetas? duplex, verus et apparens.
Quid ortus verus? est elevatio alicuius astri supra horizontem.
Quomodo cum ortus verus aliter definitus fuerit circa definitionem horizontis? nihil refert, quia ortus verus ibi sumitur prout distinguitur contra latitudinem ortivam, hic autem sumitur prout distinguitur contra ortum apparentem.
An quaelibet signa habeant ortum verum respectu cuiuslibet horizontis? non, quia non stella polaris antarctica respectu horizontis coincidentis cum aequinoctiali.
An detur stella quae respectu nullius horizontis habeat ortum verum? non.
Respectu cuius horizontis quaelibet stella habet ortum verum? respectu horizontis recti.
Quare non datur stella talis respectu istius horizontis? quia quaelibet stella habet circulum diurnum qui intersecatur ab horizonte recto, iam autem generatim stella habet ortum verum respectu illius horizontis a quo eius circulus diurnus intersecatur.
Quare talis stella non est polaris? quia illa etiam habet circulum diurnum sed parvum qui intersecatur ab illo horizonte.
Quaenam stellae non habent verum ortum respectu nostri horizontis? stellae quae sunt circa polum arcticum.
An non detur planeta numquam habens verum ortum respectu nostri horizontis? non, sed singuli planetae quotidie habent verum ortum respectu nostri horizontis, quia omnes circuli diurni qui describi possunt a planetis intersecantur a nostro horizonte.

sonte.
Da horizontem respectu cuius aliquis planeta nunquam habet
ortum verum: secundatur.
Quare non horizon coincidens cum Zodiaco? talis horizon non
semper coincidit cum Zodiaco.
proba non posse dari talem horizontem respectu cuius aliquis pla=
neta nunquam habet ortum verum: quia omnis horizon vel
est rectus, vel est obliquus vel est neuter.
Quid si horizon sit rectus aut obliquus? tunc necessario inter=
secat aliquem circulum diurnum cuiuslibet planetæ, nempe æqui=
noctialem, qui ab omnibus planetis saltem aliquando describitur.
Quid si sit horizon neuter? si sit talis tunc planeta habebit
ortum verum quando ingredietur illam medietatem Zodiaci quæ sem=
per manet super illum horizontem. pro quo nota quod planetæ om=
nes obambulent Zodiacum, et nunquam maneant perpetuo in aliqua
medietate Zodiaci.
Quid ortus apparens? est apparitio alicuius astri quod ante ob solis
vicinitatem non apparebat. ut apparitio mercurii qui antea ob nimiam
vicinitatem cum sole non apparebat.
An stellæ acquirentes ortum apparentem simul acquirant lumen
in facie obversa nobis? aliquando, et aliquando non.
Quænam stellæ acquirunt tale lumen? stellæ sole inferiores.
Quare non stellæ sole superiores? quia illæ quo viciniores sunt
soli tanto magis illuminantur ab illo in facie nobis obversa, vel
habent lumen a se met ipsis ut stellæ fixæ.
Quare ergo nobis non apparent dum sunt viciniores soli? quia im=
peditur ipsorum lumen per splendorem solis.
An ergo de die sint plures stellæ in se lucentes supra nostrum
horizontem? imo.
Quare ergo non apparent? propter splendorem solis nimis affi=
cientem visum nostrum.
An non possit ostendi aliqua experientia lucere de die tales stellas?
imo. sic aliqui existentes in profundissimis puteis viderunt
aliquando stellas lucentes ante occasum solis.
Quid occasus verus? est depressio alicuius astri infra horizon=
tem.
Da stellam quæ nunquam habet occasum verum respectu nostri
horizontis: stella polaris.
An idem astrum possit habere ortum verum et occasum verum?
imo respectu nimirum diversorum hominum, quia X quando ali=
quod signum oritur apud nos occidit apud nostros antipodes.
Quid occasus apparens? est occultatio alicuius astri quod ante
apparebat [illegible] actu ob nimiam vicinitatem solis acquisitam.
An idem astrum simul habere possit occasum verum et appa=
rentem? imo, quia hoc fiet si aliquod astrum tunc progressu acqui=

rat nimiam vicinitatem cum sole quando vero deprimitur infra horizontem.

Quomodo aliter dividitur ortus item occasus astri? dividitur in Cosmicum seu mundanum Chronicum et heliacum.

Quid ortus cosmicus? ascensus alicuius astri supra horizontem mane simul cum sole.

Quodnam signum zodiaci habet hodie ortum Cosmicum? signum librae quia sol iam est in libra.

Da stellam quae non potest habere ortum cosmicum? proprie loquendo talis est sol quia sol non oritur cum se ipso.

Quid ortus Chronicus? est elevatio alicuius astri supra horizontem sole ex adverso occidente.

Quodnam signum zodiaci oritur his diebus chronice? signum arietis quia sol est modo in libra ac proinde oppositus signo arietis, iam autem si sol opponatur illi signo sole occidente debet illud oriri.

Quid occasus cosmicus? est depressio alicuius astri infra horizontem sole ex opposito oriente.

An idem astrum possit occidere Cosmice et oriri Chronice spatio ~~[illegible]~~ diei eiusdem? imo est hoc et semper contingit in nostro horizonte, quia ortus cosmicus est elevatio alicuius astri supra horizontem una cum sole, occasus autem chronicus est depressio alicuius astri infra horizontem simul cum sole. ortus autem Chronicus est elevatio alicuius astri supra horizontem sole ex adverso occidente, occasus autem cosmicus est depressio alicuius astri infra horizontem sole ex adverso oriente.

Quid inde infers? inde autem infertur quod astrum ascendens cosmice descendat Chronice, et ascendens Chronice descendat cosmice.

Da versum iuxta quem hoc fit.

Chronice descendit signum, quod cosmice surgit.
Cosmice descendit signum quod Chronice surgit.

Quid ortus iliacus? est apparitio alicuius sideris quod antea ob solis vicinitatem non videbatur.

Quid occasus iliacus? est occultatio alicuius sideris facta ob solis vicinitatem.

Quid ortus astronomicus? est elevatio alicuius partis aequinoctialis una cum aliqua parte vel signo zodiaci supra horizontem.

An quaelibet stellae habeant ortum astronomicum? proprie loquendo non, quia ortus astronomicus potissimum consideratur penes ortum signorum zodiaci.

An fiat ortus astronomicus supra quemlibet horizontem? non, quia non super horizontem inclusum seu neutrum, quia

super illum non potest elevari aliqua pars equinoctialis.

Quid occasus astronomicus? est depressio alicuius partis equinoctialis infra horrisontem cum aliquo signo vel parte zodiaci. talis ~~[illegible]~~ fit singulis diebus infra nostrum horrisontem quia singulis diebus medietas equinoctialis et medietas zodiaci deprimitur infra nostrum horrisontem.

Quomodo dividitur ortus astronomicus? in rectum et obliquum.

Quid ortus rectus? est ortus astronomicus per quem maior pars equinoctialis oritur cum minore parte zodiaci.

Quomodo debent se habere partes zodiaci et equinoctialis respectu certi horrisontis ut recte oriantur supra illum? debent partes zodiaci illum horrisontem intersecare ad angulos magis rectos quam partes equinoctialis in illo, scilicet spatio in quo simul oriuntur.

Quandonam ergo celerius una pars circuli oritur quam altera pars ipsi equalis? quando pars celerius oriens oritur oblique et altera tardius oriens oritur magis recte.

Quid ortus obliquus? est ortus per quem minor pars equinoctialis elevatur supra horrisontem cum maiori parte zodiaci.

Quando hoc generatim contingit? quando partes equinoctialis intersecant aliquem horrisontem ad angulos magis rectos quam partes zodiaci simul ascendentes.

Quenam signa habent ~~[illegible]~~ ortum rectum respectu nostri horrisontis? sex signa zodiaci numerando a cancro per libram usque ad capricornum; reliqua habent ortum obliquum.

An eque multa signa zodiaci oriantur nobis in hieme quam estate? imo.

Quomodo cum dies non sint tam longi in hieme quam in estate? nihil refert quia inde ad summum sequitur quod signa non oriantur eodem modo in hieme sicut in estate.

An etiam in hieme tot signa occidant quot in estate? imo

Quomodo ergo fit ut in brevissimo die tot signa nobis oriantur et occidant quot in longissimo die? quia in hieme oriuntur nobis oblique de die scilicet in estate autem de die oriuntur nobis recte iam autem plura signa zodiaci possunt oriri simul oblique quam simul recte.

An quando aliquod signum oritur recte etiam occidat recte? non sed quando oritur recte tunc occidit oblique, et quando oritur oblique tunc occidit recte.

Quid occasus rectus? est depressio maioris partis equinoctialis cum minore parte zodiaci.

Quid occasus obliquus? est depressio minoris partis equinoctialis cum maiori parte zodiaci.

De Anno.

Quid annus generaliter? est totum illud temporis spatium quo aliqua stella facit integram circumvolutionem suam motu proprio.

Quotuplex annus sic sumptus? novemplex, unus vocatur annus mundanus, alter annus stellarum fixarum, et septem anni planetarum.

Quid annus mundanus? est totum illud temporis spatium quo omnes stellae sive fixae sive erraticae tam diu moventur donec ad punctum unde inceperunt perveniant.

Quot annos solares continet ille annus? centum quinquaginta millia.

Quid annus stellarum fixarum? est totum illud tempus quo motu proprio omnes stellae fixae integre circumvolvuntur.

Quot annos solares continet annus stellarum fixarum? secundum aliquos quadraginta novem millia.

Quid annus Saturni? est totum illud temporis spatium quo Saturnus motu proprio percurrit integrum Zodiacum.

Quot annos solares continet annus Saturni? triginta circiter.

Quid annus Iovis? est totum illud temporis spatium quo Iuppiter motu proprio percurrit integrum Zodiacum.

Quid annus solaris? est totum illud temporis spatium quo Sol motu proprio percurrit integrum Zodiacum.

Quot dies continet ille annus? trecentos sexaginta quinque dies et sex circiter horas.

Quomodo dividitur annus solaris? in annum solarem communem et bissextum seu intercalarem.

Quid annus communis? est annus qui consideratur tanquam compositus ex trecentis sexaginta quinque diebus praecise.

Quid annus intercalaris seu bissextus? est annus consideratus ut compositus ex trecentis sexaginta sex diebus.

Ut ergo unus annus solaris contineat plures dies quam alter? in rigore loquendo non.

Quomodo ergo annus bissextilis consideratur habere unum diem amplius? hoc tantum fit secundum computum nostrum non autem quasi Sol tunc plures dies impendat ad Zodiacum conficiendum.

Unde ergo desumitur ille dies superexcrescens? ex sex horis tribus praecedentibus annis secundum computum nostrum omissis

quæ cum sex horis anni bissexti faciunt viginti quatuor ac proinde diem naturalem.
in quo mense solet ille dies poni? in februario.

Quid annus lunaris? est totum illud temporis spatium quo luna motu proprio percurrit integrum Zodiacum.
Quot dies continet ille annus? viginti septem dies, et octo circiter horas.
Quot anni lunares continentur in anno solari? tredecim circiter.
An quando hoc tempore v. g. fuit plenilunium viginti septem diebus et octo horis post erit iterum plenilunium? non.
Quomodo cum spatio viginti septem dierum et octo horarum luna rursum redeat ad spatium in quo ante fuerat? etiamsi hoc ita sit nihil refert.
Quare ergo non est rursus plenilunium? quia debet adhuc impendere aliquot dies ut rursum sit opposita soli, quia eo tempore quo luna percurrit totum Zodiacum, sol fere promovetur ad unum integrum signum Zodiaci, quod signum luna tunc debet insuper percurrere ut fiat interlunium, ut autem fiat rursus plenilunium debet saltem percurrere unum signum equivalens.
An annus lunaris aliquando non sumatur aliter? imo, sumpto tempore illo quo tam diu percurrit Zodiacum donec duodecies assequatur solem.
An ille annus sit equalis solari? non, sed continet circiter undecim dies minus.

Quid dies? dupliciter sumitur semel pro naturali et semel pro artificiali.
Quid dies naturalis? est integra circumvolutio solis circa axem mundi per motum primi mobilis.
An recte sit, est integra circumvolutio solis circa terram? ut sic sumendo verba in rigore non, quia integra circumvolutio solis describentis tropicum cancri est dies naturalis, et tamen non fit circumcirca terram, quia sol nimis tunc declinat ad septentrionem: ratione cuius fit ut non moveatur circa terram motu diurno.
Quid ergo generatim requiritur ad hoc ut sol moveatur circumcirca terram rigorose loquendo motu diurno? ut describat talem circulum diurnum ex cuius circumferentia si ducatur linea recta ad oppositam partem eiusdem ista transeat per ipsam terram.
Quam longus est dies naturalis? 24 horarum.
An omnes dies naturales sint eque longi? non in rigore loquendo quia sol uno tempore plus temporis impendit conficiendo diem naturalem quam alio.

Quomodo solent aliqui computare diem naturalem? Hoc modo: computantes nimirum illum incipiendo ab illo instanti quo sol modo est in arcu medii diei usque ad illud instans quo sol rursum existit in arcu medii diei.

Quid arcus medii diei? est tota illa pars meridiani existens supra horizontem illius respectu cuius dicitur talis.

Quid arcus medii noctis? est tota illa pars meridiani quae existit infra horizontem illius respectu cuius dicitur talis.

An secundum hunc computum illorum omnes dies naturales sint aequales? non in rigore loquendo, quia sol aliquando citius, aliquando tardius redit ad eundem arcum medii diei.

Unde provenit illa disparitas celeritatis? ex eo nimirum quod sol modo moveatur magis recta, modo minus recta versus orientem motu proprio.

Quandonam ergo tardius redit sol ad arcum medii diei? quando rectius movebitur versus orientem motu proprio.

Quandonam celerius redibit? quando magis oblique movebitur versus orientem.

Declara utrumque illud: quia quo magis recte movetur versus orientem tanto plus spatii conficit motu proprio in oppositam partem illi versus quam movetur motu primi mobilis, quo autem magis oblique tanto minus spatii conficit in oppositam partem.

An aliunde non possit pati disparitas illorum dierum secundum istum computum? imo, quia nimirum sol semel iuvatur in suo motu proprio a motu librationis nonae sphaerae et semel ab eodem impeditur, sed illa disparitas est valde exigua.

Quandonam sol magis recta movetur versus orientem in zodiaco? quando ~~[illegible]~~ est in cancro vel in capricorno.

Quid hora? est vigesima quarta pars diei naturalis.

An omnes horae sint inter se aequales? omnes horae eiusdem diei naturalis sint inter se aequales, sed non diversorum dierum.

Quare non dierum diversorum? quia secundum ante dicta singuli dies naturales possunt esse inaequales, ac proinde horae unius erunt inaequales horis alterius.

An si dies naturales desumerentur penes motum aequinoctialis omnes tunc essent inter se aequales? imo, quia aequinoctialis concipitur esse in primo mobili, primum mobile vero semper concipitur et revera movetur aeque celeriter.

Quare ergo non desumimus dies naturales penes istum motum? quia cum illud coelum non habeat stellas non possunt motus eius tam bene adverti, et consequenter non serviret nobis ad secernendum differentias temporum.

Quid si dies naturales computarentur secundum motum aequinoctialis, an tunc essent aeque multi in anno sicut nunc? non, sed esset unus amplius.

Quot ergo sunt dies naturales in uno anno? trecenti sexaginta quinque ~~[illegible]~~ et sex horis circiter.

An tam sint tot circuli diurni solis quos describat spatio unius anni

non.

Quomodo cum sol describat singulis diebus unum circulum diurnum? non refert.

Quare ergo non sunt tot circuli quot sunt dies in uno anno? quia singuli circuli non describuntur semel tantum sed omnes describuntur bis exceptis duobus tropicis.

Declara quod omnes illi describuntur bis exceptis tropicis? quia singuli circuli diurni solis tangunt zodiacum in duabus talibus partibus in quibus sol uno die simul existere non potest exceptis nimirum duobus tropicis, cum autem si sol spatio unius anni percurrat totum zodiacum debebit existere successive in singulis illis punctis zodiaci in quibus illi circuli tangunt zodiacum, singuli habeant duo puncta distincta in quibus zodiacum tangunt, cum igitur necessario debebit sol bis describere singulos illos in eodem anno.

Quare dicitur exceptis tropicis scilicet cancri et capricorni? quia illi tantum semel describuntur, quia tantum in uno puncto uterque eorum tangit zodiacum.

Quot ergo sunt circuli diurni solis? centum octoginta tres circuli cum medio.

Quomodo vero cum nunquam sol describat unum medium circulum diurnum tantum? potest dici quod describat medium circulum sed bis quod facit unum integrum circulum.

Ubinam vero est iste medius circulus qui solet bis describi a sole? in sphera artificiali in qua omnes circuli sunt tanquam perfecti circuli non potest assignari sed bene potest concipi quomodo unus medius circulus bis describatur, dicendo quod sint tantum spire sicut re vera sunt.

Quomodo ergo hoc potest concipi fieri in sole? ut hoc melius intelligatur sciendum est quod tam bene possint incipere annum a media nocte quam a media die.

Concipiamus ergo solem moveri motu diurno a duodecima noctis in anno novo usque ad duodecimam diei, relinquatur autem tunc ille numerus horarum seorsim, et computentur dies anni ab una hora duodecima meridiana usque ad alteram. dico quod continuo sol describet circulos diurnos ab una nimirum hora duodecima de die usque ad alteram, sicque per totum annum, donec tandem veniatur usque ad ultimam horam duodecimam meridianam in ultimo die anni? tunc autem debebit sol adhuc moveri per duodecim horas ut habeatur integer annus, et sic rursum describet medium circulum in fine sicut descripserat in initio.

An sol describens illos circulos semper eque celeriter moveatur per motum primi mobilis? non, quia tardius movetur motu primi mobilis describens alterum tropicorum quam describens equinoctialem.

Unde hoc colligis? quia eque multum temporis impendit describendo unum quam describendo alterum, saltem quantum est ex parte motus primi mobilis, et tamen unus circulus est maior altero.

Quare additur saltem etc? quia quantum est ex parte motus proprii impedientis motum primi mobilis potest unum citius absolvere quam alterum.

An sol conficiat eque multos parallelos percurrendo unam medietatem zodiaci, quam alteram? distinguendum est; sol percurrendo medietatem zodiaci que est a principio Cancri usque ad principium Capricorni et contra, sic verum est quod percurrat eque multos; si autem consideretur moveri a principio Arietis usque ad principium Libre et contra, tunc falsum est, quia percurrendo sex signa borealia, que sunt a principio Arietis usque ad principium Libre, impendit novem dies amplius quam percurrendo aliam medietatem, iam autem si hoc verum sit conficit in una medietate plures parallelos quam in altera.

An ergo zodiacus in duas tales medietates divisus non dividatur in duas partes equales? imo.

An ergo sol non movetur eque celeriter motu proprio in una medietate quam in altera? imo.

Quomodo ergo plures dies impendit sol percurrendo unam quam alteram? quia percurrendo signa borealia sol magis elevatus a terra movetur, percurrendo autem alia signa movetur magis vicinus terre.

Quid dies artificialis? est mora solis supra horizontem illius respectu cuius dicitur talis.

In quo distinguitur dies artificialis a naturali? in eo quod omnis dies naturalis contineat viginti quatuor horas, dies autem artificialis non sic.

An posset dari dies [illegible] artificialis unius tantum hore? imo, et talis erit quando sol describet unum circulum diurnum supra aliquem horizontem, cuius tam parva pars est supra illum horizontem ut sol illam percurrat una hora.

An non datur dies artificialis longior viginti quatuor horis? imo, quia homines habitantes sub polis mundi habent diem artificialem unius medii anni.

An tales homines possent dies suos naturales computare ab ortu solis sicut aliqui faciunt? non, quia post viginti quatuor horas sol rursum ipsis non oritur sicuti nobis.

An dies artificialis cum nocte artificiali sibi correspondente constituat integrum diem naturalem? imo, respectu hominis manentis immoti.

Quid ergo nox artificialis? est mora solis infra horizontem illius respectu cuius dicitur nox artificialis.

Quid nox naturalis? questio supponit falsum.

Quare in precedenti responsione fuit dictum, respectu hominis manentis immoti? quia si homo exempli causa moveretur interea versus orientem vel occidentem dies et nox [illegible] artificialis ipsi apparentes non constituerent integrum diem naturalem, quia homo ut orto iam sole tendens versus orientem continuo citius habebit occasum solis, et consequenter citius altero die ortum solis quam si mansisset immotus, unde ratione istius dies et nox artificiales ipsi apparentes non erunt equales uni diei naturali.

An omnes dies artificiales sunt equales noctibus sibi correspondentibus? non, quia in estate apud nos dies artificialis est longior

Cantilena Scholatorum.

1
Quis ille modus, quis ille mos?
Quam diurnus labor vexat nos?
Vix transit dies
quo datur quies
wy moeten loos syn als den vos.

2
Continuabunt haecne sic
quam diu nos studemus hic?
non toleremus,
fauces rigemus
Laet ons gaen soecken vryen slick.

3
Laetemur vnanimiter
vitra cum potu hospes fer,
arridet potus
nullus est notus
Ons ouders syn van hier soo ver.

4
Oportet humectare os,
in schola solet divitos
Penna vexare
et aggravare
Wy syn nu liber ende los.

5
Cum totus sitibundus iam
propinet mihi quispiam
non recusabo,
evacuabo
Het becken is nu van den dam.

6

Quid hoc est? vitrum nullus dat
est nemo qui hoc repleat,
mox inchoabo
non exspectabo
Wy moeten t'avont al syn sat

7

Propino tibi Domine
paratus eris sequi me
nec hoc negabis
ter depotabis
Soo gy niet weesen wilt ~~lo~~ vre.

8

Transiuit potus guttura
mi, fa, sol, la, mi fa sol la,
Decore preciis (?) iterantur ~~[illegible]~~
scyphi
Elck ider sal my volgen na.

9

Eia viuat Louanium,
quid quaeso ad nos studium,
vitro studere
solet placere
Laet ons meer houden van den trom.

nocte sibi correspondente.

Unde generaliter fit quod dies artificialis sit longior nocte sibi correspondente? quia videlicet maior est pars circuli diurni descripti a sole supra horizontem quam infra.

Quandonam est maior nox? quando est maior portio circuli diurni descripti a sole infra horizontem quam supra.

An certo sensu posset admitti quod dies artificiales sint equales noctibus respectu eiusdem horizontis? imo.

Quo sensu? quia quando datur una dies sedecim horarum tunc respectu eiusdem horizontis datur aliquando nox sedecim horarum et quando datur dies tredecim horarum tunc respectu eiusdem horizontis datur aliquando nox tredecim horarum et sic consequenter, quia quando ab una parte equinoctialis datur unus circulus diurnus ita elevatus supra horizontem, ut sol ibi impendat sedecim horas, tunc ab alia parte equinoctialis datur unus circulus diurnus eque multum depressus infra horizontem, iam autem si sol impendat sedecim horas percurrendo partem prioris circuli supra horizontem, impendet etiam sedecim horas percurrendo similem partem alterius circuli infra horizontem.

An regiones ex diverso situ sphere sortiantur diversas proprietates? imo.

Quot solent ibi regiones considerari? septem.

An ergo sunt plures regiones quam zone? imo, quia sunt tantum quinque zone, sunt autem septem regiones.

Quot regiones sunt sub zona torrida? tres. una sub equinoctiali altera inter tropicum et equinoctialem, tertia sub ipso tropico. Ubi est quarta regio? inter tropicum et circulum polarem, quinta est sub circulo polari, sexta inter polarem et polum, septima sub polo mundi.

Quomodo recte dictum est cum secundum hoc inveniantur regiones unius hemisphery et circiter? verum est, et sic tantum intelligitur in questione.

Quenam ergo sunt proprietates hominum habitantium sub equinoctiali? semper habent dies artificiales equales noctibus, quia horizon illorum intersecat omnes circulos diurnos solis in duas partes equales.

Da aliam proprietatem eiusdem regionis nempe sub equinoctiali? quod sol transeat bis per ipsorum zenith qui habitant sub equinoctiali.

Quandonam ergo sol transit per zenith habitantium sub equinoctiali? quando describit equinoctialem.

Declara ergo quod sol bis in anno transeat per ipsorum zenith? quia bis in anno describit equinoctialem, nempe in principio arietis et libre.

Assigna aliam proprietatem? secundo habent duas estates et duas hiemes.

Quandonam incipiunt illorum estates? in principio arietis incipiunt

habere unam, et in principio libre alteram.
Quandonam habent suas hyemes? incipiunt habere unam sole exis-
tente in principio cancri, et alteram sole existente in principio capri-
corni.
Quanto tempore durant estates ille et hyemes? singule sex sep-
timanis.
Quomodo cum sic omnes simul sumpte non faciunt integrum
annum? nihil refert.
Quid ergo habent reliquo tempore anni? habent tempus simile
veri nostro et autumno.
An hyems apud ipsos sit tam frigida quam apud nos? non, sed
ferme tam calida quam nostra estas.
An eo posito recte dicantur habere quatuor solstitia? imo, quia
sicut nos habemus solstitium in initio estatis et in initio hye-
mis nostre, sic ipsi habebunt duo solstitia in initio nimirum utrius-
que hiemis, et duo in initio utriusque estatis.
Assigna aliam proprietatem: quod habeant quatuor differentias um-
brarum.
Quomodo recte cum ultra quatuor habeant etiam umbram perpen-
dicularem? non refert.
Quomodo ergo non habent quinque? si velimus illam annumerare
tunc habent quinque, sed quia illa umbra vix notari potest, ideo non annu-
meratur.
Quotuplex umbra? duplex, alia simplex, alia mixta.
Quid umbra simplex? est umbra a corpore opaco proiecta versus punctum
verum orientis, vel aliud ex quinque punctis mundi
Quid umbra mixta? est umbra a corpore opaco proiecta versus
punctum intermedium inter unum et alterum ex prioribus.
Quandonam corpus opacum proiicit umbram simplicem versus
orientem? quando sol occidit per occasum verum.
Quid ibi occasus verus? est punctum illud horizontis in quo sol
occidit describens equinoctialem.
Quandonam sol habet ortum verum? quando oritur describens
equinoctialem.
Declara quod homines habitantes sub equinoctiali habeant umbram
versus orientem? quia talem et quidem simplicem habent sole
occidente in equinoctiali.
Quandonam habent umbram versus occidentem? talem et qui-
dem simplicem habent sole oriente per ortum verum.
Quandonam proiiciunt umbram versus septentrionem? quando sol
est in ipsorum meridiano decedens describens tropicum capricorni.
Quandonam habent umbram versus austrum? quando sol est in
ipsorum arcu medie diei, et describit tropicum cancri.
Quandonam proiiciunt umbram perpendicularem si proiiciant? quando
sol est in ipsorum arcu medie diei describens equinoctialem.
Quare dictum est si proiiciant? quia illa umbra perpendicularis
debet recta proiici versus centrum terre, et sic non potest facile
apparere cum illic homines ordinarie stent in superficie terre.

An ergo non possint illi homines adiscere talem umbram perpendicularem? imo, si nimirum extendant manum suam, vel pileum ubinam apparebit umbra manus, vel pilei sic extensi? directe infra manum, item pileum.

An homines habitantes sub aequinoctiali aliquando non proiiciant umbras mixtas? imo.

Quandonam? quando sol neque existit in arcu medio diei ipsorum, neque describit aequinoctialem.

Quandonam illi homines proiiciunt umbram mixtam inter punctum septentrionale, et punctum occasus solis? quando describit mane tropicum capricorni, vel circulum diurnum existentem inter illum tropicum et aequinoctialem.

Quandonam illi homines proiiciunt umbram mixtam inter septentrionem, et ortum solis? quando sol describit postprandium tropicum capricorni, vel diurnum consistentem inter illum et aequinoctialem.

Quid hoc est necesse? quia pars illa versus quam proiicitur umbra debent esse opposita luminoso, iam autem sol tali tempore est oppositus spatio illi quod est inter ortum verum et septentrionem.

Quandonam illi homines proiiciunt umbram versus spatium existens inter occasum verum, et austrum? quando mane describit tropicum cancri, vel diurnum existentem inter illum et aequinoctialem.

Quandonam proiiciunt umbram mixtam inter ortum verum et austrum? quando describunt unum ex illis circulis postprandium.

Assigna aliam proprietatem illorum hominum: quod omnes stellae aequali tempore existant supra illorum horizontem, et aequali tempore sive aeque diu existant infra horizontem.

Quam longum est illud tempus? duodecim horarum quo nimirum existunt supra, et totidem horarum quo existunt infra horizontem.

An ergo semper eaedem stellae nobis lucent de nocte? non.

Quomodo cum aequali tempore semper existant supra horizontem? nihil refert, quia semper illud tempus quo veniunt ad nostrum horizontem non est nocturnum.

Unde hoc fit? ex motu solis proprio per quem successu temporis se aliis et aliis stellis fixis coniungit, quia percurrendo integrum Zodiacum facit ut stellae fixae huius hemisphaerii sint supra horizontem simul cum sole hoc tempore, et ut stellae fixae alterius hemisphaerii etiam sint supra eundem horizontem aliquando cum sole, et sic non semper eaedem stellae fixae lucent de nocte.

An illi homines non proiiciant umbram mixtam in meridie? non, quia tunc semper vel habent umbram perpendicularem, vel meridionalem vel septentrionalem.

Quandonam habent umbram septentrionalem? quando sol describit in meridie tropicum capricorni.

An semper habeant aeque magnam umbram septentrionalem? non, quia maiorem habent sole describente tropicum capricorni, et minorem sole describente diurnos medios inter tropicum capricorni et aequinoctialem.

Quare habent maiorem umbram septentrionalem sole describente tropicum capricorni? quia tunc sol magis remotus est ab ipsorum zenith; iam autem generatim quo magis deinde sol remotius est a zenith alicuius hominis, tanto maiorem ille homo proiicit umbram.

Quare ergo proiicimus maximam umbram sole oriente vel occidente? quia tunc sol maxime remotus est a nostro zenith.

Quare proiicimus maiorem umbram sole magis remoto a nostro zenith? quia tunc sunt plures lineae rectae ductae a sole in planum terrae quae transeunt per corpus nostrum; iam autem totum illud terrae spatium in quo tales lineae terminantur debet carere radiis solaribus.

Assigna proprietates hominum habitantium inter aequinoctialem et alterum tropicorum? illi habent semper dies inaequales noctibus excepto generali aequinoctio.

Quandonam contingit generale aequinoctium? quando sol describit aequinoctialem.

Quare illi homines semper habent dies inaequales noctibus aequinoctio excepto? quia horizon illorum reliquos diurnos solis praeter aequinoctialem dividit in partes inaequales.

Da aliam proprietatem illorum? ipsis etiam sunt quinque differentiae umbrarum, quia aliquando habent orientalem, aliquando occidentalem, aliquando meridionalem vel septentrionalem, aliquando perpendicularem.

Quandonam habent umbram orientalem et occidentalem? sole describente aequinoctialem mane habent occidentalem, sole eundem describente post prandium habent orientalem.

Quandonam habent umbram perpendicularem? quando sol est in meridie et describit illum circulum diurnum sub quo habitant, quia tunc sol est in ipsorum zenith; quotiescunque autem sol est in zenith alicuius, tollitur habet umbram perpendicularem.

Quandonam habent umbram septentrionalem? quando sol describit illos circulos diurnos qui consistunt inter austrum et circulum diurnum sub quo habitant.

Quinam homines ex illis aliquando maximam proiiciunt septentrionalem? illi qui habitant inter aequinoctialem et tropicum cancri.

Quinam ex illis minimam proiiciunt umbram septentrionalem? illi qui habitant inter aequinoctialem et tropicum capricorni, et quo magis sunt vicini tropico Capricorni, tanto minor est maxima illorum umbra septentrionalis quam proiicere possunt.

Quinam ex illis possunt proiicere maximam umbram australem? habitantes inter aequinoctialem et tropicum capricorni, et quo magis accedunt ad illum tropicum tanto maiorem aliquando possunt proiicere umbram australem.

Quinam ex illis proiiciunt minimam talem umbram? habitantes inter aequinoctialem et tropicum cancri, et quo magis accedunt ad tropicum cancri tanto minor est illorum maxima umbra australis quam proiicere possunt.

Assigna alias proprietates eorundem: quod habeant duas aesta-
tes et duas hyemes, sed inaequales.
Quandonam incipit illorum aestas? quando sol describit circulum
diurnum sub quo habitant.
Declara ergo quod habeant in anno duas aestates: quia sol bis
describit in anno circulum diurnum sub quo habitant.
Quare dicuntur habere duas hyemes inaequales? quia una hyems
illorum diutius durat altera.
Quaenam diutius durat? distinguendum est, si habitent inter aequi-
noctialem et tropicum cancri tunc illis diutius durat illa hyems
quae ipsis contingit sole describente tropicum capricorni: si autem
habitent inter aequinoctialem et tropicum capricorni tunc diutius durat
hyems ipsis contingens sole describente tropicum cancri.
Assigna aliam proprietatem: ex dictis sequitur illa, nimirum
quod habeant solem bis in anno in suo zenith.
Da aliam: quod non omnia coeli puncta a polis mundi distincta
illis oriantur et occidant.
An omnes habeant aeque multa puncta coeli perpetuae elevationis
supra horizontem? non, quia illi qui sunt viciniores aequinoctiali ha-
bent pauciora, viciniores autem alteri tropicorum habent plura
talia puncta, quia quo remotiores sunt ab aequinoctiali et viciniores
tropicis tanto magis elevatum habent alterum polorum mundi, ac
proinde tanto plura puncta polo mundi vicina supra horizontem,
quo autem magis accedunt ad aequinoctialem tanto minus habent
elevatum supra horizontem alterum polorum mundi.
Assigna proprietates hominum habitantium sub altero tropicorum?
primo habent dies inaequales noctibus, semper excepto generali
aequinoctio, et non omnia puncta coeli ipsis oriuntur et occidunt,
distincta nimirum a polis mundi.
Da aliam proprietatem: secundo habent tantum semel in anno
solem in suo zenith, tunc nimirum quando sol describit illum tro-
picum sub quo habitant.
Quare tantum semel sol existit in eorum zenith? quia sol tan-
tum semel in anno describit tropicum sub quo habitant.
Da aliam proprietatem: habent tantum quatuor differentias
umbrarum etiam computando perpendicularem.
Quandonam habent umbram perpendicularem? quando sol est in
illorum zenith.
Quoties habent illam? tantum semel, quia semel tantum existit
in anno in ipsorum zenith.
Quandonam proiiciunt umbram orientalem? circa vesperum illius
diei quo sol describit aequinoctialem.
Quandonam habent occidentalem? sole oriente et describente aequi-
noctialem.
Quandonam habent australem? distinguendum est, si intelligatur
de habitantibus sub tropico capricorni tunc habent illi quando sol
describit circulos diurnos ab illo tropico distinctos existens in me-
ridie, si intelligatur de habitantibus sub tropico cancri quaestio

supponit falsum.

Quomodo ergo habent se quoad praedicationem homines habitantes sub tropico, et homines habentes umbram australem? utrumque sunt homines habitantes sub tropico Capricorni.

Da habitantes sub tropico et nunquam habentes umbram australem: tales sunt habitantes sub tropico Cancri.

Da econtra: habitantes sub ęquinoctiali.

An omnes illi homines aliquando habeant umbram septentrionalem? non.

Quinam ergo nunquam habent? qui habitant in tropico Capricorni.

Quare illi nunquam habent talem umbram? quia nunquam ipsorum zenith est magis vicinum septentrioni quam sol existens in ipsorum arcu medii diei, tum autem hoc generaliter requiritur ut aliquid proiciant umbram septentrionalem.

Quot ęstates habent illi homines? tantum unam?

Quandonam est illa ęstas? quando sol describit tropicum Capricorni si habitent infra illum, vel quando describit tropicum Cancri si nimirum infra illum habitent.

Quot hiemes habent? tantum unam, tempore illo quando sol describit illum tropicum infra quem non habitant.

Assigna proprietates hominum habitantium inter tropicum et circulum polarem? primo habent semper dies inęquales noctibus praeterquam in generali ęquinoctio.

An dies apud ipsos sunt magis inęquales noctibus quam apud habitantes inter tropicum et ęquinoctialem? imo, quia habent horizontem magis obliquum qui omnes circulos diurnos solis praeter ęquinoctialem dividit in partes magis inęquales quam horizon habitantium inter tropicum et ęquinoctialem.

An illi habeant plura puncta coeli quę nunquam oriuntur et occidunt quam habitantes inter tropicum et ęquinoctialem? imo, quia alter polorum mundi est magis elevatus supra illorum horizontem quam supra horizontem habitantium inter tropicum et ęquinoctialem.

Da aliam proprietatem: quod sol nunquam transeat per illorum zenith, quia sol nunquam egreditur tropicos, iam autem si nunquam egreditur tropicos nunquam poterit esse in illorum zenith, quod est inter alterum tropicorum, et circulum polarem ipsi vicinum.

Da aliam proprietatem: quod tantum habeant tres differentias umbrarum, nempe orientalem, occidentalem, et septentrionalem si habitent inter tropicum Cancri, et circulum polarem arcticum, vel australem si habitent inter tropicum Capricorni et circulum polarem antarcticum.

Quare non habent aliquando umbram perpendicularem? quia sol nunquam est in ipsorum zenith.

Quare homines habitantes inter tropicum Cancri et circulum polarem arcticum nunquam habent umbram meridionalem? quia

illorum Zenith nunquam magis appropinquat polo mundi meridio=
nali quam sol existens in ipsorum arcu medii diei.
Da aliam proprietatem: nimirum quod ventus spirans ab illa
plaga quæ est sub æquinoctiali apud illos ordinarie afferat pluviam.
Quomodo vocatur ille ventus apud homines habitantes inter tropicum
cancri, et circulum polarem arcticum? meridionalis seu australis.
Quomodo appellatur ille ventus apud homines habitantes inter tro=
picum capricorni et circulum polarem antarcticum? ventus sep=
tentrionalis.
Quare talis ventus est apud illos pluviosus? quia sub æquinoctiali
multi vapores elevantur a terra ob radios solis, ille autem ventus
ab æquinoctiali spirans secum vehit vapores illos elevatos usque ad
illam regionem in qua maius frigus est, et ibi resolvuntur in plu=
viam, cum autem regiones illæ antedictæ habitantibus inter tropicum
et circulum polarem habent ordinarie magis frigus, et ideo con=
tingit ut per talem ventum vapores eo devecti, ibi resol=
vantur in pluviam.
Assigna proprietates hominum habitantium sub circulo polari?
habent dies noctibus inæquales semper præterquam in generali
æquinoctio.
Da aliam: quod non omnia puncta cœli illis oriantur et occidant,
sed multo plura quam ante perpetuo maneant elevata supra hori=
zontem.
Da aliam: quod singulis diebus naturalibus habeant polum zodia=
ci in suo zenith, quia illorum omnium zenith est in circulo po=
lari, vel et singulis diebus polus zodiaci describit integrum circulum
polarem.
Da aliam proprietatem: quod habeant singulis diebus naturalibus
horizontem semel coincidentem cum zodiaco quando illorum zenith
coincidit cum polo zodiaci.
Assigna aliam proprietatem: quod unus tropicorum sit integer
supra illorum horizontem excepto puncto uno, alter autem tropico=
rum tantundem infra horizontem sit depressus.
Quid inde sequitur? quod semel in anno habeant diem circiter
viginti quatuor horarum, et semel in anno talem noctem.
Quandonam habent talem diem? quando sol describit illum tropicum
qui totus supra illorum horizontem excepto puncto.
Quandonam habent talem noctem? quando sol describit illum tro=
picum qui est totus infra horizontem excepto puncto.
Quot habent differentias umbrarum? tres, orientalem, occidenta=
lem, et septentrionalem si habitent sub polari arctico, meridionalem
vero si habitent sub antarctico.
Da proprietates hominum habitantium inter circulum polarem
et polum mundi ipsi vicinum? quod habeant dies valde inæquales
noctibus excepto generali æquinoctio.
Da alias? semper habent unam partem zodiaci perpetuo manentem

supra horizontem suum.
An illa pars sit apud omnes equalis? non, quia est maior pars perpetuo manens supra horizontem hominum polo mundi magis appropinquantium quam supra horizontem polo mundi minus appropinquantium.
Declara quod semper debeat manere aliqua pars zodiaci supra illorum horizontem? quia tota medietas horizontis illorum utrimque interscipitur inter equinoctialem et utrumque tropicum, iam autem si hoc sit verum tropici non intersecabuntur ab illo horizonte, sed unus erit supra et alter infra illum, iam autem si unus tropicus semper sit supra horizontem, illa pars zodiaci que tangit illum tropicum semper erit supra eundem horizontem.
An ergo signum zodiaci quod modo est in tropico aliquando non sit in alio circulo paralelo? non. scilicet sic ut notari possit, quia generatim stelle fixe numquam mutant circulum suum paralellum quem motu diurno describunt scilicet sic ut notari possit.
Da aliam proprietatem illorum hominum? omnes illi homines habent diem aliquando artificialem ad minimum viginti quatuor horarum, quia omnes illi habent ad minimum unum circulum diurnum solis integrum semper supra suum horizontem, iam autem quando sol describit illum circulum habent diem viginti quatuor horarum.
An longissimus illorum dies artificialis apud singulos sit equalis? non, quia apud aliquos est unius mensis et apud alios duorum.
Qua proportione servata solet augeri illorum dies maximus artificialis? servata hac proportione, nimirum quo maior pars zodiaci semper manet supra illorum horizontem, tanto longior est illorum dies maximus artificialis.
Quid si maneat semper unum signum zodiaci tantum supra horizontem? tunc illorum longissimus dies artificialis erit unius mensis tantum.
Quid si maneat unum signum cum medio? tunc longissimus erit unius mensis cum medio.
Da aliam quod sol aliquando oriatur ipsis ordine naturali, aliquando ordine non naturali seu prepostero.
Quandonam dicetur sol oriri ordine naturali? quando sol ascendit supra horizontem per motum diurnum ut sic.
Quare ille ortus vocatur naturalis? quia fit per talem motum per quem conficit sol diem naturalem.
Quandonam dicetur sol oriri ordine prepostero? quando ascendit supra horizontem per motum proprium.
Da horizontem supra quem sol semper ascendat ordine prepostero: horizon universalis, quia sol semper ascendit supra illum horizontem mero motu proprio,
unde colligitur quia si sol tantum moveretur motu diurno et non proprio, existens infra horizontem numquam ascenderet et existens supra numquam descenderet.

Quid ordo praeposterus? ordo inversus seu ~~prae~~ turbatus.

Quare ergo sol dicitur oriri praepostere quando oritur per motum proprium? quia oritur per talem motum qui est contrarius, et suo modo inversus respectu motus quo sol ordinarie solet oriri.

An aliqua signa Zodiaci non possint dici oriri modo ordine praepostero, et aliqua ordine naturali supra illorum horizontem? imo

Quandonam signa zodiaci censentur oriri ordine praepostero supra horizontem? quando sic oriuntur supra horizontem ut unum illorum non appareat oriri post alterum, seu quando oriuntur ~~recte~~ oblique.

Quandonam censentur oriri ordine naturali? quando sic oriuntur ut unum appareat oriri post alterum, seu quando oriuntur recte.

Quomodo occidunt signa orta ordine naturali respectu illorum horizontis? praepostere, et signa orta praepostere occidunt ordine naturali.

Da proprietates hominum habitantium sub polis? in primis habent diem artificialem medij anni, et noctem medij anni physice loquendo, quia habent medietatem Zodiaci supra horizontem, et alteram infra, quia horizon illorum coincidit cum aequinoctiali, iam autem aequinoctialis dividit zodiacum in duas partes aequales, ac proinde etiam illorum horizon.

Quare dictum est physice loquendo? quia vulgariter loquendo habent diem longiorem medio anno, et noctem medio anno breviorem, quia vulgariter loquendo crepusculum dici spectat etiam ad diem cuius est crepusculum, iam autem computando crepusculum quod habent illorum dies est longior nocte correspondente.

Quam longam ergo habent diem vulgariter loquendo? octo mensium, quia habent crepusculum unius mensis antequam sol ascendat supra horizontem, et crepusculum unius mensis postquam descenderit infra.

Ad quot gradus debet sol moveri infra horizontem antequam desinat crepusculum vespertinum? ad tredecim gradus circiter motu diurno.

Quomodo ergo habent crepusculum vespertinum unius mensis cum sol in eo conficiat unum gradum circiter in Zodiaco? verum est sed illum conficit oblique cum eo autem bene consistit quod sol post triginta gradus in Zodiaco oblique confectos tantum distet tredecim gradibus infra horizontem computando illos in linea recta.

Quandonam incipit crepusculum matutinum respectu alicuius horizontis? quando sol incipit tam vicinus horizonti, et ad summum tantum distet tredecim gradibus.

Quot ergo mensium noctem habent vulgariter loquendo? quatuor.

Quot gradibus potest ad summum elevari sol supra horizontem illorum? viginti tribus gradibus cum medio, quia tropicorum alter est tantum elevatus viginti tribus gradibus cum medio supra illorum horizontem, iam autem ibi est terminus solis ultra quem non potest magis accedere ad polum mundi qui est illorum zenith.

An illi homines per integros quatuor menses habeant continuo
tenebras? non habent omnimodas tenebras, sed aliquando ha-
bent lunam splendentem supra horizontem
Quam diu habent lunam splendentem consequenter? non potest
certo determinari, sed bene potest dici quamdiu habent lunam
consequenter supra horizontem, nempe per medium circiter men-
sem, quia luna conficit tali tempore mediam partem zodiaci
quę est supra illorum horizontem.
Cur nequit similiter dici quamdiu luna splendeat apud ipsos?
quia non tunc semper splendet quando luna est supra illorum
horizontem, sed quando insuper sol est depressus infra horizon-
tem sufficienter ut luna splendeat.
An qua figura luna aliquando ascendit supra eorum horizontem?
aliquando ascendit cornuta, quando sol ad integrum signum zodiaci
aut parum amplius depressus est infra horizontem illorum, tunc ascen-
dit sub tali figura, sic scilicet ut splendeat sicut sub initio noctis
splendere solet.
Quandonam tempore noctis illorum ascendit semiplena? quando luna
ascendit illo tempore quo sol depressus est infra illorum horizontem
quarta parte zodiaci.
Quandonam ascendit plena luna tempore noctis illorum? quęstio sup-
ponit falsum.
Quod falsum supponit? quod possit ascendere plena tempore noctis
cum tamen necessario ascendat plena quando est vel initium vel finis
respectu ipsorum diei.
Quomodo hoc probatur? quia ut luna ascendat plena supra illo-
rum horizontem debet esse in signo ęquinoctiali, id est in ariete vel
libra; iam autem si luna ascendat plena in uno puncto ęquinoc-
tiali, sol erit in signo ęquinoctiali opposito, tunc autem nunquam
potest esse nox apud illos.
An ergo hoc non possit fieri ut luna plena et sol sint supra eorum
horizontem? imo, saltem pro maxima parte, quia quando sol erit in
ariete ♈ sic ut pro maxima sui parte adhuc sit elevatius supra
illorum horizontem, et luna in libra in illa parte zodiaci magis
etiam elevata supra eundem horizontem.
Quomodo tunc luna et sol movebuntur? in gyrum.
Da aliam proprietatem illorum hominum: quod habeant semper
eadem sex signa zodiaci supra horizontem, et alia sex semper
infra, quia illorum horizon coincidit cum ęquinoctiali; iam autem
si coincidat dividit zodiacum in duas partes ęquales eodem modo
sicut ęquinoctialis.
Quomodo dividit ęquinoctialis zodiacum in duas partes ęquales?
sic dividit in duas partes ęquales ut sex signa in una medietate
contenta nunquam magis accedant vel recedant ab ęquinoctiali
sicut notari possit, neque etiam sex signa zodiaci in alia parte
contenta.
Assigna aliam proprietatem: quod nimirum umbra illorum ho-

mundum spatio viginti quatuor horarum aut circiter describat circulum in plano terrae.

Declara hoc sic fieri: quia si aliquis in terra erigat baculum et ponat signum aliquod vel lapidem in illo loco in quo hac hora projicitur umbra baculi experietur quod post viginti quatuor horas eundem umbra baculi tangat lapidem.

De Excentricis et epyciclis

An omnes coeli sint mundo concentrici? omnes coeli totales sunt mundo concentrici.

Quandonam coelum censetur mundo concentricum? quando centrum eius coincidit cum centro universi.

Quid intelligitur per centrum universi? punctum illud in medio terrae constitutum a quo omnes lineae recte ductae ad [redacted] convexam coeli empyrei sunt aequales.

Declara quod omnes coeli totales sunt mundo concentrici: quia centrum omnium illorum coincidit cum centro universi.

An ergo coeli planetarum sunt mundo concentrici? imo intelligendo de totalibus.

An totale coelum planetae sit unum et continuum? non

Quid ergo intelligitur per coelum quod est unum et continuum? intelligitur coelum cuius omnes partes integrales uniuntur sibi unione integrali proprie dicta sic scilicet ut non includat aliquas taliter non unitas.

Quare ergo coeli planetarum non sunt entia una et continua? quia includunt tres partiales orbes non unitos inter se unione integrali proprie dicta.

An illi partiales orbes sunt mundo concentrici? non, sed sunt excentrici mundo.

Quid orbis mundo excentricus prout hic? est orbis habens centrum distinctum a centro universi saltem secundum alteram sui superficiem terminantem.

Quotuplex superficies terminans alicuius orbis? duplex concava et convexa.

Quid superficies concava alicuius orbis? est superficies terminans orbem ea parte qua aptus est continere aliquod corpus aliud.

Quid superficies convexa orbis? est superficies terminans orbem ea parte qua aptus est contineri.

Quotuplex ergo est excentricus ante definitus? duplex

excentricus simpliciter, et excentricus secundum quid.

Quid orbis excentricus simpliciter? est orbis habens centrum distinctum a centro universi secundum utramque suam superficiem terminantem.

Quid orbis excentricus secundum quid? est orbis habens centrum distinctum a centro universi secundum alteram tantum suam superficiem terminantem.

Quotuplex excentricus secundum quid? duplex: excentricus secundum superficiem concavam tantum, et excentricus secundum superficiem convexam tantum.

An singuli orbes partiales coeli planetarum sint excentrici simpliciter? non, sed unus est excentricus simpliciter, alter excentricus secundum convexam tantum, alter excentricus secundum concavam superficiem tantum.

Quo ergo ordine illi tres partiales orbes disponuntur in coelo planetae? hoc ordine nimirum infimo loco ponitur excentricus secundum superficiem convexam tantum, in medio ponitur excentricus simpliciter et supremo loco ponitur excentricus secundum superficiem concavam tantum.

Quaenam est distinctio inter illos excentricos? prima est insinuata in ultima responsione nimirum quod unus infimo, alter medio, alter supremo loco collocetur.

Da aliam diversitatem: quod excentricus simpliciter sit undequaque uniformis crassitiei, excentrici autem secundum quid sint difformis crassitiei.

Declara quod excentricus simpliciter sit undequaque uniformis crassitiei: quia omnes lineae rectae ductae a superficie convexa illius ad superficiem concavam eiusdem sunt aequales.

Declara quod excentrici simpliciter sint difformis crassitiei? quia si undequaque ducas lineas rectas a superficie convexa illorum ad eorum concavam superficiem non erunt inter se aequales.

Qua parte excentricus secundum superficiem convexam tantum est crassissimus, et qua parte tenuissimus? illa parte qua tangit excentricum simpliciter maxime a terra recedentem est crassissimus, et illa parte qua tangit excentricum simpliciter maxime ad terram accedentem est tenuissimus.

Qua parte excentricus secundum concavam superficiem tantum est crassissimus, et qua parte tenuissimus? illa parte qua tangit excentricum simpliciter maxime ad terram accedentem est crassissimus, illa autem parte qua tangit excentricum simpliciter maxime a terra recedentem est tenuissimus.

Assigna aliam disparitatem: quod excentricus simpliciter movea-

Orbis totalis Lunæ
Descriptio
simul et quartæ eiusdem
Lunæ facies.
falcata.
Semiplena.
Aux
seu
Apogeus
epicyclus
corpus Lunæ
Orbis excentricus secundum quid
centrum mundi
terra
Orbis excentricus secundum quid
Orbis æquans
Concentricus simpliciter
gibbosa.
plena

tur motu proprio, excentricus autem secundum quid tantum motu communicato.

Quis motus proprius excentrici simpliciter? motus ab occidente in orientem obliquus per viam Zodiaci.

An ergo totale caelum planetae non moveatur motu proprio? non, sed tantum excentricus simpliciter.

Da aliam diversitatem: quod excentricus simpliciter habeat sibi insertum planetam qui eodem motu proprio cum ipso movetur, excentrici autem secundum quid non sic.

Quo ergo adhuc alio nomine appellatur excentricus simpliciter? orbis deferens planetam, quia nimirum motu proprio ducit secum planetam.

An motu suo proprio non rapiat secum excentricum secundum quid se inferiorem? non.

Quare non tam bene quam primum mobile rapit secum caelos inferiores? quia si hoc fieret deberet posse fieri penetratio quia una magna pars caeli superioris penetraret partem orbis inferioris, quia si excentricus secundum quid inferior moveretur motu excentrici simpliciter deberet eodem modo moveri quo excentricus simpliciter, iam autem quaelibet pars excentrici simpliciter sic movetur ut spatio unius anni semel sit in loco remotiori a terra et semel in loco viciniori terrae, impossibile autem est ut simili modo moveatur excentricus secundum quid inferior sine penetratione, quia pars crassior orbis excentrici secundum quid inferioris, quae est modo contigua excentrico simpliciter in illa parte qua maxime distat a terra deberet sic posse moveri ut fieret coniunctus in opposita parte excentrico simpliciter ubi minime distat a terra, hoc autem non potest fieri sine penetratione.

Declara ulterius: quia excentricus simpliciter est aequalis ubique crassitiei, et in illa parte qua ille excentricus minime distat a terra non est tantum spatium inter concavam superficiem excentrici secundum quid superioris, et concavam superficiem excentrici secundum quid inferioris quantum est inter illas duas superficies in illa parte qua excentricus simpliciter maxime distat a terra.

Quid infers inde? iam autem pars crassior excentrici secundum quid inferioris, et pars excentrici simpliciter ipsi contigua replent illud totum maius spatium, ergo deberent se penetrare si simul moverentur ad minus spatium.

An excentricus simpliciter non moveatur illo motu quo movetur excentricus secundum quid superior illo? imo.

Da ergo motum quo movetur excentricus secundum quid superior. motus diurnus.

Quomodo ille motus potest communicari excentrico simpliciter cum ille fiat circumcirca axem universi? verum est, sed non refert.

Quomodo? cum excentricus simpliciter pro suo centro non habeat centrum universi? non refert, quia orbis aliquis bene potest moveri circa aliquod punctum etiamsi illud non sit eius centrum, modo orbis includens superiorem, et motus illius communicans habeat illud pro centro.

assigna aliam disparitatem inter excentricos simpliciter et excentricos secundum quid: quod in excentrico simpliciter soleant considerari duo puncta specialia in excentricis autem secundum quid non sic, saltem secundum ordinariam opinionem, illa puncta sunt aux et oppositum augis.

Quid aux? est punctum illud excentrici simpliciter quod est a terra remotissimum.

Quid oppositum augis? est punctum illud excentrici simpliciter quod est vicinissimum terrae.

Quomodo se habent quoad essendi consequentiam planeta existens in auge sui excentrici, et existens in ea parte excentrici simpliciter coniuncta parti tenuissimae excentrici secundum quid superioris? convertuntur quia quotiescumque sol existit in auge sui excentrici existit in parte illa excentrici simpliciter ante dicta et e contra quotiescumque existit in illa parte existit in auge sui excentrici.

Quomodo se habet quoad essendi consequentiam existentia planetae in opposito augis, et existentia eiusdem in parte sui differentis vicinissima parti crassissimae excentrici secundum quid inferioris? repugnant quia quotiescumque sol est in opposito augis, tunc est in parte opposita parti crassissimae excentrici secundum quid inferioris.

Quomodo se habent existentia planetae in opposito augis, et coniunctio eiusdem cum parte crassissima excentrici secundum quid superioris? convertuntur, quia quotiescumque sol est in opposito augis tunc est in parte sui differentis coniuncta cum parte crassissima excentrici secundum quid superioris.

An illud punctum quod semel est aux item oppositum augis maneat semper tale? quia non idem punctum semper est terrae vicinissimum nec idem punctum semper est a terra remotissimum.

An non posset dici quod idem punctum semper maneret aux, et idem semper oppositum augis? quia aux posset sumi pro illo puncto excentrici secundum quid superioris quod est remotissimum a terra in eius superficie concava, oppositum autem augis pro puncto superficiei concavae excentrici secundum quid superioris quod est terrae vicinissimum.

Declara quod tunc aux et oppositum augis non mutarentur: quia punctum quod in concava superficie excentrici secundum quid superioris semel est remotissimum a terra, semper manet tale, et quod in eadem semel est vicinissimum semper manet tale.

Quomodo hoc recte dici posset cum sol sic numquam esset in auge vel opposito augis? esset

Quomodo cum numquam existat in excentrico secundum quid superiore? est verum sed poterit dici esse in auge eodem modo quo dicitur esse in signo aliquo zodiaci quando eiusdem est ipsi suppositus.

In quo signo zodiaci ponitur modo aux solis? in secundo gradu cancri.

Ubinam est oppositum augis? in secundo gradu capricorni.
Ubinam est aux lunae? secundum ptolomaeum est in secundo gradu capricorni, et oppositum augis eius est in secundo gradu cancri.
An ergo sol et luna possint simul esse in auge suis excentricis dum subsint diametraliter sibi in zodiaco solis oppositi? imo.
quando hoc fiet? quando sol erit in secundo gradu cancri, et luna in secundo gradu capricorni.
An possit fieri ecclypsis solis sole et luna existentibus in auge sui excentrici? non, quia quando fit solis ecclypsis tunc luna debet se interponere inter solem et aspectum nostrum ac proinde debent esse in eadem parte zodiaci cum sole, iam autem aux solis et aux lunae sunt in oppositis partibus zodiaci, ergo sole et luna in illis partibus existentibus non potest fieri ecclypsis solis.
An possit fieri ecclypsis lunae sole existente in auge sui excentrici et luna existente in opposito augis? non, quia ut fiat ecclypsis lunae terra debet interponi inter solem et lunam, ac proinde sol et luna debent esse in oppositis partibus zodiaci, iam autem quando sol est in auge excentrici et luna in opposito augis tunc sunt in eadem parte zodiaci, ergo non potest fieri ecclypsis lunae sole et luna sic constitutis.
Quoties planeta venit in augem sui excentrici et quoties in oppositum augis? spatio illius temporis quo eius deferens integre circumvolvitur motu proprio semel existit in auge sui excentrici et semel in opposito augis.
Quoties ergo sol existit in auge et quoties in opposito augis sui excentrici? semel in anno existit in auge et semel in anno in opposito augis.
Quoties saturnus existit in auge et quoties in opposito augis sui excentrici? spatio triginta annorum semel existit in auge et semel in opposito augis.
An solus planeta aliquando existat in auge et in opposito augis sui excentrici? non, sed multae aliae partes eiusdem orbis deferentis aliquando existunt in auge, aliquando in opposito augis, sed hoc a nobis non ita notari potest quia non sunt lucidae partes sicut est planeta.
An omnes partes orbis deferentis aliquando existant in auge et aliquando in opposito augis? non.
Da partes ergo quae nunquam existunt in auge vel in opposito augis? quia non illae partes quae sunt vicinae polis super quibus movetur orbis deferens planetae motu proprio.
Specifica ergo omnes illas partes orbis deferentis quae aliquando sunt in auge, et aliquando in opposito augis? omnia illa puncta quae sunt in circulo maximo incluso in orbe deferente, et quae aequaliter distant secundum omnes sui partes a polis illius axis super quem movetur orbis deferens motu proprio, item omnes partes contentae in circulis directe suppositis ipsi maiori circulo.
Propter quas apparentias astronomi posuerunt excentricos? propter varias, nempe in primis astronomi deprehenderunt quod sol plus temporis impendat in percurrendis signis zodiaci sep

tentrionalibus quam australibus, rationem autem illius rei
commode dare potuerunt supponendo excentricos, ergo tales sup-
posuerunt.
An inde sequatur quod re vera sint in coelis planetarum tales
orbes? non, sed tantum sequitur quod sit rationalis hypothesis
seu suppositio qua facta recte explicantur apparentiae planeta-
rum quae contingunt in illorum coelis.
An non potuissent poni aliae hypotheses quibus factis eaedem
apparentiae salvarentur? imo, si in primis si coeli statuerentur esse
naturae fluidae non deberet poni tam multiplex motus diversorum
orbium, sed planetae intra spatium unius tantum coeli fluidi
possent habere omnes tam diversos motus.
Quantum temporis impendit sol plus in decurrendis septem-
trionalibus signis quam australibus? novem dies amplius.
Declara ergo quod ratio illius rei dari possit supponendo excen-
tricos? quia hoc potest fieri si sol moveatur per viam zodiaci
motu excentrico simpliciter, eius nimirum una medietas
maior est quae continetur sub signis septentrionalibus, et altera
pars minor est quae continetur sub signis australibus.
Declara quod tunc potest hoc explicari: quia tunc consequens
est arcus circuli quem sol describit motu proprio poterit esse
maior sub signis septentrionalibus quam australibus, iam autem
cum sol supponatur semper aeque celeriter moveri motu pro-
prio consequens est quod debeat plus temporis impendere ut
describat maiorem arcum sub signis septentrionalibus quam
debeat impendere ut describat minorem arcum eiusdem circuli
sub signis australibus contentum.
An ergo sol moveatur uno tempore tardius in zodiaco et alio
celerius? certo sensu ita, quia ut decurrat aequalem partem
zodiaci debet plus temporis impendere unâ vice quam alterâ,
quia plus temporis impendit ut decurrat medietatem zodiaci
septentrionalem quam ut decurrat medietatem eius meridio-
nalem.
Quomodo recte antedictum est quod modo celerius, modo tardius
moveatur in zodiaco cum decurrat zodiacum motu proprio?
verum est, sed nihil refert.
Quomodo non cum antedictum sit quod sol moveatur aequaliter cele-
riter semper motu proprio? hoc etiam verum est.
Quomodo ergo recte dicitur quod sol modo celerius modo tardius
moveatur in zodiaco? hoc intelligitur hoc sensu quod uno tempore
citius se supponat aliis et aliis signis zodiaci quam altero.
An ergo una medietas zodiaci non sit tam magna quam altera?
imo.
Quare ergo sol percurrens unam medietatem citius se ponit
aliis et aliis signis quam percurrendo alteram? quia debet confi-
cere maiorem arcum circuli quem decurrit per motum sui descendentis
sub unâ parte zodiaci quam sit arcus eiusdem circuli sub
aliâ parte zodiaci, hoc autem posito facile explicatur quomodo

citius se supponat alijs et alijs signis in vna parte media Zo=
diaci quam in altera.
In qua parte media Zodiaci citius se supponit sol alijs et alijs
signis Zodiaci? in illa parte Zodiaci in qua est minor arcus illius
circuli quem conficit motu sui deferentis.
Cuiusnam est illa medietas? medietas Zodiaci meridionalis seu
australis.
Ostende in aliquo simili Quomodo aliquid equaliter motum possit
se modo citius supponere aliquibus signis, et modo tardius
eque multis: sic v.g. in magno aliquo atrio aliquis potest se sup=
ponere successiue multo citius decem signis depictis in tabulato
Ambulans per planum pauimenti, quam per cumulum arenę mino=
rem quam si ambularet in eodem atrio per cumulum arenę
multo altiorem.
Assigna aliam apparentiam propter quam statuuntur excentrici:
deprehensum est quod sol et alij planetę posita ęquali eleuatione
supra nostrum Horisontem vno tempore appareant maiores,
alio minores, iam autem ratio illius recte dari potest sta=
tuendo excentricos, quia poterit dici quod sol vno tempore sic
eleuatus supra Horisontem sit in auge sui excentrici, ac pro=
inde magis remotus a terra, alio autem tempore itidem sic
eleuatus supra Horisontem sit in opposito augis, ac proinde
magis vicinus terrę, iam autem sol magis remotus a terra
poterit apparere minor, quando autem erit vicinior terrę poterit ap=
parere maior.
Quare dictum est posita ęquali eleuatione supra Horisontem?
quia posita inęquali eleuatione supra Horisontem sol potest
modo apparere maior, modo minor etiamsi ęqualiter vtrobique
distet a terra.
Declara in exemplo: quia spatio eiusdem diei sol mane oriens
apparet multo maior quam existens in meridie, et tamen tan=
tilli temporis spatio non potest fieri notabiliter remotior a
terra.
Vnde ergo hoc fit quod appareat tunc maior? propter medium
densius mane interceptum inter solem orientem et aspectum
nostrum, quia eadem res per medium densius transparens ap=
paret maior, quam transparens per medium rarius.
Declara in vno simili: sic nummus existens in fundo aquę
apparet nobis videntibus maior quam si illum videremus po=
situm in nostra manu
Quo tempore anni ergo sol solet apparere maior posita ęqua=
li eleuatione supra Horisontem quam alio? in hyeme quando
describit tropicum capricorni.
Quare tunc apparet nobis maior? quia tunc est in opposito augis,
ac proinde terrę vicinior.
Quare ergo tunc non est calidius apud nos quam in ęstate?
quia etiamsi sol sit vicinior terrę non tamen ad nos mittit ra=
dios tam directos ac in ęstate.

Quare non potest dici quod sol appareat nobis maior in hyeme propter medium densius tunc inter illum et oculos nostros interpositum? quia in hyeme non est semper medium densius quam in aestate, quinimo aer tunc saepe est longe purior quam in aestate, quia quando subinde fortissime gelat, tunc aer aliquando est sine ulla nube etiam minima nubecula carens, tunc autem non potest dici esse medium densius quam in aestate.

Da aliquam aliam apparentiam propter quam ponuntur eccentrici; quia astronomi deprehenderunt quod non semper sint aequales eclypses solis posita etiam utrobique aequali constitutione lunae et solis in zodiaco, quam autem recte hoc explicatur quomodo fiat si ponantur excentrici, quia ~~quando~~ poterit fieri maior eclypsis solis si uno tempore luna sit in opposito augis, et sol in auge sui excentrici et poterit fieri minor eclypsis solis si rursum sol et luna simili modo constituantur in zodiaco, non tamen sic ut luna sit in opposito augis et sol in auge sui excentrici.

Declara quod illud possit conducere ad maiorem vel minorem eclypsim solis: quia hoc observandum est quod quo corpus aliquod opacum inter luminare et oculum nostrum interpositum magis appropinquat visui nostro, tanto magis potest nobis occultare corpus luminosum, iam autem si hoc sit verum ideo erit maior eclypsis solis luna existente in opposito sui augis quia nimirum magis tunc appropinquat visui nostro et sic magis nobis occultabit solem.

Declara in familiari exemplo quod corpus opacum magis vicinum visui magis occultet luminosum: ut si manum teneam remotam a me multas potero adhuc videre stellas in coelo si autem applicem oculis meis nullam videbo.

Quid epicyclus? est corpus sphaericum a planeta distinctum crassitiei orbis deferentis immersum quod movetur motu proprio circa suum centrum ita ut per illum motum modo fiat vicinior modo remotior a terra, excluditur planeta per illud, a planeta distinctum, excluditur excentricus secundum quid inferiorum per illud intra crassitiem etc.

Quare additur ita ut per illum motum etc.? ut excludatur aliquod corpus possibile quod intra crassitiem orbis deferentis moveretur circa proprium centrum motu proprio sic ut planeta per illum non moveretur.

An ergo posset dari corpus sphaericum intra crassitiem orbis deferentis immersum quod moveretur motu proprio circa suum centrum et non esset epicyclus? imo tale esset simile corpus cui non esset insertus planeta quia ad epicyclum requiritur ut ei ipse sit insertus planeta,

An posset dari tale corpus sicut ante cui etiam esset insertus aliquis planeta? imo quia non esset epicyclus si planeta praecise esset constitutus in suo centro circa quod illud corpus sphaericum movetur proprio motu, quia planeta tunc non posset moveri per illum motum sic, ut modo esset vicinior modo remotior a terra.

Dato posset dari corpus simile sicut ante in quo planeta etiam moveretur circa centrum illius corporis quod tamen non esset epicyclus? imo, quia tale esset verum simile corpus in quo quidem planeta

moueretur circulariter circa centrum eius non tamen sic ut modo fieret vicinior, modo remotior a terra.

Quandonam hoc contingeret? quando axis circa quem fieret ille motus esset linea recta ducta a puncto istius corporis terrae vicinissimo usque ad punctum eiusdem a terra remotissimum per centrum istius corporis, et si ~~luna~~ planeta moueretur in uno circulo illius corporis diuidente priorem lineam in partes aequales.

An omnes planetae habeant epicyclum? non, quia non sol.

An reliqui habeant? imo.

Quomodo mouentur planetae per motum sui epicycli? secundum partem superiorem mouentur omnes ab occidente in orientem simili motu quo mouetur orbis deferens; secundum partem inferiorem ab oriente in occidentem, excepta tamen luna.

Quare excipitur Luna? quia luna in suo epicyclo mouetur contrario modo, nempe secundum partem superiorem ab oriente in occidentem contra motum sui deferentis, secundum partem vero inferiorem ab occidente in orientem secundum motum sui deferentis.

Quandonam planeta mouetur in epicyclo suo secundum superiorem partem? quando est in auge sui epicycli.

Quando mouetur secundum inferiorem partem? quando est in opposito sui epicycli.

Quid aux epicycli? est pars epicycli maxime in epicyclo distans a terra.

Quid oppositum augis epicycli? est pars epicycli in epicyclo vicinissima terrae.

An pars epicycli quae semel est aux epicycli maneat semper? non, quia modo una pars est remotissima a terra, modo altera.

Ubinam consideratur planeta positus in epicyclo? in circulo maximo epicycli qui habet pro polis suis polos epicycli, et illum consideratur describere planeta motu ipsius epicycli.

Quandonam censetur circulus maior in aliqua sphaera habere eosdem polos cum illa sphaera quae super illos polos mouetur? tunc quando ille circulus diuidit axem illius sphaerae in duas partes aequales et mouetur etiam circa illum axem tanquam sibi proprium.

Quandonam censetur circulus maior diuidere aliquem axem in duas partes aequales? quando utrinque ad latus suae circumferentiae relinquit aequalem partem illius axis.

An solus planeta aliquando veniat ad augem sui epicycli et aliquando ad oppositum augis? non, quia etiam omnes illae partes epicycli quae sunt in eodem circulo maiori cum planeta aliquando veniunt ad augem aliquando ad oppositum augis sui epicycli.

Quomodo enim illae partes nec dum sint remotissimae a terra sint aux epicycli? non refert

Quomodo non cum nihil recte veniat ad se ipsum? nihil recte dicitur venire ad se ipsum sub eadem consideratione, possunt tamen dici venire ad augem sui excentrici, quia nondum veniunt ad illud

spatium in quo habent rationem augis quam ante non habebant.

An planetae semper moveantur aeque celeriter in epyciclo? semper moventur aeque celeriter quantum est ex parte ipsius motus epycicli, sed non moventur aeque celeriter absolute loquendo, quia moventur celerius quando motus epycicli iuvatur a motu differentis, moventur autem tardius quando motus epycicli et motus orbis deferentis se mutuo impediunt.

Quandonam motus epycicli iuvatur a motu deferentis? nunquam motus totalis epycicli iuvatur a motu deferentis.

Quandonam saltem planeta in motu sui epycicli iuvatur a motu deferentis? quando est in auge sui epycicli excepta tamen luna.

Quandonam motus planetae in epyciclo et motus orbis deferentis se mutuo impediunt? quando planeta est in opposito augis excepta iterum luna.

Cur additur hoc? quia in luna fit opposito modo, ergo penes diversum motum in epyciclo dividitur planeta in directum, retrogradum et stationarium.

Quid planeta directus? est planeta sic constitutus in suo epyciclo ut motus epycicli iuvet motum orbis deferentis.

Quid planeta retrogradus? est planeta sic constitutus in epyciclo ut motus epycicli sic retardet motum deferentis ut planeta videatur retrocedere.

Quid planeta stationarius? est planeta sic constitutus ut per motum sui epycicli ita impediat motum deferentis ut in zodiaco videatur stare.

An planeta stationarius absolute videatur stare? non, quia non apparet stare quatenus movetur motu diurno, sed tantum quatenus movetur per viam zodiaci motu sui differentis.

Quandonam planeta censetur habere directionem? quando est in auge sui epycicli, quia tunc motu sui epicicli iuvat motum deferentis.

An luna etiam habeat directionem existens in auge sui epicicli? non, quia tunc impedit motum sui differentis.

Quandonam planeta censetur habere retrogressum? quando est in opposito augis sui epycicli.

Quandonam censetur habere stationem? quando est lateraliter constitutus in suo epyciclo inter augem et oppositum augis.

An omnis planeta habeat successive tres illas constitutiones? non, quia non sol, quia sol non habet epyciclum.

An omnis planeta habens epyciclum habeat tres illas constitutiones successive? non, quia non luna, quia luna non habet unquam retrogradationem, imo etiam stationem prout aliqui dicunt.

Quomodo non cum luna existens in auge sui excentrici impediat motum sui differentis? non refert.

Quare ergo tunc dicitur retrograda vel stationaria? quia non sic impedit ut videatur stare aut retrocedere, quia motus epicicli in contrariam partem est multo debilior quam sit motus defe

rentis in alteram partem oppositam. Iam autem ut planeta fiat retrogradus requiritur ut motus epicicli quo tunc movetur planeta sit vehementior in contrarium partem quam sit motus deferentis in alteram partem. Ut autem sit stationarius motus deferentis et epycicli sibi contrarij debent utrique esse equales aut circiter.

Quo nomine ergo appellatur dum est in auge sui epycicli? vocatur tarda.

Quomodo appellatur existens in opposito augis? vocatur velox.

Cum planeta moveatur sic in suo epicicli ut totus epyciclus secundum suam crassitiem sit interpositus inter planetam et aspectum nostrum? imo quia hoc potest contingere quando planeta est in auge sui epycicli.

Quomodo cum planeta existens in auge sui epycicli adhuc possit nobis apparere? est verum et non refert.

Quomodo ergo interponitur tanta crassities epycicli? epyciclus quidem est orbis densus et crassus sed transparens sicut est vitrum et crystallus; hoc autem posito recte explicatur quomodo planeta possit mittere radios per epyciclum.

Quomodo equidem hoc recte dicitur cum sic non posset dari ratio quare luna nobis ostendat semper easdem maculas? adhuc posset dari ratio.

Quomodo cum si illas ostendat existens in opposito augis debent ostendere diversas existens in auge sui epycicli? non debent.

Quomodo cum illa per motum sui epycicli totaliter invertatur respectu aspectus nostri? hoc esset verum si luna esset firmiter infixa suo epycicle sic ut non moveretur etiam circa proprium centrum, cum eo autem bene consistit quod possit semper ostendere easdem maculas nobis si moveatur etiam circa proprium centrum.

Quo nomine appellatur ille motus lunae circa proprium centrum? motus relapsus.

Quid ergo est ille motus? est motus quo luna movetur circa proprium centrum in suo epycicle in contrariam partem respectu motus epycicli equè celeriter ac epyciclus.

Declara quod per talem motum possit ostendi ~~[illegible]~~ quare luna nobis ostendat semper easdem maculas: quia per talem motum luna manet semper quasi in equali libramento, quantum enim pars lunae obversa nobis movetur in contrariam partem aspectus nostro tantum illa pars motu proprio ad nos restituitur et sic manet semper eadem facies lunae nobis obversa ac proinde easdem maculas.

Propter quas apparentias astronomi posuerunt epiciclos? imprimis deprehenderunt planetas modo esse maiores modo minores etiam dum existunt in auge, vel dum existunt in opposito augis sui

sui excentrici; iam autem hoc recte explicatur quomodo fiat si
excentricis superaddamus epyciclos, quia poterunt dici apparere
maiores in eadem parte sui excentrici et modo minores, si semel
in illa parte existant in auge sui epycicli, et semel in opposito
augis.
Quare negit hoc salvari per excentricos? quia aux et oppositum
augis excentrici semper manet eque a terra remotum.
At apparentia iam data habeat locum in omnibus planetis? non
quia non in sole, et ideo sol non habet epyciclum.
Da aliam apparentiam: quia astronomi deprehenderunt omnes
planetas excepto sole moveri modo celerius modo tardius in
eadem parte excentrici, cuius autem ratio illius rei dari potest
ponendo epyciclos, quia poterit dici in eadem parte excentrici
moveri celerius quando in suo epyciclo movetur secundum mo-
tum sui deferentis, et in eadem parte excentrici moveri tar-
dius dum in suo epyciclo movebitur contra motum sui deferen-
tis.
Da aliam apparentiam: nimirum quia deprehensum est quod
eclypses solis modo sint maiores, modo minores, licet suppo-
nantur sol et luna utrobique esse equaliter constituti in suis ex-
centricis. Hoc autem recte [illegible] explicatur ponendo epyciclos.
Declara hoc posse explicari: quia poterit hoc explicari dicendo quod
luna habeat epyciclum.
Quandonam poterit esse maior eclypsis solis, et etiam quando
minor eclypsis solis, sole et luna constitutis eodem modo in suis
excentricis? potest esse maior sole existente in auge sui excentrici
et luna existente in opposito augis sui excentrici, et simul in
opposito augis sui epycicli, et poterit esse minor eclypsis solis
sole et luna constitutis eodem modo in suis excentricis sicut ante,
sed luna existente insuper in auge sui epycicli.
Quomodo illud exemplum recte assignatur cum sol et luna non
constituantur eodem modo in suis excentricis? constituuntur ad eun-
dem cum questionis ante posite.
Quomodo enim sol ponatur in auge, et luna in opposito augis sui
excentrici? non refert.
Quomodo ergo sol et luna constituuntur in suis excentricis eodem
modo? quia sol et luna hic nondicuntur eodem modo constituti in suis
excentricis, quia vel ambo sunt in auge, vel ambo in opposito augis
sui excentrici, sed quia sicut luna et sol sunt constituti in suis
excentricis dum est maior eclypsis solis, ita etiam sunt constituti
in suis excentricis dum est minor eclypsis solis.
Da ergo eclypsim maximam solis possibilem: talis est que fieret
sole et luna existentibus sub eodem puncto zodiaci eius directe,
et sole existente in auge sui excentrici, luna vero existente in
opposito augis sui excentrici et in opposito augis sui epycicli.
Quandonam sol et luna censentur opponi eidem puncto zodiaci
eque directe? quando potest duci linea recta a centro terre per cen-
tra

trium lunae, et fine ultimus per anteriam solis usque ad illud
punctum zodiaci qui dicuntur directe suppositi.
Quot motus diversos habet luna? decem, movetur motu primi
mobilis, nonae, decimae sphaerae, et firmamenti; movetur etiam motu
sui excentrici simpliciter super axem zodiaci; item motu sui epy=
cicli; item motu reflexus.
An omnes illi decem motus competant totali corpori lunae? non.
Da aliquos qui non competunt? ut ultimi assignati.
Da motum competentem soli lunae sed nulli alteri: reflexus.
Quot motus competunt planetis distinctis a sole et luna? decem simi=
les illis motibus qui competunt lunae, solus motus reflexus ipsis
non competit.
Quot motus competunt soli? quinque, nempe omnes similes sicut
competunt lunae, exceptis illis duobus, nempe motu epycicli et reflex=
sus qui soli non competunt.

De Longitudine et Latitudine Locorum.

Per quas partes terrae ducitur primus meridianus?
per insulas canarias.
An tantum ducatur ille meridianus? non, quia possunt
duci adhuc tot meridiani quoties homo mutare potest suum
zenith procedendo ab oriente in occidentem circa globum
terrae saltem in rigore loquendo in eodem hemisphaerio.
Quare dicitur ab oriente in occidentem? quia si homo mutet suum
zenith procedendo a septentrione in austrum vel contra, non ideo
necessario mutabit suum meridianum.
Quare dictum est in eodem hemisphaerio? quia si veniat in aliud
hemisphaerium ad illam partem terrae quae existit sub illo puncto coeli
quod erat ante ipsius nadir quando incipiebat moveri versum est
sub eodem meridiano, quia generatim zenith et nadir eiusdem
hominis sunt in eodem meridiano.
Quare dictum est in rigore loquendo? quia loquendo de meridianis
sensibilibus non solent constitui tot meridiani, quia ab aliquibus
constituuntur quindecim ab aliquibus tantum duodecim sicut solent
constitui tantum duodecim horizontes sensibiles.
Quomodo potest deprehendi diversitas meridianorum sensibilium?
hoc modo: potest dici toties mutari meridianus sensibilis
quoties homo tendens ab oriente in occidentem sub aequinoctiali in
eodem hemisphaerio acquirit arcum medii diei in quo sol existens
mutat meridiem ad mediam horam.
Quid longitudo loci? est distantia meridiani illius partis terrae
cuius longitudo quaeritur a primo meridiano antedicto.

Quid latitudo loci? est distantia paraleli illius partis terre cuius latitudo queritur ab equinoctiali.
Quomodo solet cognosci longitudo loci? solet considerari quantus sit arcus equinoxialis intersectus inter meridianum loci cuius longitudo queritur et primum meridianum descriptum per insulas canarias, si ille arcus sit trium graduum longitudo dicitur etiam esse trium graduum, si arcus sit quatuor graduum, longitudo dicitur etc.
Quomodo solet cognosci latitudo loci? solet considerari quantus sit arcus meridiani intersceptus inter equinoxialem et paralelum sub quo locus ille situs est cuius queritur latitudo, et si ille sit arcus trium graduum latitudo dicitur trium graduum etc.
An non possit aliter cognosci latitudo loci? imo semper per elevationem poli supra horisontem, generatim enim locus distat tot gradibus ab equinoxiali quot gradibus polus mundi elevatus est supra horisontem illius loci.
An quando locus distat tribus gradibus secundum longitudinem habeat meridianum sensibilem distinctum a primo meridiano a quo distat? non.
Quot ergo gradus requiruntur in distantia secundum longitudinem ut locus situs sit sub meridiano sensibili distincto a primo meridiano? si constituantur duodecim meridiani sensibiles requiritur ad minimum distantia quindecim graduum.
Quot gradus requiruntur in distantia secundum longitudinem ut locus habeat meridianum sensibilem distinctum a primo meridiano diversificando meridianos secundum diversitatem meridiei ad mediam horam? septem cum medio.
Quot ergo erunt meridiani notabiliter distincti sic computando? viginti quatuor.
Quantam diversitatem meridiei habent homines habitantes sub diversis meridianis sensibilibus ponendo tantum duodecim? ad unam circiter horam.
An homines habitantes in locis eiusdem latitudinis habitent etiam in locis eiusdem longitudinis? non est necesse quia homines habitantes sub tropico cancri habitant in locis eiusdem latitudinis, et tamen illi possunt esse in locis diversis longitudinis quia homines sic habitantes possunt habere diversos meridianos quorum unus notabilius distat a primo meridiano quam alter.
An omnes homines habitantes in locis eiusdem latitudinis habitent in eodem climate? non, quia homines quorum unus habitat sub tropico cancri, et alter sub tropico capricorni habitant in locis eiusdem latitudinis, et non in eodem climate.
Quod clima habet maximam latitudinem? vigesimum quartum ponendo viginti quatuor climata secundum recentiores, vigesimum autem tertium ponendo tantum viginti tria secundum antiquiores.
Quare dicitur hoc ultimum vigesimum tertium etc.? quia ptolomeus quem sequitur hic author sphere tantum agnovit pauciora

Paradigma varios terræ
Incolas Ratione Situs Indicans.
Septentrio.
Occidens
Oriens
Meridies.
ant occi
ant occi
Linea
Æquatoris
antipodes qui
peri occi
peri occi
peri occi
peri occi
anti podes qui et an toecidi cipos sunt
An ti
An ti
po des
po des

Hic author autem agnoscit viginti tria, quia nimirum incipit tantum computare primum clima a spatio illo quod distat duodecim gradibus ab aequinoctiali, sic autem computando tantum possunt esse viginti tria; computando autem ab ipso aequinoxiali aut prope debent esse viginti quatuor.

De Periecis.

De antiecis, et antipodibus.

Quid periecii? Sunt homines habitantes sub eodem parallelo cum aequinoctiali, sed in partibus terrae quae supponuntur partibus istius paralleli diametraliter oppositis.

An Zenith unius perioecorum sit nadir alterius? non.

Quomodo enim perieci habitent sub diversis partibus paralleli diametraliter sibi oppositis? nihil refert.

Quomodo ergo Zenith unius non est nadir alterius? quia partes illius circuli paralleli quibus supponuntur non opponuntur diametraliter per diametrum mundi sed tantum per diametrum illius circuli paralleli.

Da duos periecos: duo homines quorum unus habitat sub hac parte tropici cancri, et alter sub alia parte eiusdem tropici priori diametraliter opposita.

In quo conveniunt perieci? conveniunt eandem distantiam ab aequinoctiali quia utriusque Zenith est in eodem circulo parallelo, partes autem talis circuli omnes aequaliter distant ab aequinoxiali.

Quid adhuc habent communia? eandem temperiem regionis, eandem varietatem temporum.

In quo habent diversa? quod quando unus habet medium diem alter habeat mediam noctem et econtra. exceptio esse videtur in periecis habitantibus sub eodem circulo polari, quia quando homines illi habebunt diem viginti quatuor horarum tunc perieci illo tempore non habebunt noctem nisi forte ad unum atque alterum instans quod non meretur nomen noctis.

An quando uni illorum est dies semper alteri sit nox? non, quia quando nos habemus solem orientem in aestate ad medium quartae unam tunc etiam illi habent solem orientem ad medium quartae respectu sui temporis matutini, illud autem tempus matutinum ipsorum est medium quartae post meridiem apud nos, ab illo autem tempore usque ad octavam nos cum periecis nostris simul habemus diem

An omnes perieci distent aequaliter a se invicem? non. quia Zenith aliquorum magis distant a se invicem quam Zenith aliorum.

Da exemplum: sic perieci habitantes sub tropico cancri magis a se distant quam habitantes sub circulo polari.

An omnes homines habeant periecos? non. ut homines habitantes

sub equinoctiali, quia non habitant sub circulo paralelo cum equinoctiali.

Quid antiscii? sunt homines habitantes in diversis circulis paralelis utrinque equaliter distantibus ab equinoctiali in eodem hemisphærio. ut duo homines habitantes in eodem hemisphærio quorum unus habitat sub tropico cancri, et alter sub tropico capricorni.

Quare dicitur in eodem hemisphærio? quia homines habitantes sub talibus circulis paralelis in diversis hemisphæriis non sunt antiscii.

Quenam antiscii habent communia? similem anni temporum, sed non semper eodem tempore. eodem tempore habent medium diem, et eodem tempore mediam noctem.

Quomodo cum eodem tempore apud unum illorum possit esse longissimus dies, et apud alterum illorum brevissimus? non refert.

Quomodo ergo eodem tempore poterit esse medium longissimi diei et medium brevissimi? hoc bene potest fieri, quia duo homines possunt habitare sub eadem medietate meridiani, et habere diversos horrisontes sic ut sol existens in ista medietate meridiani sit multo altius elevatus supra horrisontem unius quam supra horrisontem alterius, iam autem hoc posito poterit simul esse apud diversos medium longissimi, et medium brevissimi diei.

Quenam adhuc habent communia? quod dum sol existit in equinoctiali et simul in meridie ipsorum utrinque proijciant umbras eque magnas, quia ipsorum zenith utrinque equaliter distat a sole sic existente.

Quenam habent diversa? quod dum sol est in equinoctiali, et simul in ipsorum meridie proijciant umbras in oppositas partes.

An quando uni illorum est estas, alter illorum sit hyems et contra? in aliquibus hoc est verum, quia tales sunt antiscii quorum unus habitat sub tropico cancri, et alter sub tropico capricorni.

An hoc in omnibus locum habeat? non, quia non [redacted] antisci quorum unus habitat sub circulo paralelo vicino equinoctiali ab una parte, et alter sub circulo paralelo eque vicino equinoctiali ab altera parte, quia quando unus illorum habet estatem tunc sol nunquam est in puncto maximi recessus respectu alterius, et sic alter non habet hyemem.

Quid antipodes? sunt homines habitantes in eadem mundi diametro sed in diversis hemisphæriis.

Quare tales vocantur antipodes? quia sibi mutuo plantas obvertunt in globo terre.

Quenam habent communia? eundem horrisontem.

An non sit ulla distinctio inter illos? imo, quia in primis illo polus horrisontis qui est zenith unius fit nadir alterius, et econtra inde quando unus illorum habet diem, alter illorum habet noctem et contra.

An quando unus illorum habet aestatem, alter hyemem? imo aliis quibus contingit, ut in nobis, sic et in iis qui sunt nostri antipodes.
Ubinam habitant nostri antipodes? in zona temperata australi sub parallelo aequaliter distanti ab aequinoctiali sicut noster parallelus, sed in diverso hemisphaerio.
An hoc in omnibus habeat locum? non, quia non in hominibus habitantibus sub aequinoctiali.
Sub quo circulo habitant antipodes hominum habitantium sub aequinoctiali? etiam sub aequinoctiali.
Quomodo se habent quoad praedicationem homines perioeci, et qui sunt antipodes? intelligendo de hominibus qui sunt perioeci inter se et antipodes inter se repugnant.
Quomodo se habent homo perioecus, et antipodes libero respectu? utrinque est homo belga.
Da perioecum non antipodem: non datur.
Da econtra: homo habitans sub aequinoctiali.

Modus Inveniendi Quo die mensis sol signum mensi correspondens ingrediatur et in quo gradu talis signi existat.

Quid observandum est ad habendum talem modum? mandandi sunt memoriae hi duo versus

Inclyta, laus, iustis, impenditur, haeresis, horret,
Garrula, grex, gratus, faustos gratatur honores.

Cui mensi correspondet primum vocabulum istorum versuum? Januario, secundum februario, et sic consequenter.
An non sint mandandi memoriae alii adhuc versus? imo sequentes.

Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo
Libraque, scorpius, arcitenens, caper amphora pisces.

Cui mensi correspondet aries? martio.
Cui taurus? aprili etc.
Quid ergo faciendum ut sciatur quoto die mensis sol ingrediatur signum mensi correspondens? videndum est quaenam littera ex duobus prioribus versibus correspondeat mensi de quo quaeritur, et tunc ulterius videndum quotum locum in alphabeto obtineat prima sive littera, et tunc detrahendae sunt tot unitates de triginta quot sunt litterae a primo vocabulo alphabeti usque ad illam litteram praedictam inclusive. Hoc facto, numerus restans indicabit diem illius mensis quo sol ingreditur signum mensi correspondens.

Declara: sic ut sciatur quo die sol ingrediatur signum correspondens Ianuario capienda est illa vox (inclyta) cuius prima littera obtinet nonum locum in alphabeto, detractis autem novem de triginta manent viginti et unum, ergo vigesima prima Ianuarii sol ingreditur signum mensi correspondens quod est amphora.

Quid observandum ut sciatur in quoto gradu sol sit in signo mensi correspondens cuiuslibet diei? sumenda rursum est vox correspondens illi mensi in quo est ille dies de quo quaeritur, et videndum quotum locum obtineat prima littera in alphabeto, et tot unitates adiiciendae sunt numero correspondenti diei mensis de quo quaeritur, et si sit numerus infra triginta significabit in quoto gradu signi correspondentis mensi praecedenti sol existat, si numerus sit praecise triginta significabit solem existere in fine signi praecedentis et in initio signi correspondentis mensi praesentis.

Quid si numerus sit maior triginta? tunc abiicienda sunt triginta, et numerus restans significabit in quoto gradu signi mensis praesentis sol existat.

Dic ergo in quo et cuius signi gradu sol existat decima octava octobris? videnda est littera (fraufos) correspondens octobri, cum illa autem occupet sextum locum in alphabeto adiungenda sunt ad octodecim sex quae faciunt viginti quatuor, quia autem numerus ille est minor quam triginta ideo significat quod sol sit in vigesimo quarto gradu signi mensis praecedentis quod est librae.

Finis

In Libros De Coelo.

Quodnam est obiectum horum librorum? corpus simplex in quantum est loco mobile.

Quomodo se habet obiectum horum librorum ad obiectum physicae? tanquam species ad suum genus, quia obiectum physicae est corpus naturale universale, corporis autem naturalis in genere species subijcibilis est corpus simplex.

Quare non tam bene vocantur libri de elementis quam libri de caelo, si elementum sit corpus simplex? quia caelum est perfectissima species corporis simplicis, et sic a perfectiori sumitur denominatio.

De Continuo.

Qualia corpora sunt corpora simplicia, an continua an non continua? continua.

Quid continuum? quod in divisibilia semper est divisibile. definitum est continuum in genere sive per se, sive per accidens.

Quid continuum per se? est quantitas continua, vel quod a quantitate continua dicitur essentialiter continuum.

Quid continuum per accidens? quod dicitur continuum aliter quam essentialiter.

An caelum sit corpus continuum per se an per accidens? continuum per accidens, quia caelum dicitur continuum a quantitate continua aliter quam essentialiter.

Propter quam connexionem caelum dicitur continuum? dicendo quod continuum ibi sit idem quod quantum continuum, tunc dicitur caelum continuum propter connexionem quantitatis continuae tanquam formae cum caelo tanquam subiecto.

Da genus definiti istius definitionis: est quantum sive per se sive per accidens.

Quid divisibile? est id quod natum est esse divisum alicuius divisionis.

Pro qua divisibilitate fit hic verificatio? pro divisibilitate qua aliquid divisibile est in partes integrales stricte dictas.

An ergo divisibile hic sumatur late ut comprehendatur omne divisibile? non, sed tantum per divisibile hic intelligitur divisibile in partes integrales stricte dictas.

Da quod est divisibile semper in divisibilia generaliter loquendo, quod tamen non est in divisibilia semper divisibile: sic homo potest dividi in duas proprietates logicas et illae proprietates possunt rursum dividi in duas proprietates et sic in infinitum.

Declara quod non sit divisibile prout hic sub tali consideratione: quia sub tali consideratione non est divisibile in partes integrales

stricte dictas.

Quare dicitur sub tali consideratione? quia sub alia consideratione homo etiam est divisibilis in semper divisibilia divisione totius integralis.

Da rem in divisibilia semper divisibilem generaliter loquendo quae non est talis prout hic ullo respectu: angelus.

An hac definitione continetur tempus? non.

Quomodo cum tempus aeternum ut [illegible] habeat partes infinitas sibi succedentes? nihil refert, quia non potest in illas partes dividi tanquam partes integrales stricte dictas.

An saltem non continetur definito? non.

Quomodo cum tempus sit quantitas continua? non est quantitas continua, ut nec quantum, continuum prout hic.

Quale ergo intelligitur? quantum continuum permanens sive per se, sive per accidens.

Quam universalitatem significat illa vox semper? potest dici significare universalitatem negativam.

An significet universalitatem negativam temporis? non, quia tunc sensus esset quod tempus quo continuum est divisibile in divisibilia careret fine, ille autem sensus est impertinens, quia tunc linea quatuor punctorum deberet dici in divisibilia semper divisibilis, quia tempus quo talis linea in divisibilia est divisibilis non caret fine.

Defini principale significatum illius vocis semper: ~~[illegible]~~ est negatio in aggregato ex divisione continui in partes, et aliquis subdivisionibus quibus in partes, et partes partium subdividi potest, sive quod est includere ultimam.

An universalitas significata per semper possit sumi positive? imo; nempe: est extensio qua divisibilitas continui extendit se ad omnes divisiones in partes proportionales in quas continuum dividi potest, habens connotatam negationem, sive quod est habere talem terminum qui sit divisio in partes indivisibiles.

An hoc recte sequatur?

Omnes partes integrales petri sunt divisibiles, ergo petrus in divisibilia semper est divisibilis? imo, quia si omnes sunt divisibiles ergo nulla est indivisibilis. si nulla sit indivisibilis ergo partes eius sunt divisibiles sine fine.

Quid dividi in partes proportionales? est dividi pluribus divisionibus quarum una est totius in partes, et altera rursum illarum partium in suas partes, et sic consequenter, servata hac proportione ut in singulis divisionibus singula membra dividentia habeant rationem dimidii respectu proximi divisi.

An continuum sit divisibile sine fine in partes proportionales an vero aequales? in partes proportionales.

An omnes partes in quas continuum sine fine dividi potest sint inter se condistinctae? non, quia membra dividentia primae divisionis habent rationem totius respectu membrorum dividentium subdivisionis sequentis, et sic in infinitum; totum autem et pars non sunt condistincta.

An interim continuum hac sententia supposita non debeat includere infinitas partes condistinctas? imo quia saltem partes in quas continuum dividi potest in singulis divisibilibus sunt inter se condistinctae, si ergo possint fieri tot divisiones in partes ut nunquam deveniri possit ad talem partem quae ulterius dividi nequit in duas partes inter se condistinctas, sequitur dari tales partes condistinctas sine fine.

Quomodo definitio continui est bona cum non continuatur linea decem punctorum? non refert quia in sententia aristotelis non datur linea decem punctorum tantum, quia secundum aristotelem continuum componitur ex divisibilibus

An interim sententia quae dicit continuum componi ex indivisibilibus sine fine sive ultimate ex punctis non sit probabilis? imo est quidem utraque earum sententiarum est tam probabilis ut argumenta pro altera earum seorsim allata videantur concludere.

Da unum argumentum pro sententia quae dicit continuum componi ex punctis ultimate? hoc

Deus potest auferre omnes uniones integrales consistentes inter partes integrales continui, atqui
hoc facto non remanebunt nisi puncta, ergo
continuum componitur ultimate ex punctis.

proba subsumptum istius argumenti: quia si deus tollat omnem unionem inter partes integrales salvas manentes ergo non poterunt manere partes integrales divisibiles, ac proinde manebunt tantum puncta, quia si remaneret adhuc una pars divisibilis iam non esset sublata omnis unio quod tamen supponitur in argumento.

Da aliud argumentum pro illa sententia: R

Si continuum componeretur ex divisibilibus sine fine sequeretur quod vel daretur infinitarum partium penetratio, vel quod partes continui occuparent infinitum spatium, utrumvis dicatur sequitur unum inconveniens, ergo potius dicendum est continuum componi ex punctis, quam ex divisibilibus sine fine.

Da aliud argumentum:

Ex sententia quae dicit continuum componi ex divisibilibus sine fine, sequitur absurdum repugnans manifestae rationi, ergo illa sententia reiicienda est, et consequenter opposita amplectenda.

Quodnam est illud absurdum: ducatur linea pedalis inter
a ———— et **b**, et postmodum capiatur alia linea priori aequa-
———— lis et dividatur in duas partes aequales, quae
duae partes aequales disponantur supra lineam

pedalem primam curvo modo. dico quod illae duae medietates non possint superius incidere in eundem, quia alias linea de=taget linea curva ab iisdem punctis ductae possent esse aequa=les. Ducatur ergo rursum linea inter utramque medietatem superius ubi maxime ad se accedunt, quia autem ista tertia linea est sine fine divisibilis poterit rursum una ipsi aequi=dales dividi in partes aequales rursus curvo modo supe=rius dispondeabit sic consequenter.



Si autem continuum componatur ex divisibilibus sine fine sequitur quod nunquam poterit pertingi ad illud spatium ubi utraque linea sic curvo modo ducta coincidant.

Assigna argumentum pro sententia quae dicit quod continuum componatur ex divisibilibus sine fine: R.

Si continuum componatur ultimate ex punctis sequitur absurdum manifeste repugnans rationi, ergo potius dicendum est continuum componi ex divisibilibus sine fine quam ultimate ex punctis.

Quodnam absurdum sequitur? hoc nempe: fiat triangulus cuius basis sit decem punctorum, et cuius latera sint viginti punctorum dico quod non poterunt duci lineae rectae ab una parte unius lateris usque ad partem correspondentem alterius lateris nisi usque ad medium trianguli si continuum componatur ex punctis incipiendo nimirum a basi ipsius trianguli ad partes superiores eiusdem.



Declara ergo: quia si basis sit tantum decem punctorum

ergo linea quam dicam immediate supra basim in isto tri-
angulo ab una parte unius lateris ad partem alterius cor-
respondentem ad summum erit novem punctorum, et linea quae
ducetur rursum supra priorem lineam ultimo allegatam
tantum erit octo punctorum et sic deinde descenditur ad for-
mandam decimam lineam, non restabit nisi punctum, idque in
medio spatio quod intercipitur inter basim ab inferiori parte, et
conum trianguli a superiori parte.
Da aliud argumentum: R
Secundum mathematicos diameter circuli respectu sui cir-
culi habet proportionem triplam sesquiseptiplam id est dia-
meter circuli habet tertiam partem extensionis sui circuli,
et adhuc septimam partem, unde si detur circulus viginti
punctorum diameter erit septem punctorum, in illo autem
casu poterit contingere aliquod absurdum si continuum compo-
natur ex punctis, ergo non componitur ex punctis.
Quodnam est illud absurdum? quia secundum illam senten-
tiam circulus talis poterit augeri ad unum punctum, et
sic consequenter deberet dici quod diameter eius augeretur
ad tertiam circiter partem unius puncti, quod tamen se-
cundum ipsos est indivisibile.
Quid continuum abstrahendo an componatur ex punctis an
non? generaliter loquendo est quod componitur ex partibus
coextensis et unitis sine interruptione.
Qualiter coextendi ibi intelligitur? coextendi quoad locum vel
quoad successionem.
Quandonam censentur coextendi et sibi uniri sine interruptio-
ne? quando inter ipsas non intercedit ~~[illegible]~~ spatium temporis
si sint partes continui successivi, vel quando inter ipsas non
intercedit spatium loci non spectans ad ipsum continuum si
sint partes continui permanentis, vel saltem sic ut nullae par-
tes sint mere sibi contiguae.
Quomodo dividitur continuum sic sumptum? dividitur in conti-
nuum permanens et successivum.
Da continuum permanens: linea pedalis.
An cumulus lapidum sit continuum permanens? non, quia
aliquae eius partes sunt mere sibi contiguae.
Da continuum successivum: hora.
Da eius successivum non continuum: successivum aggrega-
tum ex duabus vocibus quarum una profertur hoc quadrante
horae et altera alio quadrante horae.
Quare non est continuum successivum? quia partes non succe-
dunt sibi sine interruptione.
Quomodo dividit aristoteles continuum? in lineam, superficiem
et corpus.

Quid linea? est magnitudo ad unum, id est magnitudo longa tantum.
Quid superficies? est magnitudo ad duo tantum, id est longa et lata tantum.
Quid corpus? est magnitudo ad tria, id est longa, lata et profunda simul.
An haec divisio sit bona? non, quia si pro diviso statuatur continuum sive per se sive per accidens, illam divisionem non dividetur continuum adaequate, quia membris dividentibus non continebitur continuum per accidens.
Quid si pro diviso statuatur continuum per se permanens? Tunc quidem non continebitur compositum ex duabus lineis se mutuo intersecantibus.
An illa divisio sit in species essentialiter distinctas? non, quia eadem quantitas modo potest esse magnitudo longa tantum, modo longa et lata, quia sic compositum ex duabus lineis se mutuo penetrantibus est magnitudo longa tantum, si autem illae lineae ponantur extra se mutuo, et adhuc maneant integraliter unitae, illud compositum poterit esse magnitudo longa et lata.

De Mundo.

Quotuplex est mundus? quintuplex, unus archetypus, unus angelicus, unus elementaris, unus parvus et unus magnus.
Quid mundus archetypus? nihil est aliud quam mens divina in qua sunt omnes ideae seu exemplaria rerum factibilium.
Quandonam mundus archetypus incepit existere? nunquam.
An illae ideae in mente divina sint realiter distinctae? non, si intelligatur quod ideae inexistentes menti divinae sint realiter distinctae.
Quare non possunt dari plures ideae realiter distinctae inexistentes menti divinae? quia in Deo non possunt subiectari plures formae realiter distinctae quae conveniant omnibus tribus personis divinis.
Quid mundus angelicus? est tota angelorum communitas.
Quid mundus elementaris? est aggregatum ex quatuor elementis debite inter se dispositis.
Quandonam censentur elementa debite inter se disponi? quando

Quando sic disponuntur ut leviora ponantur supra gravio-
ra sic ut nullum minus leve ponatur supra magis leve.
Da aggregatum ex elementis quod non est mundus elemen-
taris: aggregatum ex aere, et aqua tantum.
Da aggregatum ex quatuor elementis quod non est mundus
elementaris: aggregatum ex terra supremo loco posita, et
igne infimo loco posito, et aliis duobus intermediis.
Quare non est mundus elementaris? quia elementa non dispo-
nuntur debite.
Quid mundus parvus? est homo, quatenus in se participat certo
modo perfectionem omnium rerum in mundo existentium.
Quid ergo homo habet commune cum inanimatis? habet esse
commune.
Quid homo habet commune cum rebus sensitivis? sentire.
Quid habet commune cum animatis non sensitivis? vivere,
cum rebus intellectivis habet intelligere commune.
Quid mundus magnus? est compages ex coelo et terra coaug-
mentata, et ex iis rebus quae in illis continentur.
Quid compages ex coelo et terra coaugmentata? est aggre-
gatum ex coelo et terra debite inter se dispositis.
An illa definitione continetur quilibet mundus magnus
possibilis? non. quia posset dari mundus magnus in quo non
esset elementum terrae talis, hic non continetur.
Defini mundum magnum in genere loquendo: potest fieri
ut sit idem quod universum generaliter loquendo.
Quid universum? est aggregatum ex praecipuis gradibus
entis creati varie inter se dispositis et debito ordine dispositis
Quid aggregatum? est totum integrale includens unionem
saltem inter aliquas sui partes.
integrale per accidens
Quare dicitur saltem etc.? quia aggregatum non debet intrin-
secus suas partes includere unionem per accidens, quia cumu-
lus lapidum etc. non includit unionem per accidens inter
partes integrales unius lapidis in isto cumulo contenti.
Quid gradus entis creati? est ens creatum in genere vel
infimo ens, ut homo.
Quid sunt praecipui gradus entis creati? sunt gradus entis
creati maxime universales, ut substantia creata et accidens
creatum.
Quandonam censentur gradus entis creati varie esse inter se dis-
pertiti? quando dividuntur in varias species et individua.
Da ergo aggregatum ex praecipuis gradibus entis creati quod non
est universum: aggregatum ex ente materiali, et ente spirituali creato
in petro reperto.

Quare illud non est universum? quia gradus entis creati non sunt varie inter se dispertiti.
Quomodo enim in illo aggregato reperiatur sub materiale et sub spirituale creatum? verum est.
Atqui sub spirituale creatum et sub materiale creatum habet varias species: verum est subsumptum,
ergo varie inter se sunt dispertiti isti gradus: Distinguo consequens ergo sunt varie inter se dispertiti extra illud aggregatum concedo est verum. ergo sunt varie dispertiti in illo aggregato, id negatur.
Quandonam censentur gradus entis creati dividi in varias species in aliquo aggregato? Quando illi gradus entis creati sic continentur in illo aggregato ut in eodem etiam contineantur variae species in quas illi gradus dividuntur.
Quare spirituale creatum et corporeum non dividuntur in varias species in aggregato ante dato: quia in illo aggregato non continentur illae variae species in quas sub spirituale creatum et materiale dividi possunt.
Quandonam censentur gradus entis creati debite inter se disponi? quando quilibet illorum occupat illum situm quem ex natura sua postulat.
Quid ergo dispositio prout hic? sumitur hic pro dispositione nominaliter sumpta.
Quid illa dispositio? semel potest sumi hic pro dispositione a qua unum dicitur dispositum et semel pro dispositione a qua plura dicuntur disposita inter se.
Defini illam priori modo: est habitio qua aliquid habet certum situm in ordine.
Da aliquid quod a tali dispositione dicitur dispositum: sic prima littera alphabeti in alphabeto primo loco posita dicitur esse disposita suo ordine.
Defini dispositionem secundo modo: est aggregatum ex pluribus habitionibus quibus aliqua habent suum situm in certo ordine.
Da aliqua quae dicuntur disposita a tali dispositione: sic milites in exercitu dicuntur dispositi quando iam acies ordinata est ad pugnandum.
Quid dispositio verbaliter sumpta? sumitur dupliciter, semel passive, et semel active.
Quid dispositio passiva? est acquisitio qua aliquid vel plura acquirunt certum situm in ordine.
Da aliqua quae dicuntur disponi a tali dispositione: sic milites disponuntur per talem dispositionem quando dux singulis eorum assignat suum locum in cohorte.

Quid dispositio activa? est actio terminata ad dispositionem passivam ut sic.
Quid dispositio debita plurium? nominaliter sumpta est dispositio per quam plures habent debitum situm in debito ordine.
Quid ordo? semel sumitur concretim et semel abstractim.
Quid ordo concretim? est aggregatum ex pluribus habentibus se per modum prioris et posterioris. id est dicere sic ut aliquid ex illis obtineat locum prioris et aliud ex illis locum posterioris.
Da ordinem sic sumptum: sic dantur diversi ordines militum.
Quid ordo debitus concretim? est ordo in quo illud est prius quod debet esse prius, idque eo modo quo debet esse et illud est posterius quod debet esse posterius, idque eo modo quo debet esse.
Quid ordo abstractim? est prioritas et posterioritas aliquorum; alii dicunt prioritas vel posterioritas.
Quaenam ergo iam requiruntur ut debite disponantur gradus entis creati in universo? requiritur debitus ordo inter illos gradus entis.
In quo consistit ille debitus ordo? in primis in contiguitate qua partes universi sint contiguae inter se.
Da aggregatum ex praecipuis gradibus entis creati varie dispersitis quod non est universum defectu contiguitatis partium: aggregatum ex omnibus coelis et elementis quo modo sunt supposito quod inter coelum superius et inferius daretur vacuum.
Quare illud non esset universum? quia gradus entis creati non essent debito ordine dispositi.
An praeter contiguitatem partium nihil aliud requiratur ad debitum ordinem universi? imo requiritur ut singulae partes universi occupent illud spatium loci quod natura sua postulant.
Quodnam est indicium quod indicat aliquam rem certum spatium natura sua postulare? quando nimirum videmus rem aliquam sponte sua semper ad illum locum ferri sublatis impedimentis.
Declara in exemplo: sic colligimus lapidem natura sua postulare locum aere et aqua inferiorem quia nimirum videmus illum ferri ad illum locum sua sponte quoties auferuntur impedimenta.
Quaenam hic adhuc spectant ad debitum ordinem universi? ut ignobiliora regantur a nobilioribus.
Declara hoc fieri in hoc universo? sic bruta reguntur ab hominibus, coeli probabiliter ab intelligentiis.
An definitione universi tantum continetur universum de facto existens? non, sed continentur plura alia universa per Deum possibilia.

An universum hoc sit perfectissimum? imo.

Quotuplex est perfectio a qua aliquid dicitur perfectum? potest dici triplex, essentialis, accidentaria, et integralis.

Quid perfectio essentialis rei? est habitio qua aliquid habet omnia requisita ad sui essentiam.

Declara hoc universum esse perfectum essentialiter: quia habet omnia requisita ad essentiam universi.

Quaenam requiruntur ad essentiam universi? ut sit aggregatum includens varios gradus praecipuos entis creati totum autem hoc competit huic universo.

Quid perfectio accidentaria? est habitio qua aliquid habet omnes proprietates et accidentia sibi connaturaliter debita.

Quandonam censetur aliquid habere omnes proprietates et accidentia sibi connaturaliter debita? quando est instructum omnibus illis accidentibus, et proprietatibus quibus indiget ut assequatur finem principalem suum.

Declara hoc universum esse accidentaliter perfectum: quia habet omnes proprietates et accidentia quibus indiget ut assequatur suum finem principalem.

Quisnam est finis principalis huius universi? est deducere creaturam rationalem in cognitionem authoris naturae.

Declara quod hoc universum habeat illas proprietates et accidentia quibus indiget ut deducat creaturam rationalem in cognitionem authoris naturae: quia habet ordinatum motum coelorum, vicissitudinem generationum et corruptionum, innumerabiles distinctiones specierum quae omnia conducunt ad cognitionem authoris naturae.

Quomodo hoc universum est perfectum cum sit dabitur aliquid perfectius deo? non daretur.

Quomodo enim compositum ex hoc universo et deo deberet dici perfectius? non est perfectius intensive quamvis possit vocari perfectius extensive.

Quid perfectius extensive? est id quod includit plures res perfectas quam alterum ad quod comparatur.

Quid perfectius intensive? est id quod habet plures perfectiones quam alterum ad quod comparatur: sic angelus est perfectior intensive quam homo.

Quare praedictum compositum non est perfectius intensive quam deus? quia non habet plures perfectiones quam deus, quia deus continet in se formaliter vel eminenter perfectiones omnium rerum.

Quid continere eminenter perfectionem alterius? est habere virtutem producendi perfectionem alterius.

6

Quas perfectiones Deus continet formaliter? perfectiones increatas sibi proprias ut sapientiam infinitam, omnipotentiam etc.

Quas perfectiones Deus continet eminenter? perfectiones creaturarum, quia Deus habet virtutem producendi tales perfectiones.

Quid perfectum integraliter? est illud quod habet omnes partes integrales requisitas ut dicatur manere integrum.

Da tale: ut hoc universum

Quid perfectio integralis abstractim? est habitio qua aliquid habet omnes partes integrales necessarias ut dicatur integrum.

Quid perfectio integralis concretim? est pars integralis necessaria ad hoc ut aliquid dicatur integrum. ut homo respectu huius universi.

Quid perfectio accidentaria concretim? est accidens vel proprietas connaturaliter debita alicui rei. ut intellectus respectu hominis.

Quid perfectio essentialis concretim? est aliquid requisitum ad essentiam alicuius rei.

An hoc universum sit etiam perfectum integraliter? imo.

Quomodo, cum multae partes integrales universi quotidie pereant? transeat.

Quomodo ergo hoc universum manet integraliter perfectum? quia eiusdem non pereunt partes integrales necessariae.

Quid pars integralis necessaria? est pars integralis qua destructa totum integrale non censetur amplius perseverare.

Da partem integralem necessariam: caput respectu hominis.

Quid pars integralis non necessaria? est pars integralis qua destructa non censetur totum integrale destrui.

Da partem integralem non necessariam: ~~[struck out]~~ petrus respectu huius universi.

Declara iam quod non pereant partes necessariae universi: quia tantum destruuntur illae partes quibus destructis hoc universum adhuc moraliter perseverat.

Quaenam partes huius universi censentur esse necessariae? notabiliora entis creati genera, species aliquae notabiliores, item aliqua individua maxime notabilia saltem secundum aliquos.

Assigna talia genera: substantia creata in genere, ens materiale in genere.

Da species notabiliores: homo in genere, equus in genere.

Da individua maxime notabilia? hoc caelum solis, hic globus terrae.

An ergo si Deus destrueret Coelos planetarum, et poneret alios

eiusdem speciei hoc universum non maneret idem? non, quia
destruerentur aliquae partes necessariae huius universi.
An hoc universum non possit concipi tanquam totum essentiale
per accidens? imo.
Quomodo potest sic concipi? potest concipi tanquam compositum es-
sentiale ex praecipuis gradibus entis creati in varias species di-
visis tanquam parte materiali, et dispositione debita inter illos
existente tanquam parte formali.
An elementum terrae sit pars integralis universi sic sumpti? non,
sed tantum est pars integralis partis materialis universi sic
sumpti.
An de facto tantum existat unicum universum? imo.
Quomodo enim aggregatum ex omnibus coelis et elementis
uno elemento excepto sit universum distinctum ab hoc uni-
verso? non est proprie universum.
Quomodo enim sit aggregatum ex praecipuis gradibus etc.? non est
aggregatum prout hic scilicet integraliter completum.
Quid ergo aggregatum integraliter completum? est quod sic est
aggregatum ut non sit pars integralis alterius aggregati.
An non sit possibile universum ab hoc universo distinctum? imo.
unde probatur? ex omnipotentia Dei qua Deus potest producere
omne id a se distinctum quod non ~~[illegible]~~ implicat contradictio-
nem, iam autem productio alterius universi non implicat contra-
dictionem.
An sit possibile universum perfectius quam hoc? imo, quia in eo
nulla apparet contradictio.
An si Deus produceret universum perfectius Deus esset melior
et perfectior quam est? non.
Quomodo enim agens producens effectum perfectiorem ceteris
paribus sit perfectius quam agens producens imperfectiorem
effectum? non est verum, quia inde sequeretur quod unus calor
ut octo producens tantum calorem ad quatuor hic et nunc esset
minus perfectus quam alius calor ut octo producens calorem
ad septem.
Quid ergo sufficit ut duo agentia dicantur aeque perfecta? ut ha-
beant aequalem virtutem producendi effectus aeque perfectos.
Declara quod Deus modo sit tam perfectus quam si produceret
universum perfectius: quia Deus modo habet aequalem virtutem
agendi, et aeque expeditam quam haberet si produceret univer-
sum perfectius.
An sit possibile per Deum universum perfectissimum id est quo
non potest dari universum perfectius? hoc pendet ex eo van

possit de facto existere creatura perfectissima quâ non detur ali= 7
quarum vlterius perfectior.
Assigna argumentum quo probatur Deum posse producere crea=
turam: potest actu produci omne id quod Deus potest producere
ergo si supponamus illa omnia actu producta debebit inter illa
existere creatura tam perfecta quâ perfectior dari non potest, quia
si nondum existeret talis creatura deberet esse possibilis vna alia
creatura perfectior, hoc autem esset contra suppositum quo suppone=
mus posse existere actu omne id quod Deus potest producere.
Quid possit respondere ad illud argumentum? Respondere potest quod
quidem possit existere actu omne id quod Deus potest producere
siue simul, siue successiue, non autem quod omnia simul possint
existere quæ Deus producere potest, qualia potuerunt dici esse
creaturam perfectissimam, et alia creatura, idque ideo quia sunt crea=
turæ possibiles perfectiores et perfectiores in infinitum.
Da ergo argumentum pro altera sententia: Deus potest produ=
cere creaturas perfectiores et perfectiores in infinitum, sed si
posset dari creatura perfectissima destrueretur illa potentia in
Deo, ergo talis dari nequit.
Proba illud subsumptum: quia si existeret talis creatura daretur
terminus potentiæ diuinæ quâ Deus potest producere creaturas
perfectiores et perfectiores, sed infinitum non potest habere ter=
minum, ergo si daretur talis terminus destrueretur potentia quâ
Deus dicitur potens producere creaturas perfectiores in infini=
tum.
An omnes partes huius vniuersi possint probari quod existant
per rationem naturalem? non, quia non potest naturaliter pro=
bari quod dentur angeli.
Vnde ergo hoc probatur? ex fide.
An possit naturaliter probari dari corpora naturalia in hoc
vniuerso? non potest naturaliter hoc ita probari ut argumentum
intellectum nostrum conuincat, quia intellectus noster natura=
lis potest concipere viam in quâ salvet omnes vniuersi huius
apparentias etiamsi non admittat compositum ex materiâ primâ
et formâ substantiali vnitis vnione physicâ.
An interim non sit communis sententia dari talia corpora in hoc
vniuerso? imo.
Quid corpus naturale? est corpus quod componitur
ex naturis tanquam partibus physicis.
Quotuplex illud? duplex aliud simplex aliud mixtum.
Quid corpus mixtum? est corpus naturale constans tali
formâ substantiali quæ pro connaturali suâ dispositione
requirit in materiâ qualitates primas repugnantes.

Quid dispositio formæ substantiali connaturalis? est dispositio quam forma substantialis requirit in materia ad hoc ut in illa exerceat functiones ad quas naturaliter ordinatur.

Da dispositionem connaturalem alicui formæ substantiali: sic calor et siccitas sunt dispositio connaturalis formæ substantiali ignis. Illa dispositio potest dividi in partialem et totalem.

Quid dispositio connaturalis partialis? est una ex pluribus dispositionibus quæ simul requiruntur ad hoc ut forma substantialis in materia exerceat functiones ad quas naturaliter ordinatur in corpore naturali.

Quid dispositio Connaturalis totalis? est dispositio formæ substantiali connaturalis quæ non est pars integralis alterius dispositionis connaturalis eidem formæ substantiali.

Quid intelligitur in definitione corporis mixti per qualitates primas? intelliguntur qualitates primæ tangibiles per se. tales sunt quatuor, calor, frigus, humiditas et siccitas.

Quid sunt qualitates primæ repugnantes? sunt qualitates primæ quæ sunt repugnantia realia ut calor et frigus.

Quomodo recte sic definiuntur cum sic naturaliter loquendo non possint dari qualitates primæ in eadem materia qualis hic intelliguntur? possunt adhuc dari.

Quomodo cum repugnantia realia nequeant inesse eidem? possunt inesse eidem generaliter loquendo, quia in primis repugnantia realia relativa possunt inesse eidem respectu diversorum.

Quomodo equidem cum qualitates hic intellectæ sint entia absoluta? nihil refert, quia qualitates intensibiles repugnantes tantum nequeunt inesse eidem in gradu intenso, cum eo autem bene consistit quod possint inesse eidem materiæ in gradu remisso.

Da ergo corpus mixtum prout hic: homo, lapis.

An aqua sit corpus mixtum prout hic? imo.

Quomodo cum aqua tepida habeat in materia sua qualitates primas repugnantes? non refert, quia illæ qualitates non requiruntur ab eius forma substantiali tanquam dispositio connaturalis.

Quomodo cum forma substantialis aquæ maneat adhuc in materia aquæ tepidæ sine miraculo? nihil refert.

Quare ergo talis dispositio non est formæ aquæ connaturalis? quia non ideo dispositio vocatur formæ substantiali connaturalis quia cum tali dispositione forma potest inexistere materiæ sine miraculo, sed quia illam requirit ad functiones

Quas naturales.

Quid corpus simplex prout hic? est corpus naturale constans
tali forma substantiali quae non requirit in materia qualita-
tes primas repugnantes.
An recte sic definiretur? est corpus naturale constans forma
substantiali quae requirit qualitates primas non repugnantes?
non quia tunc caelum secundum communem sententiam non
esset corpus simplex, quia non est verum dicere quod forma
eius substantialis requirat qualitates primas non repugnantes,
quia nullas qualitates primas requirit in materia pro
connaturali dispositione.
An non detur interim aliquod corpus simplex cuius forma sub-
stantialis requirit qualitates primas in materia pro connatura-
li dispositione? imo ut elementum.
Quales qualitates primas requirit in materia forma substan-
tialis terrae? siccitatem ~~frigus~~ in summo et frigus ~~[illegible]~~ in excellenti.
Quandonam censetur qualitas prima esse in summo? quando
est intensa summe.
Quandonam censetur qualitas prima esse in excellenti?
quando est intensa ultra dimidium.
Quas qualitates primas requirit elementum aquae? frigus ~~frigus~~ in
summo et humiditatem in excellenti.
Quas qualitates primas requirit elementum aeris? humi-
ditatem in summo et calorem in excellenti.
Quas qualitates primas requirit elementum ignis? calorem
in summo et siccitatem in excellenti.
Quas qualitates primas requirit forma substantialis caeli?
nullas.
Quare non? quia solet dici caelum esse ingenerabile et incor-
ruptibile, qualitates autem primae videntur tantum esse desti-
natae ad generationem corporum et consequenter corruptionem
quia generatio unius est corruptio alterius.
An corpus mixtum non posset sic definiri? est corpus naturale
cuius forma substantialis requirit in materia temperiem
quatuor primarum qualitatum? non, quamvis ab aliquibus
sic soleat definiri, quia est possibile per deum corpus natu-
rale cuius forma substantialis requireret tantum in materia
duas qualitates primas easque repugnantes, iam autem illud
esset corpus mixtum, et tamen non continetur ista definitione
Quare illud esset corpus mixtum? quia non esset corpus simplex

et inter corpus mixtum et simplex non datur medium quod sit nimirum corpus naturale, ergo deberet esse corpus mixtum.
Da corpus naturale cuius forma substantialis requirit plures qualitates primas quam duas quod est corpus mixtum et tamen non continetur ista definitione? Corpus naturale cuius forma substantialis requireret duas qualitates primas repugnantes, et unam tertiam alijs duabus non repugnantem.
Quare illud non contineretur ista definitione? quia eius forma non requireret temperiem quatuor primarum qualitatum.
An elementum aeris non possit dici esse corpus mixtum? non.
Quomodo cum aer vix unquam deprehendatur esse sine qualitatibus primis repugnantibus? transeat
Quare ergo non potest dici esse corpus mixtum? quia eius forma substantialis non requirit ad sui dispositionem illas qualitates primas repugnantes.
Unde ergo fit quod elementa passim habeant qualitates primas repugnantes? ex eo quod illa passim immisceantur corporibus mixtis, item quod passim commisceantur sibi invicem ex quo fit ut facile de mutuis qualitatibus primis participent.
Quare hoc facile fit? propter bonum universi, et specialiter propter bonum ipsius hominis.
Ad quot gradus est intensa illa qualitas prima quae inexistit elemento in gradu excellenti? est intensa ad sex praecise spectando nimirum id quod forma elementi quantum est de se requirit.
Quare ergo elementum non est corpus mixtum cum sit connaturaliter requiret qualitates primas repugnantes? non requirit.
Quomodo cum si forma aeris [illegible] habeat connaturaliter tantum in materia calorem ad sex consequenter habebit frigus ad duo? hoc quidem ordinarie sic contingit ut quando in aliquo subiecto est tantum calor ad sex in eodem sit tunc etiam frigus ad duo, tamen forma substantialis elementi hoc non requirit.
An ergo forma elementi ignis haberet sufficientem dispositionem sibi connaturalem si in igne esset calor ad octo et siccitas ad sex sine ulla humiditate? imo habebit scilicet sufficien-
~~[illegible]~~tem quantum est ex parte qualitatum pri-

materiam quas requirit.

Unde ergo provenit quod cum qualitate intensa ad sex inexistat eidem elemento qualitas intensa ad duo [illegible] repugnans? ex eo quod per inexistentiam qualitatis intensae ad sex non sit completa capacitas subiecti proximi quae deinde supplebitur per inexistentiam qualitatis repugnantis intensae ad duo.

An corpus simplex et corpus mixtum distinguantur specie? imo.
Unde hoc colligitur? ex eo quod includant formas substantiales specie distinctas.

Unde petitur distinctio specifica consistens inter formam substantialem mixti et formam substantialem corporis simplicis? ex eo quod forma substantialis corporis mixti requirat connaturaliter qualitates primas repugnantes in materia, forma autem corporis simplicis non sic.

An corpus simplex et mixtum distinguantur specie per simplicitatem et mixtionem tanquam differentias essentiales? non, sumendo mixtionem, et simplicitatem formaliter.

Quid ergo mixtio corporis mixti? secundum aliquos est compositio qua corpus naturale componitur ex tali forma substantiali quae in materia sua requirit qualitates primas repugnantes tanquam connaturalem dispositionem.

Quare mixtio sic sumpta non est differentia essentialis corporis mixti? quia sic sumpta concipitur adinstar formae informantis ipsum corpus naturale mixtum cuius dicitur compositio.

Quid simplicitas a qua corpus simplex dicitur simplex? R. est negatio in corpore naturali compositionis ex tali forma substantiali quae requirit in materia qualitates primas repugnantes tanquam connaturalem dispositionem.

Quisnam est terminus istius negationis? est ipsa met mixtio.

An negatio in anima rationali talis compositionis ut ante sit simplicitas a qua corpus simplex dicitur simplex? non.

Quomodo cum illa sit negatio inexistens corpori naturali compositionis ex tali forma [illegible]? non est.

Quid ergo deest ipsi? negatio in corpore naturali.

Quomodo cum illa negatio mediante anima rationali denuo inexistat corpori naturali? est verum transeat.

Quare ergo non est negatio in corpore naturali? quia per negationem in corpore naturali intelligitur negatio talis com=

positionis et ante inexistens proxime corpori naturali.
An mixtio corporis mixti non possit sumi aliter? imo
Quomodo? nempe pro compositione qua totalis dispositio alicuius formae substantialis componitur ex qualitatibus primis repugnantibus.
Qua habitudine tunc se habebit mixtio ad corpus mixtum? habebit se tanquam forma ad subiectum remotum.
Cui ergo inexistet proxime? dispositioni totali requisitae connaturaliter a forma substantiali illius corporis.
Quomodo possunt sumi adhuc mixtio et simplicitas? pro gradibus differentialibus ex quibus resultant mixtio et simplicitas ante definitae, et sic erunt differentiae essentiales corporis simplicis et mixti.
Quomodo se habet quoad praedicationem forma substantialis connaturaliter requirens in materia qualitates primas non repugnantes, et forma substantialis non requirens connaturaliter qualitates primas repugnantes? utraque est forma substantialis elementi.
Da formam substantialem requirentem qualitates primas non repugnantes quae non est non requirens qualitates primas repugnantes: anima rationalis.
Declara quod requirat qualitates primas non repugnantes quia requirit in materia calorem et siccitatem.
Quare non est non requirens qualitates primas repugnantes: quia est requirens qualitates primas repugnantes, nempe calorem et frig
Da formam substantialem quae non requirit qualitates primas repugnantes, et de qua non est verum dicere quod requirat qualitates primas non repugnantes: forma substantialis coeli. Ergo excedunt se.

De Motu

Quid motus generaliter? transitus subiecti ab una forma ad aliam. forma ibi sumitur late ut comprehendat negationes.

Da motum cuius unus terminus est negatio: motus materiae primae a forma substantiali ad eius privationem.

Quaenam requiruntur ad motum generaliter? terminus ad quem motus, terminus a quo, et subiectum motus.

Quid terminus ad quem motus? est forma quae per motum subiecto acquiritur. sic calor est terminus ad quem motus aquae a frigore ad calorem

Quid terminus a quo motus? est forma quae per motum deperditur in subiecto. ut frigus respectu motus aquae a frigore ad calorem.

An anima rationalis sit terminus a quo motus localis quo anima movetur extra corpus dum moritur homo? non.

Quomodo cum sit forma quae per illum motum localem deperditur in suo subiecto nempe materia prima? non est in primis verum quod per illum motum localem anima specialiter deperdatur in materia prima, quia anima rationalis posset deperdi in materia prima etiamsi maneret adhuc intime praesens eidem materiae primae.

Suppone talem motum localem esse causam separationis animae rationalis a materia prima? etiamsi non erit.

Quomodo cum tunc anima rationalis sit forma quae per talem motum deperditur in subiecto? non deperditur in subiecto sicut intelligitur in definitione termini a quo, quia non

dependitur in subiecto illius motus quamvis bene dependeatur in suo proprio subiecto quod est materia prima.

Quid ulterius requiritur ad motum? subiectum motus.

Quid subiectum motus? est id quod per motum transit ab una forma ad aliam. ut aqua quando transit a frigore ad calorem.

An homo sit subiectum motus quo materia prima transit a privatione animae rationalis ad ipsam primo instanti existentiae hominis? non proprie loquendo prout hic nisi ad summum gratia partis.

Quomodo cum habeat se ad subiectum proximum illius motus tanquam totum ad suam partem? verum est.

Quare ergo non est subiectum remotum illius motus? non est sic subiectum remotum ut prout hic possit denominari absolute subiectum motus quia per subiectum motus non intelligitur hic illud quod quomodocunque recipit in se illum motum sed quod sic recipit motum per modum formae ut per illum transeat ab una forma ad aliam.

Quare homo non transit per illum motum ab una forma ad aliam? quia supponitur esse primum instans existentiae ipsius hominis nihil autem potest moveri primo instanti quo existit.

Quot ergo ~~vera~~ instantibus debet ad minimum existere illud quod potest moveri ut moveatur? ad minimum duobus.

An aliquid quod ne quidem per deum potest moveri? realiter tale quid est deus. ~~[illegible]~~

An tale sit creatum? si intelligatur quaestio quod ne quidem per deum possit moveri ad formam realiter superadditam tale quid est purus modus. si autem intelligatur tale quid quod neque ad formam realiter superadditam neque ad formam realiter indistinctam potest moveri tale quid esset illud quod diceret inseparabilem ordinem ad unicum instans temporis imaginarii.

Quomodo equidem cum talis res possit moveri a privatione relationis obiecti actu respectu creaturae ad illam relationem? si motus sumatur tam generaliter ut comprehendat etiam motum fictum mere per nostrum intellectum independenter a reali existentia subiecti tunc verum est et tali sensu non datur aliquid quod non potest moveri, si autem per motum intelligamus talem transitum per quem subiectum vere realiter existens habet certam formam sine qua immediate antea

realiter existebat, tunc exemplum ante datum est bonum.

Quomodo dividitur motus generaliter? dividitur in motum secundum naturam, contra naturam et praeter naturam.

Quid motus secundum naturam? est motus qui fit secundum propriam inclinationem naturae ipsius mobilis.

Quid motum fieri? est motum in mobili produci.

Da motum qui fit: sic fit motus aquae dum aqua movetur a frigore ad calorem.

Quomodo illa definitio est bona cum motus possit identificari a parte rei alicui entitati quae non inest interne ipsi mobili? transeat.

Quomodo ergo motum fieri recte definitur sic, est motum in mobili produci? quia equidem sub illa ratione qua concipitur ut motus inexistit interne ipsi mobili, et consequenter dum producitur potest sub tali consideratione dici produci in mobili.

Declara motum posse identificari alicui entitati quae non inexistit interne in mobili: sicut in primis motus quo unio integralis movetur localiter ab una praesentia ad aliam identificatur a parte rei ipsimet unioni quae est ipsum mobile, unio autem non inest stricte loquendo interne sibi ipsi.

Quomodo definitio motus secundum naturam est bona cum non contineatur motus secundum naturam mere possibilis? potest dici contineri.

Quomodo cum nunquam sit verum dicere quod talis motus fiat secundum propriam inclinationem naturae ipsius mobilis? distinguo, nunquam est verum dicere quod talis motus fiat actu opposito possibilitati, cum eo autem bene consistit quod talis motus fiat actu opposito aptitudini.

Quandonam censetur aliquid fieri actu opposito possibilitati? quando aliquid sic fit ut de facto existat.

Quare ergo motus secundum naturam mere possibilis nunquam potest dici fieri actu opposito possibilitati? quia supponitur esse mere possibilis, ac proinde nunquam actu existere.

Quid fieri ab aliqua causa actu opposito aptitudini? est aliquid esse tale ut si existat actu debeat produci a tali vel tali causa ad quam fit comparatio, sic intellectus humanus omnis potest dici dimanare ab anima rationali.

Declara quod intellectus humanus mere possibilis dimanet ab anima rationali tanquam principio actu opposito aptitudini: quia intellectus humanus mere possibilis est talis ut si contingeret illum existere dimanaret ab anima rationali tanquam principio.

Declaratur iam quod motus secundum naturam mere possibilis fiat secundum propriam inclinationem naturae ipsius mobilis actu opposito appetitudini? quia motus secundum naturam in quantum est secundum naturam etiamsi sit mere possibilis est talis ut si de facto sic produceretur in mobili fieret secundum propriam inclinationem naturae ipsius mobilis.

Quid ibi natura dum dicitur natura ipsius mobilis? idem est quod essentia mobilis.

An per naturam ibi possit intelligi forma substantialis mobilis? non, quia datur mobile quod movetur secundum naturam, et quod non habet formam substantialem. ut motus secundum naturam angeli.

Quid ibi inclinatio quando dicitur secundum propriam inclinationem? est appetitio vera vel ficta qua res fertur in aliquid tanquam bonum.

Quotuplex inclinatio prout hic? duplex, alia elicita, et alia innata.

Quid inclinatio elicita? est actus potentiae appetitivae quo aliquid fertur in bonum. ut amor quo aliquis amat suam beatitudinem.

An amor quo aliquis amat peccatum sit inclinatio elicita? imo.

Quomodo cum per talem amorem aliquis non feratur in bonum? nihil refert.

Quomodo ergo est inclinatio elicita? quia etiamsi per talem amorem non feratur in bonum verum, fertur tamen in bonum apparens, seu in aliquid apprehensum tanquam bonum, iam autem per bonum in definitione intelligitur bonum apparens seu apprehensum, sive interim a parte rei sit bonum sive non.

An ergo aliquis non possit ferri in aliquid mere conceptum per modum mali? non potest sic ferri illud prosequendo. quamvis sic possit ferri illud fugiendo; interim ille qui sic refugit malum, etiam desiderat aliquid tanquam bonum, puta absentiam illius mali a se, et hinc solet dici generatim quod voluntas non sit nisi boni.

Quid inclinatio innata alicuius rei? est appetitio ficta qua res fingitur appetere aliquid tanquam bonum.

An illa inclinatio sit aliquid distinctum ab ipsa re cuius dicitur inclinatio innata? non est necesse distinguere.

Da rem quae non habet inclinationem innatam: non datur quia omnis res habet inclinationem innatam respectu sui esse.

Ex quo fundamento concipimus tales inclinationes innatas in rebus? ex eo quod natura nostri intellectus sit talis ut res inanimatas subinde concipiat ut animatas et similes nobis, ex quo fit ut tunc ulterius concipiat unam inclinationem illarum rerum erga tales res quas nos etiam libenter haberemus si essemus illae res inanimatae.

An inclinatio innata sit realiter distincta ab inclinatione elicita? non est sic realiter distincta quin saltem in aliquibus casibus inclinationi elicitae realiter identificetur.

Declara: quia ipsa met inclinatio elicita habet unam inclinationem innatam respectu sui esse, quae inclinatio innata est eadem realiter cum inclinatione elicita.

Quid inclinatio propria alicuius rei? est inclinatio qua aliquid inclinatur in bonum sibi proprium.

Quid bonum proprium alicui rei? est bonum competens rei secundum se spectatae, et non prout habet connexionem cum aliis rebus: ut praesentia ad locum inferum terrae respectu lapidis. Inclinatio propria distinguitur contra inclinationem communem.

Quid inclinatio communis? est inclinatio qua aliquid inclinatur in bonum commune.

Quid bonum commune alicuius rei? est quod competit rei non praecise secundum se spectatae, sed prout habet connexionem cum aliis rebus universi. ut contiguitas corporum, item absentia vacui in hoc universo.

Da motum qui fit secundum inclinationem communem ipsius mobilis: ut motus gravium sursum ad impediendum vacuum.

Quaenam inclinatio concipitur ut fortior an communis an propria? inclinatio communis, quia res quasi deserit inclinationem propriam ut possit obtinere id in quod inclinatur inclinatione communi ut patet in lapide moto sursum ad impediendum vacuum.

Quomodo se habent quoad praedicationem motus secundum naturam factus secundum inclinationem elicitam ipsius mobilis, et motus factus secundum inclinationem innatam eiusdem Mobilis? excedunt se, utrumque est motus quo homo voluntarie se deiicit deorsum.

Declara quod fit secundum inclinationem elicitam ipsius mobilis: quia in quantum voluntarie fit ab illo homine est secundum inclinationem elicitam.

Qua ratione est secundum inclinationem innatam? in quan

tum homo consideratur tanquam corpus grave.

Quare inclinatio hominis sic considerati vocatur inclinatio innata seu ficta? quia talis inclinatio hominis sic considerati competit etiam rebus inanimatis quae non sunt capaces inclinationis elicitae, ergo signum est quod illa inclinatio sit tantum innata seu ficta.

Declara quod talis inclinatio competat rebus inanimatis: ut lapidibus, et similibus corporibus gravibus inanimatis.

Da motum secundum inclinationem elicitam mobilis, et non secundum innatam eiusdem: ut saltatio qua homo voluntarie saltat sursum.

Declara quod fit secundum inclinationem elicitam, quia fit secundum actum voluntatis ipsius hominis appetentis aliquid sibi ut bonum.

Quare non fit secundum inclinationem innatam? quia homo secundum inclinationem innatam sibi tanquam corpori gravi concipitur appetens motum deorsum, et non sursum.

Da motum secundum inclinationem innatam mobilis, et non secundum elicitam eiusdem: motus lapidis deorsum.

Quam habitudinem importat in vi obliqui illa vox, inclinationem, in definitione motus secundum naturam, dum dicitur secundum propriam inclinationem etc.? habitudinem termini convenientiae importatae per illam particulam secundum.

Quid terminus convenientiae? est illud cui aliquid convenit.

Subiectum convenientiae est id quod convenit per convenientiam, unde subiectum convenientiae prout hic aliter sumitur quam in Logica, ubi subiectum convenientiae distinguitur contra subiectum inexistentiae.

Quodnam est subiectum convenientiae illius cuius inclinatio propria naturae ipsius mobilis est terminus? potest dici quod sit significatum ipsius motus verificatum pro definito, quod est motus secundum naturam.

Quis ergo erit sensus? sensus erit, motus secundum naturam est qui fit tanquam conveniens inclinationi propriae naturae ipsius mobilis.

Quid motus contra naturam? est motus qui fit contra propriam inclinationem naturae ipsius mobilis. ut motus gravium sursum ad illum locum qui est ipsis violentus.

Quare dicitur ad illum locum qui est ipsis violentus? ut ex-

cludatur motus aquae in urnâ a fundo putei usque ad medium ipsius aquae existentis in ~~medio~~ puteo.

Quare ille motus non est contra naturam? quia non est contra naturam ipsius aquae sic motae.

Quam habitudinem in vi obliqui importat illa vox inclinationem dum dicitur contra propriam inclinationem? habitudinem termini disconvenientiae importatae per illam particulam contra.

Quidnam est subiectum illius disconvenientiae? genus definiti verificatum pro definito.

Quodnam est genus definiti in illa definitione? motus generaliter sumptus.

Quodnam est definitum pro quo verificatur genus definiti? est motus contra naturam.

Quid motus praeter naturam? est motus qui fit neque secundum neque contra propriam inclinationem naturae ipsius mobilis. ut motus quo elementum ignis movetur circulariter in loco suo naturali.

Quid significat principaliter illa vox praeter dum dicitur motus praeter naturam? potest sumi ut importet habitudinem indifferentiae quâ natura ipsius mobilis indifferenter se habet ad illum motum qui dicitur praeter naturam.

Quam habitudinem in vi obliqui importabit illa vox naturam dum dicitur motus praeter naturam? habitudinem fundamenti respectu relationis indifferentiae importatae per illam particulam praeter.

Quid ergo est illa relatio indifferentiae? est relatio fundata in naturâ ipsius mobilis terminata ad motum qui fit in ipso mobili, orta ex eo quod natura illum motum neque appetat tanquam bonum proprium sibi conveniens neque per inclinationem propriam illum refugiat.

An idem motus possit esse contra naturam et secundum naturam? imo respectu diversorum: in primis idem motus secundum rationem est secundum naturam, et contra naturam respectu diversorum, quia sic motus in genere a frigore ad calorem est contra naturam respectu aquae quae movetur a frigore ad calorem, et est ~~contra~~ secundum naturam respectu aeris qui movetur a frigore ad calorem.

An idem motus secundum rem et rationem possit esse secun-

dum naturam, et contra naturam respectu diversorum? pendet
ex eo an duo diversa possint moveri per eundem motum se-
cundum rem et rationem.
An hoc possit fieri? Respondeo primo hoc potest fieri quando unum
illorum est subiectum proximum motus, et alterum est subiec-
tum remotum.
Declara in exemplo: sit materia prima aquae, et aqua movea-
tur per eundem motum a frigore ad calorem.
Da ergo aliqua duo quorum unum movetur per certum motum
secundum naturam, et quorum alterum movetur per eundem
motum contra naturam? Ut motus quo anima rationalis move-
tur ad conceptum intellectivum, supposito quod in eadem materia
prima esset anima rationalis, et anima bruti.
Qua ratione ille motus esset secundum naturam quo anima
rationalis voluntarie movetur ad conceptum intellectivum? ~~quia~~
~~quia~~ ea ratione qua per illam anima movetur voluntarie ad
conceptum intellectivum.
Qua ratione esset contra naturam? quatenus brutum remote
moveretur per illum motum ad istum conceptum intellectivum.
Declara quod brutum tunc moveretur etiam ad conceptum
illum intellectivum: quia acquiret illum conceptum intellectivum
tanquam subiectum remotum suam formam.
An idem motus secundum rem et rationem possit esse secundum
et contra naturam respectu eiusdem eodem tempore? non.
Quare non motus quo homo movetur voluntarie sursum? quia
ille absolute est secundum naturam.
Quare non est contra naturam, quatenus homo est corpus gra-
ve? quia ut motus sit contra naturam non sufficit quod sit
contra aliquam inclinationem naturae ipsius mobilis, sed requi-
ritur ut sit contra omnem iuxta ordinariam acceptionem istius
vocis motus.
Quare ergo requiritur ad motum contra naturam ut sit contra
omnem inclinationem propriam etc.? quia in illa voce, contra,
virtualiter involvitur una negatio ratione cuius illa vox,
<u>inclinationem propriam</u>, distribuitur.
Quis ergo est sensus definitionis motus contra naturam? est
motus quisitus non secundum ullam propriam inclinationem na-
turae ipsius mobilis.
Da motum quo totum movetur contra naturam, et pars eius

praeter naturam: ut motus quo aqua movetur a frigore ad ~~frigus~~ calorem.
Declara quod sit motus praeter naturam respectu partis: quia est talis respectu materiae primae secundum se consideratae.
Quare dicitur hoc secundum se consideratae? quia si consideretur prout est pars physica aquae, tunc posset dici quod esset contra naturam materiae primae sic consideratae.
An motus praeter naturam debeat habere terminum ad quem qui est mobili praeter naturam? non, quia sic motus circularis elementi ignis est motus ignis praeter naturam si fiat in loco naturali ipsius ignis, et tamen terminus ad quem est igni secundum naturam.
An terminus ad quem motus praeter naturam possit mobili esse contra naturam? imo, quia talis esset motus quo ignis moveretur lateraliter in elemento aeris sic ut per illum motum nec magis accedat nec magis recedat a centro terrae.
An possit dari motus praeter naturam cuius terminus ad quem est mobili praeter naturam? imo. ut motus materiae primae secundum se spectatae a frigore ad calorem, quia terminus ad quem est calor qui competit materiae primae secundum se spectatae praeter naturam.
An ad motum contra naturam requiratur ut terminus ad quem sit mobili contra naturam? non, sic motus quo lapis movetur a valle usque ad summitatem montis dum aliquis illum proiicit est contra naturam, et tamen terminus eius ad quem non est mobili contra naturam.
Declara: quia terminus ad quem illius motus est praesentia ad summitatem montis, illa autem est lapidi secundum naturam.
An terminus ad quem motus secundum naturam debeat esse mobili secundum naturam? non, quia motus quo lapis movetur a media regione aeris usque ad infimam regionem aeris est secundum naturam, et terminus tamen eius ad quem est mobili contra naturam.
An uterque terminus motus secundum naturam possit esse mobili contra naturam? non ut patet in exemplo ante dato.
Quomodo se habent quoad praedicationem motus secundum naturam et motus habens terminum ad quem qui est mobilis secundum naturam? utrumque est motus aquae a calore ad frigus.
Da primum tantum: ut motus lapidis a suprema regione aeris usque

ad mediam.

Da posterius tantum: ut motus quo movetur elementum ignis circulariter in loco suo naturali.

Quare ille motus non est secundum naturam? quia talis motus est igni praeter naturam.

Quomodo se habent quoad praedicationem motus secundum naturam et motus cuius uterque terminus est mobili secundum naturam? Utrumque est motus quo homo voluntarie movetur in superficie terrae.

Declara quod ille motus sit secundum naturam: quia ille motus fit secundum propriam inclinationem scilicet elicitam naturae ipsius mobilis.

Declara quod uterque terminus sit mobili secundum naturam: quia terminus uterque est praesentia ad locum terrae quae est homini secundum naturam.

Da prius tantum: ut motus aquae a calore ad frigus, quia est secundum naturam, et terminus a quo non est mobili secundum naturam.

Da posterius tantum: ut motus circularis elementi ignis in loco suo naturali quia uterque terminus illius motus est praesentia ignis ad locum suum naturalem, et tamen motus non est secundum naturam, sed praeter naturam.

Quomodo se habent motus contra naturam, et motus cuius uterque terminus est contra naturam? talis est motus lapidis sursum a media regione aeris usque ad supremam.

Declara quod uterque ille terminus sit lapidi contra naturam: quia uterque terminus est praesentia ad locum aeris quae est lapidi contra naturam.

Da prius tantum: motus aquae a frigore ad calorem.

Quis terminus ex illis duobus non est aquae contra naturam terminus a quo nempe frigus.

Da posterius tantum: ut motus lapidis deorsum a suprema regione aeris usque ad mediam.

Quomodo se habent quoad praedicationem motus praeter naturam, et motus cuius uterque terminus est mobili praeter naturam? Utrumque est motus materiae primae secundum se spectatae a calore ad frigus.

Da prius tantum: ut motus circularis elementi ignis in loco suo naturali.

Quare uterque terminus non est ibi praeter naturam nempe igni?

quia est ibi secundum naturam
Da posterius tantum: talis esset motus localis angeli ab uno spatio ad spatium contiguum supposito quod moveretur violente contra suam voluntatem.
Declarat quod uterque terminus talis motus sit angelo praeter naturam: quia angelus non habet aliquod spatium sibi connaturale sicut solent habere corpora levia et gravia, neque habet aliquod spatium naturae suae violentum, et per consequens naturaliter habet se indifferenter tam bene ad unum quam ad alterum spatium.
Quomodo uterque terminus illius motus est illi angelo praeter naturam cum supponatur terminum acquirere violentum ad quem? non refert.
Quomodo ergo ille terminus ad quem non est ipsi contra inclinationem elicitam? etiamsi esset contra inclinationem elicitam nihil referret, quia in responsione intelligitur quod sit angelo praeter naturam considerando ipsum secundum inclinationem innatam.
An supposito quod angelus moveatur violente contra voluntatem ab alio angelo, sequatur quod terminus ad quem illius motus sit etiam ipsi violentus seu contra voluntatem? non, quia angelus poterit tantum non velle moveri per motum qui imprimitur ab alio angelo, cum eo autem bene consistit quod sit adhuc indifferens erga terminum ad quem illius motus quatenus nimirum obtineri potest per alium motum producendum ab ipsomet angelo qui movetur.
Declara in simili: sic petrus potest repugnare motui producto a paulo trudente ipsum extra domum suam, et tamen bene velle moveri localiter extra domum sponte sua. et hinc colligitur quod aliquis motus possit esse contra inclinationem elicitam mobilis etiamsi terminus illius motus sit praeter inclinationem elicitam eiusdem.
Qualis debet esse motus qui fit a principio intrinseco ipsi mobili? non debet esse determinate secundum naturam, neque debet esse praeter naturam nec contra naturam, quia potest esse aliquando secundum, aliquando contra, et aliquando praeter naturam.
Da exemplum ubi talis motus est secundum naturam: ut motus quo aqua movetur a calore ad frigus dum ante calefacta reducit se ad pristinum frigus.

An omnis motus secundum naturam debeat fieri a princi-
pio intrinseco isti mobili cuius est secundum naturam? non, quia
potest dari motus secundum naturam qui mere habet principium
extrinsecum a quo fit: sic ut motus quo aer frigefactus move-
tur ab igne circumstante tanquam principio motus ad unum gra-
dum caloris.

Quare non potest semper dici quod forma substantialis aeris simul
concurrat ad productionem illius gradus caloris iste consequenter ad pro-
ductionem illius motus? quia possunt esse tales circumstantiae
ut aer potius adhuc fuisset magis frigefactus si abfuisset ipse
ignis, ex quo colligitur quod calor productus a solo igne produca-
tur et non ab aere.

Da tales circumstantias: ut v.g. in hieme quando incipit adve-
nire aeri semper maius et maius frigus nisi ab igne approxima-
to calefiat.

An possit dari motus localis secundum naturam qui non fit a
principio intrinseco isti mobili respectu cuius dicitur secundum na-
turam? pendet ex eo an possit dari motus localis in aliquo
mobili sine impetu inexistente eidem mobili et proxime producen-
te istum motum in illo. Secundum illos qui dicunt quod quodlibet
mobile quod movetur localiter habeat in se impetum productivum
illius motus quo movetur localiter nunquam potest dari motus se-
cundum naturam localis ubi neque motus contra naturam aut
praeter naturam qui non fiat a principio intrinseco ipsi mobili, quia
tunc omnis motus localis fiet ab impetu intrinseco ipsi mobili.

Suppone sententiam illorum qui dicunt quod accidentia corporis
naturalis moveantur localiter cum corpore naturali ab impe-
tu intrinsice inexistenti corpori naturali et non ipsis accidentibus
et responde ad quaestionem: talis motus secundum naturam erit
motus gravitatis deorsum in homine quando homo movetur deorsum.

Quomodo cum ille motus fiat ab ipsamet gravitate? transeat.

Quomodo ergo non fit a principio intrinseco gravitatis: quia gravi-
tas illa proprie loquendo non inest sibi ipsi.

Da motum contra naturam qui non fit a principio intrinseco ipsi
mobili respectu cuius dicitur contra naturam: ut motus lapidis
dum projicitur sursum.

At quo intrinseco principio fit ille motus? ab impetu lapidi im-
presso a projiciente.

An motus contra naturam possit fieri a principio intrinseco per-
manente ipsius mobilis? imo, quia v[idemus] motus vaporum et exhala-
tionum sursum.
A quo principio intrinseco permanente fit ille motus? a levitate in-
existente ipsis vaporibus et exhalationibus.
Quare ergo ille motus non est secundum naturam cum fiat
secundum propriam inclinationem ipsius mobilis? non fit
Quomodo cum fiat secundum inclinationem levitatis intrinsecę
ipsi mobili? transeat.
Quare ergo non fit secundum aliquam propriam inclinationem
naturę ipsius mobilis? quia licet fiat secundum inclinationem
levitatis tamen non fit secundum propriam inclinationem na-
turę ipsius mobilis, quia levitas illa non est substantię vaporum
connaturalis, quia substantia vaporum est aqua, aquę autem
illa levitas non est connaturalis.
Unde ergo producitur illa levitas in vaporibus? quia aqua transiens
in vapores calefit, calefacta autem rarefit, rarefacta fit levis
iuxta hoc principium, calorem sequitur raritas, raritatem autem
levitas.
Quid principium permanens? idem quod principium naturę per-
manentis.
Quandonam censetur aliquid esse naturę permanentis? quando
illa res existens apta est de se etiam notabiliter diu perseverare
re nisi aliunde a contrario, vel aliquo simili destruatur.
Quid res naturę transeuntis? est res quę si existat facile
rursum perit etiamsi ab agente contrario non oppugnetur. ut impe-
tus, motus.
declara: quia impetus, et similes res sponte sua etiam pereunt,
etiamsi a contrariis non oppugnentur.
Quomodo ergo motus vaporum sursum fit a principio intrinseco
permanente cum levitas non soleat diu permanere? verum est
sed non refert, quia equidem levitas natura sua est qualitas
permanens ut patet in levitate aeris et ignis.
Da aliquod indicium ex quo colligi potest motum fieri secundum
naturam ipsius mobilis: in primis quando ille motus fit voluntarie,
id est secundum potentiam appetitivam ipsius mobilis.
declara semper tunc fieri secundum naturam ipsius mobilis: quia
fit secundum inclinationem elicitam ipsius mobilis.
Da aliud indicium: quando motus ipsius mobilis est talis ut
per illum mobile acquirat statum sibi connaturaliter debitum,
quem ante non habebat, vel sic ut saltem perfectius acquirat
statum sibi naturaliter debitum, vel quando motus ille de se con-
ducit ad postea habendum illum motum per quem acquirat statum

sibi connaturaliter debitum.

Da motum secundum naturam qui colligitur ex prima parte illius indicii posterioris: motus aquae a calore ad frigus ad octo.

Da motum qui colligitur ex ultima parte illius indicii: motus recti deorsum lapidis a prima regione aeris usque ad mediam.

Quomodo cum per illum motum non acquirat statum sibi connaturalem, sed violentum, non refert quia saltem ille motus de se conducit ut tandem acquiratur unus motus per quem obtineatur ipse status naturalis.

Da aliquod indicium ex quo potest colligi motum aliquem esse contra naturam: potest mobile quod movetur motu contra naturam esse duplex, unum habens potentiam appetitivam, alterum carens illa, hoc supposito colligetur motus esse contra naturam in primis si fiat mobili resistente per potentiam appetitivam, et non est aliunde fundamentum concipiendi unam innatam inclinationem in natura ipsius mobilis erga istum motum.

Da motum contra naturam iuxta illud indicium: ut motus hominis quando trahitur per terram contra voluntatem, quia ille motus fit mobili resistente per potentiam appetitivam etc.

An motus quo homo contra voluntatem movetur recta deorsum sit motus contra naturam hominis? non.

Quomodo cum fiat homine resistente per voluntatem? non refert, quia quidem aliunde habemus fundamentum concipiendi unam inclinationem innatam in natura hominis quatenus scilicet est corpus grave.

Da aliud indicium: quando motus est talis ut per illum mobile ponatur extra statum sibi connaturaliter debitum, vel in integrum, vel ex parte, vel quando motus est talis ut impediat quo minus facilius possit mobile recuperare statum sibi connaturaliter debitum, intelligendo tamen utrobique sic ut non fiat secundum inclinationem elicitam ipsius mobilis.

Da motum contra naturam iuxta priorem partem illius indicii: motus aquae a ~~[illegible]~~ frigore ad calorem.

Da motum contra naturam iuxta posteriorem partem illius indicii: ut motus lapidis sursum a media regione aeris usque ad supremam, quia per illum motum quidem non ponitur lapis extra statum naturalem ante immediate habitum, sed tamen impeditur quo minus possit tam facile recuperare suum statum

naturalem, quia difficilius est lapidi recuperare statum naturalem quando est in suprema regione aeris quam quando est in medio.

Distinguo per rationem fundandi et terminandi, et per extrema principale significatum vocis *contra* a principali significato vocis *praeter*. Dum dicitur motus contra naturam, et motus praeter naturam? In primis posset responderi quod quaestio supponat falsum, videlicet quod utrumque significatum illarum vocum habeat rationem fundandi et terminandi, item extrema.

Cuius ergo vocis significatum principale potest dici non habere rationem fundandi et terminandi? Significatum principale vocis *praeter*; illa enim vox praeter potest significare negationem in motu eius quod est convenire vel disconvenire naturae ipsius mobilis ad quod comparatur, nulla autem negatio habet rationem fundandi aut terminandi.

Quam habitudinem in vi obliqui importabit tunc illa vox *naturam*, dum dicitur motus praeter naturam? Habitudinem termini convenientiae vel disconvenientiae negatae per negationem importatam per particulam praeter.

Suppono per vocem praeter significari relationem, et respondeo ad quaestionem: relatio importata per particulam praeter potest sic definiri, est relatio fundata in motu terminata ad mobile orta ex eo quod motus neque sit secundum neque contra propriam inclinationem naturae ipsius mobilis.

Quomodo distinguuntur significatum principale illius vocis praeter et significatum principale illius vocis contra considerando illas voces ut significant utrobique relationem? Distinguuntur in eo quod fundamentum relationis principaliter significatae per vocem contra sit motus qui dicitur contra naturam, terminus autem eiusdem relationis sit inclinatio propria naturae ipsius mobilis contra quam fit motus contra naturam. Ratio autem fundandi potest dici esse repugnantia qua ille motus repugnat ~~ut~~ inclinationi propriae ipsius mobilis, ratio autem terminandi est repugnantia qua inclinatio propria naturae ipsius mobilis vicissim repugnat ipsi motui. Fundamentum autem relationis significatae principaliter per vocem praeter est motus praeter naturam. Terminus potest dici esse natura mobilis quod movetur motu praeter naturam. Ratio fundandi autem negatio convenientiae vel

disconvenientis respectu naturae ipsius mobilis in ipso motu,
ratio terminandi est negatio inclinationis vel aversionis re-
spectu ipsius motus inexistens naturae ipsius mobilis. Sumendo
autem significatum principale illius vocis praeter pro habitudine
indifferentiae quam ipsa natura mobilis indifferenter se habet ad
motum praeter naturam, sicut supra circa definitionem motus praeter
naturam sumsimus, tunc illa relatio habet rursum easdem
extrema, sed inverso ordine posita, sumitur tamen magis com-
muniter vel pro negatione, vel pro relatione hic posita.

Quomodo aliter dividitur motus generaliter? in lo-
calem et non localem.

Quid motus localis? sumitur semel stricte et se-
mel late.

Quid motus localis stricte? est motus habens pro
termino ad quem praesentiam localem ad certum spatium
ad quod mobile immediate ante praesentiam non habebat. Ut am-
bulatio hominis.

An possit sic definiri, est motus habens pro termino ad
quem praesentiam localem? non ita bene sumendo verba
prout iacent quia illa definitione continetur motus quo
angelus v. g. moveretur ab una praesentia locali ad aliam
manens in eodem puncto spatii supposito quod Deus destrue-
ret praesentiam localem immediate ante habitam et produceret
unam novam quod non videtur implicare contradictionem sup-
posito quod praesentiae locales possint realiter distingui a suo sub-
iecto, ille autem motus non esset localis.

Quare non? quia nihil dicitur moveri localiter motu locali
stricte dicto nisi acquirat praesentiam ad novum spatium.

Declara quod ille motus contineretur illa ultima definitione:
quia esset motus habens pro termino ad quem praesentiam
localem.

Quid motus localis late? est motus cuius alteruter terminus
est praesentia localis.

Da motum localem late qui non est motus localis stricte: Ut
motus quo angelus replicatus per aliquod puncta spatii in sphaera
suae replicabilitatis contrahit se ad unicum punctum spatii.

Quare ille motus non est localis stricte? quia ille motus non ha-
bet pro termino ad quem praesentiam localem.

Quomodo illa definitio est bona cum continea(n)tur motus angeli

ab una praesentia locali ad aliam supposito quod Deus destrueret
unam praesentiam et poneret aliam in eodem angelo manente in
eodem spatio; continetur quidem sumendo verba prout sonant
sed non secundum sensum in quo definitio illa debet intelligi.
Quis ergo sensus illius definitionis? motus localis late est mo-
tus quo aliquid acquirit praesentiam localem ad spatium novum
vel quo aliquis amittit praesentiam localem ad spatium in quo
immediate ante existebat.
Declara quod iuxta hunc sensum non continebatur illa defini-
tione motus angeli ante definitus: quia angelus per illum mo-
tum neque acquirit praesentiam ad spatium novum, neque amit-
tit praesentiam ad spatium in quo immediate ante existebat.
Quid ibi praesentia localis ad spatium novum? est praesentia
localis alicuius rei ad tale spatium in quo immediate ante
non existebat.
Quomodo se habent quoad praedicationem motus localis ha-
bens pro termino ad quem praesentiam localem, et motus
localis habens pro termino a quo praesentiam localem? utrumque
est ambulatio hominis.
Da primum tantum ut motus localis quo angelus existens
in puncto spatii movetur ad plura puncta spatii contigua
replicando se sic ut retineat etiam praesentiam ad illud punctum
spatii in quo immediate ante erat; quia ille motus habet pro
termino ad quem praesentias locales quas angelus de novo
acquirit per sui replicationem.
Quare non habet pro termino a quo etiam praesentiam loca-
lem? quia supponitur eandem praesentiam localem habere
quam immediate ante habuit et nullam amittere.
Da motum localem habentem pro termino a quo praesentiam
localem et non pro termino ad quem: talis est motus angeli
quo replicatus per decem puncta spatii contigua contrahit se
ad unicum punctum spatii.
Quare ille motus non habet pro termino ad quem praesentiam
localem? quia nullam praesentiam localem per talem mo-
tum angelus de novo acquirit.
Quid motus non localis? potest sumi stricte et late.
Quid motus localis stricte? est motus qui neque pro termino
a quo, neque pro termino ad quem habet praesentiam localem.
Quid motus non localis late? est motus qui non habet pro

termino ad quem praesentiam localem.

Da motum non localem late, et non stricte: Ut motus quo angelus replicatus per eadem puncta spatii contigua contrahit se ad unicum punctum spatii.

Da motum non localem stricte: Ut motus aquae a calore ad frigus.

Divide motum localem: dividitur in motum localem corporis naturalis et motum localem non corporis naturalis.

Quid motus localis corporis naturalis? est motus quo corpus naturale localiter movetur. Ut motus lapidis deorsum.

Quid motus localis non corporis naturalis? est motus quo res distincta a corpore naturali localiter movetur. Ut motus localis angeli.

Quomodo dividitur motus localis corporis naturalis? in motum localem corporis naturalis secundum naturam, contra naturam, et praeter naturam

Quid motus localis corporis naturalis secundum naturam? est motus localis corporis naturalis qui fit secundum propriam inclinationem naturae ipsius corporis naturalis. Ut motus terrae deorsum.

An non possit dari motus localis corporis naturalis secundum naturam qui est circularis? imo. Ut motus localis circularis primi mobilis.

An ille motus fiat in primo mobili a principio intrinseco? imo nempe ab impetu inexistente primo mobili

An non fiat a principio intrinseco permanente? si coeli moveantur ab intelligentiis tunc non, si autem moveantur a propria forma substantiali tunc motus ille fit a principio intrinseco permanente nempe a forma substantiali primi mobilis.

Ex quo indicio possumus colligere motum localem corporis naturalis esse secundum naturam? si per illum motum mobile acquirat praesentiam ad spatium sibi connaturale quale immediate ante non habebat, vel si ille motus localis deserviat ad obtinendum tale spatium ex quo facilius postea moveri potest ad spatium sibi connaturale.

Qualis est motus ignis dum movetur lateraliter in supremo circa fornicem coeli? non est secundum naturam.

Quomodo cum per illum motum moveatur ad spatium aeris

extra furnum in quo tunc melius ascendit sursum, transeat.

Quare ergo non est secundum naturam ille motus? quia siquidem ille motus lateralis ex propria sua ratione, seu quantum est de se non conducit ad obtinendum tale spatium ex quo facilius ignis possit ascendere sursum ad locum naturalem.

Qualis est motus aquae quo oblique descendit ad locum suum naturalem, sic ut per illum motum describat figuram arcus? in quantum aqua per illum motum paulatim acquirit spatium propinquius et propinquius ad locum suum naturalem in tantum potest dici esse secundum naturam ipsius aquae, in quantum autem per illum motum retardatur ad facilius obtinendam praesentiam ad spatium sibi connaturale in tantum non est secundum naturam.

An quaelibet corpora naturalia possint moveri localiter versus quamlibet situs differentiam idque secundum naturam? non, quia corpora inanimata non solent sic moveri secundum naturam.

Unde hoc provenit? quia solent habere potentiam locomotivam determinatam ad certam situs differentiam, quia sic corpora gravia habent potentiam locomotivam deorsum, corpora autem levia habent potentiam locomotivam sursum.

Da corpus naturale inanimatum habens sibi connaturalem potentiam locomotivam nec sursum nec deorsum: ut primum mobile, illud enim habet potentiam locomotivam circulariter sibi connaturalem.

Quomodo corpora inanimata non habent potentiam sibi connaturalem locomotivam versus quamlibet situs differentiam, cum moveantur sic in periculo vacui? etiamsi possint sic moveri propter periculum vacui, inde tamen non sequitur quod ipsis insit una potentia locomotiva, quae possit operari motum versus quamlibet situs differentiam in periculo vacui.

An aliqui non ponant talem potentiam locomotivam in quolibet corpore naturali? imo.

An secundum illos motus lapidis sursum ad impediendum vacuum sit secundum naturam? non.

Quomodo cum fiat a potentia locomotiva intrinseca lapidis? non refert, quia illa potentia locomotiva non competit lapidi secundum propriam ipsius inclinationem, sed ad summum se

cundum communem.
An ille motus sit preter naturam ipsi lapidi? aliqui affirmant quod sic ex eo minimum quod lapis non videatur resistere isti motui. verisimilius tamen dicitur quod non, quia experientia constat lapidem resistere isti motui, quia dum aliquis cordo madefacto, et affixo ipsi lapidi lapidem sursum trahit sentit resistentiam factam a gravitate ipsius lapidis, et tamen lapis ille movetur sursum propter periculum vacui.
Da corpus naturale quod potest moveri localiter versus quamlibet situs differentiam secundum naturam: ut homo potest enim moveri secundum inclinationem elicitam versus quamlibet situs differentiam.
Quid motus localis corporis naturalis contra naturam? est motus localis corporis naturalis qui fit contra propriam inclinationem ipsius corporis naturalis. ut motus lapidis sursum.
Quomodo ille motus est contra naturam cum sit secundum aliquam inclinationem propriam nature ipsius lapidis? non est.
Quomodo cum sit secundum illam inclinationem lapidis quam habet lapis ratione aliqualis levitatis sibi inexistentis? non est. quia lapis per illam levitatem non appetit moveri sursum ad locum aeris, vel ignis, sed appetit tantum esse supra corpora illo lapide graviora.
An idem motus localis corporis naturalis possit esse secundum naturam et contra naturam respectu eiusdem? imo, successive scilicet per deum. et talis est motus aeris ad locum ignis, item motus lapidis deorsum.
Quo casu motus lapidis deorsum potest esse contra naturam? supposito quod deus mutaret centrum universi, et rursum produceret eundem motum in lapide quod non videtur implicare
An idem motus per deum non possit esse contra naturam, et secundum naturam respectu eiusdem corporis naturalis iuxta presentem rerum statum? ita et hoc fieret si Sortes v. g. per eundem numero motum moveretur localiter in superficie terre simul contra voluntatem, et simul secundum suam voluntatem.
An non possit hoc fieri iuxta presentem rerum statum per deum in corporibus ~~naturalibus~~ inanimatis? imo sic motus ligni quo parvum lignum movetur a fundo putei usque ad supremam superficiem aque contente in puteo est secundum naturam.

Quid motus Localis Corporis naturalis praeter naturam?
Est motus localis corporis naturalis qui fit neque secundum
neque contra propriam inclinationem naturae ipsius cor=
poris naturalis. Ut motus circularis elementi ignis in loco
suo naturali.
Da talem motum sursum: Ut motus quo gutta aquae ascen=
dit a fundo aquae usque ad medium ipsius aquae.
Da talem motum qui habet pro termino ad quem praesentiam
localem sibi connaturalem: Ut motus ante datus.
Da motum localem corporis naturalis praeter naturam cuius
terminus ad quem est ipsi praeter naturam: non datur, quia
omne corpus naturale vel est leve, vel est grave, vel neutrum;
si sit leve habet pro spatio sibi connaturali locum superiorem,
si sit grave habet pro spatio sibi connaturali locum inferiorem,
si sit neutrum habet pro tali spatio locum coelestem, et hinc
colligitur quod per quemlibet motum localem stricte corpus
naturale acquirat praesentiam ad spatium sibi connaturale
vel ad spatium distinctum a connaturali quod erit ipsi vio=
lentum, et consequenter non potest dari motus localis prae=
ter naturam in corpore naturali quia per illum acquira=
tur vel praesentia ad locum connaturalem vel praesen=
tia ad locum violentum.
Qualis est motus globi quo volvitur globus per pla=
num terrae? ille neque est contra naturam, neque secundum
naturam, neque praeter naturam proprie loquendo
sed partim est contra, partim praeter, partim secundum
naturam, quia est contra naturam gratia partialis motus
quo aliquae partes illius globi ascendunt a spatio inferiori
ad superius, et est secundum naturam gratia illius motus
partialis quo aliquae partes illius globi descendunt a superiori
ad inferius spatium, et est praeter naturam gratia sui cen=
tri quod in illo motu semper manet aeque a terra distans.
Quomodo non est praeter naturam cum fiat neque secundum
neque propriam inclinationem naturae ipsius mobilis? non fit
ad sensum definitionis praeter naturam.
Quomodo illa definitio intelligitur? sic: motus praeter natu=
ram est motus qui sic fit ut per se primo fit neque contra
neque secundum propriam inclinationem ipsius mobilis.
Qualis debet esse motus Localis Corporis naturalis qui fit
secundum naturam ipsius moventis? potest esse omnis ge=
neris.

Da ergo talem qui sit contra naturam: talis est motus localis sursum in lapide, et generatim omnis motus contra naturam, quia omnis motus contra naturam producitur a deo volente illum producere.

Quomodo motus lapidis sursum est contra naturam cum non sit contra omnem inclinationem propriam ipsius lapidis? sit certo sensu.

Quomodo cum non fiat contra inclinationem propriam caloris inexistentis lapidi? non refert.

Quomodo ergo fit contra omnem propriam inclinationem? quia fit adhuc contra omnem hoc sensu, quia videlicet fit contra aliquam propriam inclinationem naturae ipsius lapidis sic ut non fiat secundum ullam propriam inclinationem naturae ipsius mobilis.

Da aliquod indicium ex quo colligi potest motum localem corporis naturalis esse contra naturam: aliqui ponunt hoc indicium si corpus naturale resistat illi motui producendo impetum destructivum illius motus, quia sic motus lapidis colligitur esse contra naturam cum movetur sursum, quia lapis sic motus producit impetum motivum deorsum et per consequens destructivum motus sursum.

Qualis esset motus quo lapis moveretur lateraliter per planum terrae secundum illud indicium? deberet dici esse contra naturam secundum illud indicium, quia lapis produceret impetum versus centrum terrae et per consequens destructivum illius motus lateralis.

Qualis consequenter esset motus lateralis ignis in elemento ignis in loco aeris? etiam esset contra naturam, quamvis ab aliquibus similis motus vocetur praeter naturam.

An illud indicium sit sufficiens ad colligendum quemlibet motum contra naturam? non, quia ex illo indicio non potest colligi motus contra naturam non localis.

An sit sufficiens indicium ad colligendum quemlibet motum localem contra naturam? non, quia ex illo indicio non potest colligi motus localis contra naturam quo angelus moveretur localiter mere resistente voluntate absque productione impetus destructivi ipsius motus localis.

An illud indicium sit sufficiens ad colligendum quemlibet motum localem contra naturam corporis inanimati? non, quia non videtur posse colligi motus contra naturam quo vapores moventur sursum, quia non experimur impetum

producti in oppositam partem sit destructiuum motus sursum. 21
Qua experientia potest hoc probari? quia potius experimur produci tantum impetum loco motiuum sursum, quo illi vapores aduertuntur grauitare, cum in puro etiam aere existentes moueantur sursum.

Declara illam rationem esse bonam: quia si grauitarent non appareret ratio quare sepositis impedimentis extrinsecis non caderent deorsum.

Da ergo iudicium adaequatum ex quo potest colligi omnis motus localis contra naturam? si mobile per illum motum perdat spatium sibi connaturale vel saltem per illum motum magis recedat a spatio connaturali, sic tamen ut utrobique non fiat secundum inclinationem elicitam ipsius mobilis, vel denique si fiat contra inclinationem elicitam ipsius mobilis sit tamen fundamentum concipiendi unam inclinationem innatam propriam erga illum motum.

An secundum illud iudicium saltatio voluntaria hominis sit motus localis contra naturam? non.

Quomodo cum per illum motum homo perdat spatium sibi connaturale? non refert, quia saltem ille motus fit secundum inclinationem elicitam.

An secundum illud iudicium motus quo angelus mouetur localiter ab alio angelo sit motus contra naturam? imo iuxta nimirum posteriorem partem illius iudicii.

An secundum illud iudicium motus quo homo mouetur deorsum contra voluntatem sit motus contra naturam iuxta illud iudicium? non.

Quare minus quam motus angeli ante dictus? quia in homine est aliunde fundamentum concipiendi unam inclinationem innatam erga istum motum, in angelo autem non.

An secundum illud iudicium motus lateralis lapidis per planum terrae sit motus contra naturam? non quia hoc iudicium procedit secundum illos qui dicunt similes motus laterales esse praeter naturam.

Quid ergo deberet adhuc addi ad prius iudicium iuxta illos qui dicunt similes motus esse contra naturam? hoc nimirum vel si fiat motus mobili resistente, et producente impetum destructiuum illius motus, etiamsi non annuente per actum potentiae appetitiuae.

Quomodo potest diuidi motus localis secundum naturam? In motum localem secundum naturam qui fit latio, et

motum localem secundum naturam qui non est latio.
Quid latio? est motus localis mere naturalis.
Quandonam motus localis censetur mere naturalis? quando
fit independenter a directione cognitionis ipsius mobilis
Da motum qui sit latio: motus ignis sursum.
An motus mere naturalis recte sic definiretur: est motus
qui fit sine ullius cognitionis directione? non, quia sic non
posset dari motus mere naturalis cum omnis motus produc-
tus dirigatur a cognitione divina.
An motus mere naturalis posset sic definiri: est motus quo
movetur res carens cognitione? non. causa quia tunc non con-
tineretur motus quo homo inadvertenter cadit deorsum, qui mo-
tus tamen est mere naturalis.
Da lationem in angelo: non videtur posse dari, quia
Quare non motus localis secundum naturam angeli? quia
illi motus solent fieri ex directione cognitionis angelicae.
Da motum mere naturalem qui non est latio: ut motus
aquae a calore ad frigus.
Quare ille non est latio? quia non est motus localis.
Qualis motus localis est motus hominis quo secundum
suam voluntatem ex ponte saltat in aquas? est motus secun-
dum naturam.
An ille motus sit latio? in quantum homo per illum mo-
tum movetur ex loco pontis ad liberum aerem in tantum
non est latio, in quantum vero homo ulterius movetur in
illo libero aere recta deorsum, in tantum posset dici ille motus
esse latio, quia ille motus sub ultima illa consideratione fit
independenter a cognitione ipsius hominis, sive enim tunc
homo velit moveri deorsum sive non, aeque recta movebitur
deorsum.
Quid motus localis qui non est latio? generaliter sic sum-
endo est motus localis qui non est mere naturalis.
Da talem contra naturam: talis est motus lapidis sursum
Quid motus localis secundum naturam qui non est latio?
est motus localis secundum naturam qui non est mere natu-
ralis.
Da talem, subiectatum in ente non cognitivo: ut motus lo-
calis canis quando currit.
Quomodo cursus canis fit sub cognitione? nihil refert quia
ille motus non tantum subiectatus in cane, sed etiam in ma-

seriâ primâ causâ quæ non est sub cognitivum.

An illa coincidant motus merè naturalis et latio? non, quia motus aquæ a calore ad frigus est motus merè naturalis, et tamen non est latio quia non est motus localis.

Quid motus merè naturalis? est motus naturalis qui fit independenter a directione cognitionis ipsius mobilis.

Da talem in angelo: ut motus angeli a privatione certi habitus naturalis naturæ suæ debiti ad illum.

Declara: quia similes habitus producuntur in angelo independenter a cognitionis directione.

Quid motus naturalis non merè? est motus naturalis qui fit dependenter a directione cognitionis ipsius mobilis.

Da talem non localem: ut motus quo angelus se movet voluntariè a privatione amoris Dei ad illum amorem.

Declara: quia ille motus fit dependenter a cognitionis directione ipsius angeli.

Quomodo se habent motus naturalis non merè et motus localis? utrumque est ambulatio hominis.

Da prius tantum: ut motus angeli a privatione amoris divini ad illum amorem ut supra.

Da posterius tantum: ut motus lapidis deorsum.

Quomodo se habent motus naturalis non merè et motus non merè naturalis? utrumque est ambulatio hominis.

Da motum non merè naturalem qui non est motus naturalis non merè: ut motus lapidis sursum.

Quare ille non est naturalis non merè? quia non est motus naturalis.

Da econtra motum naturalem non merè qui non est motus non merè naturalis: non datur, et per consequens habent se ut magis et minus communia.

Quid motus non merè naturalis? est motus qui vel non est naturalis, vel si sit naturalis fit dependenter a directione cognitionis ipsius mobilis.

Qualis est motus qui solet fieri in nutritione hominis? est motus naturalis non merè.

Quomodo cum fiat ab animâ rationali quæ est cognitiva? non refert, quia equidem fit independenter a directione cognitionis animæ rationalis.

Quid significat principaliter illa vox merè dum dicitur motus merè naturalis? principaliter puritatem.

Quid puritas in genere? est negatio admixtionis alicuius extranei.

cum aliquo.

Quid puritas prout hic? est negatio admixtionis dependentis a directione cognitionis cum naturalitate motus in eodem motu.

Quid ibi naturalitas motus? est relatio in motu terminata ad naturam mobilis orta ex eo quod fiat secundum propriam inclinationem illius naturae.

An omnia quae possunt moveri motu mere naturali possint etiam moveri latione? non, quia angelus potest moveri motu mere naturali ut ante dictum est et tamen non potest moveri latione, quia angelus non potest moveri motu locali mere naturali.

Quomodo non cum angelus possit moveri localiter secundum naturam? non valet, quia dum movetur localiter secundum naturam facit hoc ex directione cognitionis.

An ergo angelus non possit moveri localiter tali motu qui non fiat ex directione cognitionis suae? imo si unus angelus moveat violente alium angelum localiter.

Quare ille motus non fit ex directione cognitionis ipsius angeli qui movetur? quia ille motus non dependet a directione cognitionis angeli qui movetur, sive enim ille angelus velit sic moveri sive non, nihilominus sic movebitur. inde tamen non sequitur quod detur motus naturalis non mere in angelo qui sit localis, quia talis motus iam dictus est angelo contra naturam.

Quid ferri? est moveri motu locali mere naturali. sic lapis fertur dum movetur recta deorsum.

Da quod fertur nec sursum nec deorsum: ut primum mobile.

Quid ferre? est movere etc.

Da quod fert et non fertur: Deus.

Da contra: ut primum mobile in sententia eorum qui dicunt coelos moveri ab intelligentiis.

Da quod fert et simul fertur: ut lapis quando cadit deorsum, quia lapis movet se ipsum et simul movetur a se ipso motu locali mere naturali.

An quaelibet res possit ferri? non.

Enumera quae non possunt ferri: Deus, angeli, coelum empyreum, pleraque accidentia, et secundum aliquos anima rationalis licet de illa verisimiliter dici posset quod possit ferri sub illa consideratione sub qua est pars essentialis physica alicuius corporis sublunaris nempe hominis.

Quare dictum fuit pleraque accidentia? quia aliqua saltem accidentia videntur posse ferri. ut gravitas et levitas.

Da exemplum in quo gravitas fertur: ut quando corpus

grave fertur deorsum, tunc gravitas illius corporis gravis
potest dici etiam ferri deorsum.

An ergo motus deorsum sit gravitati tam bene secundum na-
turam quam corpori gravi? imo, quia corpus grave dicitur
habere inclinationem erga motum deorsum ratione gravitatis
suae, ergo iam ipsamet gravitas debet etiam habere inclinatio-
nem innatam erga motum deorsum.

Specifica illa quae possunt ferri: corpora naturalia sublunaria,
et partes integrales illorum, item corpora coelestia et partes
integrales illorum, composita artificialia ex corpore naturali
et ~~forma~~ partes integrales illorum, item composita ex corpore
naturali, et aliquo accidente mobili localiter, item composita
ex corpore physice simplici, et aliquo accidente mobili localiter
si nimirum dentur corpora physice simplicia, item verisimi-
liter formae substantiales illorum corporum naturalium
quae possunt ferri et composita ex ipsis et aliquo accidente
mobili localiter: nota tamen quod inter corpora naturalia
debeat accipi coelum empyreum utpote omnino immobile loca-
liter.

An etiam gravitas et levitas debeant annumerari in-
ter illa quae possunt ferri? imo, juxta antedicta.

An materia prima debeat annumerari inter illa quae possunt
ferri? materia prima secundum se spectata non, si autem spec-
tetur quatenus est pars physica actu componens certum cor-
pus naturale quod potest ferri, tunc potest annumerari isti
et natura eius, ac composita per accidens ex ipsa sic consi-
derata et aliquo accidente mobili localiter.

Da lationem cuius terminus ad quem est ens unius na-
turae: ut motus quo movetur circulariter punctum primi mo-
bilis supposito quod primum mobile sit corpus physice simplex
sicut aliqui volunt, et non attendendo ad compositionem
metaphysicam.

Cur dicitur supposito quod primum mobile sit corpus physice
simplex? quia si primum mobile esset physice compositum
tunc terminus ad quem illius motus non esset ens unius
naturae, terminus enim ad quem esset tunc praesentia localis
conflata ex praesentia locali materiae primae illius puncti, et
praesentia locali formae substantialis eiusdem puncti quae non
est ens unius naturae.

Quare dictum est non attendendo ad compositionem metaphysicam?
quia si admittatur compositio Metaphysica tunc terminus ad quem
praedicti motus non erit ens unius naturae, quia tunc terminus

ad quem illius motus erit præsentia localis illius ~~naturæ~~ puncti Compositi
ex præsentia locali naturæ ipsius puncti, et præsentia locali eiusdem puncti
illa autem non est sub unius natura.
Da lationem cuius terminus ad quem est sub unius natura
etiam admittendo compositionem metaphysicam: Ut motus circularis
naturæ illius puncti antedicti in primo mobili.
Quinam sunt termini lationis? terminus ad quem cuiusque
lationis est præsentia localis quæ acquiritur mobili per illam la=
tionem, terminus autem a quo cuiusque lationis est præsentia
localis quæ deperditur mobili per illam lationem, vel privatio
præsentiæ localis per lationem mobili acquisitæ.
Quare additur hoc ultimum? quia potest dari latio quæ pro ter=
mino a quo non habet præsentiam localem, sed tantum privatio=
nem illius præsentiæ localis quæ acquiritur per lationem.
Declara hoc in exemplo: sit motus quo lapis caderet recta deor=
sum ita ut continuo in spatio in quo immediate existit maneat
replicatus, est latio, et tamen terminus a quo istius lationis
non potest esse præsentia localis, quia nulla præsentia localis per
illum motum deperditur lapidi, sed tantum continuo nova et nova
acquiritur versus centrum terræ.
Quomodo dividitur latio? in simplicem et mixtam
Quid latio simplex? est latio quæ fit super magnitudine simplici
Quid ibi magnitudo? idem quod linea.
Quid magnitudo simplex? est linea recta, vel perfecte circu=
laris.
Quid linea recta? est linea brevissime extensa inter duo ali=
qua puncta.
Quomodo recte cum ibi non continuatur linea duorum punc=
torum? continuetur
Quomodo cum inter duo illa puncta ex quibus linea illa com=
ponitur nihil sit extensum? nihil refert, quia siquidem illa li=
nea potest dici esse brevissime extensa inter duo puncta ex quibus
illa non componitur, sed quæ sunt contigua utrique illis punctis
ex quibus ipsa componitur, sic ut inter illa puncta conside=
ratur extendi.
Quid linea circularis? est linea quæ secundum omnes sui par=
tes æqualiter distat ab aliquo eodem puncto. Ut linea circularis
quæ reperitur in æquinoctiali.
An eadem linea possit esse recta et circularis? imo successive

item eodem tempore sit replicata.
Quomodo dividitur latio simplex? in lationem physice simplicem et lationem mathematice simplicem.
Quid latio mathematice simplex? est latio quae fit super magnitudine mathematice simplici.
Quid magnitudo mathematice simplex? est linea recta vel perfecte circularis.
Da motum qui fit super magnitudine mathematice simplici et tamen non est latio mathematice simplex: ut motus terrae recta sursum.
Quare non est latio mathematice simplex? quia non est motus naturalis.
Da motum naturalem qui fit super magnitudine mathematice simplici et tamen non est mathematice simplex: ut motus quo angelus voluntarie movetur localiter super linea recta.
Quare non est latio mathematice simplex? quia non est motus mere naturalis.
Da motum mere naturalem qui fit super linea mathematice simplici et tamen non est latio mathematice simplex: talis vix videtur posse dari nisi forte supernaturaliter.
Da calorem in quo hoc fieret: hoc videtur posse fieri si principium ignis ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ esset replicatum per tria puncta spatii contigua A B **a b c** et primo instanti moveretur ad unum gradum caloris in spatio **a**, secundo instanti ad alium gradum caloris in puncto spatii **b**, et tertio instanti moveretur ad tertium gradum caloris in puncto spatii **c**.
Declara quod ille motus fiat super magnitudine mathematice simplici: quia fit super linea recta, supponitur enim in quaestione quod illa pars indivisibilis ignis sit replicata per tria puncta spatii contigua constituentia lineam rectam.
Quare ille motus non est latio mathematice simplex? quia ille motus non est localis.
Da lationem mathematice simplicem in lapide: ut motus lapidis recta deorsum.
Quomodo recte dum ille motus non fiat super linea mathematice simplici? fit.
Quomodo cum nec fiat super linea circulari nec super linea ~~linea~~ recta? fit super linea recta.
Quomodo cum supposito quod lapis sit crassus et magnus non

describatur linea, sed potius unum corpus per motum illius lapidis? describitur quidem corpus per motum totius lapidis secundum se, sed tamen eaedem describitur linea per motum partium integralium integraliter indivisibilium.

Quid latio physice simplex? latio quae fit super magnitudine physice simplici: ut motus lapidis recta deorsum.

Quid magnitudo physice simplex? est linea recta ducta a centro universi versus circumferentiam eiusdem, vel est linea ~~[illegible]~~ perfecte circularis concentrica universo.

Quomodo recte cum illa definitione non continuatur linea recta ducta a superficie terrae convexa versus circumferentiam universi quam describit lapis motu suo dum movetur recta sursum ab superficie terrae usque ad mediam regionem aeris? continuatur, quia etiamsi quidem illa linea non ducatur in rigore a centro terrae versus circumferentiam universi, ducitur tamen a spatio ~~[illegible]~~ viciniore centro terrae usque ad spatium remotius a centro universi quod sufficit.

Quomodo se habent quoad praedicationem magnitudo physice simplex, et magnitudo mathematice simplex? utraque est linea recta ducta a centro universi usque ad circumferentiam eius.

Da magnitudinem mathematice simplicem non physice simplicem: ut linea recta ducta ab uno pariete scholae usque ad alium.

Quare illa linea non est magnitudo physice simplex? quia nec est linea recta ducta a centro universi usque ad eius circumferentiam, neque est circularis concentrica universo.

Da alterum tantum? non datur, ac proinde habent se ut magis et minus communia.

Quid latio mathematice mixta? est latio quae fit super magnitudine mathematice mixta. ut motus quo nix ordinarie cadit deorsum.

Quid magnitudo mathematice mixta? est linea neque recta neque perfecte circularis.

Qualis est magnitudo linea perfecte semicircularis? reducitur ad magnitudinem mathematice simplicem.

Quid est latio physice mixta? est latio quae fit super magnitudine physice mixta. ut motus nivis deorsum.

Quid magnitudo physicè mixta? est magnitudo quæ neq est linea recta ducta a centro universi usq ad circumferentiam eius, neq est linea circularis universo concentrica
Quomodo se habent magnitudo physicè mixta, et magnitudo mathematicè mixta? utrumq est linea curva.
Da magnitudinem physicè mixtam quæ non est magnitudo mathematicè mixta? linea recta ducta ab uno latere scholæ ad aliud.
Quare illa non est mathematicè mixta? quia est mathematicè simplex.
Da alterum tantum: non datur.
Quomodo se habent latio mathematicè mixta, et latio physicè mixta? utrumq est motus nivis deorsum.
Da lationem physicè mixtam non mathematicè: ut motus excentrici simpliciter coeli lunæ.
Quare non est latio illa mathematicè mixta? quia est mathematicè simplex.
Da alterum tantum: non datur
Quomodo se habent latio physicè simplex, et latio mathematicè simplex? utrumq est motus terræ recta deorsum.
Da lationem mathematicè simplicem non physicè: ut motus proprius excentrici simpliciter coeli lunæ.
Quare non est physicè simplex? quia est latio physicè mixta.
Da alterum tantum: non datur.
Quomodo se habent latio physicè mixta, et latio mathematicè simplex? utrumq est motus proprius excentrici simpliciter coeli lunæ.
Da lationem mathematicè simplicem quæ non est latio physicè mixta: ut motus terræ recta deorsum.
Da lationem physicè mixtam quæ non est latio mathematicè simplex: ut motus nivis deorsum. ergo excedunt se.
Quomodo se habent latio physicè simplex, et latio mathematicè mixta? repugnant.
Qualis est latio qua movetur coelum lunæ motu diurno? questio supponit falsum, quia non est latio motus enim diurnus non est coelo lunæ mere naturalis, et generatim motus coelorum tantum communicati non competunt secundum naturam illis coelis respectu quorum sunt communicati.
Quam habitudinem significat principaliter illa vox super quando dicitur, est latio quæ fit super magnitudine etc? ut

habitudinem mensurati ad mensuram.
Quam ergo habitudinem in vi obliqui significat illa vox magnitudinis? habitudinem mensurae, seu habitudinem termini relationis significatae per propositionem super.
Declara hoc recte dici: quia magnitudo super quam fit latio recte dicitur servire ad instar mensurae ut mensuretur longitudo motus, rectitudo, vel obliquitas motus.
An omnes lationes sint eiusdem speciei? non. quia latio qua movetur circulariter primum mobile non est eiusdem speciei cum lationibus quibus moventur elementa.
Quidnam requiritur ad hoc ut aliquae lationes sint eiusdem speciei infimae? ut habeant idem numero subiectum proximum, eundem terminum a quo, et eundem terminum ad quem.
Dabuntur lationes eiusdem infimae speciei? ut motus quo haec pars terrae movetur deorsum a spatio **a** usque ad spatium **b**, et motus quo eadem pars terrae alio tempore rursum movetur deorsum ab eodem spatio a usque ad idem spatium b.
An lationes eiusdem speciei debeant habere eundem numero terminum ad quem? ut maneant a parte rei illae lationes solo numero distinctae non requiritur ut habeant eundem numero terminum ad quem, sed sufficit ut habeant eundem specie; quia sic lationes illae antedictae erunt solo numero distinctae a parte rei etiamsi praesentia quam acquirit illa pars terrae uno tempore sit tantum specie eadem cum praesentia acquisita alio tempore, quia utraque illa latio identificatur a parte rei suo termino ad quem id est praesentiae locali quae acquiritur per illam lationem, illae autem duae praesentiae sunt a parte rei solo numero distinctae, ergo consequenter relationes realiter identificatae illis praesentiis sunt a parte rei solo numero distinctae.
An ut lationes maneant eiusdem speciei etiam secundum rationem non requirant eundem numero terminum ad quem? imo, quia si haberent diversos numero terminos ad quos, iam plus distinguerentur secundum rationem, quam duae lationes habentes eundem numero terminum ad quem, ac proinde distinguerentur plus quam numero, et consequenter specie iuxta hoc commune dictum: omnis distinctio proxime maior numerica est specifica.
An quaelibet res quae potest moveri latione mathematica sim-

plici possit etiam moveri latione physicâ simplici? non, quia excentricus simpliciter coeli lunae potest moveri latione mathematicâ simplici non tamen physicâ simplici.

Quare non per motum primi mobilis? ille motus non est latio.

An detur corpus quod potest moveri pluribus lationibus specie distinctis? potest dari corpus quod est mobile pluribus lationibus specie distinctis in rigore, seu ut alii dicunt specie logicâ distinctis.

Quandonam censentur lationes distingui specie logicâ? quando vel non conveniunt in eodem subiecto, vel habent diversum terminum ad quem vel diversum terminum a quo.

An lationes quae procedunt a diverso numero principio adaequato sint diversae speciei logicae? aliqui dicunt quod sic propter hanc rationem, quia dicunt quod illae lationes identificantur a parte rei actionibus quibus producuntur praesentiae locales acquisitae per illas lationes, atqui actiones diversificantur specie quae habent diversum principium adaequatum, ergo etiam illae lationes istis actionibus identificatae diversificantur specie.

An illa ratio subsistat? videtur quod non, quia si illa ratio esset bona deberet consequenter dici quod Christus dum movetur localiter continuo habeat aliam, et aliam unionem hypostaticam specie distinctam a priori.

Declara hoc: quia unio illa utpote purus modus est realiter eadem cum sua praesentia locali: iam autem praesentiae locales diversificantur specie penes diversum numero spatium cui res per illam praesentiam praesens existit, si ergo Christus moveatur localiter, unio etiam quae est in Christo debet esse praesens alteri spatio per praesentiam speciei distinctam a priori, et consequenter unio deberet esse speciei distincta a priori utpote realiter isti praesentiae identificata.

Da corpus idem quod potest moveri pluribus lationibus specie logicâ distinctis: sic idem lapis potest semel recta cadere deorsum lovanii, et semel recta deorsum bruxellis.

Declaras illas lationes esse specie logicâ distinctas: quia habent diversos terminos ad quos, item diversos terminos a quibus.

An idem corpus possit moveri pluribus lationibus specie physica distinctis? idest corpus simplex non potest pluribus lationibus physicis simplicibus, et specie physica distinctis moveri.

Quandonam lationes physicae simplices censentur esse eiusdem speciei physicae? quando fiunt super magnitudine eiusdem speciei et physicae simplici, et ab eodem principio motivo ultimate versus eundem terminum.

Quandonam magnitudo physice simplex censetur esse physice eiusdem speciei cum altera? quando utraque earum est linea circularis mundo concentrica, vel utraque earum est linea recta ducta a centro universi versus circumferentiam eius.

Quandonam lationes censentur fieri ab eodem principio motivo versus eundem terminum ultimate? quando fiunt a tali principio quod ex natura sua est destinatum ad movendum versus eundem locum tanquam terminum ultimum motus.

Quid ibi locus? intelligitur spatium connaturale alicui elemento vel alicui orbi coelesti. ut locus elementi aeris, terrae etc.

Quandonam lationes physicae simplices censentur esse diversae speciei physicae? quando fiunt super magnitudine diversae speciei, vel a diversis principiis ultimate tendentibus ad diversum terminum seu locum.

Da tales: ut motus terrae recta deorsum et motus circularis primi mobilis.

Quare isti motus sunt diversae speciei physicae? quia unus fit super magnitudine circulari et alter super magnitudine recta.

An motus terrae recta deorsum per elementum ignis, et motus aeris recta deorsum per idem elementum sint lationes diversae speciei? sunt lationes diversae speciei.

Quomodo cum fiant super magnitudine eiusdem speciei et utraque earum tendat recta deorsum? non refert.

Quare ergo non sunt eiusdem speciei? quia non fiunt ab eodem principio motivo ultimate tendente versus eundem terminum, principium enim motivum inexistens terrae ultimate tendit ~~ad~~ versus locum terrae, principium autem motivum inexistens aeri ultimate tendit versus locum aeris.

Quare eidem corpori simplici non possunt competere plures lationes simplices physicae specie physica distinctae? quia unumquodque corpus simplex habet potentiam loco motivam deter-

minatam ad idem spatium isti corpori simplici connaturale. 27
Quomodo cum cuilibet corpori simplici possit inesse motus
nihil refert.
Quomodo impetus ex natura sua sit loco motivus versus
quamlibet situs differentiam? transeat, quia intelligitur
hic de qualitate loco motiva permanente, et competente ipsi
mobili secundum naturam.
An motus vaporis recta deorsum, et motus aquae recta deor=
sum sint lationes eiusdem speciei physicae? potest dici quod sic.
Quomodo cum non fiant ab eodem principio tendente ultimate
versus eundem terminum? fiunt ad sensum antedictorum.
Quomodo cum motus aquae deorsum fiat a gravitate aquae,
et motus vaporum deorsum fiat ab impetu impresso ab aliquo
agente extrinseco? etiamsi hoc ita esset nihil referret, quia
siquidem uterque ille motus quantum est de se est natus pro=
duci ab eodem principio mobili ipsi connaturali, vel tendente ulti=
mate versus eundem terminum, quod autem hoc hic non fiat
per accidens est, ex eo nimirum, quod aqua in vaporibus con=
versa non sit in statu suo perfecto naturali, cum autem
quando ~~[illegible]~~ lationes eiusdem speciei dicuntur debere fieri
ab eodem principio etc. hoc intelligitur quantum est ex
natura ipsarum lationum.
Quomodo idem corpus simplex non potest moveri pluribus
lationibus physicis simplicibus specie physica distinctis cum
aer sic possit moveri? non potest.
Quomodo non cum sic possit moveri sursum ab elemento ignis? non refert
terrae, et possit moveri deorsum ab elemento
quia illi motus non sunt specie physica distincti, fiunt enim
ab eadem potentia loco motiva tendente versus eundem
terminum ultimate, nempe locum aeris.
An corpus mixtum possit moveri pluribus lationibus specie
physica distinctis, sic lapis dum movetur recta deorsum
per elementum aeris movetur duabus lationibus specie
physica distinctis iuxta aliquos, una nimirum procedente
a gravitate terrae, et altera procedente a gravitate aquae.
An ergo latio qua lapis fertur per elementum aeris recta deor=
sum non sit latio simplex? imo. scilicet ex parte magnitudinis,
sed secundum illos qui hoc dicunt est latio mixta ex parte prin=
cipiorum.

Quid latio mixta ex parte principiorum? est latio quae prodit a diversis principiis accidentariis primariis specie distinctis.
Declara ergo lationem praedictam esse mixtam ex parte principiorum: quia prodit a gravitate terrae et a gravitate aquae, quae secundum aliquos specie distinguuntur.

Quid latio simplex ex parte principiorum? est latio quae non procedit a diversis principiis accidentariis primariis in mobili ut motus terrae recta deorsum. nota quod aristoteles per principia hic intelligat principia naturae permanentis qualia sunt gravitas et levitas.

An lapis non possit etiam ferri latione simplici ex parte principiorum? imo, quia v.g. ut si lapis cadat recta deorsum per elementum aquae, ille enim motus tantum procedit a gravitate terrae.

An eidem corpori mixto possint esse connaturales lationes versus quamlibet situs differentiam? non.

Quare non homini dum nutritur vel accrescit? pro hoc notandum est quod in omni nutritione hominis possint considerari tres motus, unus quo movetur materia prima alimenti ad formam substantialem viventis, secundus quo substantia viventis antea praeexistens movetur ad unionem integralem cum parte viventis accedente, tertius est quo anima rationalis replicat se ad illud spatium in quo existit pars viventis, et accedens per nutritionem.

An per primum et secundum motum homo possit ferri versus quamlibet situs differentiam? non.

Quomodo cum illi motus sint mere naturales? etiamsi ita esset non referret. quia isti motus equidem non sunt locales.

An per tertium motum homo possit ferri versus quamlibet situs differentiam? non.

Quomodo non cum anima per illum motum replicet se versus quamlibet situs differentiam? nihil refert, quia equidem homo non replicat se versus quamlibet situs differentiam.

Da motum cuius uterque terminus est negativus convertibilem quoad essendi consequentiam cum latione: ut motus quo aliquid movetur a privatione illius praesentiae localis quae ipsi acquiritur per lationem ad privationem privationis illius praesentiae localis.

Da aliam divisionem: in rectum et circularem.
Quodnam est adequatum divisum istius divisionis?

ex mente aristotelis videtur debere statui latio physice simplex
alij autem sumunt hoc divisum magis late sumendum ut sit
motus simplex physice, sive sit latio sive non.

Quid motus circularis? est motus qui fit circa medium.

Quodnam est genus definiti illius definitionis? motus qui sit
latio physice simplex.

Quandonam censetur motus fieri circa medium? quando fit
super linea circulari concentrica universo, vel saltem super
portione talis lineae.

Da motum circularem qui non est latio circularis prout
hic? motus lapidis circularis.

Quare non est latio circularis prout hic? quia non est latio

Da motum circularem qui sit latio, et tamen non est latio
circularis prout hic: ut motus circularis excentrici simpliciter.

Quare non est latio circularis prout hic? quia non fit su=
per lineam circularem concentrica universo.

Quomodo non cum sol per motum excentrici sui simpliciter
describat Zodiacum? transeat.

Quomodo recte ergo dicitur non fieri super lineam circularem con=
centrica universo cum Zodiacus sit concentricus universo? R[espondeo]
equidem hoc recte dicitur, quia saltem linea illa circularis
quam describit in proprio suo coelo motu excentrici simpliciter
non est concentrica universo.

Quid ibi medium cum dicitur circa medium? est centrum uni=
versi

Quid centrum universi? est punctum universi a quo omnes
lineae rectae ad circumferentiam ductae sunt aequales.

Quid significat principaliter illa vox circa cum dicitur mo=
tus fieri circa medium? habitudinem unius ad alterum
tanquam suum centrum.

Quam habitudinem in vi obliqui significat illa vox medium
cum dicitur motum fieri circa medium? habitudinem centri.

Quomodo recte cum centrum universi non recte dicatur esse
centrum ipsius motus qui fit circa medium? transeat, quia
hic non significatur quod centrum universi sit centrum proprie
dictum ipsius motus, sed tantum quod sit centrum magni=
tudinis hic intellectae super qua concipitur fieri motus.

Quis ergo est sensus illius definitionis lationis circularis?
est latio physice simplex quae gratia magnitudinis super qua fit
respicit centrum universi tanquam centrum. vel sic est latio

physico simplex quae fit super tali magnitudine vel in totum vel pro parte, cuius pro suo centro habet centrum universi.

Quid motus rectus hic? est motus quo sursum itur atque deorsum. genus definitis est iuxta mentem aristotelis est motus qui est latio physica simplex.

Quomodo illa definitio valet cum non contineatur motus terrae recta deorsum? continetur.

Quomodo enim per illum motum eatur sursum et deorsum? itur ad sensum definitionis quia illa particula atque sumitur ibi ut aequivaleat coniunctioni disiunctivae vel.

Da motum rectum non contentum illa definitione: ut motus lapidis recta sursum.

Da talem qui non sit violentus seu contra naturam. ut motus quo movetur gutta aquae recta sursum a fundo aquae usque ad supremam superficiem.

Da talem qui sit secundum naturam: ut motus quo homo voluntarie recta saltat sursum.

Quomodo dividitur motus prout hic? in motum sursum et motum deorsum.

Quid motus sursum? est quo e medio itur. genus definiti motus rectus prout est ante definitus.

Quid fieri e medio? est recedere a centro universi ad spatium remotum ab illo vel moveri a spatio viciniore centro universi ad spatium remotius ab illo.

Da motum quo itur sed non e medio: motus terrae recta deorsum.

Da talem qui non sit motus deorsum: ut motus aequinoctialis circa centrum universi

Quid ibi intelligitur per spatium remotum a centro terrae dum dicitur est moveri a centro terrae ad spatium remotum etc? spatium distinctum a spatio in quo est centrum terrae.

Quam habitudinem importat in vi obliqui illa vox quo dum dicitur quo e medium itur? habitudinem causae formalis respectu secundarii recti illius vocis itur, quia sensus est quod motus sursum prout hic sit motus rectus quo tanquam causa formali aliquid e medio recedit, seu quod sit motus per quem aliquid redditur formaliter recedens a centro universi.

Quid significat principaliter illa propositio e quando dicitur quo e medio itur? habitudinem motus ad aliquid a quo per motum receditur.

Quam ergo habitudinem in vi obliqui importat illa vox medio? significat habitudinem eius a quo receditur per motum.

An non possit importare habitudinem termini a quo motus?
non, quia in primis non potest importare habitudinem ter-
mini proximi a quo, quia terminus a quo proximus motus
debet esse forma, iam autem centrum universi non est forma.
An non possit importare habitudinem termini a quo extrin-
seci sive per accidens? non ita recte, quia ad hoc requireretur
ut centrum universi esset aliquo modo coniunctum seu conti-
guum cum spatio quod deperditur per illum motum sursum.
hoc autem nullo modo est necesse, quia motus ignis quo mo-
vetur recta sursum ab elemento aeris usque ad locum sibi
proprium est motus sursum et tamen centrum terrae maxime
distat a spatio quod per illum motum deperditur.
Quid motus deorsum? est motus quo ad medium proficisci-
tur seu itur. genus definiti ibi est motus rectus intelle-
ctus eo modo quo ante est definitus.
Quid refert illud quo ibi in definitione datum? genus definiti
verificatum pro definito.
Quam habitudinem importat in vi obliqui illa particula
quo? habitudinem causae formalis respectu secundarii recti
[illegible] proficiscitur.
Quid significat principaliter illa particula ad? habitudinem
motus ad aliquid ad quod per motum acceditur.
Quam habitudinem in vi obliqui significat illud medium?
habitudinem eius ad quod per motum acceditur.
Quare non habitudinem termini ad quem motus? quia non
potest in primis importare habitudinem termini ad quem
proximi, et per se, quia talis debet esse forma, centrum au-
tem universi non est forma.
Quare non importat habitudinem termini ad quem extrinseci sive per
accidens? quia ad hoc videtur requiri ut centrum universi
sit aliquo modo contiguum cum spatio quod acquiritur per
illum motum, iam autem certum est dari motum deorsum
cuius terminus ad quem est praesentia ad illud spatium quod
nullo modo contiguum est centro universi.
Da talem motum: motus terrae a loco elementi aeris
usque ad locum elementi aquae.
Quid ad medium proficisci? est moveri localiter a spatio
distincto a centro terrae usque ad centrum terrae, vel moveri
a spatio remotiori a centro terrae ad spatium vicinius.
Da quod movetur a spatio remotiore a centro terrae ad spatium:

vicinius centro terrae, et tamen non movetur motu deorsum prout hic: nisi quando movetur deorsum motu suo ordinario.
Da tale quod movetur super lineam rectam: ignis quando violente deprimitur recta deorsum
Quare non movetur motu deorsum prout hic? quia non movetur tali motu qui sit latio.
Quid ibi sursum quando dicitur motus sursum? sumitur dupliciter semel pro sursum absolute, et semel pro sursum respective.
Quid sursum absolute? est totum illud spatium imaginarium quod protenditur a loco elementorum gravium usque ad circumferentiam universi.
Quid sursum respective? est spatium magis remotum a centro terrae quam illud ad quod comparatur
Quomodo recte illa dicuntur cum sic motus non possit vocari motus sursum? adhuc posset.
Quomodo cum motus non sit spatium? inde bene sequitur quod motus non possit construi cum illa voce sursum sumendo illam ad instar vocis nominativi casus, cum ea autem bene consistit quod possit construi cum illa sumendo illam in casu obliquo ut sit sensus, motus in sursum, seu ad sursum
Quomodo sumitur vox sursum dum dicitur motus sursum an absolute an respective? respective.
Quare nequit sumi pro sursum absolute? quia tunc proprie loquendo non continentur motus ignis sursum a media regione aeris usque ad locum suum naturalem, quia per illum motum non movetur proprie loquendo ad sursum absolute utpote cum supponatur ante fuisse in sursum absolute, nempe in media regione aeris.
Quo alio nomine adhuc vocatur locus sursum absolute? etiam locus superus.
Quomodo se habent id quod movetur sursum absolute et id quod movetur sursum respective? utrumque est motus aeris a terra recta sursum ad locum suum naturalem.
Da quod movetur sursum absolute, et non sursum respective? sic sumendo moveri utrobique eodem modo tunc non datur.
Quare dicitur sumendo utrobique moveri eodem modo? quia si priori loco per moveri intelligatur moveri motu generaliter sumpto, et posteriori loco per moveri intelligatur moveri latione physice simplici, tunc bene datur aliquid quod movetur motu sursum absolute, et non motu sursum respective, ut motus quo homo mo=

..et se voluntarie ad locum elementi aeris dum saltat.
Da quod movetur sursum respective, sed non absolute: motus
quo movetur ignis ad mediam regionem aeris usque ad locum suum
naturalem recta sursum.
Quid deorsum? sumitur dupliciter, semel absolute, et semel
respective.
Quid deorsum absolute? est totum illud spatium imaginarium
quod correspondet elementis gravibus nempe terrae et aquae.
Quod spatium est maius an sursum an deorsum? spatium sur-
sum est longe maius.
Quid deorsum respective? est spatium magis recedens a cir-
cumferentia universi quam illud ad quod comparatur.
Quomodo debet sumi illa vox deorsum dum dicitur motus deor-
sum proprie hic? etiam respective.
Quare non absolute? quia non continerentur motus terrae a sum-
ma regione aeris usque ad mediam, item motus terrae quo move-
tur a supremitate aquae usque ad locum suum naturalem.
Quare ille posterior motus non contineretur? quia per illum
motum non movetur deorsum absolute quandoquidem supponatur
antea fuisse in locum deorsum absolute.
An quodlibet corpus naturale quod movetur latione physica sim-
plici moveatur motu sursum, vel deorsum? non, quia primum
mobile movetur latione physica simplici, et tamen non movetur
sursum vel deorsum.
An quodlibet corpus naturale sublunare quod movetur latione
physica simplici movetur [motu] sursum vel deorsum? imo.
An lapis cadens recta deorsum per elementum aeris moveatur
motu deorsum proprie hic? secundum aliquos imo, aliqui tamen
negant, qui dicunt quod ex mente aristotelis etiam hic requi-
ratur latio simplex ex parte principiorum.
Quare tunc non erit motus deorsum? quia erit latio mixta ex
parte principiorum.
Quo fundamento dicunt illi requiri lationem simplicem ex parte
principiorum ex mente aristotelis? quia aristoteles hic videtur
tantum reflectere ad motum sursum et deorsum elementorum
quae lationes in elementis sunt simplices ex parte principiorum.
An motus aquae deorsum per lineam rectam oblique dispositam
sit motus deorsum proprie hic? non
Quomodo non, cum per illum motum moveatur aqua ad spatium
vicinius centro terrae? transeat.

Quomodo ergo non est motus deorsum? quia ille motus non est latio physica simplex.
Quomodo non cum per illum motum movetur ad centrum terrae super lineam rectam? non movetur sic super lineam rectam ad centrum terrae ut dicatur recta moveri ad centrum terrae.
Quid ergo requiritur ut aliquid recta dicatur moveri versus centrum terrae? quando motu suo describit talem lineam quae sit semidiameter mundi vel saltem pars semidiametri mundi.
Quid semidiameter mundi? est linea recta ducta a centro universi usque ad circumferentiam eius.
Quomodo dividitur motus sursum? in motum simpliciter sursum et maxime sursum, locus sursum eodem modo dividi potest.
Quid motus simpliciter sursum? est motus sursum usque ad locum elementi aeris, motus autem maxime sursum est motus sursum ad locum elementi ignis.
Quid motus maxime deorsum? est motus deorsum usque ad locum elementi terrae.
Quid motus deorsum simpliciter? est motus deorsum usque ad locum elementi aquae.
Da lationem in corpore sublunari quae non continetur ullo ex istis quatuor membris: latio ordinaria venti deorsum item latio aquae deorsum per tubum oblique dispositum.
An non posset certo sensu sustineri quod non daretur latio in corpore sublunari quae neque sit latio sursum, neque deorsum? imo.
Quomodo cum motus venti deorsum item motus aquae deorsum oblique sint lationes nec sursum, nec deorsum? poterit dici quod non sint tales dicendo quod ad lationem requiratur ut sit motus mere naturalis per se primo.
An ergo motus aquae deorsum per tubum oblique dispositum non sit motus mere naturalis per se primo? aliqui dicunt quod non, et ratio illorum est quia in quantum aqua per illum motum acquirit spatium centro terrae vicinius, in tantum quidem est mere naturalis, in quantum vero aqua per illum motum impeditur quo minus facilius attingat locum sibi naturalem, in tantum secundum illos est contra naturam.
Nota quod in hac materia aliqui definiant motum mere na=

turalem sit, est motus naturalis qui non est vitalis, motuum autem naturalem non merè est motus naturalis qui simul sit vitalis.

Quaenam est distinctio inter has duas definitiones et definitiones ante datas? in eo quod secundum has definitiones sumendo prout sonant motus qui fit in nutritione arboris item hominis debeat vocari motus naturalis non merè, secundum autem priores definitiones debeat vocari motus merè naturalis.

Declara prius? quia motus ille factus ordinariè in nutritione fit ab anima vitaliter operante.

Quandonam ergo motus censetur esse vitalis? quando fit a principio vitali vitaliter operante.

Da aliqua principia in homine vitalia: anima rationalis, omnes potentiae cognitivae, potentia progressiva, nutritiva etc.

Da principia motus in homine non vitalia: gravitas et similia.

An Coelum sit Corpus Simplex.

Quid Corpus est physicè simplex? est substantia physicè completa postulans naturâ suâ extensionem seu quantitatem.

Excludis materiam primam per illud: physicè completa, quia materia prima non est physicè completa.

Quid ens physicè completum? quod non potest ingredi compositionem essentialem physicam.

Quid ens physicè incompletum? quod ~~[struck]~~ potest ingredi etc.

Da ens physicè completum quod nec est materia prima nec forma substantialis: unio physica.

Qualis ens est anima rationalis separata? ens physicè incompletum, quia saltem potest ingredi compositionem essentialem physicam.

Excludis angelum a definitione corporis physicè simplicis? per illud naturâ suâ postulans quantitatem.

Quid simplicitas physica? est generaliter negatio entis

quod est componi ex partibus physicis. prout hic autem fit
verificatio, est negatio in corpore quod dicitur physice sim-
plex sive quod est componi ex partibus physicis.
An coelum sit corpus physice simplex? Utrumque est pro-
babile, communior tamen sententia habet quod sit physice
compositum.
Da rationem illius posterioris sententiae: quia in coelo re-
peritur quantitas, ergo verisimile est etiam reperiri ibi
materiam primam cuius quantitas est proprietas insepa-
rabilis, si reperiatur materia prima, ergo consequenter re-
peritur forma substantialis inexistens materiae primae
quia materia prima naturaliter non potest viduari omni
forma substantiali iuxta communissimam sententiam.
Cur hoc additur? quia secundum aliquos saltem materia
prima potest naturaliter existere sine omni forma substan-
tiali, et hoc dicunt contingere quando homo subitanee mori-
tur, quia non apparet quomodo tam subito possint intro-
duci dispositiones requisitae ad aliam formam substantia-
lem.
An ergo non detur certo corpus physice simplex? non, sed
tantum probabiliter, videtur tamen certo esse possibile per
deum.
An si coelum sit corpus physice compositum sit tunc conse-
quenter corpus mixtum an simplex? est corpus simplex eo
modo scilicet quo elementa dicuntur corpora simplicia.
An non sit ulla diversitas inter corpus simplex quod est
elementum et coelum? imo, quia est diversitas in eo,
quod forma substantialis elementi pro connaturali dispo-
sitione requirit aliquas qualitates primas, forma autem
substantialis coeli nullas.
Per quid excluditur corpus mixtum a definitione corporis phy-
sice simplicis? per genus definiti quod debet esse substantia
physice simplex et completa.
Quid substantia physice simplex? est substantia quae non com-
ponitur ex partibus essentialibus physicis.
Da subiectum proximum simplicitatis physicae? sumendo sim-
plicitatem physicam generaliter tunc subiectum proximum
et adaequatum eius est omnis illa res quae non componitur ex
partibus essentialibus physicis, sumendo autem prout hic fit

verificatio tunc est corpus physicè simplex.
An idem possit esse subiectum simplicitatis physicae prout hic
sit verificatio, et subiectum simplicitatis a quâ aliquid dicitur
corpus simplex? non.
Quare non coelum? quia ad hoc requireretur ut coelum simul
esset corpus simplex, et corpus physicè simplex hoc autem non
potest fieri.
Declara: quia corpus simplex prout ante fuit definitum
debet componi ex partibus physicis, corpus autem physicè
simplex non potest sic componi.
Utrum est probabilius an quod coelum sit corpus physicè
simplex an compositum physicè? quod sit physicè compositum,
et quod sit corpus simplex.
Quomodo hoc rectè dicitur cum coelum videatur constare
formâ substantiali corporis mixti? non videtur.
Quomodo cum in coelo videatur color qui est qualitas
connaturalis corporibus mixtis? non videtur verus color.
Quomodo non cum videamus colorem caeruleum in coelo?
non est verus color caeruleus, sed tantum apparens color
caeruleus.
Unde provenit apparentia illa coloris caerulei in coelo? ex
nimiâ densitate coeli de se pellucidi quidem ratione cuius
fit ut appareat species aliquâ opaci, quae tunc admixta cum
lumine apparente in coelo constituit apparentiam coloris cae=
rulei.
Quare non potest dici quod in coelo detur color supposito
quod sit corpus simplex? quia secundum ordinariam sententiam
Color oritur ex certâ commixtione et temperie quatuor pri=
marum qualitatum, iam autem quatuor primae qualitates non
possunt inesse corporibus simplicibus in statu perfecto na=
turali existentibus.
Quare non potest esse color in coelo cum videatur in terrâ
quae est corpus simplex? si terra esset in statu suo perfecto
naturali nullus etiam esset color in terrâ sicuti nec in aliis
elementis, elementa autem quae nobis sunt conspicua non
existunt in statu suo perfecto naturali, idque propter bonum
hominis.
An sit omnino certum quod color resultet ex temperie
quatuor primarum qualitatum? non, sed etiam aliqui pro=

babiliter sustinent quod veri colores nihil aliud sint quam lumen et quod diversitas colorum oriatur ex diversa dispositione luminis cum opaco.

Quid ergo erit omnimoda nigredo secundum illos? illa erit privatio luminis in corpore nobis. quamvis dum nos videmus nigredinem in pariete &c semper aliquid luminis simul admisceatur cum opaco.

Assignant rationem pro illa ultima sententia: quia experientia constat quod si aliquis lagena plena vino rubro extremitate digiti elevet unicam tantum guttam, illa gutta non apparet rubra, sed aqueï fere coloris, ergo apparet quod vinum tantum ideo videatur rubrum quia in maiore quantitate sumptum patitur aliam commixtionem luminis cum opaco. deinde qualitates primae non sunt de rebus illis quae visu percipiuntur, ergo ex commixtione illarum non videtur posse exsurgere color.

An Materia Prima coelestis specie distinguatur a sublunari.

Dn materia prima coelestis supposito quod talis detur distinguatur specie a materia sublunari? utrumque est probabile.

Prima argumentum pro parte affirmativa: quia secundum communiorem sententiam coelum est ingenerabile, et incorruptibile, ergo debet constare tali materia quae non possit transire ab una forma substantiali ad aliam, atqui talis materia prima debet esse specie distincta a materia prima sublunari, ergo materia prima coelestis si detur talis distinguitur specie a materia prima sublunari.

Probatur subsumptum: quia materia prima sublunaris natura sua appetit quamlibet formam sublunarem, illa autem materia coelestis videtur immobiliter esse determinata ad formam coelestem, atqui illa ratio est fundamentum sufficiens distinctionis specificae inter illas materias, ergo

speciei distinguuntur.
Proba subsumptum istius argumenti a simili: quia sicut forma substantialis corporis mixti dicitur esse specie distincta a forma substantiali corporis simplicis, ideo quia forma substantialis corporis mixti ex natura sua requirit in materia qualitates primas repugnantes, forma autem corporis simplicis non requirit illas, ita materia prima coelestis et sublunaris poterunt dici specie distingui, ideo, quia materia coelestis ex natura sua est determinata ad unam formam substantialem, sic ut non possit transire ad aliam diversae speciei, materia autem sublunaris non sic.
Ad argumentum pro parte negativa: non sunt multiplicanda entia sine necessitate, atqui nulla est necessitas distinguendi specie materiam coelestem a sublunari, ergo non distinguuntur specie.
Proba subsumptum: quia si esset aliqua necessitas esset ideo quia coelum debet esse ingenerabile et incorruptibile, potest autem adhuc coelum esse ingenerabile et incorruptibile, licet materia coelestis sit eiusdem speciei cum sublunari, quia ingenerabilitas et corruptibilitas coelorum potest peti ex natura formae substantialis quae connaturaliter requirat tales dispositiones in materia quae a contrariis agentibus destrui non possint.
Declara quod tunc coelum erit ingenerabile et incorruptibile: quia quamdiu illae dispositiones perseverant, tamdiu manet forma substantialis coeli in materia, et consequenter tamdiu manet coelum.
Quare saltem coelum eo supposito non erit adhuc generabile? quia in primis hoc supposito unum coelum non potest generari ex alio coelo, quia tunc aliud coelum deberet corrumpi, neque etiam coelum potest generari ex corpore sublunari, quia non videtur assignabilis causa productiva dispositionum talium quales forma substantialis coeli in sua materia requirit.
Proba partem negativam ab authoritate: quia scriptura dicit coelos ex aqua confectos, ergo videtur insinuare quod habeant eandem materiam eiusdem speciei cum materia elementorum.

An Coelum sit Corruptibile.

Quid Corruptibile? est id quod aptum est esse terminus a quo corruptionis. Vti homo.

Quomodo homo est corruptibilis cum non possit esse terminus a quo corruptionis? potest esse

Quomodo cum terminus a quo corruptionis debeat esse forma? terminus quidem a quo corruptionis proximus et per se debet esse forma, sed non terminus a quo corruptionis gratia patris.

Quid significat principaliter illa vox corruptibile? corruptibilitatem

Quid corruptibilitas? est aptitudo ad corrumpi.

Quid corrumpi? est esse terminum a quo corruptionis.

Da terminum adaequatum corruptibilitatis significatae per vocem corruptibile; est esse terminum a quo corruptionis.

Quid corruptio? generaliter est transitus subiecti ab aliqua forma ad eius privationem.

Quomodo recte sic definitur cum id quod transit a forma ad eius privationem non dicatur recte corrumpi? transeat, quia inde tantum sequitur quod illa vox corrumpi non connotet in recto subiectum corruptionis.

Quid ergo connotat in recto illa vox corrumpi? terminum a quo corruptionis.

Quam adiacentiam significat? adiacentiam motus ad formam corruptionis a quo.

An coelum sit corruptibile? in primis coelum est corruptibile corruptione aliqua generaliter sumpta, sed an sit corruptibile corruptione qualibet hic intelligitur controvertitur.

Qualis ergo corruptio hic intelligitur? corruptio substantialis physica.

An coelum ergo sit corruptibile tali corruptione? probabilior

sententia dicit quod non.
Quid corruptio substantialis physica? est transitus materię primę a forma aliqua substantiali ad eius privationem.
proba aliquo argumento istam sententiam: nulla apparet unquam mutatio substantialis physica in coelis sed omnia certo ordine et certa lege in coelis manent, ergo coelum est incorruptibile.
proba consequentiam: quia ideo corpora sublunaria dicimus esse corruptibilia quia passim videmus unum mutari in aliud atqui in coelis nunquam videmus unum mutari in aliud ergo coelum non debet dici esse corruptibile.
An supposito quod materia prima coeli sit eiusdem speciei cum sublunari possit adhuc sustineri coelum esse incorruptibile? imo.
Unde ergo tunc petetur radix incorruptibilitatis in coelo? ex natura formę substantialis eius habentis tales dispositiones sibi connaturales quę ex materia expelli nequeant.
An ergo elementum ignis sub concava superficie coeli lunę constitutum nullum producat calorem in coelo lunę? non.
Quomodo non cum elementum ignis sit isti coelo contiguum, et materia prima coeli secundum antedicta sit eiusdem speciei cum sublunari? nihil refert
Quare ergo in materia prima coeli ignis non producit calorem? quia forma substantialis coeli impedit productionem caloris in materia sibi correspondente.
An coelum sit etiam incorruptibile in sententia quę dicit materiam coelestem distingui a sublunari? imo, et tunc multo verisimilius.
An coelum tunc possit dici incorruptibile ab intrinseco? imo.
An etiam possit dici esse incorruptibile ab intrinseco supposito quod materia coelestis distinguatur specie a sublunari? imo
Quomodo cum tunc eius materia prima ex natura sua sit apta transire ad aliam formam substantialem? transeat quia equidem erit incorruptibile ab intrinseco gratia formę substantialis suę.
Quandonam censetur aliquid incorruptibile ab intrinseco? quando vel gratia suę entitatis totalis vel saltem gratia entitatis partialis est tale ut non possit naturaliter corrumpi.
An homo sit incorruptibilis ab intrinseco? non.

Quomodo non cum pars sua quae est anima rationalis sit incorruptibilis ab intrinseco? nihil obest, quia ut aliquid sit incorruptibile ab intrinseco non sufficit quod pars sua sit talis, sed requiritur ut ipsum sit incorruptibile incorruptibilitate orta ex entitate sua totali vel saltem partiali tanquam radice incorruptibilitatis.

An interim anima rationalis sit incorruptibilis? non est incorruptibilis hoc sensu quasi non [illegible] posset esse terminus a quo corruptionis, sed potest dici incorruptibilis hoc sensu quia non potest naturaliter destrui, seu desinere esse.

An sicut coelum est incorruptibile, ita etiam sit ingenerabile? imo iuxta eandem sententiam.

Quid generabile? quod potest esse terminus ad quem generationis ut Tale quod non est forma: homo.

Quid ingenerabile? absolute est quod nequit ullo modo esse te- ingenerabile naturaliter est quod non potest esse naturaliter terminus [illegible].

An coelum sit ingenerabile absolute? non, sed tantum est ingenerabile naturaliter.

De qua generatione intelligatur quando coelum dicitur ingenerabile? de generatione substantiali physica.

Quid generatio substantialis physica? est transitus materiae primae a privatione formae substantialis ad illam.

An coelum sit ingenerabile ab intrinseco? imo, sive materia prima coeli distinguatur specie a sublunari sive non, sicut enim coelum est incorruptibile ab intrinseco in utraque illa sententia, ita etiam est ingenerabile ab intrinseco in utraque illa sententia.

An sententia quae dicit quod coelum sit generabile et corruptibile sit omnino probabilis? non, maxime si admittatur materia prima coelestis esse eiusdem speciei cum sublunari, opposita tamen sua sententia est longe probabilior.

A Qua Causa

proxime efficiatur motus coelorum et an ipsi sit connaturalis.

A qua causa efficitur motus coelorum? a Deo.

A qua causa creata efficitur motus coelorum? circa hanc materiam est duplex probabilis sententia, una asserens coelos moveri ab intelligentiis, altera asserens coelos moveri a propria forma substantiali.

Quid ibi intelligentiae? sunt angeli.

An supposito quod coeli moveantur a propria forma substantiali moveantur mediante aliqua qualitate loco motiva realiter distincta a formali substantiali? circa hoc duplex iterum est sententia, una asserens quod sicut elementis dicitur inesse gravitas vel levitas mediante qua forma elementi producit motum localem elemento naturalem, sic etiam in coelis sit aliqua potentia loco motiva natura sua permanens mediante qua forma coeli producat motum localem, alia autem sententia asserit quod forma substantialis coeli sit sufficiens se ipsa, et non indigeat adiutorio talis potentiae loco motivae.

An secundum posteriorem illam sententiam detur tantum unica causa efficiens creata motus coelorum? hoc non est necesse dicere, quia secundum illam sententiam non tantum forma substantialis coeli sed etiam ipsum coelum, item natura formae substantialis coeli, item impetus a forma substantiali coelorum coelis impressus possunt vocari causae efficientes motus coelorum.

Dic ergo adaequate omnia quae vel certo vel saltem probabiliter efficiunt motum coelorum? Deus, intelligentiae, natura intelligentiarum, coelum, Natura coeli, forma substantialis coeli, et natura eius, potentia loco motiva natura sua permanens inexistens coelis, impetus, et generatim composita per accidens ex duobus ex ante allegatis, et certa forma distincta a motu quae efficitur in coelis, et a praesentiis quae acquiruntur per motus coelorum, item composita per accidens ex una forma vel

pluribus antea [inter causas] recensitis, et subiecto illarum.

De Gravi et De Levi

In quo distinguitur coelum ab elementis? in eo quod omnia elementa sint vel gravia vel levia, coelum autem nec sit gravis nec levis.

Quid grave? quod aptum est ad medium ferri.

excludes ibi lapidem: per genus definiti quod est corpus simplex. quam aptitudinem significat vox aptum, cum dicitur aptum ad medium ferri? aptitudinem prout abstrahit a proxima et remota.

Quid ferri? est moveri motu locali mere naturali. naturalis

Quid motus localis mere naturalis? est motus localis non vitalis.

Da quod fertur. ut lapis cadens recta deorsum.

Quid ferri ad medium? est ferri versus centrum universi per locum duorum elementorum.

Da quod fertur versus centrum universi et tamen non est grave. lapis cadens recta deorsum, quia lapis non est corpus simplex.

Da corpus simplex quod fertur versus centrum universi et tamen non est grave. aer dum movetur recta deorsum a loco elementi ignis usque ad locum sibi connaturalem.

Quare non est corpus grave? quia non est corpus simplex aptum ferri versus centrum universi per loca duorum elementorum.

An aliquid possit ferri versus centrum universi manens in loco sibi connaturali in quo ante etiam erat? videtur quod sic, quia sic sol fertur versus centrum universi dum motu proprio movetur ab auge sui excentrici usque ad oppositum augis, et tamen non existit unquam extra locum sibi connaturalem.

Quomodo cum sol non moveatur super lineam rectam versus centrum universi? non refert, quia ad hoc ut aliquid feratur versus centrum universi generaliter loquendo, non requiritur ut movea=

tur super linea recta sed sufficit quod per motum localem
quo fertur fiat vicinius centro universi.
Declara quod sol per motum sui excentrici simpliciter feratur: quia movetur per illum motum localiter mere naturaliter.
An supposito quod motus solis fiat ab intelligentiis tunc sol feratur illo motu? imo, quamvis non motu locali mere naturali strictissime sumpto.
Quid ergo requiritur ad lationem strictissime sumptam? Ut fiat non tantum secundum naturam ipsius mobilis appetentis sed etiam efficientis illum motum.
Specifica quae sunt gravia: terra, et partes integrales eius, aqua, et partes integrales eius.
An vapor sit gravis? imo.
Quomodo cum vapor non sit aptus ad medium ferri? est aptus.
Quomodo cum sponte moveatur sursum? transeat
Quomodo ergo est aptus ad medium ferri? quia saltem aptitudine remota est aptus ad medium ferri, quia vapor est substantialiter aqua ac proinde sicut aqua ita etiam vapor aptus est ad medium ferri.
Quomodo vapor est gravis cum non sit subiectum gravitatis? vapor iuxta hunc statum rerum ordinarie levari solitus non est quidem subiectum gravitatis perfectae, potest tamen dici adhuc esse subiectum gravitatis imperfectae, quia vapor non est subiectum levitatis perfectae summe intensae, ergo potest dici esse subiectum gravitatis pro tot gradibus quot desunt levitati ad summam intensionem.
An ergo illa vox gravis connotet etiam subiecta gravitatis imperfectae? imo.
Qualis vox est vox gravis? concreta,
Quid significat principaliter? gravitatem.
Quam adiacentiam significat in obliquo? formae ad subiectum.
An illa vox sit denominativum adaequatum? non, quia non significat secundario et in recto omnia subiecta gravitatis.
Da ergo subiectum gravitatis quod non est grave: lapis, quia ~~[illegible]~~ excluditur per genus definiti, corpus simplex
Da subiectum gravitatis quod non est corpus mixtum, et tamen non est grave: materia prima terrae, item natura eius, quia non est corpus simplex.
Da corpus simplex quod est subiectum gravitatis, et tamen non est grave: aer, quia aer potest dici esse subiectum gravitatis in gradu remisso, quia aer non est subiectum levitatis maxime

intensa ergo potest dici subiectum gravitatis pro tot gradibus quot desunt levitati ad summam intensionem.

Da corpus simplex quod est subiectum gravitatis perfectae et tamen non est grave: aer multum condensatus, quia non est corpus simplex aptum ad medium ferri.

Declara hoc: quia ille aer non potest ferri deorsum.

Quare non dum movetur recta deorsum: quia per talem motum non movetur localiter nec naturaliter.

Dic ergo adequate omnia illa quae significantur secundario et in recto per vocem grave consideratam tanquam vocem denominativam: terra et aqua et partes earum integrales.

Qualis adiacentia requiritur inter gravitatem et ~~levitatem~~ rem aliquam ad hoc ut denominetur grave? potest dici requiri et sufficere adiacentiam gravitatis qua gravitas adiacet alicui rei tanquam forma suo subiecto quod sit corpus simplex aptum ad medium ferri.

An ergo non posset dari grave quod non sit subiectum ullius gravitatis? Verisimiliter dicitur quod non loquendo naturaliter et in illa sententia quae dicit quod gravitas et levitas intendantur et remittantur, quia omne grave quantumcunque naturaliter alteratur videtur adhuc manere subiectum gravitatis in gradu remisso.

Quare tale quod non est aqua ita rarefacta ut habeat levitatem in summo? quia non videtur naturaliter possibile ut aqua manens aqua moveatur ad levitatem summe intensam qualem habet ignis, ac proinde naturaliter loquendo omne grave semper est subiectum saltem alicuius gravitatis.

Quid si aqua plus naturaliter sive supernaturaliter acquireret levitatem in summo, an tunc desineret esse grave? non.

Quomodo cum tunc gravitas non adiaceret aquae tanquam forma subiecto? ~~nego~~ distinguo, non adiaceret tanquam forma suo subiecto actuali, sed tamen adhuc adiaceret tanquam forma suo subiecto aptitudinali. iam autem dum dicitur quod vox grave significet adiacentiam formae ad subiectum potest dici significare adiacentiam formae ad subiectum sive actuale sive aptitudinale.

Divide Grave: in grave simpliciter et gravissimum.

Quid Gravissimum? Est grave quod sub eis omnibus collocatur quae deorsum feruntur.

Exclude lapidem positum in centro terrae: per genus definiti quod est grave.

Quare lapis non est gravis? quia non est corpus simplex
Quid collocari sub his omnibus quae deorsum feruntur? est
natura sua postulare locum infra omnia corpora specie
distincta quae scilicet deorsum feruntur.
An pars superior terrae sit gravissimum prout hic? imo.
Quomodo cum non ponatur infra partes terrae centro vi=
ciniores? nihil refert, quia illae partes terrae centro vicinio=
res non sunt corpora specie distincta a parte superiore terrae.
An aer positus in centro universi sit gravissimum? non.
Quomodo cum collocaretur infra omnia corpora specie dis=
tincta quae deorsum feruntur? etiamsi hoc ita esset nihil re=
ferret, quia excluderetur sufficienter per genus definiti quod
est grave.
An aqua posita in centro universi esset gravissimum? non
Quomodo non cum illa esset grave collocatum infra omnia
corpora specie distincta quae deorsum feruntur? non esset
ad sensum definitionis quia nequidem natura sua non postu=
laret locum infra illa corpora.
An illa vox gravis, et vox gravissimum idem principaliter sig=
nificent? imo.
In quo significato differunt? in eo quod illa vox gra=
vissimum significet in obliquo certum excessum qualem
voces superlativi gradus ordinarie significant.
Definiergo excessum importatum in obliquo per illam vocem
gravissimum: est relatio fundata in gravitate quam gravis=
simum natura sua postulat terminata ad gravitatem quam
omnia alia corpora specie distincta quae deorsum feruntur na=
tura sua postulant, orta ex eo quod prior excedat posterio=
rem numero graduum intensivorum.
Assigna extrema proxima istius excessus: gravitas quam gra=
vissimum natura sua postulat, et gravitas quam natura sua
postulant omnia alia corpora specie distincta a gravissimo quae
deorsum feruntur.
Quid ea quae deorsum feruntur? ex mente Aristotelis idem sunt
quod corpora simplicia quae feruntur deorsum per loca aliorum
elementorum seu idem sunt quod corpora gravia.
Quid ferri deorsum generaliter? est moveri motu locali motu
naturali versus centrum universi.

An ferri deorsum in definitione gravissimi sumatur pro actu an pro aptitudine? pro aptitudine.

Quid ferri deorsum prout hic? est aptum esse moveri motu locali motu naturali per loca duorum elementorum, et sic videtur deberi sumi ex mente aristotelis qui gravissimum tantum comparat cum corporibus gravibus.

An si per ea quae deorsum feruntur intelligantur corpora gravia tam mixta quam simplicia quae adhuc definitio gravissimi esset bona? secundum aliquos imo.

Quomodo cum terra etiam in statu naturali constituta non sit tam gravis quam plumbum in naturali statu constitutum? hoc aliqui negant affirmantes quod terra si in statu suo perfecte naturali constituta sit corpus gravius omnibus reliquis corporibus gravibus tam mixtis quam simplicibus, quod vero aurum et plumbum nunc passim praeponderet terrae, id evenit contingere quod terra prope nos existens in statu perfecte naturali non sit.

Declara quod secundum illos definitio gravissimi adhuc sit bona: quia adhuc omnia et sola continebuntur in ista definitione sic intellecta quae continentur eadem definitione aliter intellecta nempe terra et partes integrales eius.

Quomodo ergo terra secundum illos gravior erit auro? quia secundum illos terra in statu suo naturali constituta naturam postulat locum postulat infra aurum et plumbum.

An sententia opposita asserens aurum gravius terra in statu naturali constituta sit omnino improbabilis? non, sed est satis verisimilis.

Declara: quia si aliquis impleat unum poculum terra etiam extracta ex profundissimo aliquo puteo, et ab alia parte impleat poculum eiusdem capacitatis auro, aurum praeponderabit terrae, ergo signum est quod terra etiam in statu naturali constituta sit levior auro.

Quid ergo respondendum est ad fundamentum aliorum asserentium terram naturaliter exigere gravitatem maiorem quam de facto animadvertitur habere? quod hoc gratis asseratur, si enim terra etiam ex profundissimo puteo educta illam non habeat gratis asseritur illam habere.

Quid grave simpliciter? est grave quod non collocatur sub his omnibus quae deorsum feruntur.

Excludit aerem: per vocem grave, quia aer non est grave sed leve.

excludi lignum: etiam per grave.
Quomodo cum lignum gravitet in aere? est verum et nihil refert.
Quare ergo non est grave? quia non est corpus simplex.
Excludi supremam partem terrae per illud quod non collocatur sub his omnibus quae deorsum feruntur.
Quomodo cum suprema pars terrae non collocetur sub partibus terrae vicinis centro? nihil refert, quia equidem ~~non collocatur~~ non est verum dicere quod non collocetur sub his omnibus quae deorsum feruntur.
Quid non collocari sub his omnibus quae deorsum feruntur? est non postulare natura sua locum viciniorem centro terrae quam reliqua corpora specie distincta quae deorsum feruntur.
Quare ergo non recte dicitur quod suprema pars terrae non collocetur sub his omnibus quae deorsum feruntur? quia suprema pars terrae postulat natura sua locum viciniorem centro terrae quam reliqua corpora specie distincta quae deorsum feruntur, ac proinde non recte dicitur quod non postulet etc.
An aqua posita in centro universi contineatur illa definitione? imo. quia licet de facto ponatur infra corpora specie distincta quae deorsum feruntur tamen non postulat natura sua locum infra illa corpora.
Quid leve? quod aptum est e medio ferri. ut aer.
An lignum sit leve? non.
Quomodo non cum supernatet aquae? nihil refert quia lignum non est corpus simplex, leve autem pro genere definiti illius definitionis statuendum est corpus simplex.
An vapor sit leve? non.
Quomodo cum vapor sit corpus simplex aptum e medio ferri? est quidem corpus simplex sed non est aptum e medio ferri.
Quid ergo e medio ferri ibi? est ferri a centro universi versus circumferentiam universi per loca duorum elementorum.
Quare ergo vapor non est aptus e medio ferri? quia non est aptus ferri versus circumferentiam universi per loca duorum elementorum.
Quomodo non cum vapor moveatur sursum per locum elementi aeris et aquae? movetur quidem sursum sed non fertur sursum per illa loca, quia non movetur motu locali naturali, leve autem per ferri hic intelligitur moveri motu locali mere naturali.
An vapor non possit probabiliter excludi a definitione levis per genus definiti ipso, dicendo nimirum quod vapor non sit corpus simplex sed mixtum.

An ergo hoc sit probabile? imo (sed sententia asserens vaporem esse substantialiter aquam, et corpus simplex) magis communiter accipitur.
Da leue quod sit graue simpliciter: non datur.
Quaenam ergo generatiue sunt grauia simpliciter? aqua et partes integrales eius, et nihil praeterea.
Quare aqua non est leuis cum sit corpus simplex aptum e medio ferri? non est
Quomodo cum possit moueri localiter mere naturaliter sursum per locum elementi terrae? licet hoc ita sit nihil refert, quia equidem non potest sic moueri per loca omnium elementorum.
An interim hoc sit certum quod aqua feratur sursum per locum elementi terrae? non. sed aliqui volunt sustinere quod per illum motum non moueatur mere naturaliter, sed quod tantum trudatur sursum a grauitate terrae se supponentis ipsi aquae.
Declarant id exemplo: sic si aliquis imponat situlae aqua plenae lapidem alicuius notabilis magnitudinis, lapis se supponendo aquae extrudet illam sursum extra situlam. sed hic notandum quod sententia asserens aquam posse ferri per locum elementi terrae sursum sit magis probabilis et recepta.
Diuiditur leue in leue simpliciter et leuissimum.
Quid leuissimum? quod supra haec omnia quae sursum feruntur collocatur.
Excludit coelum: per genus definiti quod est leue.
Quare coelum non est leue? quia non est aptum e medio ferri.
Dic adaequate omne illud quod est leuissimum: ignis et partes integrales eius.
Da cui insit summa leuitas, et tamen non est leuissimum: materia prima ignis, quia non est corpus simplex, cum autem omne leuissimum debet esse corpus simplex.
An aer positus sub concaua superficie coeli lunae sit leuissimum? non.
Quomodo non cum sit corpus simplex leue quod supra haec omnia collocatur quae sursum feruntur? non est, quia non collocatur supra haec omnia quae sursum feruntur ad sensum definitionis.
Quid ergo hic collocari supra haec omnia quae sursum feruntur? est natura sua postulare locum supra omnia alia corpora specie distincta quae sursum feruntur.
Quare aqua ascendens non collocatur supra haec omnia quae sursum feruntur? quia natura sua non postulat collocari supra haec

omnia quae sursum feruntur, locus enim immediatus sub conca-
vā superficie coeli huic non est aeri naturalis sed violentus.
An infima pars elementi ignis sit levissimum? imo
Quomodo cum infima pars elementi ignis naturā suā non postu-
let collocari supra partes superiores elementi ignis? non refert,
quia illae partes superiores elementi ignis non sunt corpora speciei
distincta ab infimā parte elementi ignis, sicut autem ad levissimum
tantum requiritur ut naturā suā postulet supra alia corpora
speciei distincta quae sursum feruntur.
Quid ea quae sursum feruntur? sunt corpora simplicia levia
Quid ergo hic ferri sursum? est aptum esse moveri localiter
motu naturaliter versus circumferentiam universi per loca
duorum elementorum. hoc additur ut excludatur aqua quae
potest tantum ferri sursum per locum unius elementi usque
elementi terrae.
Quid leve simpliciter? est leve quod supra haec omnia quae sur-
sum feruntur non collocatur
excludit aquam: per genus definiti quod est leve.
excludit aerem positum immediate sub concavā superficie coeli
huic: non debet excludi.
Quomodo non cum non sit verum dicere quod talis aer non
collocetur supra haec omnia quae sursum feruntur? est verum
dicere.
Quomodo cum collocetur supra aerem et ignem? transeat.
Quare ergo non collocatur supra haec omnia quae sursum ferun-
tur? quia equidem non ~~est~~ verum dicere quod non collocetur
supra haec omnia quae sursum feruntur ex [illegible] definitionis
Quid ergo non collocari super haec omnia quae sursum feruntur?
est non postulare naturā suā poni supra omnia alia corpora
speciei distincta quae sursum feruntur.
Dic adaequate omne illud quod est simpliciter leve: aer et partes
eius integrales et nihil praeterea.
Quare coelum non est corpus levissimum vel simpliciter leve?
quia non est corpus leve uti neque est corpus grave.
Quaenam ergo generatim sunt gravia et levia? quatuor ele-
menta et partes integrales eorum.
Quare non etiam corpora mixta? quia secundum Aristotelem corpus
grave vel leve debet esse corpus simplex.
Quare coelum non est tam leve corpus grave vel leve quam

elementorum? quia coelum non est capax qualitatum primarum sicut elementa, iam autem gravitas et levitas oritur ex qualitatibus primis

Ex qua qualitate prima oritur levitas? oritur ex calore, quia constat experientia quod ad calorem in sublunaribus sequatur raritas, ad raritatem autem levitas, quia patet in aqua bulliente in olla.

Quare diximus quod ordinarie ad calorem sequatur levitas? quia hoc quidem fit ordinarie sed non semper, quia aliquando ad calorem etiam sequitur gravitas, sic v.g. quando aqua vi frigoris congelata rursum resolvitur in aquam ordinariam vi caloris, tunc ad calorem sequitur gravitas, quia aqua per calorem liquefacta est gravior quam aqua per frigus congelata, quia glacies supernatat aquae liquefactae, ergo signum est quod aqua congelata sit levior, et liquefacta gravior.

Ad quas qualitates primas solet sequi gravitas? ad frigus saltem ordinarie, patet experientia in aqua per calorem in vapores resoluta, quia dum illi vapores perveniunt usque ad mediam regionem aeris, in qua est maius frigus quam in infima, tunc vi frigoris condensantur, condensati graviores fiunt, et guttatim decidunt, et hinc oritur pluvia.

Quare in media regione aeris ceteris paribus non est tam calidum quam in infima? hoc fit propter reflexionem luminis quae fit a terra in media regione aeris.

Quare ante dictum fuit saltem ordinarie? quia aliquando ad frigus etiam sequitur levitas, quia sic fit quando vi frigoris aqua fit glacies tunc ad frigus sequitur levitas, quia aqua illa congelata est levior quam erat ante dum esset liquida.

An quotiescunque inexistit densitas alicui corpori, eidem etiam inexistat gravitas? non, quia in coelo est densitas, et tamen non est gravitas. ob similem rationem etiam potest dari raritas ubi non est levitas in corpore.

An quotiescunque in corpore sublunari datur densitas, etiam detur gravitas in eodem? ordinarie et naturaliter loquendo imo, conformiter dicendum de raritate et levitate in corpore sublunari.

An densitas et gravitas spectent ad eandem speciem qualitatis? non secundum ordinariam doctrinam, quia gravitas spectat ad secundam speciem qualitatis, densitas vero vel est certa relatio et sic ad nullam speciem qualitatis spectat vel est certa praesentia partium, et sic ad summum spectat ad quartam speciem

qualitatis.

Quid grauitas? est qualitas secundę speciei natura sua per=
manens determinata ad operandum motum recta deorsum.
excludo impetum: in primis per illud natura sua permanens,
quia impetus est naturę transeuntis secundum communem senten=
tiam, quod additur quia aliqui volunt sustinere quod impetus
sit natura sua permanens sed hoc non est ita commune.
Unde ergo contingit quod impetus interdum tam facile desinat?
quia facile contingit ut unus impetus frangatur per alium
impetum, unde secundum illam sententiam impetus non desineret
nisi per aliquod agens contrarium destrueretur.
Quomodo cum sic lapis in liberum aerem proiectus sursum
deberet continuo moveri? non deberet.
Quomodo non cum ibi non sit causa destructiua impetus mo=
tiui sursum? est causa, nempe impetus a grauitate productus
in oppositam partem.
proba aliquo exemplo impetum esse naturę permanentis: quia
si aliquis per multos annos suspendat lapidem ad trabem
grauitas illius lapidis produceret impetum non periturum tam
diu quam lapis sic pendet, ergo signum est quod impetus natura
sua non facile pereat nisi a contrario destruatur.
An si impetus esset natura sua permanens non posset excludi a
definitione grauitatis? imo, per illud determinata natura sua ad ope=
randum motum recta deorsum, quia impetus est natura sua in=
differens ad producendum motum versus quamcunque situs
differentiam.
per quid excluditur potentia progressiua in homine, et potentia
volandi in aue? per eandem particulam natura sua determinata etc.
An in quolibet corpore detur grauitas? non quia in corporibus
coelestibus non datur ista neque leuitas.
An in quolibet corpore sublunari detur grauitas? non, secundum
communiorem sententiam, quia non in igne dum est in statu
perfecte naturali.
Da corpus in quo est grauitas: lapis, terra.
Quomodo cum in lapide non sit qualitas natura sua determi=
nata ad operandum motum recta deorsum? est talis qualitas
Quomodo cum potentia loco motiua lapidis aliquando moueat
lapidem oblique deorsum? aliqua potentia loco motiua in lapide
nempe impetus mouet lapidem oblique deorsum, sed non omnis,

An ergo motus quo lapis movetur obliquè deorsum per decli-
vitatem montis non producatur a gravitate lapidis? etiamsi
produceretur ille motus a gravitate lapidis, inde non sequeretur
quod gravitas non esset naturâ suâ determinata ad operandum
motum rectâ deorsum, quia potest dici quod curvitas illius
motus proveniat ab impedimento extrinseco, non autem a natura
ipsius gravitatis.
An non posset sustineri quod gravitas tantum efficiat motum
recta deorsum? imo.
Quomodo cum gravitas lapidis producat in lapide motum
obliquum deorsum dum volvitur per declivitatem montis? quia
potest dici quod ille motus tantum producatur a gravitate in
quantum hinc et inde paulatim ille lapis descendit rectà deorsum
vel quantum autem ille motus impedit quo minus lapis con-
tinuò moveatur per eandem lineam rectam ad centrum mundi
in tantum potest dici fieri ab impetu lapidi impresso.
Quid levitas? est qualitas secundae speciei naturâ suâ perma-
nens determinata ad operandum motum recta sursum.
Quando censetur motus fieri recta sursum? quando ille motus
fit sursum super diametrum mundi.
An potentia loco motiva igni connaturalis sit levitas? imo
secundum communem sententiam.
Quomodo cum potentia loco motiva igni connaturalis moveat
ignem aliquando lateraliter ut patet in fumo? potentia loco
motiva igni connaturalis quantum est ex se non movet ignem
lateraliter (sed hoc fit per accidens ratione impedimenti extrinseci)
deinde responderi potest quod ille motus ignis lateralis non fiat
a levitate ignis, sed ab impetu a levitate producto.
Da potentiam loco motivam sursum connaturalem corpori
~~[illegible]~~ simplici quae non est levitas: ut impetus mo~~[illegible]~~ levis ~~[illegible]~~
sursum productus a levitate in igne.
Da talem potentiam quae sit naturâ permanens: potentia locomo-
tiva executrici simpliciter caeli solis, quia illa potentia locomo-
tiva in sole producit motum sursum quando sol movetur ab opposito
augis ad augem sui excentrici.
An gravitas et levitas intendantur et remittantur? communior
sententia dicit quod sic, alii dicunt quod non intendantur et remit-
tantur non magis quam potentia progressiva hominis.
An gravitas non producat etiam aliquando quietem? verisi-
militer respondetur quod sic, quando corpus grave est in loco

suo naturali pro pluribus instantibus, ita ut non amplius gra-
vitet, quia sic gravitas aquę potest dici producere quietem
quam aqua quiescit in loco suo naturali.
Proba hoc aliqua ratione = quia hoc ipso quo gravitas aquę
producit motum terminatum ad prǽsentiam localem ad locum
naturalem aquę, hoc ipso producit illam prǽsentiam localem
ad locum naturalem aquę pro primo instanti ipsius existen-
tię, iam autem si gravitas producat illam prǽsentiam pro pri-
mo instanti ipsius existentię potest dici quod eadem gravitas
eandem prǽsentiam conservet, pro secundo item tertio ipsius
existentię, ac proinde quod producat etiam quietem quam corpus
grave quiescit sub illa prǽsentia, quia illa prǽsentia in corpo-
re gravi perseverans est a parte rei ipsa quies qua corpus
grave quiescit sub illa prǽsentia.
An quando lapis movetur a prima regione aeris usque ad me-
diam, et ibi tunc violenter detinetur, an gravitas illius lapidis
etiam producat tunc quietem qua lapis ibi quiescit? R. verisi-
militer quod non.
Quomodo cum gravitas lapidis produxerit etiam prǽsentiam
ad illum locum pro primo instanti existentię illius prǽsentię?
Verum est.
Quare ergo non conservat eandem prǽsentiam pro secundo in-
stanti? quia gravitas lapidis producit impetum destructi-
vum illius prǽsentię pro secundo instanti, ergo signum est quod
ex natura sua hoc non habeat ut producat quietem illam.
Quare ergo produxit illam prǽsentiam pro primo instanti
existentię? quia illa productio illius prǽsentię pro primo in-
stanti est necessaria ad hoc ut obtineatur prǽsentia tandem
ad locum naturalem.
Qualis est illa quies qua lapis violenter in aere detentus quies-
cit? est quies contra naturam.
Quid quies contra naturam? est quies quę est contra pro-
priam inclinationem quiescentis.
Quid quies secundum naturam? est quies quę est secundum
propriam inclinationem naturę ipsius quiescentis. ut quies
terrę in loco suo naturali.
Quomodo dividitur quies secundum naturam? in quietem mere
naturalem, et quietem naturalem non mere.
Quid quies naturalis non mere? est quies quę est secundum illam
propriam inclinationem quiescentis quę viventibus propria est. ut
quies hominis dum voluntarie sedet et quiescit ab ambulatione etc.
Quid quies mere naturalis? est quies quę est secundum illam propriam
inclinationem quiescentis quę viventibus non est propria.

Da talem: quies terre in loco suo naturali.
An motus deorsum quem producit gravitas sit semper naturalis
subiecto gravitatis? non, quia motus deorsum quem producit gravitas
in aere condensato non est naturalis aeris condensato.
An ergo aliquod corpus possit gravitare cui gravitas non est con-
naturalis? imo, sic aer condensatus potest gravitare, et tamen
gravitas illi non est connaturalis.
Quid gravitare? est gravitatem, vel aliquid mediante gravitate sibi
vel suo subiecto intrinseca producere impetum motivum deorsum.
Da aliquid quod movetur deorsum, et tamen non gravitat: aer
quando violente deprimitur deorsum per hominem.
Quare dicitur per hominem? quia si moveretur deorsum per con-
densationem qua esset condensatus ob frigus etc. tunc etiam
gravitaret. Unde quaestio intelligenda est de aere non condensato.
Da quod movetur deorsum secundum naturam et tamen non
gravitat: avis sponte sua volans deorsum.
Quomodo cum illa avis equidem gravitet? gravitat in quan-
tum est corpus grave, sed non sub illa consideratione qua con-
sideratur ut viventis.
Da quod movetur secundum naturam deorsum, et tamen nullo
modo gravitat: sic sol movetur secundum naturam deorsum
ab auge sui excentrici ad oppositum augis, et tamen ullo respec-
tu non gravitat.
Da quod movetur secundum naturam recta deorsum, et tamen
non gravitat: sic aer probabiliter moveri potest deorsum recta
per locum elementi ignis, et tamen non gravitare.
Quomodo cum aer equidem habeat tunc gravitatem in gradu remisso per
quam potest dici gravitare? in primis non improbabiliter dici-
tur quod gravitas non constet gradibus intensivis, deinde in de-
finitione ante data solet intelligi gravitas perfecta.
An sola gravitas gravitet? non, quia subiectum gravitatis
etiam potest gravitare, quia sic lapis pendens in aere dicitur gra-
vitare.
An nihil aliud dicatur gravitare praeter iam dicta? imo, quia etiam
forma substantialis corporis gravis dicitur gravitare, quia sic for-
ma substantialis terre in aere existentis dicitur gravitare.
Da adhuc alia quae dicuntur gravitare: ut compositum ex gra-
vitate et subiecto suo, compositum ex corpore gravitante, et ali-
quo accidente compatibili cum gravitatione, item natura corporis
gravitantis, item compositum ex forma substantiali corporis gra-
vitantis et aliquo accidente.

Da quod simul cum gravitate producit impetum motivum
deorsum, et tamen non gravitat: sic deus producit talem im-
petum cum gravitate et tamen non gravitat.
Da quod est subiectum gravitatis, et tamen non gravitat: sic
materia prima corporis gravis est subiectum gravitatis, et tamen
non gravitat.
Da leve quod gravitat: aer multum condensatus.
An ergo aer multum condensatus vere influat in productionem
impetus motivi deorsum? ordinarie dicitur quod non, sicut solet
dici quod aqua calida calefaciens manum sibi impositam non
vere influat in calefactionem eiusdem manus.
Quomodo ergo aer dicitur recte gravitare? quia sicut aqua equi-
dem denominatur calefacere etiamsi vere non influat in cale-
factionem, ita aer recte denominatur gravitare, etiamsi vere
non influat in gravitationem.
Quid gravitatio? est actio qua gravitas producit impetum mo-
tivum deorsum.
An principium adaequatum gravitationis sit gravitas? non, quia
deus, forma substantialis corporis gravis, ipsum corpus grave
possunt esse principia gravitationis.
Quomodo ergo gravitatio recte definitur est actio etc? quia equidem
definitio manet convertibilis, et gravitas est principium a quo
gravitatio specialiter desumit nomen gravitationis.
An quotiescumque fiat gravitatio etiam fiat motus deorsum? non,
quia in lapide in aere pendente fit gravitatio, et tamen non fit
motus deorsum.
An quotiescumque fit motus deorsum etiam fiat gravitatio? non,
sic quando ignis violente deprimitur deorsum fit motus deor-
sum et tamen non fit gravitatio.
An omnia corpora aequaliter gravitent dum gravitant? non,
quia corpora magis gravia ceteris paribus magis gravitant.
Quomodo hoc est verum, cum homo facillime movere possit mag-
nam campanam in aere pendulam, et tamen difficulter moveat
parvam campanam in terra quiescentem? hoc non fit ratione
gravitationis precise, sed ideo quia magna campana pendens
in aere non conquiescit alicui corpori immobili, sed est in aere
cuius partes sunt in continuo motu confuso, parva autem
campana conquiescit terre cuius partes sunt in tali motu ob
quam rem respondere potest cur navis tam facile moveatur
in aqua ubi tam difficulter movetur per terram.
Quomodo se habent principium per se gravitationis et id quod
dicitur gravitare? utrumque est terra.

Da principium per se gravitationis quod non dicitur gravitare? deus.

Da quod dicitur gravitare et non est principium per se gravitationis: sic aer condensatus dicitur gravitare, et tamen non est principium per se gravitationis.

Cur aer condensatus non est tamen per se principium gravitationis quam terra? quia gravitas in aere condensato producens gravitationem est aeri violenta, terrae vero est connaturalis; autem ordinarie dici solet quod etiamsi forma aliqua subiecto suo violenta producat aliquid in illo subiecto, quod equidem illud subiectum non sit principium per se effectus a tali forma in subiecto producti, secus autem dicitur dum illa forma est subiecto naturalis nisi aliunde aliquid obstet.

Quid gravitare? est in se suscipere impetum motivum deorsum a gravitate productum.

Quomodo se habent id quod gravitat, et gravitatur? utrumque est terra.

Da quod gravitat et non gravitatur: ipsamet gravitas saltem secundum illam sententiam probabilem quae dicit quod accidentia inexistentia corpori naturali non moveantur per impetum sibi intrinsecum, sed per impetum sui subiecti.

Da quod gravitatur et non gravitat: sic materia prima, item aer non condensatus quando premitur deorsum per impetum impressum a lapide cadente.

An id quod gravitatur debeat esse subiectum gravitatis? non; quia aer non condensatus gravitatur a gravitate lapidis cadentis per aerem, et tamen non est subiectum gravitatis saltem perfectae.

Da quod gravitatur a gravitate sibi intrinseca et tamen non est subiectum gravitatis? compositum ex terra et gravitate sibi intrinseca.

Quid gravitatio passiva? est receptio qua aliquid in se recipit impetum motivum deorsum a gravitate productum.

Assigna extrema gravitationis passivae: ut impetus qui recipitur ab una parte, et subiectum proximum quod recipit illum impetum ab alia parte. intelligitur autem de impetu a gravitate producto, et illa sunt extrema proxima gravitationis.

Quomodo se habent extremum proximum gravitationis passivae et id quod gravitatur? utrumque est natura materiae primae utrumque.

Da extremum proximum gravitationis quod non gravitatur:

impetus a gravitate productus.

Da quod gravitatur, et non est subiectum proximum gravitationis: compositum ex terra, et frigore terrae.

An ergo id quod gravitatur non debeat esse extremum proximum gravitationis? non an id quod gravitatur debeat recipere impetum a gravitate productum per modum subiecti suam formam? Hoc quidem ordinarie sic contingit, sed non videtur absolute necessarium quia sic compositum ex terra, et impetu motivo deorsum potest dici gravitari a gravitate sibi intrinseca et tamen non recipit illum impetum per modum subiecti suam formam, sed per modum totius suam partem.

Quid levitare? est levitatem aut aliquid mediante levitate sibi aut subiecto suo intrinseca producere impetum motivum sursum.

Da quod producit impetum motivum sursum, et tamen non levitat: deus.

Da creaturam quae producit impetum motivum sursum et tamen non levitat: angelus quando in se producit impetum motivum sursum.

Da corpus quod producit impetum motivum sursum, et tamen non levitat: avis quando volat sursum, item homo quando ascendit scalas.

Cur ergo illud corpus non levitat? quia neque est levitas, neque mediante levitate sibi aut subiecto suo intrinseca producit impetum motivum sursum.

Mediante qua potentia ergo producit impetum motivum sursum dum avis volat? mediante potentia volandi.

Da corpus non cognitivum producens impetum motivum sursum quod tamen non levitat: ut arbor attrahens ex radice succum versus ramos.

Da corpus inanimatum producens impetum motivum sursum quod tamen non levitat: sic excentricus ~~coelum~~ hinc producit in suis partibus impetum motivum sursum ab opposito augis usque ad augem excentrici, et tamen non levitat.

Quaenam secundum praedictam definitionem possunt dici levitare? in primis levitas ipsa, forma substantialis corporis levis, item corpus naturale quod est subiectum levitatis levitantis, compositum ex levitate et subiecto levitatis, item compositum ex corpore naturali quod est subiectum levitatis, et aliquo accidente. et generatim omnia composita ex uno ex illis principiis tribus, et aliquo alio quod non est incompatibile cum ipsa levitatione.

Quid levitatio? est actio qua levitas producit impetum motivum

sursum.

An levitas sit principium adaequatum istius actionis? non, quia deus est comprincipium eiusdem actionis.

An cuiuslibet levitationis detur principium adaequatum? non, quia unius levitationis principium adaequatum conflatur ex deo, levitate, forma substantiali corporis levis etc. alterius autem levitationis principium adaequatum est deus, et levitas tantum.

An ergo inter principia levitationis aliqua sint principia necessaria, aliqua non necessaria? ita.

Da principia necessaria levitationis: deus et levitas.

Da principia non necessaria levitationis: forma substantialis corporis levis, item corpus leve.

Da levitationem cuius ~~form~~ principium non est forma substantialis corporis levis, levitatio qua vapor dicitur levitans.

Quomodo ergo vapor recte dicitur levitans si nec ipse nec forma substantialis eius sit principium levitationis? quia ex quo eius denominatur levitans, sicut aqua calefacta dicitur levitans iuxta principium quod dicit actiones esse suppositorum.

Quid levitari? est recipere impetum motivum sursum a levitate productum.

Da quod suscipit impetum motivum sursum et non levitatur: sic angelus dum in se ipso producit impetum motivum sursum recipit illum impetum et tamen non levitatur, quia ille impetus non est a levitate productus.

Da corpus naturale recipiens impetum motivum sursum et tamen non levitatur: sic lapis recipit impetum motivum sursum dum proiicitur in altum, et tamen non levitatur, quia ille impetus non est a levitate productus.

A quo ergo producitur? a potentia proiectiva hominis.

Quomodo se habent id quod levitat, et id quod levitatur? utrumque est corpus leve.

Da quod levitat et non levitatur: ipsamet levitas.

Da quod levitatur et tamen non levitat: sic pars terrae levitatur ab igne alibi supposito quando v.g. fortalitium ob ductos cuniculos saltat in altum.

Quare illa pars terrae non levitat? quia illa pars terrae neque est levitas neque mediante levitate sibi intrinseca producit impetum motivum sursum.

Da quod recipit, et simul efficit impetum motivum sursum sibi connaturalem quod tamen nec levitat nec levitatur: sic sol efficit in se, et consequenter recipit impetum motivum sursum dum movetur ab opposito augis sui excentrici ad augem eiusdem, et tamen nec levitat nec levitatur.

Quid levitatio passiva? est receptio qua aliquid recipit impetum

motiuum sursum a leuitate productum.
Ad extremum proxima leuitationis passiuæ. Vt ipse impetus motiuus sursum a leuitate productus, et subiectum proximum recipiens illum impetum, quia illa leuitatio passiua a parte rei nihil est aliud quam vnio consistens inter impetum et subiectum proximum eius.
An leuitatio passiua, et leuitatio actiua necessario realiter distinguantur? non est necesse, quia vna et eadem res a parte rei potest esse leuitatio passiua, et leuitatio actiua saltem probabiliter, quia multi probabiliter sustinent quod actio qua producitur forma stricte entitatis in subiecto sit a parte rei vnio qua ista forma vnitur subiecto recipienti quando illa forma dependet a suo subiecto, hoc vero posito facile ostendi potest, quomodo eadem res possit esse leuitatio passiua et actiua.
An corpora grauia grauitent etiam in loco suo naturali? distinguo, grauitant in loco suo naturali secundum quid, sed non grauitant dum sunt in loco suo naturali simpliciter modo in eodem sint ita sicut ex natura sua exigunt esse.
Quare additur modo in eodem sint etc? quia si sint in loco suo naturali simpliciter aliter quam natura sua exigunt esse tunc possent etiam ibi grauitare quia si si aqua haberet plures gradus grauitatis quam ex natura sua postulat habere posset etiam grauitare in loco suo naturali.
Quid locus naturalis simpliciter corporis? est locus in quo corpus existens est præsens spatio absoluto sibi connaturali. et ille diuidi potest in locum naturalem simpliciter corporis grauis, et locum naturalem simpliciter corporis leuis.
Quid locus naturalis simpliciter corporis grauis? est locus in quo corpus graue existens nec immediate nec mediate habet infra se aliud corpus minus graue. vt locus vnius centri terræ respectu terræ.
Quid locus naturalis simpliciter corporis leuis? est locus in quo corpus leue existens nec immediate nec mediate habet supra se aliud corpus minus leue. vt locus immediate sub concaua superficie coeli lunæ respectu ignis.
Quid locus naturalis secundum quid corporis? est locus qui est secundum propriam inclinationem ipsius corporis sub certo tantum respectu et non absolute. agitur autem hic de loco naturali corporis vt corpus est.
Diuide locum naturalem secundum quid? diuiditur in locum naturalem secundum quid corporis grauis, et locum naturalem secundum quid corporis ~~grauis~~ leuis.
Quid locus secundum quid corporis grauis? est locus in quo corpus graue existens non habet quidem immediate infra se corpus

minus grave, sed tamen habet tale [redacted] immediate infra se.
Da talem: sit aqua in superiori parte vasis aqua pleni existens est in loco naturali secundum quid supposito quod vas illud pendeat in aere, quia illa superior pars aquae non habet ibi immediate quidem infra se aliud corpus minus grave, habet tamen tale mediate infra se, scilicet aerem inter terram et vas illud in aere pendens interceptum.

Quid est locus naturalis secundum quid corporis levis? est locus in quo corpus leve existens non habet quidem immediate supra se aliud corpus minus leve, habet tamen tale mediate supra se.
Da locum talem: ut locus in quo existit media pars ignis in furno dum furnus est igne plenus. Nota quod per partem mediam hic intelligatur non medietas ignis sed pars ignis in medio ignis existens.
Declara quod ille locus sit naturalis secundum quid corporis levis: quia illa pars ignis non habet quidem immediate supra se aliud corpus minus leve, habet tamen mediate supra se tale corpus.
An aer existens sub concava superficie coeli lunae sit in loco naturali simpliciter an secundum quid? potest dici quod sit in neutro istorum.
Quomodo cum aer ibi existens nec mediate nec immediate habeat supra se aliud corpus minus leve? non refert, quia potest dici quod ipsi ille locus non sit connaturalis ullo respectu.
An interna pars aeris notabiliter extensi sub concava superficie coeli lunae sit in loco naturali secundum quid? imo scilicet probabiliter.
Quomodo cum aer ibi existens non habeat mediate supra se aliud corpus minus leve? transeat, quia equidem habet mediate infra se aliud corpus magis leve, et hoc sufficit in illa sententia probabili secundum quam hic respondetur.
Quare ergo dictum est saltem probabiliter? quia sunt duae sententiae probabiles: una dicit quod corpora gravia sublatis impedimentis sponte sua moverentur usque ad ipsum centrum, sive illa sint gravissima sive tantum gravia simpliciter; item quod corpora levia possent moveri sponte sua a centro terrae versus superficiem concavam coeli lunae tamdiu quam non sponuntur impedimenta; alia autem sententia dicit quod unicuique elemento sit assignatus determinatus locus naturalis non communis alteri elemento diversae speciei a quo violenter recedunt et ad quod se reducunt dum possunt.
Quaenam est distinctio inter has duas sententias? in eo quod aqua secundum priorem sententiam posset naturaliter moveri usque ad ipsum centrum terrae sublatis impedimentis, in alia vero sententia non posset naturaliter moveri usque ad ipsum centrum terrae, quia secundum posteriorem sententiam aqua tunc transgre-

deretur limites loci sui naturalis.

Quaenam sententia est magis accepta? prior secundum recentiores.

Quidnam ergo deberet addi in definitione loci naturalis secundum quid corporis levis ut esset adaequata secundum utramque sententiam? deberet sic definiri, est locus in quo corpus leve existens non habet immediate supra se corpus minus leve nec immediate infra se corpus magis leve, habet tamen mediate supra se corpus minus leve vel mediate infra se corpus magis leve.

Quomodo deberet definiri locus naturalis secundum quid corporis gravis secundum utramque illam sententiam? est locus in quo corpus grave existens non habet infra se immediate corpus minus grave nec supra se immediate corpus magis grave, habet tamen mediate infra se corpus minus grave, vel mediate supra se corpus magis grave.

Da locum naturalem secundum quid corporis gravis, contentum hac definitione et non definitione supra data? Si aqua poneretur in centro terrae, et terra ambiret aquam, tunc medium punctum aquae esset in loco naturali secundum quid corporis gravis secundum posteriorem definitionem, et non priorem, quia in primis illud punctum non habet immediate infra ~~nec supra~~ se corpus minus, nec supra se corpus magis grave, habet tamen mediate supra se corpus magis grave.

Declara quod non sit talis locus secundum priorem definitionem: quia secundum priorem definitionem esset locus naturalis simpliciter, quia nec mediate nec immediate habet infra se corpus minus grave, supponitur enim esse in centro terrae.

An quando aliquis facit ignem magnum in area aer existens supra illum ignem desinat esse in loco suo naturali simpliciter? potest dici quod non.

Quomodo cum ille aer habeat infra se corpus magis leve? est verum certo sensu.

Quomodo ergo non desinit esse in loco suo naturali? quia non habet infra se corpus minus leve ad sensum definitionum ante datarum, quia non habet sic infra se corpus magis leve ut per illud excludatur e loco a natura sibi deputato.

Nota quod sicuti secundum utramque illam sententiam definitus est locus naturalis secundum quid corporis gravis et levis, ita etiam definiri debeat locus naturalis simpliciter corporis gravis et levis, addendo ad definitiones antedictas, videlicet ad definitionem loci naturalis simpliciter corporis gravis, Nec habens mediate vel immediate supra se corpus minus grave, ad definitionem vero loci naturalis simpliciter corporis levis hanc particulam, nec habens mediate vel immediate infra se corpus magis leve.

Declara quod corpora gravia gravitent in loco naturali secundum quid? Sic gravitat inferior pars aquae contentae in vase aqua pleno, et in aere pendente.

Quare non dicitur ibi quod tantum inferior pars aquae gravitet in aere? quia si removeres superiorem et mediam partem illius aquae in vase contentae, vas ipsum in aere multo minus ponderabit, ergo signum est quod non tantum infima pars aquae, sed et media et suprema in vase gravitarent.

Declara quod elementum leve levitare possit in loco naturali secundum quid? Sic [illegible] pars ignis inferior excitati per pulverem tormentarium dum per cuniculos saltat fortalitium levitat in loco naturali secundum quid, quia si tantum esset superior pars illius ignis per pulverem tormentarium excitati, nunquam dissiparetur tam facile fortalitium, ergo signum est quod non tantum superior pars illius ignis, sed et media et infima levitaverit in ipsum fortalitium.

An aqua contenta in fluviis nullo modo gravitet? [illegible], distinguendum est: aqua contenta in fluviis quales nostri sunt adhuc gravitat, aqua vero contenta in talibus fluviis in quibus ipsa esset plane in suo loco naturali simpliciter, ibi non gravitaret. Sed incertum est an dentur tales fluvii.

An ergo aqua non gravitet constituta in loco suo naturali simpliciter? non, sicut neque terra.

Quomodo ergo aqua gravitat in nostris fluviis cum ibi sit constituta in loco suo naturali simpliciter? non esto.

Quomodo non, cum non habeat infra se mediate vel immediate corpus minus grave, neque supra se mediate vel immediate corpus magis grave? hoc est verum directo sensu.

Quomodo ergo aqua gravitat in tali loco? quia equidem ad latus habet infra se saltem ordinarie aliquod corpus minus grave, quia habet ad latus infra se aerem immediate incumbentem ipsi terrae constitutae retro aggeres ipsius fluvii. Aliter respondere potest ad illam obiectionem quod aqua ideo gravitet in loco suo naturali quem habet in fluviis, quia nimirum non est in illo loco eo modo quo ex natura sua appetit esse, quia aqua dum est in loco suo naturali quantumcunque potest conatur se reducere ad figuram orbicularem concentricam universo, quia vero angustia ipsius fluvii impedit quominus aqua se reducat ad talem figuram, ideo partes aquae pulsant motu suo ripas fluvii, qui motus communicatur postea inferioribus partibus ipsius fluvii et inde resultat fundamentum concipiendi gravitationem in ista aqua.

Quomodo aqua gravitat in fluviis cum sic lapis debeat multo difficilius elevari per aquam, quam per liberum aerem.

Hoc non est necesse.

Quomodo non cum secundum antedicta aqua superior in fluvio gravitans resistat elevationi ipsius lapidis? In primis ad hoc responderi potest quod aqua in fluviis existens gravitat per se primo negative, et intelligendo de totali aqua, et quod non sin=gulae partes secundum se gravitent, sed tantum prout faciunt unum totum cum aliis.

An ergo secundum hoc aqua superior in vase non gravitat in in=feriorem? Non proprie loquendo, quia si aliquis demittat urnam ligneam usque ad fundum illius vasis, non sentiet mag=nam difficultatem in elevanda aqua sursum quamdiu urna adhuc manet infra superiorem partem aquae, ergo signum est quod superior pars aquae secundum se spectata non gravi=tat in inferiorem.

An supposito quod aqua superior gravitaret in inferiorem non posset responderi ad obiectionem antedatam? Imo, quia per sui gravitationem poterit levare elevationem ipsius lapidis per hoc minimum quod quantumcumque fieri potest conetur se insi=nuare in locum inferiorem in quo ante erat lapis antequam per manum hominis elevaretur.

Declara per unum simile quomodo non obstante gravita=tione ipsius aquae facilius lapis possit elevari facilius per aquam quam per aerem? Quia lapis in aqua existens habet se sicut lapis constitutus in lance unius bilancis in cuius altera parte est positum lignum, et lapis constitutus in aere habet se ad instar lapidis positi in lance unius bilan=cis in cuius altera parte est posita lana, supponendo ulteri=us quod lapis, lignum, et lana sint aequalis dimensionis. Applica illud simile ad propositum: quia sicut facilius per lancem elevo lapidem dum in alia parte bilancis est positum lignum quam dum tantum est positum lana, ita facilius elevo lapidem dum in locum eius relictum succedere potest aqua quam dum tantum succedit aer.

An elementa gravia gravitent in loco suo naturaliter simpli=citer? Solet dici quod non, quia tunc cessat finis gravitationis.

An elementa levia levitent in loco suo naturali simpliciter? Non ob eandem rationem.

An ergo si aer acquireret plures gradus levitatis quam ex natu=ra ipsi competunt non levitaret etiam in loco naturali simpliciter? Imo.

Quomodo ergo elementa levia non possunt levitare in loco suo naturali simpliciter? Hoc intelligitur in eo casu quo existunt in loco suo naturali simpliciter eo modo quo ibi existere naturaliter appetunt.

An elementa grauia semper grauitent quando non sunt in loco naturali simpliciter? nonn, sed etiam aliquando leuitant declara: sic aqua in vapores resoluta leuitat etiam in infima regione aeris.
An elementa grauia non affecta qualitatibus peregrinis semper grauitent quando non sunt in loco suo naturali simpliciter? si per qualitates peregrinas intelligantur qualitates stricte dictæ distinctæ a præsentibus tunc responderi potest quod non, quia si aqua poneretur in centro terræ non grauitaret, et tamen non esset in loco suo naturali simpliciter saltem secundum illos qui vtrique elemento assignant determinatum spatium connaturale.

An Grauitas et Leuitas specie distinguantur

An grauitas et leuitas specie distinguantur? imo, quia grauitas ex natura sua est determinata ad operandum motum rectà deorsum, et leuitas ad operandum motum rectà sursum.
An grauitas terræ, et grauitas aquæ specie distinguantur? veteres aliqui et signanter aristoteles videntur sensisse quod sic quia aristoteles videtur admittere in lapide, per aëra cadente rationem mixtam ex parte principiorum, ideo nimirum quia ille motus procedit a grauitate terræ, et grauitate aquæ lapidi intrinsecis tanquam principiis specie distinctis.
An interim communior sententia non dicit illas duas grauitates esse specie easdem? imo.
Quomodo ergo grauitas aquæ sit tantum nata mouere suum subiectum vsque ad locum elementi aquæ, grauitas vero terræ vsque ad centrum vniuersi? ad hoc in primis respondetur quod secundum probabiliorem et verisimiliorem sententiam grauitas aquæ etiam nata sit mouere suum subiectum vsque ad centrum vniuersi nisi obstarent impedimenta, deinde licet hoc verum esset quod ponitur in obiectione illud poterit sufficienter saluari per hoc quod grauitas aquæ sit minus intensa, grauitas vero terræ magis intensa. ob similem rationem sustineri potest quod leuitas aeris et ignis sint eiusdem speciei.
An sit omnino certum leuitatem et grauitatem specie distingui? nonn, quia aliqui probabiliter sustinent quod non detur leuitas in

elementis, sed tantum maior et minor grauitas.
Unde ergo contingit quod ignis ascendat sursum per aerem secun=
dum illam sententiam? quia illi dicunt quod hoc non fiat a leui=
tate ignis, sed ex eo quod ignis protrudatur sursum a corpore
grauiori quod est aer.
An impetus motiuus deorsum et impetus motiuus sursum specie
distinguantur? non distinguuntur specie praecise ex isto capite, quia
omnis impetus ex natura sua est indifferens ad producendum motum
versus quamcunque situs differentiam.
An ergo non dentur impetus specie distincti? imo, et tales sunt
impetus existens angelo, et impetus existens corpori proxime.

An terra sit absolute corpus omnium grauissimum?
Aiunt secundum communem sententiam.
Quomodo cum plumbum plus ponderet quam terra? distin=
guo: ponderat plus quam terra prout illa ordinarie apud
nos existit, sed non ponderat plus quam terra existens in statu
suo perfecte naturali.
An ergo terra celerius caderet per aerem quam aqua caeteris pa=
ribus? solutio huius quaestionis pendet ex duplici illa sententia qua=
rum una dicit quod inaequaliter grauia ab aeque alto puncto spa=
tii cadentia cadant inaequali celeritate modo caetera sint paria; al=
tera vero sententia dicit quod inaequaliter grauia ab aeque alto loco
cadentia cadant aequali celeritate modo [illegible] caetera sint paria.
Cur dicitur vtrobique modo caetera sint paria? quia si v.g. aqua
sit maioris dimensionis quam terra, item si sit magis conden=
sata quam terra, idem si medium per quod cadunt sit dispar, tunc
neutra sententia habet locum.
Da unum argumentum quo probatur prior sententia: quia con=
stat quod corpus grauius cadens ex aeque alto loco cum corpore
minus graui in caput alicuius imprimat multo maiorem impetum
quam corpus minus graue ex eodem loco cadens: ergo signum est
quod inaequaliter mouentur.
Da argumentum pro secunda sententia: ipsamet experientia quia
illi dicunt se ad oculum hoc expertos fuisse quod si nimirum ali=
quis vtraque manu relinquat cadere ex turri globum ligneum et
globum ferreum quod aeque cito attingent terram nisi ventus
impediat.
An lapis paruus et lapis magnus secundum priorem sententiam
debeant dici inaequaliter cadere? non.
Quomodo cum sint inaequaliter grauia? non refert quia caetera
non sunt paria, sunt enim inaequalis dimensionis, etiam autem
aliqua corpora grauia inaequalis dimensionis quorum unum
est grauius altero possunt aequaliter cadere etiam secundum
priorem sententiam.

An nequeat dici certo ~~[illegible]~~ sensu quod lapis parvus et lapis magnus ~~[illegible]~~ eiusdem speciei sint equalis gravitatis? imo sunt equalis gravitatis intensive, licet non sint equalis gravitatis extensive.
An detur tantum unicus mundus? imo, et ratio maxima pro illa sententia est communis pene opinio omnium authorum tam sacrorum quam profanorum.

An non sint possibiles plures mundi? imo per Deum.
Quid si daretur unus mundus distinctus ab hoc mundo
An corpora gravia moverentur illius mundi versus centrum huius? non sed versus centrum alterius.
An mundus fuerit ab eterno? non ut patet ex fide.
Quid aeternitas? sumitur tripliciter pro eternitate a parte ante tantum, et semel pro eternitate a parte post tantum, et semel pro eternitate tam a parte ante quam a parte post.
Quid aeternitas tam a parte ante quam a parte post? est duratio rei carens principio et fine. Ut eternitas Dei.
Quid eternitas a parte ante tantum? est duratio rei carens principio sed non fine. Talis esset duratio qua creatura ab eterno producta si fuisset sic producta durasset usque ad hoc tempus precise non considerando tempus quod sequitur hoc tempus.
Quid aeternitas a parte post tantum? est duratio rei carens fine sed non principio. Ut eternitas anime rationalis in tempore producte.
Quando duratio alicuius rei censetur carens principio? quando res per illam durans ita durat ut nunquam sit verum dicere, illa res iam est, et immediate ante non fuit.
Quandonam duratio alicuius censetur carens fine? quando res per illam ita durat ut nunquam sit verum dicere, hec res iam est et immediate post non erit.
Quid aeternum a parte ante tantum? est res durans eternitate a parte ante tantum.
Quid aeternum a parte post tantum? est res durans eternitate a parte post tantum. Ut anima rationalis.
Quid eternum tam a parte post quam a parte ante? est res durans eternitate tam a parte post quam a parte ante. Ut Deus
An res existens unico instanti sit eterna? non.
Quomodo cum duratio illius rei careat fine et principio? nego.
Quomodo non, cum duratio illius rei sit indivisibilis? est verum sed non refert, quia equidem non caret fine et principio iuxta sensum ante datum, quia equidem de re que existit unico instanti est verum dicere, iam est, et immediate ante non fuit, item iam est, et immediate post non erit.
An aliqua creatura potuerit esse ab eterno per Deum? hec questio dupliciter intelligi potest, semel de creatura que est res permanens, et semel de creatura que est res successiva.

An creatura quae est permanens sive potuerit ab aeterno per Deum
produci? utrumque est probabile.
Da argumentum pro parte affirmativa: quidquid non implicat
contradictionem hoc dicendum est per Deum possibile, creaturam ab
aeterno produci a Deo non implicat contradictionem, ergo dicen-
dum est esse per Deum possibile.
Fac argumentum pro parte negativa: quidquid implicat contradic-
tionem non est per Deum possibile, creaturam produci ab aeterno
per Deum implicat contradictionem, ergo creaturam sic produci
est impossibile.
proba minorem: quia de ratione creaturae est ut educatur ex
nihilo seu ex non esse, ergo debet praesupponere sui non esse, si hoc
praesupponat, ergo non est ab aeterno.
Quomodo illa posterior sententia potest esse improbabilis cum arguat
quandam imperfectionem? non est verum sed tantum arguit crea-
turam imperfectionis quae minimum propter sui distantiam a perfec-
tione divina non potest in tantum assurgere ut ab aeterno Deo
coexistat.
Quid respondendum est ad argumenta quae afferuntur contra prae-
dictam sententiam quae sic dicunt: si Deus produceret scientiam
gratiam, hominem intelligentem, lapidem in aere pendentem ab
aeterno deberet illa in aeternum sic conservare? etiamsi hoc ita esset
non inde tamen sequitur aliquid absurdum, et 2o quod Deus ne-
cessitaretur, quia illa necessitas est tantum ex hypothesi et
non necessitas absoluta, necessitas vero ex hypothesi nihil ponit
in Deo imperfectionis, oritur enim ex libera determinatione Dei.
Quomodo creatura potuit esse ab aeterno cum esse aeternum sit
proprium Dei? esse aeternum ex natura sua est proprium Dei, sed
non esse aeternum quomodocumque.
An ens successivum potuerit esse ab aeterno per Deum? ordinarie
negatur.
Fac argumentum pro illa sententia ordinaria: quia ens suc-
cessivum nec secundum aliquam partem sui praecedentem neque secun-
dum partem subsequentem potuit esse ab aeterno, non subsequentem,
quia illa necessario praesupponit partem praecedentem tempore
esse priorem non secundum praesentem quia sic pars altera prae-
cedens deberet illam praecedere ab aeterno, hoc autem inconveniens est.
An sententia opposita sit omnino improbabilis? non, sed etiam
ab aliquibus tenetur etiamsi non sit tam probabilis quam al-
tera.
Fac unum argumentum pro illa sententia: possunt dari res
sine fine se subsequentes in ente successivo, ergo possunt dari
res sine fine se invicem praecedentes in ente successivo.
Si hoc sit verum, ergo dabitur iam ens successivum aeternum

a parte ante, sicut poterit produci sub successione ab æterno.

Finis

Liber Secundus De Defatigatione ·

Quid defatigatio? est diminutio potentiae activae et cognitivae (facta) per actionem diuturnam reparabilis per quietem intermediam. genus definiti est diminutio potentiae.

Quid diminutio potentiae? accipitur tripliciter semel nominaliter et semel pro mutatione et semel pro actione, aliqui etiam sumunt pro passione.

Quid diminutio potentiae nominaliter sumpta? est privatio vigoris potentiae in potentia ante habiti et non penitus sublati.

Da subiectum proximum diminutionis potentiae: ipsa potentia.

An subiectum ipsius potentiae non sit etiam subiectum proximum diminutionis istius potentiae? non.

Quomodo non cum in isto subiecto possit proxime concipi privatio vigoris potentiae? est verum sed non refert, quia illa privatio proxime inexistens subiecto potentiae non est diminutio potentiae, quia ad diminutionem potentiae requiritur ut sit privatio vigoris in potentia seu inexistens potentiae.

Quid vigor potentiae? est activitas potentiae tam perfecta ut per illam potentia instructa sit ad prompte et expedite operandum. ut activitas quam habet visus in oculo sano et debite disposito.

Da subiectum proximum vigoris potentiae: ipsa potentia.

Da quod est subiectum proximum privationis vigoris potentiae et non potest esse subiectum proximum vigoris potentiae: sic [illegible] natura materiae primae cuilibet potest esse subiectum proximum privationis vigoris potentiae, et tamen non potest esse subiectum proximum vigoris potentiae.

Cur additur in definitione diminutionis potentiae particula ante habiti? quia si vigor in potentia ante non fuerit habitus privatio vigoris non vocabitur diminutio potentiae.

Da ergo privationem vigoris potentiae quae non est diminutio potentiae defectu illius particulae? ut privatio vigoris potentiae visivae quae inest homini a primo instanti suae existentiae.

Quare in definitione fuit addita haec particula (et non penitus sublati)? quia alioqui potius esset destructio quam diminutio vigoris potentiae.

Ex quo fundamento oritur vigor in potentia? ex variis fundamentis, aliquando ex aliquo intrinseco ipsi potentiae, et aliquando ex aliquo extrinseco ipsi potentiae.

Declara prius: sic vigor gravitatis oritur ex maiori intensione gravitatis, item vigor levitatis.

Declara posterius: sic vigor potentiae oritur ex debita dispositione per quam organum illius potentiae undequaque est debite dispositum, subinde etiam ex debita dispositione organi alterius potentiae.

a qua alia potentia dependet in operando.
Declara prius: sic vigor potentię visivę oritur ex debita disposi-
tione ipsius oculi.
Declara posterius: sic vigor intellectus oritur ex debita dispo-
sitione organi phantasię.
Quęnam requiruntur ad debitam dispositionem organi alicuius
potentię? requiritur iusta copia spirituum animalium poten-
tię illius organi subservientium in ordine ad suas operationes re-
quiritur prȩsentia illorum spirituum ad ipsum organum talis
qualem potentia illius organi requirit pro suis operationi-
bus, item requiritur debita temperies illorum spirituum, item
debita temperies ipsius organi, et debita figura eiusdem.
Da organum potentię non bene dispositum defectu primi requisiti:
sic oculus non est bene dispositus quando aliquis propter sectionem
venę patitur deliquium animi quia hoc fit defectu copię spirituum
animalium qui in tali casu ab oculo transeunt ad alias partes
hominis.
Da organum potentię non bene dispositum respectu secundi requi-
siti: patet in eodem casu allegato.
Da organum potentię non bene dispositum defectu debitę tempera-
ei ipsius organi: sic organum phantasię in stultis non est bene
dispositum defectu debitę temperiei ipsius organi.
Da organum non bene dispositum defectu debitę figurę ipsius
organi: sic subinde organum potentię sedentivę non est bene dispositum
defectu debitę figurę ipsius organi.
An quando vigor potentię oritur ex aliquo extrinseco tunc ille
vigor non sit intrinsecus [struck] potentię? imo considerando nume-
rum vigorem sub ratione activitatis potentię ut ante considera-
vimus quamvis illa forma intrinseca potentię oriatur ex debita
dispositione extrinseca potentię.
An illa debita dispositio non possit etiam vocari vigor potentię?
imo potest nimirum vocari vigor extrinsecus potentię unde ori-
tur diminutio vigoris potentię? ex defectu alicuius requisiti
ad vigorem potentię.
An homo bene sanus, et dispositus habens fortiter ligatos pedes,
et crura non habeat potentiam progressivam constitutam in vigo-
re? imo.
Quomodo cum eius potentia progressiva non habeat aptitudinem
ad prompte et expedite operandum? habet.
Quomodo cum sit impedita? non est impedita hoc sensu quasi de-
sit aliquid ex parte ipsius potentię requisitum ad prompte et expe-
dite operandum, et propterea adhuc manet in vigore.
Declara in uno simili: sicut potentia visiva oculi bene sani
non perdit suum vigorem licet sit constitutus in tenebris et
nihil possit videre, ita potentia progressiva hominis bene sani

non perdit suum vigorem etiamsi ob vinctos pedes et mina non possit ambulare.
An omnis potentia capax diminutionis potentiae, sit etiam capax defatigationis? non, quia potentia capax diminutionis potentiae non debet esse activa et cognitiva simul, potentia vero capax defatigationis debet esse activa et cognitiva.
Quid hic potentia? est qualitas secundae speciei.
Quid potentia activa? est potentia nata efficienter aliquid causare.
Qualis particula est vox cognitiva respectu vocis potentia? explanans, quia constituit cum suo determinabili complexum convertibile respectu determinabilis seorsim, omnis enim potentia est potentia activa, et omnis potentia activa est potentia.
An ergo addatur frustra illa particula (activa) in definitione? non, quia per illam ostenditur quod potentia sit defatigabilis in quantum est activa, non autem in quantum est passiva.
Quid potentia cognitiva? est cuius proprius actus est cognitio, vel cognitionem praesupponit in eodem subiecto illius potentiae.
Da potentiam cognitivam prioris partis? ut intellectus, sensus tam interni quam externi.
Da posterioris partis? voluntas, potentia appetitiva sensitiva, potentia progressiva, potentia volandi in avi.
Da potentiam capacem diminutionis potentiae, et non defatigationis ex eo quod non sit cognitiva? gravitas et levitas, potentia nutritiva in homine.
Quomodo cum potentia nutritiva hominis ordinarie habeat cognitionem in eodem subiecto? nihil refert, quia equidem illam non praesupponit.
An potentia respirandi sit potentia cognitiva prout hic? imo.
Quomodo cum homo respiret etiam independenter a cognitione? transeat.
Quomodo ergo potentia respirandi est cognitiva? quia etiamsi potentia respirandi non praesupponat cognitionem in suo subiecto quoad quemlibet actum suum respirationis, praesupponit tamen cognitionem quoad aliquem suum actum, quia quando homo v.g. extraordinario modo vult respirare et sic respirat, tunc potentia respirandi quoad istum actum praesupponit cognitionem.
An potentia loco motiva per quam sanguis movetur circulariter in corpore humano sit cognitiva? non proprie loquendo.
Quomodo non cum illa potentia quoad aliquem suum actum praesupponat cognitionem in homine? non praesupponit prout hic.
Quomodo non cum v.g. ad timorem, iram, et similes passiones soleat etiam fieri extraordinarius motus sanguinis? etiamsi hoc ita sit nihil refert.

Quomodo ergo quoad tales motus illa potentia non praesupponit cognitionem? quia equidem non praesupponit cognitionem tanquam directricem illius motus. Videtur autem ad potentiam cognitivam requiri ut vel eius proprius actus sit cognitio, vel saltem dirigi possit a cognitione directione late dicta in eodem subiecto.

Quando dicitur directione late dicta? ut continentur potentiae progressivae brutorum, quarum actus non diriguntur proprie et perfecte a cognitione brutorum.

An characteres et maculae quae subinde producuntur in foetu humano in utero matris producantur a potentia cognitiva matris? non.

Quomodo cum subinde illae maculae producantur occasione fortis imaginationis matris de aliqua re, transeat.

Quare ergo non producuntur a potentia cognitiva prout hic? quia actiones quibus tales effectus producuntur non praesupponunt cognitionem matris tanquam directricem illarum.

Quomodo ergo se habent praedictae cognitiones et passiones ad praedictos effectus? tanquam causae occasionales, habent se quarum causalitas occasionalis fundatur in quadam sympathia complexionis corporis humani cum similibus passionibus et imaginationibus.

An omnis diminutio potentiae activae et cognitivae sit defatigatio? non, quia non illa quae non fit per actionem diuturnam.

Quid actio diuturna? formaliter et proprie est actio notabili tempore durans.

An actio diuturna hic tantum sumatur formaliter? non, sed pro actione prout comprehendit actionem diuturnam formaliter, et actionem diuturnam virtualiter.

Defini illam: est actio notabili tempore durans vel vehemens.

Qua parte definitionis continetur actio diuturna virtualiter? posteriori parte definitionis.

An actio qua puer defatigatur dum manu matris ducitur ad aliquot passus sit diuturna prout hic? imo.

Quomodo cum nec sit notabili tempore durans, nec vehemens? est quidem vehemens absolute, sed respective, nempe respectu potentiae progressivae illius infantis.

Quid actio vehemens prout hic? est actio quam exercendo potentia censetur adhibere vim aliquam extraordinariam saltem sub illo respectu sub quo potentia consideratur dum illam exercet: ut actio qua aliquis saltat ultra flumen notabilis magnitudinis ultra quem sine extraordinaria difficultate saltare non potest.

An actio vehemens respectu unius principii sit vehemens respectu cuiuscunque alterius principii? non, quia sic actio quae est

vehemens respectu hominis non est actio vehemens respectu Dei.
An non detur actio vehemens respectu Dei? non datur talis qualis
hic intelligitur, quia nullae vires Deo sunt extraordinariae sed semper
eque facile operatur.
Quomodo cum Deus aliquando dicatur per extraordinarium concur-
sum concurrere cum causa creata? nihil refert, quia Deus non
dicitur extraordinarie concurrere, quasi adhiberet extraordinarias
et extremas vires, sed quia vel concurrit suo concursu quem
non solet facile praebere iuxta leges naturae vel quia dat crea-
turae tales vires quae sunt extraordinariae et extremae respectu
ipsius Dei.
An eadem actio possit esse vehemens et non vehemens respectu
eiusdem potentiae? Imo successive, sic visio qua aliquis habens ocu-
lum sanum videt characteres utcumque parvum distincte potest
esse non vehemens et eadem illa visio continuata poterit esse ve-
hemens si cadat aliquis humor noxius in oculum.
An ergo eaedem vires possint esse extraordinariae et non extraordinariae
respectu eiusdem potentiae? imo, diverso respectu, et successive.
Quare addita fuit particula in definitione actionis vehementis
saltem sub illo respectu etc.? ut significetur quod actio vehemens
non debeat fieri per tales vires quae sunt extraordinariae respectu
potentiae absolute, sed tantum respectu potentiae consideratae sub
illo statu in quo existit dum actio vehemens vel vehementius
ab illa censetur demanare.
An actio ~~vehemens~~ diuturna recte sic definiatur, est actio ~~aliquo~~ tanto tempore
durans ut per illam potentia defatigetur? non, quia tunc com-
mitteretur circulus.
An interim non fiat hic verificatio pro tali actione diuturna
per quam fit defatigatio? imo, sed hoc ipsum non debet ex-
primi in definitione actionis diuturnae, cum illud sufficienter
per alias partes in definitione defatigationis positas insinuetur.
An possit dari actio diuturna potentiae per quam potentia non defatiga-
tur? distinguo, non potest dari actio diuturna potentiae pro qua
hic fit verificatio in definitione defatigationis, sed bene potest
talis dari generaliter sumpta, sic actio respirativa qua quis
integro die modice et modeste respirat est actio diuturna ge-
neraliter sumpta, et tamen per illam potentia non defatigatur.
Quid significat principaliter illa vox facta dum dicitur facta
per actionem? productionem prout comprehendit negativam et po-
sitivam.
Quid significat principaliter vox per? significat habitudinem ac-
tionis ad suam causam occasionalem.
Quam habitudinem in vi obliqui significat illa vox actionem
diuturnam? habitudinem causae occasionalis.

An ergo terminus actionis diuturnae prout hic non sit ipsa
diminutio potentiae? non, quia actio illa diuturna est tantum
causa occasionalis respectu diminutionis potentiae.
Quaenam ergo est actio quae habet pro termino ipsam diminutionem
potentiae? illa actio per quam secundum nostrum modum concipien-
di introducitur privatio vigoris in potentia. An actio illa sit po-
sitiva? actio illa considerata prout est terminata ad ipsam pri-
vationem vigoris in potentia sic non est positiva, sed privativa,
actio tamen illa sub alio respectu potest etiam esse positiva, quia
in quantum per illam actionem aliquid reale producitur, quod est
destructivum alicuius requisiti ad vigorem potentiae, in tantum
potest esse positiva, sic actio per quam spiritus animales mo-
ventur ab organo potentiae ad aliud spatium extra organum est
actio positiva, et tamen in quantum per illam actionem destitui-
tur aliquod requisitum ad vigorem ipsius potentiae, nempe ipsa prae-
sentia spirituum ad organum potentiae, in tantum etiam est actio
negativa privativa.
An debeat aliquid in potentia destrui realiter quando defatigatur?
non, quia sufficit quod aliquid destruatur in organo potentiae v. g.
temperies organi potentiae.
Quid potentia reparabilis? est potentia reducibilis ad pristinum
vigorem.
Quid vigor potentiae pristinus? est vigor potentiae qui ante adhuc
fuit in potentia.
Ad quid refertur vox reparabilis in definitione defatigationis?
ad nomen potentiae in eadem definitione positum.
quare illa vox reparabilis non refert diminutionem potentiae in de-
finitione defatigationis? quia tunc significaretur quod diminutio
potentiae esset reparabilis per quietem intermediam cum tamen potius
destruatur per quietem intermediam diminutio potentiae.
Quid reparabilitas a qua potentia dicitur reparabilitas? est ap-
titudo in potentia ad restitui in pristinum vigorem.
Quid reparatio potentiae? est reductio qua potentia reducitur
ad pristinum vigorem.
Da subiectum reparationis potentiae: subiectum reparationis po-
tentiae sic formaliter sumptae est ipsa potentia.
Quid rei est illa reductio potentiae an motus an actio an aliquid
aliquid aliud? potest sumi ut sit motus seu transitus quo potentia
transit a privatione vigoris pristini ad illum.
An non possit etiam sumi pro actione? imo, quia potest sumi
pro actione terminata ad illum transitum antedictum, vel pro
actione terminata ad vigorem pristinum potentiae, pro primo
instanti quo ille vigor pristinus ut talis in potentia existit.
Quare additur pro primo instanti etc.? quia actio tracta ad quem

dem vigorem pristinum pro secundo tertio instanti non vocatur reparatio actio.

An ipsa potentia quae reparatur sit etiam subiectum reparationis actionis? non est subiectum proximum, potest tamen dici esse subiectum remotum saltem secundum nostrum modum concipiendi, quia illa actio secundum nostrum modum concipiendi subiectatur proxime in suo termino qui vel est ipsa acquisitio vigoris pristini potentiae vel ipsemet vigor potentiae, utrumuis autem dicatur ipsa potentia non est subiectum proximum sed tantum remotum illius actionis, quia potentia habet se ad acquisitionem vigoris pristini, item ad vigorem pristinum tanquam subiectum ad suam formam.

Quare autem dictum est secundum modum nostrum concipiendi? quia si velimus actionem per quam reparatur potentia considerare prout est a parte rei fieri potest ut potentia ne quidem sit subiectum remotum illius actionis sic consideratae, quia potentia aliquando reparatur per hoc quod in organo potentiae reducantur novi spiritus animales, talis autem actio qua illi spiritus producuntur a parte rei ne quidem remote in potentia subiectatur.

An reparatio potentiae possit sumi nominaliter? imo et tunc est unio vigoris pristini cum potentia considerata pro illo tempore quo vigor pristinus potentiae incipit uniri.

Quid quies in definitione defatigationis? est cessatio ab actione diuturna ut tali, quod additur quia ad quietem non requiritur ut sit cessatio ab omni actione.

An actio modo diuturna non possit manere a parte rei existens pro illo tempore quo est quies ab actione diuturna? imo quando non maneat existens tanquam actio diuturna, sic actio qua aliquis efficit videndo distinctos characteres utcunque parvum potest esse diuturna si habeat malum humorem in oculo, si autem tollatur ille malus humor poterit tunc esse quies ab actione diuturna ut tali, licet praedicta actio perseveret a parte rei existens.

Quid quies intermedia? est quies comparata ad plura quorum uno est prior, et altero posterior. sic autem definitur quies intermedia generaliter sumpta.

Quid quies intermedia hic? est quies posterior diminutione potentiae pro primo instanti quo illa diminutio existit, et prior reparatione eiusdem potentiae.

Qualis prioritas hic intelligitur an temporis an naturae? potest intelligi prioritas temporis.

Quare dicitur hoc, saltem pro primo instanti quo illa diminutio etc.?

quia quies illa non debet esse tempore posterior diminutione po-
tentiae pro secundo, et tertio instanti quo existit illa diminutio po-
tentiae, quia diminutio potentiae pro secundo, et tertio instanti suae
existentiae potest simul existere cum ipsa quiete ab actione diuturna.

Quid significat principaliter illa vox intermedia dum dicitur
per quietem intermediam? relationem fundatam in uno termi-
natam ad plura ortam ex eo quod unum illorum sit posterius
et altero prius. hic autem fit verificatio pro intermediatione
consistente inter cessationem ab actione diuturna, et diminutio-
nem potentiae tanquam tempore priorem, et reparationem poten-
tiae tanquam tempore posteriorem respectu illius cessationis.
Quam habitudinem significat in vi obliqui illa vox intermediam?
habitudinem causae occasionalis respectu reparationis potentiae;
quia sicut actio diuturna est causa occasionalis respectu diminu-
tionis potentiae, ita cessatio ab actione diuturna potest esse causa
occasionalis respectu reparationis potentiae, ac proinde causalitas
illa occasionalis recte dicitur hic significari.
Unde contingit quod actio diuturna sit causa occasionalis dimi-
nutionis potentiae? ordinarie ex eo quod per illam actionem con-
sumantur, vel alio moveantur spiritus animales quorum prae-
sentiam requirit potentia ad sui vigorem.
Quid spiritus hic? est pars sanguinis purior facta in praeci-
pua parte animalis.
Quid ibi praecipua pars animalis? est una ex his tribus partibus
animalis nempe hepar, seu iecur, cor, cerebrum.
Divide spiritum prout hic? in naturalem, vitalem, et animalem
Quid spiritus naturalis? est pars sanguinis purior factam
in iecore.
Quaenam est officium spiritus naturalis? est subministrare mate-
riam fabricandis spiritibus vitalibus in corde.
Quo modo illa materia subministratur cordi? per hoc quod spiri-
tus illi naturales per venam cavam attrahantur ad cor in quo
per calorem naturalem cordis magis purificantur.
Quid spiritus vitalis? est spiritus naturalis adhuc magis subtili-
satus in corde.
Quodnam est officium spiritus vitalis? calorem cordis communi-
care reliquis partibus animalis praecipue in ordine ad operationes
vegetativas.
Quid operationes vegetativae? sunt operationes vitales quae non
tantum animalibus sed etiam plantis conveniunt. ut nutritio et
accretio.
Quid spiritus animalis? est spiritus qui in cerebro generatur,
et subservit animali in ordine ad operationes sensitivas.

da operationes sensitivas: ut operationes sensuum tam internorum
quam externorum, operationes potentiae progressivae animalis et
similes.
An spiritus animales requirantur ab omni potentia cognitiva ut
expedite operetur? non, quia non intellectus angeli requirit illos.
An spiritus animales requirantur ad hoc ut quaelibet potentia
cognitiva animalis debite operetur? imo, saltem proxime vel re-
mote.
Quare addis hoc vel remote? quia intellectus hominis non requirit
secundum se spiritus animales, sed tantum gratia phantasiae a qua
intellectus in hac vita dependet.
Quomodo solent spiritus animales potentiae cognitivae subservire
ad debite operandum? secundum aliquos per hoc quod illi spiritus
debite disponant organum illius potentiae, vel saltem organum po-
tentiae a qua prior potentia cognitiva dependet in operando. secun-
dum alios vero per hoc quod sint conditiones sine quibus non necessa-
riae ad vigorem potentiae; secundum alios vero per hoc quod cum
ipsa potentia in cuius organo sint physice influant in operationes
vitales illius potentiae; secundum alios vero per hoc quod illi spiritus
producant certam qualitatem in potentia cognitiva, vel saltem
in illa potentia a qua prior potentia cognitiva dependet in ope-
rando, ratione cuius qualitatis potentia redditur apta ad expe-
dite operandum.
Quare bis additum fuit, vel saltem in illa potentia? ut osten-
datur quomodo spiritus animales conducant ad vigorem intellectus
humani in hac vita.
Declara nunc quomodo per actionem diuturnam tolli possit co-
pia spirituum animalium requisita ad vigorem potentiae: quia in
primis occasione actionis diuturnae corrumpi possunt illi spiritus
animales in organo potentiae, quia occasione actionis diuturnae solet
fieri notabilior agitatio illorum spirituum, occasione cuius agita-
tionis incalescit organum potentiae illius notabiliter, quo incalescente
laxantur pori per quos tunc subinde intrat humor noxius
destruens predictos spiritus animales.
Qua ratione adhuc potest tolli iusta copia spirituum per actionem
diuturnam? per hoc quod turbetur debita temperies ~~naturalis~~
illorum spirituum, vel per hoc quod illi spiritus desinant sufficien-
ter esse praesentes organo potentiae.
Declara posterius? posterius ordinarie contingit quando una
potentia defatigatur per actionem diuturnam alterius potentiae
eiusdem subiecti.
An ergo potentia possit defatigari per actionem diuturnam al-
terius potentiae? imo, sic visus defatigatur per diuturnam ambu-
lationem.
Declara quod per talem actionem diuturnam potentiae progressivae

spiritus animales desinant esse praesentes organo potentiae vehementer quia anima animalis est talis naturae ut potentiae laboranti subministret spiritus animales quantum fieri potest qui spiritus mittuntur ab omni fere parte animalis versus organum illius potentiae occasione cuius tunc fit quod potentia va cuius organo anima mittit spiritus animales ad potentiam laborantem debilitetur.

An actio diuturna non possit esse causa diminutionis potentiae per hoc quod occasione illius nimis multi spiritus animales fiant praesentes organo potentiae? videtur quod sic, quia potest fieri in casu ante allegato quando nimirum nimis abundanter mittuntur spiritus ab anima ad partem laborantem animalis, quia cum illi spiritus sint valde calidi et fieri potest fieri quod propter illorum abundantiam turbetur temperies organi potentiae quod requirit humorem et frigus aliquando redactas ad quandam mediocritatem.

An omnis diminutio potentiae facta per actionem diuturnam sit defatigatio potentiae? non, quia non erit defatigatio si potentia non sit reparabilis per quietem intermediam.

An non possit sustineri quod omnis defatigatio potentiae fiat per coniunctionem spirituum animalium causatam occasione actionis diuturnae? imo sumendo coniunctionem spirituum animalium late, quia in omni defatigatione intervenit coniunctio spirituum late concurrens uno modo ad diminutionem potentiae.

Quid coniunctio spirituum late? est actio qua tollitur spirituum iusta copia spirituum animalium esse praesens sufficienter ad organum potentiae vel qua tollitur debita temperies eorundem sic ut ratione illius potentia careat aliquo requisito ad sui vigorem.

An per coniunctionem spirituum late debeant destrui spiritus animales? non, quia sufficit quod desinant esse praesentes sufficienter organo potentiae, vel quod perdant suam temperiem requisitam.

An quando spiritus ob nimiam abundantiam turbant organum potentiae tunc fiat coniunctio spirituum animalium? imo late dicta scilicet.

Quomodo cum illi spiritus tunc desinant esse praesentes organo potentiae? hoc nihil refert quia eo ipso tollitur iusta copia sub ratione iustae copiae spirituum.

Quid defatigari? est activum et cognitivum diminui per actionem diuturnam sic ut sit reparabile per quietem intermediam. cur non sic est potentiam activam et cognitivam diminui etc? quia non tantum potentia sed etiam sed etiam subiectum quod agit mediante illa potentia dicitur defatigari. sic homo dicitur defatigari ambulando.

Quid defatigare? est actionem diuturnam vel aliquid mediante actione diuturna diminuere potentiam activam et cognitivam sic

vt maneat reparabilis per quietem intermediam.

Da quod defatigat, et defatigatur: homo dum ambulando defatigatur.

Da quod defatigat et non defatigatur: vt actio diuturna

Da quod defatigatur et non defatigat: non datur. quia illud quod defatigatur debet esse actiuum et cognitiuum. illud autem etiam defatigat.

An deus recte dicatur defatigare? est quaestio de nomine, probabilius tamen videtur dici quod non, quia solum principia vitalia actionibus diuturnis videntur recte dici defatigare.

Quid defatigabile? est quod aptum est diminui tanquam actiuum et cognitiuum per actionem diuturnam sic vt maneat reparabile per quietem intermediam.

Quid defatigatiuum? est quod aptum est tanquam actio diuturna vel aliquid tanquam mediante actione diuturna diminuere potentiam actiuam et cognitiuam sic vt maneat reparabilis per quietem intermediam.

An omne defatigabile sit potentia defatigabilis? non, quia non homo.

Quid potentia defatigabilis? est potentia actiua et cognitiua nata diminui per actionem diuturnam sic vt maneat reparabilis per quietem intermediam.

Da potentiam non defatigabilem: grauitas.

An talis etiam sit intellectus humanus? imo.

Quomodo enim intellectus possit perdere suum vigorem occasione actionis diuturnae? non potest perdere ita vt per se dicatur defatigabilis, quia non potest occasione actionis diuturnae sic perdere suum vigorem vt per illam consumantur spiritus animales quorum ministerium per se requirat.

Quando potentia censetur requirere per se ministerium spirituum animalium? quando illud ministerium requirit non tantum gratia alterius potentiae a qua dependet.

Da potentiam defatigabilem in cauda canis: potentia loco motiua caudae canis.

Da potentiam defatigabilem in auricula canis: auditus, tactus item potentia loco motiua residens in auricula canis.

An omnes potentiae defatigabiles sint organicae? potentiae defatigabiles quae de facto dantur sunt organicae.

Qualis defatigatio fuit hic definita? defatigatio nominaliter sumpta, potest tamen etiam sumi defatigatio pro actione, item pro mutatione, sic nimirum diminutio potentiae conformiter sumatur pro actione vel mutatione.

An debilitas orta ex ieiunio sit defatigatio? non, quia vel illa debilitas est debilitas potentiae non cognitiuae qualis est potentia nutritiua vel non oritur per actionem diuturnam.

An debilitas causata in oculo per alapam quam aliquis sibi ipsi impingit sit defatigatio? non

Quomodo non cum illa debilitas sit diminutio potentiæ visiuæ
facta per actionem diuturnam? non est facta per actionem diu-
turnam ad sensum definitionis.
Quomodo non cum ad defatigationem sufficiat quod fiat per ac-
tionem diuturnam seu vehementem factam ab alia potentia
eiusdem animalis destinctam a potentia quæ defatigatur? hoc qui-
dem sufficit suo sensu nempe si fiat per actionem vehementem alte-
rius potentiæ quæ actio vehemens sit ex parte principij id est in quan-
tum animal efficit illam actionem non autem in quantum ani-
mal patitur ab illa actione.
Declara quod illa actio non sit vehemens ex parte principij quia
homo propterea non adhibet extraordinarias vires quod patet ex
eo quia si illam alapam daret alteri non inueniret propterea
se multum defatigatum.
Quid actio vehemens ex parte patientis? actio a qua patiens ex-
traordinarie patitur.
An ebrietas sit defatigatio phantasiæ? non, quia illa non oritur
præcise ob actionem diuturnam sed potius propter materiam quæ per
bibitionem in stomachum infunditur ex qua exsurgunt crassi va-
pores ad stomachum, unde si quis tam fortiter biberet aquam
quam bibit bonam ceruisiam non sentiret talem debilitatem.
An coelum sit defatigabile? non, quia coelum non est acti-
uum et cognitiuum.

De Differentia

positionum.

3

Quid differentia positionum? est certa species positionis
differens ab alijs
Quid positio? est ordo partium in toto. sic autem defi-
nitur differentia positionis abstractum.
Quid differentia positionis concretim? est pars integralis
extrema alicuius totius a qua inchoatur vel in quam aliqua
operatio vitalis
Diuide differentiam positionis concretim: diuiditur in superum et
inferum dexterum et sinistrum, ante et retro.
Quid superum? est differentia positionis a qua incipit accretio. ut
os in homine, radix in arbore, quia ab illa incipit accretio arboris
Quid inferum? est differentia positionis in quam desinit accretio
naturalem in arbore, ut rami arboris.
Quid dexterum? est differentia positionis a qua incipit motus lo-
calis progressiuus. ut pes dexter hominis.

Quid sinistrum? est differentia positionis in quam desinit motus
localis progressivus. ut pes sinister hominis.
Quid ante? est ea pars animalis in qua vigent plures sensus:
ut facies hominis, quia in facie hominis est visus, tactus, odo=
ratus et.
Quid retro? est illa pars animalis in quam vergit cessatio.
ut sinciput, quia in illud vergit cessatio. species enim ab obiectis
sensibilibus provenientes ab ipsis sensibus externis, quo modo com=
municantur phantasiae, et tandem memoriae, cuius organum resi=
det in sincipite, ibique cessat ulterior cessatio.
Quae sunt in quibus sunt sex differentiae positionum? animalia
perfecta.
Quaenam in quibus tantum sunt quatuor differentiae positionum:
animalia adhaesa ut ostrea et similia.
Quae sunt in quibus sunt tantum duae differentiae positionum: ar=
bores.
An dentur aliqua animalia in quibus tantum sunt duae diffe=
rentiae positionum? non.
Quomodo enim in istis animalibus adhaesis antedictis non detur ante
aut retro, ubi nec dextrum sunt sinistrum? datur ante et retro.
Quomodo cum illa animalia habeant tantum unum sensum nem=
pe tactum? habent plures nempe tactum et gustum, illa autem
pars ipsorum in qua residet tactus et gustus, simul voca=
tur ante, pars autem opposita retro.
An in coelis dentur differentiae positionum? non dantur
differentiae proprie dictae sed bene improprie dictae.
Quaenam pars primi mobilis vocatur dextrum? oriens, sinistrum
occidens, superum vero polus antarcticus, inferum polus arcticus,
ante meridies, retro vero septentrio. ut latius indicatur.
An in coelis planetarum illa habeant se eodem modo? non.
sed dextrum est in illis occidens, oriens vero sinistrum, et hoc
ideo quia coeli planetarum moventur ab occidente in orientem
ut latius indicatur.
Quid meridies? cum dicitur meridiem esse ante in coelo?
est Zenith illius hominis qui habitat medius inter punctum
orientis et occidentis directe sub equinoxiali respectu nostri he=
misphaerii.
Quid septentrio? est nadir eiusdem hominis.
Quaenam pars est superum et quaenam est inferum in
coelis contentis sub primo mobili? polus arcticus est superum,
antarcticus inferum.

~~An coeli aliquid~~

An coeli aliquid producant in his inferioribus.

Sic sol producit lumen in his inferioribus.
An sol etiam producat calorem in his inferioribus?
Immo saltem per accidens, quod additur quia non videtur
producere calorem per se, sed tantum gratia luminis
a se producti quod lumen tunc ulterius producit calo

rem.

Cur similiter non dicitur quod lumen sic in terris existens non producatur vere a sole, sed tantum a lumine intermedio inter terram et solem? quia si solum lumen concurreret ad productionem alterius luminis non appareret ratio quare homo in medio campo projiceret umbram in partem soli oppositam, quia si solum lumen produceret aliud lumen, lumen solare quod est versus hominis collaterale tam bene posset illuminare locum post corporis illius hominis cadens, sed et in quo est umbra hominis quam lumen quod est ante hominem.

An coeli nihil aliud per se producant in his inferioribus? imo, nempe varias influentias. influentia autem sumitur semel late et semel stricte.

Quid influentia late? est qualitas per se producta a coelis in his inferioribus

Quid influentia stricte? est qualitas insensibilis in his inferioribus a coelis per se producta, mediante qua coeli producunt aliquos effectus alios in his inferioribus. ut influentia per quam Luna producit aestum maris.

Quodnam est fundamentum statuendi influentias coelestes? ex eo quod animadvertantur produci aliqui effectus sensibiles in his inferioribus qui non videntur posse refundi in aliam causam quam in coelos operantes per influentias coelestes.

Declara in exemplis? sic advertitur acus nautica, item magnes moveri versus polum arcticum, sic aestus maris fit diverso tempore pro diversa constitutione lunae, sic ossa implentur medulla, conchilia et ostrea augentur suo modo in plenilunio, quae omnia solent referri in influentias coelestes.

Quare illi effectus non dicuntur produci immediate ab ipsis coelis? quia tunc agerent in distans non agendo per medium.

Quare equidem illi effectus attribuuntur influentiis occultis coelestibus? quia non apparet ulla qualitas sensibilis a coelis per se producta mediante qua possent producere similes effectus.

Quare non lumen? quia lumen non est qualitas de se proportionata ad producendos aestus marinos, motum in acu nautica.

An coeli non producant in his inferioribus aliquam substantiam? non quidem per se sed per accidens, quia sic sol dicitur producere ranas, vermes, subinde mures in locis sordidis. sic etiam per accidens a corporibus coelestibus producuntur mineralia, [illegible].

Qua ratione corpora coelestia producunt tales effectus? quia producunt certas qualitates subinde sensibiles, subinde insensibiles quae disponunt materiam ad introductionem formae substantialis talium corporum.

Quare coeli non producunt talia corpora per se? quia tunc agerent in distans non agendo per medium.

Quomodo ergo in medio producant qualitates? nihil refert, quia ad hoc ut aliquid agat in distans non agendo per medium

sufficit ut producat effectum in distanti non producendo similem in medio (si nimirum illud axioma stricte intelligatur.

An qualitates a coelis in his inferioribus productae non efficiant per se substantias illas antedictas? non; sed tantum producunt aliquas dispositiones in materia, quibus productis ~~illis producitur~~ introducitur forma substantialis, vel a solo deo supplente defectum causae secundae, vel ab aliqua substantia creata in materia contigua. declara posse dari talem substantiam creatam: sic in mineralibus antedictis forma substantialis mineralis existentis in una parte terrae potest producere similem formam substantialem in materia terrae sibi proxime contiguae.

An non sit probabile quod aliqua accidentia producant etiam per se substantiam? imo, sed non est ita receptum.

Quo casu? sit aliqui substituunt formam substantialem mineralem eiusdem producti a coelis accidentibus in visceribus terrae eo quod non appareat aliqua substantia quae illa mineralia producere possit.

An secundum hoc dici possit aliquam substantiam per se produci ab ipsis coelis in his sublunaribus? non stricte loquendo.

Quemadmodum enim coeli possint per se producere aliquas qualitates in visceribus terrae, quae per se producant illa mineralia? non refert, quia ut coeli ipsi per se producant aliquid in distanti, non sufficit quod in spatio intermedio producant aliquem effectum a quo effectus ille distans per se producatur, sed requiritur ut producant in medio similem effectum cum eo quem per se producunt in distanti.

Quare coeli non producunt similem effectum in medio cum istis mineralibus? quia sic deberent per totum aerem producere formas substantiales mineralium, hoc autem est contra experientiam.

Quare dictum est quod coeli non producant per se similes effectus stricte loquendo? quia late loquendo possent dici coeli producere similes effectus per se.

Quomodo enim sic coeli agerent in distans non agendo per medium? agerent adhuc per medium late loquendo, quia nimirum producerent aliquos effectus in medio, qui effectus per se producerent alios effectus in distantia, sive illi sint similes, sive non.

An secundum hoc possit dici quod sol producat calorem per se hic in terris? imo, quia sol in spatio intermedio producit lumen quod lumen per se producit calorem, hoc autem sufficit ut aliquid dicatur alterum per se late loquendo

An cessante motu coelorum cessaret omnis motus in his sublunaribus? non quia non cessaret motus ad calorem lumen (sol enim potest producere lumen manens immotus).

An omnis motus localis cessaret? non, quia non motus pro

progressivus animalium.
Quandam ergo motus cessaret? vicissitudines temporum dierum aestatis hiemis etc. Item motus circularis elementi ignis et supremae regionis aeris ab oriente in occidentem
Declara posterius: quia ille communicatur illis a coelo lunae, ac proinde si cessaret ille motus non amplius illis communicaretur. Unde colligitur talis motus esse in suprema regione aeris? quia subinde visi sunt aliqui cometae oriri et occidere sicut luna motu diurno, quod non potest in aliam causam refundi quam quia motus diurnus coeli lunae communicaretur supremae regioni aeris in qua existunt cometae.

An coelum aliquid agat in intellectum et voluntatem? non agit aliquid directe sed indirecte.
Declara rationem prioris: quia coelum ut pote materiale non potest proxime aliquid producere in intellectum aut voluntatem spiritualem.
An res materialis non possit naturaliter producere aliquem effectum in rem spiritualem? imo, quia est probabile quod formae strictae entitatis producant unionem sui cum subiecto. Deinde est probabile quod semen hominis uniatur et animae rationali, et materiae primae sicut solet dici quod unio physica uniatur proxime et formae substantiali, et materiae primae essentiali; cum autem his suppositis visus potent producere unionem sui cum anima rationali in anima rationali.
An coeli similiter non possint producere similem effectum in anima rationali? non, saltem directe, quia illae sententiae probabiles non habent locum in coelis.
An coeli non agant indirecte in intellectum et voluntatem? imo, quia coeli possunt producere certas qualitates in organo phantasiae a quo intellectus et voluntas dependet in hac vita, ratione quarum qualitatum alterari potest organum phantasiae, et consequenter mutari modus operandi intellectus et voluntatis, hoc patet in lunaticis.

An astronomi possint aliqua futura praedicere ex aspectu coelorum? imo, quia generatim possunt producere illos effectus qui dependent a coelis tanquam causa naturali et necessaria.
Quid causa naturalis sit? est causa operans non libere ut gravitas.
Quid causa necessaria? est causa comparata ad talem effectum ad quem producendum infallibiliter, et certa lege, talem certis temporibus est determinata. sic ut primum mobile respectu motus diurni.

Quid causa contingens? est causa comparata ad talem
effectum quem non operatur infallibiliter et certa lege.
ut voluntas respectu suarum actionum liberarum, item coeli
respectu pluviarum, fulminum etc.
Da aliqua dependentia a coelis tanquam causa naturali necessaria quae
ab astronomis praedici possunt. eclipses, interlunia, plenilunia,
aestates, hyemes etc.
Declara quod illa pendeant a coelis tanquam causa naturali sibi
necessaria: quia coeli certa lege, et infallibiliter saltem certis
temporibus similia causant.
An omnia quae a coelis tanquam causa naturali necessaria depen-
dent ab astronomis praedici possint? non, nam non tunc quando
illi effectus ab astronomis non animadvertuntur, vel quando tem-
pus quo coeli illos effectus infallibiliter operantur non est no-
tum, quia sic antiquitus non erant noti motus nonae et decimae
sphaerae, et consequenter praedici non poterant effectus per illos mo-
tus causandi, sic etiam nunc temporis multi varie loquun-
tur quandonam motus proprius firmamenti absolvatur, ra-
tione cuius astrologi non possunt certo praedicere tempus quo
ille motus absolvetur.
An astrologi eclipses, et similes coelorum effectus praedicant
infallibiliter? imo, modo causa illarum, et tempus quo illae cau-
santur determinate sciatur.
An astrologi non praedicant etiam effectus dependentes a coelis
tanquam causa contingenti? possunt illos praedicere verisimi-
liter, sed non certo, quia sic possunt praedicere pluvias, tem-
pestates, frigora, et calores.
Quare non possunt similia certo praedicere? quia coeli non
infallibiliter illa operantur, sed possunt subinde impediri per
aliqua agentia extrinseca a similium productione.
Declara quod saltem verisimiliter talia praedicant: quia sunt
certae ~~[illegible]~~ coniunctiones stellarum quae natura sua ad huius
similium effectuum productionem propendent, ita ut plerumque
illos producant nisi aliunde impediantur, tales autem stel-
larum coniunctiones astronomi praescire possunt.
An astronomi possint praedicere liberos actus voluntatis hu-
manae? non, ne quidem verisimiliter, intelligendo de actibus
voluntatis in particulari.
Quomodo cum certae coniunctiones stellarum possint aliter
et aliter disponere organum phantasiae a qua dependet intelle-
ctus et voluntas humana? nihil refert.
Quomodo non cum sic astronomi ex intuitu talis coniunctio

nis stellarum predicere possint certam temperiem orga-
ni phantasie saltem verisimiliter? etiamsi sic esset nihil re-
ferret, quia posita quacumque temperie organi phantasie volu-
tas libere operans sic operatur ut possit etiam facere opposi-
tum, et consequenter ex illa temperie non potest colligi
determinatus effectus liber voluntatis.
An interim sit certum quod astronomi predicere possint futuram
certam temperiem organi phantasie alicuius hominis? R. non pos-
sunt ex aspectu celorum determinate predicere certam temperiem
alicuius hominis in particulari, quia illa temperies quam
ipsi predicunt futuram infinitis pene modis mutari potest. v.g.
per certam nutritionem, per hoc quod homo migret ad aliud cli-
ma mundi, et similia.
Quare dictum est quod astronomi non possint predicere effectus li-
beros in particulari? quia aliquos effectus liberos futuros in
confuso saltem cum aliqua verisimilitudine predicere possint,
quia sit de aliqua regione mundi in qua homines solent nasci
proclives ad iram, possunt predicere quod ibidem fient aliqua cae-
des vel in confuso.

Cuius figure sunt celi? rotunde, quia illa figura
est convenientissima ut celi motibus suis moveantur
supposita semper illorum soliditate, quod additur quia si
celi essent fluidi tunc non videretur necessaria figu-
ra rotunda in illis.
Quare celi non habent figuram quadrangularem? quia tunc
celi supposito quod sint solidi non possent absolvere suos mo-
tus nisi interveniret aliquod inconveniens, quia cum motus
unius celi tardior sit quam motus alterius celi, si essent
figure quadrangularis, non possent suos motus absolvere, nisi
vel fieret penetratio, vel replicatio, vel vacuum, vel simi-
le aliquod inconveniens, quia deberet aliquando contingere ut
pars celi inferioris contenta in angulo celi superioris
transiret ad latera eiusdem celi, id autem non posset tran-
sire nisi vel penetraret illa latera, vel partes illorum la-
terum replicarentur, vel partes celi inferioris per suam pene-
trationem occuparent minus spatium, vel nisi esset vacuum
aut corpore non repletum in quod possent transire
Quomodo celi sunt figure rotunde, cum sic stelle deberent eque
distare a terra? quod tamen est falsum? non deberent, quia licet
orbis deferens alicuius stelle sit rotundus, poterit tamen esse
non concentricus ipsi sphere, et sic poterit subinde magis, subin-
de minus a terra distare.

An stellae semper minus distent a terra quando ~~minus~~ appa-
reant maiores? non, quia possunt apparere maiores propter me-
dium densius interceptum inter illas et oculum nostrum.
An sol in meridie nobis apparens minor non sit vicinior oculo
nostro quam in ortu nobis apparens maior? imo, quia in meridie
tantum intercipiuntur inter solem et aspectum nostrum coeli solo
inferiores et elementa oculo nostro superiora, in ortu vero prae-
ter illa iam dicta intercipitur etiam una pars terrae ~~maior~~ ma-
ior vnius semidiametri terrae circiter.

Diuisio Motus

in Vniformem et difformem, in regularem et irregularem.

An diuisio motus in vniformem et difformem sit adae-
quata? non, quia neutro membrorum diuidentium contine-
tur motus nullas habens partes quasi integrales.
Quid motus vniformis? est motus cuius omnes partes simul existentes
in diuersis partibus spatii vel subiecti aequalibus sunt aequalis
celeritatis.
Quid ibi partes? sunt partes quasi integrales seu partes inte-
grales late dictae.
Cur dicitur cuius omnes partes? quia ad motum vnifor-
mem non sufficit quod aliquae tantum partes in diuersis par-
tibus spatii vel subiecti aequalibus simul existentes sint aequalis
celeritatis.
Quid partes simul existentes? sunt partes coexistentes eidem
tempori, comprehendendo sub tempore etiam instans.
Quare addis hoc vltimum? quia alias non contineretur motus
vniformis instantaneus.
Quid partes subiecti aequales? sunt partes subiecti quarum quae-
libet est indiuisibilis, vel si aliqua earum sit diuisibilis nulla
excedit aliam numero partium.
Da tales partes? duo puncta materiae primae, item duae partes
materiae primae quarum vtraque est duorum punctorum.
Quid partes aequales spatii? sunt partes spatii quarum nulla
excedit aliam numero partium extensarum. vt duo puncta spa-
tii.
An spatium duorum punctorum, et vnicum punctum spatii
sint partes aequales? non

Quomodo non enim spatium duorum punctorum non excedat unicum punctum spatii numero partium? excedit.

Quomodo cum unicum punctum spatii non habeat partes? nihil refert, quia ut excedat numero partium sufficit quod includat plures partes spatii, et alia pars spatii includat pauciores partes vel nullas. Sic numerus binarius recte dicitur excedere unitatem.

Quid partes aequales celeritatis motus? sunt partes motus quarum utraque acquiritur aeque multum termini ad quem. Ut totus motus quo compositum ex duobus punctis materiae primae movetur ad duos gradus caloris sic ut unum punctum acquirat unum gradum et alterum punctum acquirat alterum gradum caloris, quia per partes illius motus acquiritur aeque multum termini ad quem, per unam enim partem motus acquiritur unus gradus caloris et per alteram partem alter gradus caloris.

Da motum uniformem. Ut motus lapidis recta deorsum sine circumgyratione; quod additur quia si cadat cum circumgyratione non erit uniformis, quia aliquae partes illius erunt inaequalis celeritatis; illae enim partes quae moventur motu gravitatis deorsum ~~sunt~~ celerius et simul motu circumgyrationis deorsum moventur quam quae moventur deorsum motu gravitatis et sursum motu circumgyrationis.

Da motum uniformem in primo mobili: motus quo linea aequinoctialis primi mobilis movetur circa axem primi mobilis.

An motus diurnus integri primi mobilis sit uniformis? non, quia aliquae partes illius motus simul existentis sunt inaequalis celeritatis, quia partes illius motus quibus moventur partes primi mobilis axi viciniores sunt minus celeres partibus eiusdem motus quibus moventur aequales partes eiusdem primi mobilis ab axe remotiores in primo mobili.

An in linea aequinoctiali moventur aliquae partes motus diurni quarum una est celerior altera? imo, quia pars motus diurni qua movetur medietas illius lineae est celerior quam pars eiusdem motus diurni qua movetur tantum quarta pars illius lineae, quia per priorem partem illius motus acquiritur plus termini ad quem quam per posteriorem.

Quomodo ergo motus diurnus illius lineae aequinoctialis est uniformis, cum una pars sit celerior altera? est quidem uniformis, quia saltem omnes eius partes simul existentes in diversis partibus aequalibus istius lineae sunt aequalis celeritatis.

An motus quo angelus non replicatus movetur successive per eadem puncta spatii acquirendo singulis instantibus aliam praesentiam ad aliud punctum spatii sit uniformis? non.

Quomodo non cum omnes partes illius motus in diversis partibus

spatii equalibus existentes sint equalis celeritatis? non refert. Quare ergo non est uniformis? transeat quia equidem non est verum dicere quod omnes eius partes simul existentes in diversis partibus spatii sint equalis celeritatis quia ille motus nullas habet partes simul existentes.

Qualis esset motus quo angelus moveretur primo replicatus per decem puncta spatii ad novem puncta spatii, secundo autem instanti ad octo, et sic consequenter semper contrahendo se ad unicum punctum sic ut perveniret ad unicum punctum moveat se ulterius per medium lineae describendo lineam tantum in longum? ille motus esset uniformis pro illa parte pro qua angelus nondum pervenit ad unicum punctum, pro reliqua vero parte esset nec uniformis nec difformis, unde partim esset uniformis partim neuter.

Quomodo ille motus non esset uniformis cum omnes eius partes simul existentes in diversis partibus spatii vel subiecti equalibus essent equalis celeritatis? non essent equalis celeritatis ad sensum definitionis, quia sensus est quod eius omnes partes simul existentes etc. sint equalis celeritatis sic nempe ut ille motus singulis instantibus quibus existit habeat aliquas partes simul existentes.

An non possit dari unus motus uniformis tardissimus? imo

Quomodo cum partes illius motus simul existentes non possint esse equalis celeritatis? possunt esse.

Quomodo cum partes illius motus tardissimi non habeant celeritatem? non habent celeritatem proprie dictam, sed tamen possunt dici esse equalis celeritatis negative.

Quandonam partes motus sunt equalis celeritatis negative? quando sic se habent ut non sint inequalis celeritatis.

Quandonam partes motus sunt inequalis celeritatis? quando sic se habent ut una pars habeat aliquam celeritatem, altera vero nullam, vel quando una habet maiorem celeritatem quam alia.

Declara ergo quod partes motus uniformis tardissimi possint esse equalis celeritatis prout hic? quia possunt se sic habere ut non sint inequalis celeritatis.

An motus quo aliquis spatio unius quadrantis hore conficeret quartam partem milliaris, et motus quo idem spatio medie hore conficeret quartam partem milliaris sint partes motus equalis celeritatis? non.

Quomodo non cum per utrumque illum motum acquiratur eque multum termini ad quem? non acquiritur eque multum termini ad quem ad sensum definitionis qua definiuntur partes motus equalis celeritatis, quia non acquiritur eque multum termini ad quem per illos motus equali tempore.

Defini ergo partes motus equalis celeritatis exprimendo omnia

necessaria ad convertibilitatem definitionis: sunt partes motus per quarum unam equali tempore acquiritur equè multum termini ad quem quam per aliam.

An omnis motus uniformis sit localis? non, quia motus quo compositum ex duobus punctis materie prime movetur ad duos gradus caloris, sic ut unus gradus in unum punctum, et alter in alterum recipiatur est uniformis, et tamen non localis.

Qualis motus uniformis est ante definitus? motus uniformis prout comprehendit motum uniformem ex parte subiecti tantum et motum uniformem ex parte spatii tantum, et ex parte spatii et subiecti simul.

Quid motus uniformis ex parte spatii in genere sumendo sine exclusione? est motus cuius omnes partes simul existentes in diversis partibus eiusdem spatii equalibus sunt equalis celeritatis.

Quid motus uniformis ex parte spatii tantum? est motus cuius omnes partes simul existentes in diversis partibus eiusdem spatii equalibus sunt equalis celeritatis, sic ut non habeat omnes partes simul existentes in diversis partibus eiusdem subiecti equalibus equalis celeritatis. sit motus quo compositum ex sex punctis materie prime quorum tria se penetrarent moveretur ad duodecim gradus caloris, sic ut tria puncta se non penetrantia singula acquirerent tres gradus caloris, et singula puncta se penetrantia acciperent tantum unicum gradum caloris.

Declara quod ille motus sit uniformis ex parte spatii tantum: quia est uniformis ex parte spatii, et difformis ex parte subiecti.

Declara quod sit uniformis ex parte spatii: quia omnes partes illius motus simul existentes in diversis partibus spatii equalibus sunt equalis celeritatis.

Quid motus uniformis ex parte subiecti sine exclusione? est motus cuius omnes partes simul existentes in diversis partibus eiusdem subiecti equalibus sunt equalis celeritatis.

Quid motus uniformis ex parte subiecti tantum? est motus cuius omnes partes simul existentes in diversis partibus eiusdem subiecti equalibus sunt equalis celeritatis sic ut non habeat omnes partes simul existentes in diversis partibus spatii equalibus equalis celeritatis, ut motus quo compositum ex duobus punctis materie prime se penetrantibus movetur ad duos gradus caloris sic ut unus gradus in unum punctum alter in alterum recipiatur.

Declara illum motum esse uniformem ex parte subiecti: quia omnes eius partes simul existentes in diversis partibus subiecti equalibus sunt equalis celeritatis.

Cur non est uniformis ex parte spatii? quia ille motus non habet partes simul existentes in diversis partibus spatii quia illa duo puncta materie prime supponuntur se mutuo penetrare in

eodem puncto, ac proinde partes illius motus quibus moventur illa puncta se mutuo penetrant.

Quomodo se habent motus uniformis ex parte spatii et motus uniformis ex parte subiecti? si sumantur cum exclusione tunc repugnant.

Quid si sumantur sine exclusione? tunc utrumque erit motus uniformis ex parte spatii et subiecti simul.

Quid motus uniformis ex parte spatii et subiecti simul? est motus cuius omnes partes simul existentes tam in diversis partibus subiecti quam spatii equalibus sunt equalis velocitatis. ut motus quo movetur compositum ex duobus punctis materie prime se non penetrantibus ad duos gradus caloris sic ut unus gradus in unum punctum, et alter in alterum recipiatur.

Da motum uniformem ex parte spatii tantum: ut ante. ergo excedunt se.

Quid uniformitas motus uniformis? est equalitas quoad velocitatem consistens inter omnes partes alicuius motus simul existentes in diversis partibus spatii vel subiecti equalibus.

An motus uniformis debeat esse subiectum proximum uniformitatis? non. quia uniformitas motus consistit proxime inter partes ipsius motus uniformis, ac proinde ipsemet motus uniformis non debet esse subiectum proximum uniformitatis.

Quid motus difformis? est motus cuius aliquae partes simul existentes in diversis partibus spatii vel subiecti equalibus sunt inequalis velocitatis. ut motus primi mobilis.

Cur non est dictum in definitione cuius omnes partes existentes simul etc. sunt inequalis velocitatis? quia ad motum difformem non requiritur ut omnes eius partes simul existentes etc. sint inequalis velocitatis, sed sufficit quod aliquae tantum sint tales.

An ergo motus difformis possit habere partes simul existentes etc. equalis velocitatis? imo. ut motus primi mobilis, ille enim includit motum uniformem lineae equinoctialis primi mobilis.

Quid partes inequalis velocitatis? sunt partes motus per quarum unam equali tempore acquiritur plus termini ad quem quam per aliam. ut partes motus primi mobilis per quarum unam movetur motu diurno pars primi mobilis axi vicinior et per quarum alteram movetur pars primi mobilis ab axe remotior.

Divide motum difformem? in motum difformem ex parte subiecti tantum, ex parte spatii tantum, et motum difformem ex parte spatii et subiecti simul.

Quid motus difformis ex parte subiecti sine exclusione? est motus cuius aliquae partes simul existentes in diversis partibus subiecti equalibus sunt inequalis velocitatis. ut motus primi

mobilis.

Quid motus difformis ex parte subiecti tantum? est motus cuius aliquae partes simul existentes in diuersis partibus subiecti aequalibus sunt inaequalis celeritatis, sic ut non habeat aliquas partes simul existentes in diuersis partibus spatii aequalibus inaequalis celeritatis. Ut motus quo compositum ex tribus punctis materiae primae se mutuo penetrantibus moueretur ad quatuor gradus caloris sic ut unum punctum reciperet duos gradus, reliqua autem duo singula tantum unum gradum.

Declara illum motum esse difformem ex parte subiecti: quia aliquae partes simul existentes in diuersis partibus subiecti aequalibus sunt inaequalis celeritatis.

Cur ille motus non est difformis ex parte spatii? quia ille motus nullas habet partes simul existentes in diuersis partibus spatii.

Quid motus difformis ex parte spatii sine exclusione? est motus cuius aliquae partes simul existentes in diuersis partibus spatii aequalibus sunt inaequalis celeritatis. Ut motus primi mobilis.

Quid motus difformis ex parte spatii tantum? est motus cuius aliquae partes simul existentes in diuersis partibus spatii aequalibus sunt inaequalis celeritatis sic ut non habeat aliquas partes simul existentes in diuersis partibus subiecti aequalibus inaequalis celeritatis. Ut motus quo compositum ex tribus punctis materiae primae quorum duo se penetrarent, moueretur ad tres gradus caloris sic ut singula puncta unum gradum reciperent.

Declara quod ille motus sit difformis ex parte spatii: quia est motus cuius aliquae partes simul existentes in diuersis partibus spatii aequalibus sunt inaequalis celeritatis, quia pars motus quae existit in illo puncto spatii in quo duo puncta materiae primae se penetrant habet plus termini ad quem quam pars eiusdem motus existens in illo puncto spatii in quo tantum est unicum punctum materiae primae.

Cur ille motus non est difformis etiam ex parte subiecti? quia est uniformis ex parte subiecti, omnes enim eius partes simul existentes in diuersis partibus subiecti aequalibus sunt aeque celeres.

Quid motus difformis ex parte spatii et subiecti simul? est motus cuius non tantum aliquae partes simul existentes in diuersis partibus subiecti aequalibus, sed etiam aliquae simul existentes in diuersis partibus spatii aequalibus sunt inaequalis celeritatis. Ut motus primi mobilis.

Quomodo se habent motus difformis ex parte spatii et motus difformis ex parte subiecti? sumendo cum exclusione repugnant, sumendo autem sine exclusione excedunt se utrinque et [illegible]

primi mobilis, Motus vero difformis ex parte spatii tantum item motus difformis ex parte subiecti tantum, sicut quoad celeritatem vnius dati.

Quid difformitas motus difformis? est inaequalitas aliquarum partium motus simul existentium in diversis partibus eiusdem spatii vel subiecti aequalibus

An motus difformis sit subiectum proximum difformitatis a qua dicitur difformis? Non, quia motus difformis dicitur difformis a difformitate proxime consistente inter aliquas sui partes.

Inter quas partes motus difformis consistit proxime difformitas eius? inter partes illius motus simul existentes in diversis partibus spatii vel subiecti aequalibus inaequales quoad celeritatem, seu quarum una est tardior, et altera celerior.

Quid pars tardior motus? est pars motus per quam aequali tempore non acquiritur tantum ulterius termini ad quem quam per illam partem ad quam comparatur. Ut pars motus qua acquiritur unus tantum gradus caloris respectu partis motus qua eodem tempore acquiruntur duo gradus caloris.

Quid pars motus celerior? est pars motus qua aequali tempore acquiritur plus termini ad quem quam per illam partem ad quam comparatur.

Utraquam pars motus difformis est fundamentum proximum difformitatis, et utraquam terminus proximus? an pars celerior an tardior? possumus pro libitu nostro concipere tam partem celeriorem quam tardiorem tanquam fundamentum proximum difformitatis, item possumus illas sic concipere tanquam terminum proximum difformitatis, cum illo tamen ordine ut dum concipimus partem tardiorem tanquam fundamentum, tunc concipiamus partem celeriorem correspondentem tanquam terminum, et quando concipimus partem celeriorem tanquam fundamentum, tunc oportet concipere partem tardiorem tanquam terminum.

An illa vox difformis item uniformis denominent tantum subiectum remotum uniformitatis, item difformitatis? possunt quidem etiam denominare unum motum qui etiam est subiectum proximum alicuius difformitatis, sed tamen semper denominant motum in quantum est subiectum remotum uniformitatis vel difformitatis.

Declara hoc ultimum: quia semper denominant motum in quantum est subiectum uniformitatis vel difformitatis consistentis proxime inter suas partes.

Declara quod motus difformis possit esse subiectum proximum difformitatis: quia sic motus difformis quo compositum ex duobus punctis materiae primae movetur difformiter sed scilicet ut unum punctum acquirat duos gradus caloris, et alterum unum gradum caloris, est subiectum proximum difformitatis consistentis proxime inter illum motum, et motum quo aliud compositum ex duobus punctis materiae primae movetur difformiter

sic ut unum punctum acquirat tres gradus caloris, et aliud
quatuor eodem tempore supposito quod illa duo composita consti-
tuant unum compositum ex quatuor punctis materiae penetr.
eodem modo ostendi potest quod detur motus uniformis qui est sub-
iectum proximum alicuius ~~uniformis~~ uniformitatis
Da talem: sic motus uniformis quo movetur uniformiter impeditas
lineae aequinoctialis primi mobilis est subiectum proximum unifor-
mitatis proxime consistentis inter ipsas, et motum quo movetur
uniformiter alia medietas eiusdem lineae.
Sed motus uniformis, et difformis repugnant? secundo prout
ante definiuntur non repugnant, quia potest dari motus unifor-
mis ex parte spatii, qui sit difformis ex parte subiecti, ille vero sec-
undum praedictas definitiones erit uniformis et difformis simul.
Quomodo se habet motus uniformis et difformis ante definiti? R.
Uterque est motus uniformis ex parte spatii vel difformis ex parte
subiecti vel contra. alterum tantum est motus uniformis ex parte
spatii et subiecti simul, alterum tantum est motus difformis ex
parte spatii et subiecti simul.
Quomodo se habent motus difformis ex parte spatii, et ~~difformis~~ uni[formis]
ex parte subiecti? Uterque est motus quo compositum ex tri-
bus punctis materiae primae quorum duo tantum se penetrant
movetur ad tres gradus caloris sic ut singula puncta unum
gradum tantum acciperent.
Declara quod sit difformis ex parte spatii: quia aliquae eius par-
tes simul existentes in diversis partibus spatii aequalibus sunt
inaequalis velocitatis.
Da prius tantum: motus difformis ex parte spatii et subiecti
simul.
Da posterius tantum: motus uniformis ex parte spatii et subiecti
simul.
Quomodo se habent motus difformis ex parte subiecti, et motus
uniformis ex parte spatii? Uterque est motus quo movetur com-
positum ex quatuor punctis materiae primae quorum duo tantum
se penetrant ad sex gradus caloris sic ut singula puncta se pe-
netrantia acciperent tantum unum gradum, reliqua vero duos.
Declara quod ille motus sit difformis ex parte subiecti: quia
aliquae eius partes simul existentes etc sunt inaequalis velocitatis,
quia pars illius motus quod unum ex punctis se penetrantibus
accipit tantum unum gradum caloris est tardior quam pars
eiusdem motus qua unum ex punctis se non penetrantibus
accipit duos gradus caloris.
Declara quod sit uniformis ex parte spatii: quia in singulis
punctis spatii per illum motum acquiruntur duo gradus caloris.
Quomodo enim tantum acquiratur unus gradus caloris in illo
puncto spatii in quo punctum materiae primae aliud penetrans ex-
istit? acciperentur duo gradus, quia supponuntur duo puncta ma

pars primus in eodem puncto spatii existens sit ut utrumque eorum acquirat unum gradum caloris.

Da motum difformem ex parte subiecti non uniformem ex parte spatii: motus difformis ex parte utriusque.

Da motum uniformem ex parte spatii non difformem ex parte subiecti: ut motus uniformis ex parte utriusque.

Da motum uniformem ex parte spatii tantum, non difformem ex parte subiecti: motus quo angelus replicatus per modum lineae eodem punctorum movet se localiter sic ut singulis instantibus acquirat presentiam ad eadem puncta spatii per modum lineae disposita.

Declara quod ille motus sit uniformis ex parte spatii: quia omnes eius partes simul existentes etc. sunt equalis velocitatis.

Quare ille motus non est etiam uniformis ex parte subiecti? quia ille motus non habet partes simul existentes in diversis partibus subiecti sed omnes simul existentes sunt in eodem subiecto replicato.

Nota tamen quod aliqui talem motum vocent etiam motum uniformem ex parte subiecti, quia etiamsi non habeant partes simul existentes in diversis partibus subiecti formalibus habent tamen tales in diversis partibus subiecti virtualibus.

An ergo res integraliter simplex possit habere partes integrales virtuales? imo et talis est res integraliter simplex replicata in partibus spatii sibi coexistentibus.

Quid moveri uniformiter? est moveri motu uniformi qui non est pars motus difformis quo idem eodem tempore per se movetur.

Quare additur hoc qui non est pars etc.? quia primum mobile non dicitur moveri uniformiter licet moveatur motu uniformi gratia lineae equinoctialis quam includit et ideo quia ille motus uniformis est pars motus difformis quo totum primum mobile per se movetur.

Quid ibi moveri per se? est moveri vel gratia sui per se primo, vel gratia partis.

Da quod movetur uniformiter gratia partis tantum: homo dum movetur uniformiter ad calorem movetur tantum gratia manus primo.

An illud quod movetur uniformiter debeat moveri per se illo motu uniformi quo movetur uniformiter? imo.

An linea equinoctialis primi mobilis moveatur uniformiter? imo.

Quomodo cum motus uniformis eius sit pars motus difformis totius primi mobilis quo motu etiam illa linea movetur? imo movetur quidem per accidens illo motu difformi, sed non per se quia linea illa equinoctialis movetur motu difformi totius primi mobilis nec gratia sui per se primo, nec gratia partis.

Da lineam rectam in primo mobili quae movetur uniformiter.

linea in primo mobili composita ex duobus punctis axis et punctis axi planè vicinis, quia illa linea movetur motu uniformi qui non est pars motus difformis quo idem eodem tempore per se movetur.
Quomodo illud exemplum est bonum cum illud compositum non sit linea sed superficies? non est superficies.
Quomodo cum componatur ex duabus lineis duorum punctorum? non sit necesse ut duo illa puncta utrinque supponantur se penetrare.
Da lineam in primo mobili rectam quae movetur uniformiter citra suppositam penetrationem? linea trium punctorum lateraliter proxime affixa axi in primo mobili.
Da superficiem rectam in primo mobili quae movetur uniformiter? ut superficies composita ex lineis lateraliter undequaque proxime affixis axi in primo mobili.
Da corpus in primo mobili quod sic movetur: corpus compositum ex axe et omnibus lineis proxime cingentibus axem lateraliter in primo mobili.
Cur additur ubique in primo mobili? quia potest dari compositum ex una parte axis et lineis illam cingentibus quod non est pars primi mobilis sed pars terrae prope centrum universi et quia axis primi mobilis est linea recta ducta ab uno polo primi mobilis per centrum terrae usque ad alterum polum primi mobilis, ac proinde possent dari etiam lineae vicinae tali axi prope centrum terrae.
Cur quam partes axis primi mobilis sunt in primo mobili? poli ipsius axis et puncta vicina polis in eodem axi.
Quam longa est pars axis contenta in primo mobili? tam longa quam primum mobile est crassum, et talis pars axis reperitur prope utrumque polum primi mobilis.
Quid moveri difformiter? est per se moveri motu difformi
Da quod est subiectum motus et non difformiter movetur: ut compositum ex subiecto motus difformis et aliqua forma quae dicit inseparabilem ordinem ad unicum instans temporis.
Declara quod illud sit subiectum motus difformis: quia est subiectum illius motus gratia suae partis.
Quare non movetur difformiter? quia non potest moveri cum tantum possit existere unico instanti.
Da quod movetur difformiter: primum mobile.
Quid est latio uniformis? est latio cuius omnes partes simul existentes in diversis partibus spatii vel subiecti aequalibus sunt aequalis velocitatis. conformiter definitur latio difformis, item motus secundum et praeter contra naturam tam uniformis quam difformis.
Da lationem uniformem: ut motus lapidis deorsum sine circumgyratione.

da lationem difformem: ut motus primi mobilis.
da motum contra naturam uniformem: motus lapidis recta
sursum sive circumgyrationis.
das motum praeter naturam uniformem: motus quo compositum
ex duabus guttis aquae movetur uniformiter a fundo aquae usque
ad medium ipsius aquae.
da motum uniformem in difformi: motus lineae aequinoctialis
primi mobilis inexistens motui ipsius primi mobilis.
da motum difformem in uniformi: ut motus praecise compositus
ex motu quo unum punctum materiae primae movetur ad duos
gradus caloris, et ex motu quo aliud punctum materiae primae
movetur ad unum gradum caloris supposito tamen quod utrumque
punctum acquirat eodem tempore duos gradus caloris, et sup-
posito quod illa duo puncta variantur sibi invicem integraliter.
declara quod ille motus sit difformis: quia aliquae partes simul
existentes etc. sunt inaequalis velocitatis.
cui motui uniformi inexistit ille motus difformis? motui quo
compositum ex illis duobus punctis movetur ad quatuor gradus
caloris, sic ut unum punctum duos, et alterum punctum
etiam duos gradus simul recipiat, quia ille motus difformis
est pars illius posterioris motus uniformis.
Quomodo ille posterior motus est uniformis cum se includat
difformem, aliquae partes simul existentes etc. sunt inaequalis ve-
locitatis? non dantur tales partes inaequalis velocitatis quales
hic intelliguntur, nempe partes integrae.
Quid partes integrae motus? sunt partes motus quae non com-
ponunt aliam partem eiusdem motus simul existentem proximo
in eodem subiecto.
declara quod iam omnes partes integrae illius posterioris motus
simul existentes in diversis partibus etc. sunt aequalis velocitatis?
quia partes integrae illius motus sunt motus quo unum punc-
tum materiae primae movetur ad duos gradus caloris, et motus
quo alterum punctum eodem tempore movetur ad duos gradus
caloris.
An ergo motus quo unum punctum praecise movetur tantum ad
unum gradum caloris in praedicto exemplo non sit pars integra
motus? non, quia componit aliam partem eiusdem motus simul
existentem in eodem proximo subiecto nempe in eodem puncto ma-
teriae primae.
Quot partibus debet constare motus uniformis? ad minimum
duabus.
Quot partibus debet constare motus difformis? ad minimum
tribus, quia debet constare una parte velociore, et una parte tar-
diori, illa autem pars tardior potest quidem esse indivisibilis, pars
autem velocior debet ad minimum esse divisibilis in duas par-
tes indivisibiles, et sic ad omnem motum difformem concurrunt

ad minimum tres partes indivisibiles.
Defini motum uniformem sic ut repugnat cum difformi: est motus cuius omnes partes simul existentes in diversis partibus spatii vel subiecti equalibus sunt eque celeres sic ut non habeat aliquas partes simul existentes in diversis partibus spatii vel subiecti equalibus inequalis celeritatis, ut motus uniformis ex parte utriusque.
Defini motum difformem sic ut repugnat cum uniformi: est motus cuius aliquae partes simul existentes in diversis partibus spatii vel subiecti equalibus sunt inequalis celeritatis sic ut non sit verum dicere quod omnes eius partes simul existentes in diversis partibus spatii vel subiecti equalibus sint equalis celeritatis. Ut motus difformis ex parte utriusque.
Quomodo aliter dividitur motus? in regularem et irregularem.
Quodnam est divisum illius divisionis? motus habens partes sibi in eodem succedentes.
Quid motus regularis? est motus cuius omnes partes sibi in eodem succedentes sunt equalis celeritatis.
Quid intelligitur per eodem? in eodem subiecto vel spatio.
Quid partes sibi succedentes? sunt partes quarum una existit post aliam sic ut non coexistant simul, et sic definiuntur partes motus succedentes.
Da motum regularem: motus primi mobilis.
Quomodo cum aliquae partes illius motus in eodem sibi succedentes sint inequalis celeritatis? non sunt.
Quomodo cum partes motus sibi succedentes quarum una movetur pars pars primi mobilis axi vicinior, et quarum altera movetur pars ab axe remotior sint inequalis celeritatis? nihil refert, quia illae partes non succedunt sibi in eodem.
Quomodo cum succedant in eodem primo mobili? non refert.
Quare ergo non in eodem? quia ad hoc ut succedant sibi in eodem requiritur ut sibi succedant in eodem subiecto proximo, vel ut proxime sibi succedant in eodem spatio sic scilicet ut non succedant sibi tantum in eodem spatio quatenus alicuius partis istius spatii.
In quo conveniunt motus regularis et uniformis et in quo disconveniunt? in eo quod uterque illorum habeat aliquas partes equalis celeritatis, et disconveniunt in eo quod motus uniformis requirat aliquas partes simul existentes, et non requirat sibi succedentes, et quod motus regularis requirat aliquas partes sibi succedentes, non requirat partes simul existentes.
Quomodo se habent motus regularis et motus uniformis?

excedunt se? utrumque est motus diurnus lineae aequinoctialis primi mobilis.
Da motum uniformem tantum: motus uniformis instantaneus.
Da regularem tantum: motus primi mobilis.
Quomodo se habent motus difformis et motus regularis? etiam excedunt se, utrumque est motus primi mobilis.
Da motum difformem tantum: motus difformis instantaneus.
Da regularem non difformem: motus lineae aequinoctialis primi mobilis.
Quomodo dividitur motus regularis? in motum regularem ex parte subiecti tantum, in motum regularem ex parte spatii tantum, et motum regularem ex parte spatii et subiecti simul.
Quid motus regularis ex parte subiecti sine exclusione? est motus cuius omnes partes sibi in eodem subiecto succedentes sunt aequalis velocitatis, ut motus primi mobilis.
Quomodo cum motus quo movetur medietas primi mobilis, et motus priori succedens quo movetur tantum quarta pars primi mobilis non sint aequalis velocitatis? nihil refert, quia ille motus non succedit alteri in eodem subiecto prout hic [illegible]
Quomodo non cum succedat alteri in eodem primo mobili? distinguo succedit alteri in eodem primo mobili remote, sed non proxime. Diam autem ad hoc ut aliqui motus succedant sibi in eodem prout hic requiritur ut proxime succedant sibi in eodem id est in eodem mobili proximo.
Quid motus regularis ex parte subiecti tantum? est motus cuius omnes partes sibi in eodem subiecto succedentes sunt aequalis velocitatis sic ut non sit verum dicere quod omnes eius partes sibi in eodem spatio succedentes sint aeque veloces. ut motus ~~[illegible]~~ quo punctum materiae primae non ~~[illegible]~~ replicatum movetur recta deorsum regulariter.
Quid motus regularis ex parte spatii sine exclusione? est motus cuius omnes partes sibi in eodem spatio succedentes sunt aequalis velocitatis, ut motus primi mobilis.
Quid motus regularis ex parte spatii tantum? est motus cuius omnes partes sibi in eodem spatio succedentes sunt aeque veloces sic ut non sit verum dicere quod omnes eius partes sibi in eodem subiecto succedentes sint aeque veloces: ut motus diurnus decimae sphaerae.
Declara quod ille motus sit regularis ex parte spatii: quia omnes eius partes in eodem spatio sibi succedentes sunt aeque veloces, quia motus diurnus decimae sphaerae qui fit A F in spatio correspondente aequinoctiali hoc tempore est aeque velox ac motus qui fit in eodem spatio tempore sequenti; item motus diurnus decimae sphaerae quo describitur tropici hoc tempore est aeque velox ac motus quo idem describetur tempore sequenti et sic de ceteris.
Quare ille motus non est regularis ex parte subiecti? quia propter

motum librationis decimae sphaerae fit quod eaedem partes decimae
sphaerae modo sint viciniores, et modo remotiores ab axe primi mobi-
lis; iam autem illae partes dum existunt viciniores axi moventur
tardius motu diurno quam dum sunt remotiores: ac proinde motus diur-
nus decimae sphaerae non habet omnes partes sibi in eodem mobili prox-
imo succedentes aequalis celeritatis.

Quomodo se habent motus regularis ex parte spatii, et motus regu-
laris ex parte subiecti? si sumantur cum exclusione repugnant
Quid si sumantur sine exclusione? excedunt se. Utrumque est motus pri-
mi mobilis quo movetur per unam horam quod additur, quia mo-
tus quo primum mobile tantum movetur praecise uno instanti
non est talis quia non habet partes succedentes.

Da motum regularem ex parte spatii tantum: ut motus diur-
nus decimae sphaerae, motus vero regularis ex parte subiecti tantum
est ante datus.

Quid regularitas motus regularis? est aequalitas quoad celerita-
tem omnium partium alicuius motus sibi in eodem succedentium

An motus regularis sit subiectum proximum regularitatis? non
est necesse, quia subiectum proximum sunt partes ipsius motus regu-
laris, illae autem partes non necessario sunt motus regulares, quia
possunt esse motus instantanei.

Quid motus irregularis? est motus cuius aliquae partes sibi in eo-
dem succedentes sunt inaequalis celeritatis. ut motus ordinarius
gravium deorsum durans aliquo tempore.

Declara: quia gravia in fine motus deorsum solent celerius move-
ri quam in initio eiusdem motus, quia in initio motus sola gravi-
tas operatur illum motum vel ad summum adiuta per impetum
valde remissum, in fine vero motus gravitas operatur motum
simul cum impetu magis intenso.

Divide motum irregularem: in motum irregularem ex parte subiec-
ti tantum etc

Quid motus irregularis ex parte subiecti sine exclusione? est motus
cuius aliquae partes sibi in eodem subiecto succedentes sunt inaequa-
lis celeritatis. ut motus ordinarius gravium deorsum.

Quid motus irregularis ex parte subiecti tantum? est motus cuius
aliquae partes sibi in eodem subiecto succedentes sunt inaequalis
celeritatis sic ut non habeat aliquas partes sibi in eodem spatio
succedentes inaequalis celeritatis. ut motus diurnus decimae sphaerae.

Quid motus irregularis ex parte spatii sine exclusione? est motus
cuius aliquae partes sibi in eodem spatio succedentes sunt inaequa-
lis celeritatis. ut motus quo punctum materiae primae non multipli-
catum movetur primo instanti ad unum gradum caloris, secundo
ad duos simul, tertio instanti ad tres etc et sic consequenter.

Quomodo cum ille motus sit irregularis ex parte subiecti? non

refert, quia motus irregularis ex parte spatii sine exclusione bene potest esse irregularis ex parte subiecti.

Quid motus irregularis ex parte spatii tantum? est motus cuius aliquae partes sibi in eodem spatio succedentes sunt inaequalis celeritatis sic ut non habeat aliquas partes sibi in eodem subiecto succedentes inaequalis celeritatis. Ut motus qui compositus ex tribus punctis materiae primae se penetrantibus sic moveatur ut primum punctum primo instanti moveatur ad unum gradum caloris aliis punctis manentibus immotis, et secundum punctum secundo instanti moveatur ad duos gradus aliis punctis manentibus immotis, et tertium punctum tertio instanti ad tres gradus, aliis manentibus immotis.

Declara quod ille motus sit irregularis ex parte spatii tantum: quia sic est irregularis ex parte spatii ut non sit irregularis ex parte subiecti.

Declara quod sit irregularis ex parte spatii: quia habet aliquas partes sibi in eodem spatio succedentes inaequalis celeritatis.

Cur non est irregularis ex parte subiecti? quia non habet partes sibi in eodem subiecto succedentes inaequalis celeritatis.

Quomodo non habeat partes inaequalis celeritatis sibi succedentes in eodem composito ex tribus illis punctis materiae primae? nihil refert.

Cur ergo non habet partes inaequalis celeritatis sibi in eodem subiecto succedentes? quia illud compositum non est subiectum proximum partium illius motus sed ipsa puncta illius compositi sunt subiectum proximum, iam vero per partes sibi in eodem subiecto succedentes intelliguntur partes sibi succedentes in eodem subiecto tanquam mobili proximo.

Quid motus irregularis ex parte spatii et subiecti simul? est motus cuius non tantum aliquae partes in eodem spatio, sed etiam aliquae in eodem subiecto sibi succedentes sunt inaequalis celeritatis. Ut motus proprius decimae sphaerae.

Quomodo se habent motus irregularis ex parte spatii, et motus irregularis ex parte subiecti? sumendo cum exclusione repugnant, sumendo sine exclusione excedunt se ut patet ex dictis.

Quid irregularitas motus? est inaequalitas quaedam celeritatum aliquarum partium motus sibi in eodem succedentium.

Da motum regularem in irregulari. Ut si punctum materiae primae moveretur primo instanti ad unum gradum caloris, et secundo instanti etiam ad unum, et tertio instanti ad duos simul, tunc motus perfectus compositus ex duabus prioribus partibus est regularis, et inexistit totali isti motui qui est irregularis.

Da motum irregularem in regulari: motus irregularis ex parte subiecti inexistens motui regulari ex parte spatii facile dari potest, et talis est motus diurnus diurnus quo decima sphaera movetur ad unam horam respectu motus quo eadem movetur ad integrum diem.

Da motum irregularem in motu regulari ex parte utriusque: Sicut punctum materiae primae moveretur hoc instanti ad duos gradus caloris simul, et secundo instanti etiam ad duos, tunc motus compositus praecise ex motu quo primo instanti acquiruntur duo gradus et motu quo secundo instanti praecise acquiruntur duo, est motus irregularis inexistens totali motui antedicto qui est regularis.

Quid moveri regulariter? late est moveri motu regulari, stricte vero est moveri per se motu regulari qui non est pars motus irregularis quo idem etiam movetur. Ut primum mobile.

Quid moveri irregulariter? est per se moveri motu irregulari. Ut decima sphera

Quomodo se habent id quod potest moveri regulariter vel irregulariter et id quod potest moveri uniformiter vel difformiter? Utrumque est homo

Da quod moveri potest uniformiter vel difformiter et non regulariter vel irregulariter: tale quid est aliquod mobile uniformiter vel difformiter quod tantum potest existere duobus instantibus.

Da econtra: tale est aliquod mobile regulariter vel irregulariter quod est res indivisibilis non replicata per plura puncta spatii contigua

De Acceleratione motus.

Quomodo fit acceleratio motus? est duplex sententia una dicit quod fiat per ablationem morularum vel ipsius mobilis vel partium ipsius mobilis si habeat: alia sententia dicit quod fiat per replicationem aliquarum partium ipsius mobilis si habeat partes vel per replicationem ipsius mobilis si sit res indivisibilis.

De quo motu intelligitur haec quaestio? de locali.

Da ergo rationem cur motus diurnus aequinoctialis magis acceleretur quam motus diurnus circuli polaris? quia per motum diurnum aequinoctialis aequali tempore plus spatii conficitur quam per motum diurnum circularis polaris.

Unde hoc fit? quia partes circuli polaris dum moventur motu diurno habent maiores et plures morulas quam partes aequinoctialis.

An non possit aliter responderi ad illam interrogationem? imo possumus
dicendo quod fiat maior explicatio in partibus aequinoctialis dum
moventur motu diurno quam in partibus circuli polaris
An iuxta illam sententiam quae dicit accelerationem motus fieri per
sublationem morularum non possit sustineri quod motus primi
mobilis sit uniformis? imo, quia omnes eius partes simul existen-
tes etc. erunt aequalis celeritatis, quia tunc quaelibet pars inte-
gralis indivisibilis non potest unico instanti acquirere plus termini
ad quem quam possessam ad unicum punctum spatii ac proinde
omnes partes illius motus existentes in diversis partibus aequalibus
iuxta illam sententiam erunt aeque celeres.
Nota quod ad hoc ut sciatur quot sint coeli mobiles et quomodo
moveantur debeat inspici sphaera in qua hoc explicatum est.

Qualis est motus primi mobilis? An uniformis
an difformis an regularis an irregularis? est motus diffor-
mis et regularis.
Da motum quo movetur pars primi mobilis qui est
uniformis? ut motus diurnus quo movetur linea aequinoc-
tialis primi mobilis per diem naturalem.
Da aliquid in primo mobili quod non movetur uniformi vel diffor-
mi nec regulari aut irregulari? tale quid sunt omnes illae partes
primi mobilis quae simul sunt partes axis primi mobilis, quia
partes axis primi mobilis manent immotae et non moventur
motu diurno sicut aliae partes.
An saltem illae partes non possint moveri uniformiter motu non
locali? hoc posset fieri, sed quaestio fuit intellecta de motu locali.
Qualis est motus decimae sphaerae? distinguendum est, motus diur-
nus decimae sphaerae est difformis sicut generatim motus cuius-
libet coeli totalis, et est regularis ex parte spatii sed irregularis
ex parte subiecti; motus vero proprius decimae sphaerae est diffor-
mis et irregularis ex parte utriusque
Declara quod sit irregularis ex parte subiecti: quia aliquae partes
in eodem subiecto sibi succedentes sunt inaequalis celeritatis.
Declara quod sit irregularis ex parte spatii: quia aliquae partes etc.
Unde hoc probatur? quia libratio decimae sphaerae a septentrione in
austrum primo est tarda deinde paulatim intenditur usque ad me-
dium et post a medio usque ad finem paulatim remittitur
Qualis est motus nonae sphaerae? motus librationis qui est proprius
nonae sphaerae est difformis et irregularis ex parte utriusque ob simi-
lem rationem ob quam motus decimae sphaerae est talis.
Quomodo fit libratio nonae sphaerae? ab occidente in orientem super
polis zodiaci.
Qualis est motus diurnus nonae sphaerae? est difformis et irregu-
laris ex parte utriusque
Quare non est etiam regularis ex parte spatii sicut motus diurnus
decimae sphaerae? quia ille motus impeditur a sua regularitate ex
parte spatii, ~~paulatim~~ per ipsum motum proprium nonae sphaerae.

Declara quia per motum librationis Nonæ sphæræ Nona sphæra
movetur ab occidente in orientem per aliquot minuta, et in istis
redit ab oriente in occidentem per aliquot minuta, quando vero
redit ab oriente in occidentem tunc motu suo aliquantulum iuvat
motum diurnum, et sic motus diurnus uno tempore velocior est
altero.
Qualis est motus proprius firmamenti? irregularis ex parte
subiecti, est etiam ex parte spatii.
Qualis est motus diurnus firmamenti? est etiam irregularis
ex parte utriusque.
Declara quod sit irregularis ex parte spatii: quia ille est irregu-
laris ex parte spatii propter motum proprium illius firmamen-
ti, et simul propter motum communicatum Nonæ sphæræ.
Quales sunt motus proprii septem coelorum planetarum? R
sunt irregulares ex parte utriusque intelligendo de totalibus mo-
tibus.
Unde provenit illa irregularitas? partim ex motu decimæ sphæ-
ræ, partim ex motu Nonæ sphæræ ipsis communicato.
An totales orbes planetarum moveantur motu proprio? non
sed tantum excentrici simpliciter. sunt etiam irregulares ex par-
Quales sunt motus epicyclorum?
te utriusque
Da partem in firmamento, vel in coelis planetarum quæ neque
moveatur regulariter nec irregulariter: non datur
Quare non pars componens axem firmamenti? non est talis.
Quare non tam bene quam pars aliqua componens axem pri-
mi mobilis? quia pars componens axem primi mobilis nec mo-
vetur motu diurno nec ullo alio motu locali, pars vero com-
ponens axem firmamenti licet in quantum componit axem
firmamenti non moveatur motu proprio firmamenti, movetur
tamen motu diurno, ac proinde regulariter vel irregulariter.
Da stellam quæ moveatur regulariter et uniformiter? non datur talis.
Quare non datur stella quæ moveatur regulariter? quia omnis motus stel-
larum est irregularis propter varios motus a superioribus coelis com-
municatos. moveatur uniformiter ~~intelligenda~~ quia quæ-
Quare non datur stella quæ habet aliquas partes axi viciniores,
libet stella propter suam extensionem
et aliquas ab axe remotiores. moveatur uniformiter: ut pars integra-
Da partem alicuius stellæ quæ
liter indivisibilis stellæ.
Quomodo cum illa pars non habeat plures partes in quibus par-
tes motus uniformis existere possunt? habet adhuc innumeras partes
physicas. Notandum tamen est quod partes subiecti æquales in qui-
bus existere debent partes motus uniformis ex parte subiecti possunt
restringi ad partes integrales, unde est mera quæstio de nomine an
per partes intelligantur tantum partes integrales an etiam ali-
Da partem stellæ quæ movetur regulariter: pars integraliter indivisi-
bilis alicuius stellæ firmamenti quæ hoc instanti movetur ad unum
punctum spatii et secundo instanti etiam ad unum punctum spatii.
Quomodo [illegible] motus firmamenti sit irregularis ex parte utriusque

totalis motus firmamenti tam proprius quam diurnus est irregularis ex parte utriusque, sed non propterea motus diurnus alicuius partis durans tantum per aliquot instantia.
Da stellam quae nec movetur motu diurno regulariter nec irregulariter: non datur.
Quomodo cum talis sit stella polaris? non est talis.
Quomodo cum illa non moveatur motu diurno? movetur.
Quomodo cum sit in polo mundi qui non movetur motu diurno? non est precise ibi, sed aliquantulum a polo distat.
An supposito quod stella polaris esset precise in polo mundi non moveretur motu diurno? immo, quia ad summum tunc quiescerent secundum illas partes quae essent in axe ipsius mundi, reliquae vero eius partes adhuc moverentur.

De Intensione et remissione motus.

Quid intensio motus? est augmentum velocitatis ipsius motus.
Quid augmentum velocitatis motus? est velocitas maior accedens ad velocitatem minorem praeexistentem.
Quid velocitas motus? est relatio consistens inter partes alicuius motus orta ex eo quod per illas parvo tempore acquiratur multum termini ad quem in eodem mobili, et relatio consistens inter partes motus diurni solis.
Quid velocitas maior? est velocitas excedens aliam ad quam comparatur.
Quandonam una velocitas censetur excedere aliam? quando est talis ut motus habens illam velocitatem aequali tempore in aequali parte subiecti habeat plus termini ad quem, quam motus habens aliam velocitatem ad quam prior comparatur.
An augmentum velocitatis prout hic debeat esse velocitas maior proprie dicta comparata ad velocitatem minorem proprie dictam? non, quia si v.g. limax tardissime serpat per terram, per terram et post parum minus tarde moveatur, erit augmentum velocitatis prout hic, et tamen non habebitur ibi velocitas maior proprie dicta respectu velocitatis minoris proprie dictae.
Declara quod ibi non sit velocitas proprie dicta: quia est potius tarditas quam velocitas.
Quandonam ergo censetur maior velocitas advenire minori velocitati secundum sensum definitionis intensionis motus? quando vel minor tarditas succedit maiori tarditati, vel velocitas proprie dicta succedit tarditati, vel velocitas proprie dicta maior succedit velo

citati proprie dictae minori.
Da intensionem motus: intensio quae fit in motu gravium deorsum
durante per aliquod notabile tempus.
Declara in tali motu fieri intensionem: quia quo corpus grave
per motum suum magis appropinquat terrae centro, eo magis et maior
velocitas illi motui accedit.
Quid motum intendi? est motum augere quoad velocitatem.
An illa vox intendi hic sumatur proprie? non, quia ad hoc ut ali-
quid proprie dicatur intendi debet esse sub stricte qualitatis constans
partibus eiusdem speciei vel saltem debet esse pars integralis stricte
dicta talis.
Da motum qui intenditur: motus gravium deorsum per notabile tempus.
Quomodo cum in illo motu maior velocitas non accedat ad minorem?
accedit.
Quomodo cum dum pars illius motus velocior existit pars eiusdem
motus minus velox non amplius existat? non refert.
Quomodo ergo maior velocitas accedit ad minorem? accedit prout hic,
quia saltem succedit immediate in eodem motu.
An quilibet motus possit intendi? non, quia in primis non motus in-
stantaneus.
An quilibet motus existens pluribus instantibus intendatur? non, ut
motus lapidis sursum factus a projiciente.
Da motum regularem qui intenditur: non datur, quia tunc omnes
eius partes sibi succedentes in eodem spatio vel subiecto non essent aequa-
lis celeritatis.
Quare talis motus non potest ~~intendi~~ intendi cum possit saltem habe-
re augmentum velocitatis in partibus motus sibi succedentibus in di-
verso spatio et subiecto? non potest habere equidem tale augmentum
quale requiritur ad hoc ut motus dicatur intendi,
Quare non cum pars motus regularis succedens in una parte
subiecti possit esse celerior quam pars eiusdem motus regularis
praeexistens in alia parte eiusdem subiecti? nihil refert, quia equidem
ad motum regularem requiritur ut tota illa pars motus regularis
quae existit hoc instanti sit aeque velox ac integra illa pars quae existit
secundo instanti et sic consequenter, hoc vero supposito motus regularis
intendi nequit.
Da ergo viam rationem cur motus regularis primi mobilis non in-
tendatur licet motus quo aequinoctialis hac horam movetur sit celerior
quam motus quo movetur tropicus praecedenti horam: quia motus quo
movetur praecise aequinoctialis primi mobilis hac horam non est integra
pars motus primi mobilis quae existit illam horam, quia ultra illam
partem adhuc existunt motus tropicorum et aliorum circulorum
parallelorum eadem horam.
Quid remissio motus? est decrementum velocitatis motus.
Quid decrementum velocitatis motus? est minor velocitas succedens
maiori velocitati eiusdem motus.
Quid motum remittere? est motum diminuere quoad velocitatem.
Quid velocitas minor? est velocitas quae exceditur ab alia ad

quam comparatur. Ut velocitas motus diurni tropici Cancri
per unam horam respectu velocitatis motus diurni aequinoctialis
per unam horam.
Quando velocitas motus censetur excedi ab alia velocitate motus?
Quando motus habens priorem velocitatem aequali tempore, et in
aequali subiecto non habet tam multum terminum ad quem quam
motus habens aliam velocitatem ad quam comparatur.
Da motum qui remittitur et non intenditur: motus quo lapis
proiicitur sursum.
Da motum qui intenditur et non remittitur: motus gravium
deorsum ordinarius.
Da motum qui simul intenditur et remittitur: motus li-
brationis decimae sphaerae, ille enim intenditur usque ad medium et
a medio usque ad finem paulatim remittitur.
Da motum regularem qui remittitur: non datur, qui tunc non haberet
omnes partes sibi in eodem succedentes aequalis velocitatis.
Quomodo non cum motus regularis ex parte spatii possit esse
irregularis ex parte subiecti, et consequenter remitti? quaestio intel-
ligitur de motu sic regulari ut non sit irregularis.
Quid status motus? summus gradus velocitatis in eodem motu re-
perto.
Quomodo sumitur superlativus summus positive an negative? partim
positive partim negative, quia per summum gradum velocitatis hic
intelligitur gradus velocitatis alicuius motus superans aliquos gradus
velocitatis eiusdem motus, sic ut a nullo gradu velocitatis in eodem
motu superetur.
An secundum illam explicationem possint dari plures status in eo-
dem motu? imo, quia sic dantur plures status in hoc motu [illegible] quo
punctum materiae primo hoc instanti movetur ad unum gradum ca-
loris, secundo instanti ad duos, tertio ad tres, et quarto etiam ad
tres.
Declara quod ibi sint plures status in eodem motu: quia gradus velo-
citatis quem habet ille motus dum punctum materiae primo movetur
tertio instanti ad tres gradus caloris, item gradus velocitatis quem habet
idem ille motus dum idem punctum movetur quarto instanti versus
ad tres gradus caloris sunt duo status in eodem motu.
Quomodo cum neuter illorum graduum superet alterum velocitate?
nihil refert. Utergue est summus gradus velocitatis? quia uterque
Quomodo ergo illorum saltem superat aliquos gradus velocitatis eiusdem motus et
a nullo superatur.
Quid motum stare? est motum habere summum gradum velocitatis.
Sic motus ordinarius gravium deorsum statum dum esse in fine
durationis qua durat tanquam motus deorsum, quod additur [illegible]
quia si motus ille consideretur etiam pro illo tempore durans quo
corpus grave subinde a terra resultat, tunc in fine suae durationis
non necessario habet statum, quia quando corpus grave ab alto in terram

cadens resilit, tunc motus eius potius minuitur quam augetur; ac proinde non est mirum si in fine illius motus per resultum in altum reflexi non detur status.

An omnis motus habeat statum? non, quia non motus instantaneus.

An omnis motus successivus habeat statum? non, quia non motus qui sic est regularis ut non sit irregularis, quia ille motus non habet summum gradum velocitatis.

Quomodo se habent motus habens statum et motus habens intensionem? utrumque est motus lapidis deorsum aliquo notabili tempore durans.

Da motum habentem statum et non intensionem: motus lapidis proiecti sursum.

Cur ille non habet intensionem? quia tantum habet statum et remissionem.

Da motum habentem intensionem non statum: non datur.

Conformiter habent se motus habens statum et habens remissionem.

Quomodo se habent motus habens statum, et motus habens intensionem et remissionem simul? utrumque est motus librationis decisae sphere.

Da motum habentem statum et non intensionem et remissionem simul: motus lapidis deorsum aliquo tempore durans non considerando illum ut simul compositum ex motu qui fit per resultum lapidis a terra.

Ex quot partibus debet ad minimum constare motus habens intensionem, vel motus habens remissionem, vel motus habens statum? Ex ad minimum tribus partibus, quia ad hoc ut motus sit talis ex illis tribus debet ad minimum habere duas partes quarum una succedit alteri sic ut una sit velocior altera; iam autem illa pars e duabus velocior altera ad minimum constabit duabus partibus.

Per quid contingit velocitatem augeri in aliquo motu? per hoc quod pars motus succedens pressius sequatur partem immediate se praecedentem quam pars praecedens sequebatur aliam partem se praecedentem, vel per hoc quod per partem motus succedentem aequali tempore acquiratur plus termini ad quem in aequali subiecto quam per partem praecedentem.

Quaenam est distinctio inter illos duos modos? haec quod ad hoc ut augeatur velocitas priori modo requirantur ad minimum tria instantia, ad hoc vero ut augeatur posteriori modo sufficiant duo.

Declara prius: quia priori modo requiritur ut detur una pars magis presse succedens, et una pars minus presse succedens, illa autem pars minus presse succedens praesupponit adhuc unam partem praecedentem cui succedat, et sic requiruntur tria instantia quibus successive existant tres partes motus.

Da velocitatem auctam posteriori modo spatio duorum instantium tantum? sic velocitas motus augetur quando punctum materiae primo hoc instanti movetur ad unum gradum caloris, secundo vero instanti ad duos.

Quomodo vero cum illud punctum materiae primo debeat ad minimum existere tribus instantibus? nihil refert, quia quando dicuntur sufficere

Dum instantia intelligitur de instantibus quibus debet durare ipse motus non vero subiectum motus.

De Stellâ.

Quid stella? est pars densior sui orbis.

Quid pars ibi? pars integralis late prout comprehendit partem integralem stricte, et late dictam tantum.

Cur nequit intelligi pars integralis late dicta tantum? quia tunc non continerentur stellae fixae quae sunt partes integrales stricte dictae sui orbis.

Cur nequit intelligi pars integralis stricte dicta? quia sic non continetur planeta distinctus a sole.

An ergo planeta distinctus a sole non sit pars integralis stricte sui orbis? non, saltem verisimiliter intelligendo nimirum de totali orbe suo deferente, quia planeta ob orbem sui epycicli non continuatur orbi suo deferenti, epycicli enim planetarum habent se ad instar parvi orbis immersi intra excavatam crassitiem alicuius magni orbis in qua concavitate concipitur moveri motu proprio.

Quare dictum est saltem verisimiliter? quia posset dici quod epyciclus planetae Nectatur unione integrali stricte dicta excentrico simpliciter ratione axis epycicli, per quem nimirum epycyclus sit infixus orbi deferenti.

Quid pars densior? est pars densitate superans aliam partem ad quam comparatur, et sic definitur pars densior generaliter.

Quid pars densior prout hic? est pars superans in densitate quamlibet aliam partem sui proxime contingitur in eodem orbe.

Quid ibi densitas? est qualitas per quam aliquid aptum est copiosum lumen in se recipere, et a se emittere.

An densitas ibi sumatur proprie? non, quia dantur aliqua quae sunt densa densitate proprie dicta quae non sunt densa densitate prout hic, quia sic vitra, item Christallus sunt densa proprie loquendo, et tamen non sunt densa prout hic, quia non sic sunt apta recipere copiosum lumen ut similiter sint apta illud a se emittere.

Quomodo cum vitra lumen copiosum solis &c. transmittant versus partem oppositam? nihil refert, quia transmittere lumen non est a se immittere lumen prout hic.

Quid ergo corpus aliquod a se immittere lumen prout hic? est sic a se proiicere lumen ut tamen illud non proiiciat transmittendo.

An densitas posset sic definiri est qualitas per quam aliquid est aptum
copiosum lumen recipere, et similiter copiosum lumen a se reflectere?
non ita recte, quia illa definitione non videtur contineri densitas solis
quia sol non dicitur pars densior sui orbis per hoc quod lumen aliun-
de acceptum a se reflectat sicut luna, sed quia lumen a natura sua
productum extra se diffundat

Quid ibi orbis dum dicitur pars densior sui orbis? est corpus ro-
tundum duplici superficie contentum.

Quandonam dicitur corpus rotundum duplici superficie contentum?
quando habet duas superficies terminantes unam concavam et al-
teram convexam.

Da orbem qui non sit coelum totale: excentricus simpliciter.

Da coelum totale non orbem: coelum empyreum iuxta aliquos
dicentes illud esse quadratum.

Quomodo definitio stellae est bona cum contineatur medietas solis?
non continetur

Quomodo cum sit etiam pars densior sui orbis sicut sol? non
est, quia non superat densitate quamlibet aliam partem cui proxi-
me coniungitur, non enim aliam medietatem solis.

Quomodo ergo sol est pars densior cum non superet densitate unam
medietatem sui? medietas solis non est pars cui sol proxime con-
iungitur proprie loquendo, sed potius est pars quae a sole involvi-
tur.

An compositum ex sole, et aliis coeli partibus ipsum undique immediate
cingentibus sit stella? non

Quomodo cum sit pars densior sui orbis? non est praecise sic.

Quomodo non cum gratia partis quam includit superet densitate quam-
libet aliam partem sibi proxime coniunctam? nihil refert, quia ad par-
tem densiorem sui orbis requiritur ut per se primo superet ita

Quomodo recte cum sit luna non esset stella? esset

Quomodo cum non sit per se primo pars densior sui orbis? nego.

Quomodo cum non sit pars densior gratia macularum quae in luna
apparent? ad hoc potest dici quod partes illae ad instar macularum appa-
rentes quantum est ex parte ipsarum sint tam bene aptae reflectere
lumen quam reliquae lunae partes, quod vero non reflectant hoc contin-
gere ob illarum existentiam et figuram.

An ergo sint in luna aliquae partes plus ceteris extantes? hoc
aliqui dicunt referentes se per tubos opticos deprehendisse aliquas
lunae partes extantes ad instar montium. alio modo ad propositam ob-
iectionem respondere potest dicendo quod partes maculosae in luna
habeant etiam suam densitatem maiorem quam reliquae partes distinc-
tae a luna et partibus lunae, licet non ita perfectam quam habent
partes lunae non maculosae.

An pars lunae circumcincta undequaque maculis lunae sit stella? non

Quomodo non cum illa pars superet densitate quamlibet aliam partem

eiusdem orbis sibi proximae continuetur? respondere potest quod non
sufficeret saltem notabiliter. Deinde potest dici quod non sit pars prout
hic intelligendo partem integralem totalem.
Quid pars totalis densior? est pars densior quae non componit aliam
partem eiusdem rationis. Refundimus dubitationes.
An in quolibet coelo sint stellae? non, quia non in primo mobili sunt
sed tantum stellae in octo inferioribus coelis
An in quolibet coelo planetarum sint plures stellae? non. Sed in singu-
lis est tantum una quae utcunque notabiliter videri possit. quod additur
quia hic coelo Jovis astronomi per tubos deprehenderunt aliquot
parvas stellas praeter planetam Jovis, eas illas vocant satellites
Jovis.
Divide stellam: in fixam et erraticam.
Quid stella fixa? stella semper servans aequalem distantiam
a centro universi.
Quomodo se habent stella fixa, et stella firmamenti? conver-
tuntur
Quid stella erratica? quae non semper servat aequalem distantiam a
centro universi. in excentricis.
Quomodo se habent stella erratica et planeta? convertuntur.
Quomodo vero cum satellites Jovis sint stellae et tamen non pla-
netae? satellites Jovis simul cum Jove considerantur per modum plane-
tae.
Quid fixio stellae fixae? est conservatio qua stella semper serva-
t eandem distantiam a centro universi
Da subiectum eius: stella fixa
Quid error stellae erraticae? est mutatio qua stella subinde mutat
distantiam a centro universi.
An stella erratica possit sic definiri, est stella quae non servat
semper aequalem distantiam ab illis aliis stellis? imo
Sic etiam stella fixa possit sic definiri? est stella quae semper servat
aequalem distantiam ab illis omnibus aliis stellis? non, quia tunc nullae
stellae firmamenti continerentur, quia nulla stella firmamenti
servat semper eandem distantiam ab omnibus aliis stellis, non
tantum a planetis.
Unde contingit quod planetae non semper servent aequalem distan-
tiam a stellis firmamenti? partim ex eo quod
tam a se invicem quam a stellis inaequali celeritate moveantur per Zodiacum, partim
planetae inaequali celeritate
ex quo habeant excentricos.
Declaratur prius: quia per illam inaequalem celeritatem motus
contingit ut unus planeta modo opponatur alteri in Zodiaco,
modo coniungatur eidem.
Declaratur posterius: quia quando moventur in suis excentricis, et
sunt in auge sui excentrici, tunc sunt viciniores firmamento
quando vero sunt in opposito augis, tunc sunt a firmamento
remotiores.

An detur nullus planeta servans aequalem distantiam ab aliqua saltem stella firmamenti? non.

Quare? quia non sol cum semper maneat in linea ecclypticae? nihil refert quia equidem sol moveatur in suo excentrico propter quem motum fit ut a nulla stella firmamenti semper aequalem distantiam servet.

An supposito quod sol non moveretur in excentrico posset dari aliqua stella firmamenti a qua sol semper servaret aequalem distantiam? imo. et talis esset stella quae in firmamento precise correspondet polo lineae ecclypticae quia sol semper moveretur in linea ecclypticae motu proprio, linea vero ecclyptica semper servat aequalem distantiam a suis polis item a quolibet puncto sui axis.

An omnes stellae habeant lumen a se ipsis? non habent totum illud conspicuum lumen quod deprehenduntur habere a se ipsis, non omnes scilicet, quia non lunae quia habet etiam lumen a sole.

Unde probatur? ex ecclypsi lunae in qua luna apparet multum obscurata ex eo quod propter interpositam terram inter solem et lunam radii solares in lunam incidere nequeant directe.

An stellae habeant totum suum lumen a sole? aliqui probabiliter dicunt quod non, ex eo quod luna in ecclypsi totali appareat rubea, ac proinde habere aliquid luminis quod non videtur posse habere a sole, siquidem autem si non habeat a sole videtur habere a se ipsa; si autem luna habeat aliquid luminis a se ipsa idem dicendum videtur de reliquis stellis.

An illa ratio efficaciter probet? non.

A quo ergo luna habet illud lumen ratione cuius apparet rubea in ecclypsi totali? potest dici quod habeat a sole.

Quomodo cum solem ecclypsi totali nullos radios ad lunam proijcere possit? distinguo non potest proijcere radios directos sed bene reflexos et obliquos, quia sol proijcit radios directos ad aliquas partes vicinas lunae in ecclypsi quae partes coeli lunae lumen saltem tenue versus lunam ecclypsatam proijcere possunt.

Declara in aliquo simili: sicut dum sol per fenestram alicuius cubiculi proijcit radios directos versus parietem oppositum fenestrae, qui paries illuminatus proijcit etiam aliquod lumen versus parietes collaterales fenestrae, ita etiam in ecclypsi lunae contingere potest.

Quomodo illae partes coeli lunae distinctae a luna possunt reflectere lumen versus lunam ecclypsatam cum sint totaliter transparentes? non sunt ita transparentes quin saltem possint aliquod tenue lumen reflectere.

An si illae partes essent totaliter transparentes tunc possent reflectere lumen versus lunam? non. quia tunc totum lumen a sole receptum transmitterent versus partem oppositam soli.

An ergo si aliquis faceret in aliquo cubiculo undique obscuro duo fora

mina sibi mutuo ex opposito correspondentia, sic ut totum lumen
missum per unum foramen in cubiculum exiret per alterum fora-
men ex cubiculo, parietes collaterales nullum lumen reciperent, non
si minimum aer in cubiculo contentus sit planus purus, quia si
aer sit plane purus nullum tunc erit corpus in illo cubiculo
aptum reflectere radios solis versus parietes collaterales.
An ergo aliquis in tali cubiculo existens nullum videbit lumen
in cubiculo? non.
Quomodo non cum re vera sit lumen in tali loco? nihil refert, quia
ad hoc ut lumen videatur debet esse vel in corpore aliquo lumi-
noso vel in aliquo corpore apto reflectere lumen.
Quare dictum fuit si aer sit plane purus? quia si in aer sit com-
mixtus aliquibus crassis vaporibus tunc poterit etiam videri lumen
sicut saepe patet vesperi dum sunt crassae nebulae quod integra
quasi copia radiorum appareat transfundi in longum ex fenestra
alicuius cubiculi candela illuminati.
An nulli alii planetae habeant lumen a se ipsis sicut sol? non
An saltem aliquae stellae distinctae a sole habeant lumen a se ipsis?
verisimiliter dici potest quod sic, nempe stellae firmamenti.
Quare illae potius habent lumen a se quam alii planetae distincti
a sole? quia stellae firmamenti videntur nimis notabiliter distare
a sole ratione cuius distantiae non possent commode recipere lumen
solis sic ut ad nos illud reflectere possent.
Quomodo illae stellae nimis distant a sole cum sol suo lumine bene
possit obfuscare lumen stellarum? nihil refert, quia hoc sic non est
intelligendum quasi sol mitteret valde copiosum lumen ad fir-
mamentum quod lumen ibidem destruat lumen stellarum firma-
menti, sed quia species visibiles luminis solis missa ad oculum
nostrum enervat virtutem speciei visibilis stellarum firma-
menti missae ad oculum nostrum.
An omnes stellae sint eiusdem inter se speciei? non.
Quomodo cum lumen omnium stellarum sit eiusdem inter se
speciei? nihil refert, quia equidem possunt propter aliam causam
specie distingui, nempe quia una stella habet aliquam particularem
virtutem agendi quam non habet altera.
Quomodo lumen omnium stellarum est eiusdem speciei cum lu-
men solis destruat lumen aliarum stellarum de die? non destruit
sed tantum obfuscat.
Quid lumen maius obfuscare minus? est lumen maius per
suam speciem visibilem efficere ut visus non possit elicere visio-
nem discernendam luminis minoris speciem visibilem ~~etiam~~ ad
~~lumen~~ visum mittentis.
Quare additur speciem ad visum mittentis? quia si illud lumen
minus non mittat etiam speciem visibilem ad oculum non dicetur
proprie obfuscari.
Quid visio discretiva? est visio alicuius occasione cuius potentia

cognitiua interior determinatur ad cognoscendum illud obiectum visionis tanquam distinctum ab alia re simul visum.
An lumen unius stellae non possit distingui a lumine alterius per hoc quod una stella appareat scintillare per suum lumen, altera non? non
An interim stellae vere scintillent? non, sed tantum apparenter.
Quid corpus aliquod vere scintillare? est corpus aliquod ignitum scintillas emittere.
Quid scintilla? est particula aliqua ignita impetuose erumpens ex corpore ignito.
Quid stellas apparenter scintillare? est stellas apparenter scintillas emittere.
Unde fit quod aliquae stellae appareant scintillare? ex eo quod illarum species visibiles propter nimiam distantiam obiecti est nimis debiles.
Quaenam stellae appareant scintillare? firmamenti.

De Mutationibus Lunae.

Quid mutatio lunae? est transitus quo luna transit ab una apparentia ad aliam distinctam respectu nostri propter motum Zodiaci. ut mutatio qua luna ex non plena mutatur in plenam.
An mutatio qua luna ex pallida mutatur in rubicundam cum exsurgunt venti sit mutatio lunae? non.
Quomodo cum transeat ad aliam apparentiam respectu nostri? non transit ad illam per motum Zodiaci, sed propter aliam et aliam constitutionem aeris iuxta hunc versum:

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Divide mutationem lunae? in novilunium, interlunium, semilunium, plenilunium, eclipsim, accretionem, decretionem et similia.
Quid interlunium? est coniunctio lunae cum sole in eodem gradu Zodiaci secundum longitudinem.
Cur additur hoc? quia interlunium non debet esse coniunctio lunae cum sole in eodem gradu Zodiaci secundum latitudinem.
Quando censentur luna et sol esse coniuncti in eodem gradu Zodiaci secundum longitudinem? quando luna et sol sunt in eodem arcu mensurante aequate et praecise latitudinem Zodiaci.
Quandonam sol et luna censentur esse in eodem gradu Zodiaci

secundum longitudinem et latitudinem simul, quando sol et luna sunt in eodem puncto lineae sive arcus antedicti.

An interlunium sic definitum sit quaedam mutatio lunae? potest sumi ut sit quaedam mutatio sed ut iam vox coniunctio sumatur pro coniunctione mutatione.

Quid interlunium sumptum pro tempore? est tempus illud quo luna coniungitur cum sole in eadem parte Zodiaci secundum longitudinem.

Quamdiu durat interlunium? interlunium rigorose sumptum durat brevissimo tempore, interlunium vero vulgare durat tamdiu donec luna post coniunctionem eo usque solem in Zodiaco praecesserit ut incipiat apparere nobis aliquantulum illuminata in facie nobis obversa.

An ergo luna maneat non illuminata a sole tamdiu in interlunio donec incipiat nobis apparere illuminata? non, quia equidem illuminatur in facie a nobis aversa.

An luna aeque multum illuminetur dum apparet nobis non illuminata in interlunio quam dum apparet nobis illuminata in plenilunio? est magis illuminata dum est in interlunio quam dum est in plenilunio, quia in interlunio luna est soli vicinior quam in plenilunio, sicut autem corpus aliquod minus luminoso magis ab illo illuminatur dum est ipsi vicinius quam dum est ab ipso remotius.

An semper plus quam medietas lunae illuminetur a sole? imo, excepto eo tempore quo fit ecclypsis lunae.

Unde hoc probatur? Quia sol est notabiliter maior quam luna, ac proinde secundum partes in sui extremam circumferentiam contentas mittit radios directos versus illas partes lunae quae existunt ultra circulum maiorem dividentem lunam in faciem soli obversam, et faciem terrae obversam.

Unde hoc ulterius probatur? quia si sol esset praecise aequalis magnitudinis et rotunditatis sicut luna, tunc radii missi a partibus solis circa eius circumferentiam contentis mitterentur praecise usque ad circulum maiorem dividentem lunam in faciem soli obversam, et faciem terrae obversam, ergo si iam sol sit maior debet ultra illum circulum etiam illuminare partes iacentes post illum circulum in facie lunae nobis obversa.

Quid novilunium? est illuminatio qua luna incipit illuminari in facie nobis obversa propter recessum eius a sole.

Cur est additum hoc? ut excludatur nova illuminatio quae contingit in luna post ecclypsim totalem lunae.

Declara illam per hoc excludi: quia illa nova illuminatio non fit propter recessum lunae a sole, sed potius propter accessum ad solem.

Quomodo solet apparere luna in novilunio? Cornuta.

Quid luna cornuta? est luna sic illuminata in facie nobis obversa ut partes eius illuminatae referant similitudinem cornuum.

Quid cornua lunae? sunt partes lunae illuminatae in facie nobis obversa

referentis similitudinem cornuum
An luna tantum appareat cornuta in novilunio? non, sed etiam in vetuslunio item aliquando in ecclypsi

Quid semilunium? est distantia lunæ a sole quartam partem Zodiaci. An illa definitio sit formalis? non, sed est causalis, vel saltem concomitativa.

Quot signis distat luna a sole dum distat quartam partem Zodiaci? tribus.

Quid semilunium formaliter? est illuminatio lunæ in medietate faciei nobis obversæ tantum propter distantiam eius a sole quartam partem Zodiaci. quod additur ut excludatur illuminatio medietatis faciei lunæ nobis obversæ in ecclypsi.

Quid semilunium sumptum pro tempore? est tempus illud quo contingit semilunium sumptum pro illuminatione ut actu, vel sic est tempus illud quo contingit distantia lunæ a sole quartam partem Zodiaci

Divide semilunium? in semilunium lunæ accrescentis, et semilunium lunæ decrescentis.

Quid semilunium lunæ accrescentis? est semilunium quod fit lunâ accrescente.

Quid semilunium lunæ decrescentis? est semilunium quod fit lunâ decrescente.

Quænam est diversitas inter semilunium lunæ accrescentis et decrescentis? quod in semilunio lunæ accrescentis luna habeat illuminatam medietatem faciei nobis obversæ occidentalem, in semilunio vero lunæ decrescentis luna habeat illuminatam medietatem faciei nobis obversæ orientalem.

Quid accretio lunæ? est acquisitio qua luna acquirit lumen maius extensum in facie nobis obversa propter recessum eius a sole. quod additur, ut excludatur acquisitio maioris luminis quæ fit post ecclypsin lunæ.

Quid decretio lunæ? est acquisitio luminis minus extensi in facie lunæ nobis obversa propter accessum eius ad solem. quod additur ut excludatur acquisitio luminis minus extensi quæ fit eo tempore quo luna incipit ecclipsari.

Declara illam per illam particulam recte excludi. quia illa acquisitio luminis minus extensi in initio ecclypsis lunæ non fit ob accessum lunæ ad solem sed ob recessum.

Quando incipit decretio lunæ? immediate post plenilunium.

Quamdiu durat decretio lunæ? a plenilunio exclusive usque ad vetuslunium inclusive.

Quid vetuslunium? est ultima illuminatio lunæ in facie nobis obversa quæ contingit inter plenilunium et novilunium subsequens

Quænam est distinctio inter vetuslunium et novilunium? in eo quod in novilunio luna protendat cornua in orientem, in vetuslunio vero in occidentem.

Quid plenilunium? est oppositio solis et lunæ in Zodiaco, vel con-
An illa definitio sit formalis? non, sed est vel causalis

concomitativa?
Declara quod possit esse causalis? quia illa definitio potest tribui plenilunio in sensu causali si nimirum sumatur pro illuminatione totius faciei lunaris nobis obversae, quia oppositio solis et lunae in Zodiaco est causa occasionalis respectu praedictae illuminationis.
Qua ratione potest illa definitio esse concomitativa? si plenilunium sumatur pro tempore quo fit oppositio solis et lunae in Zodiaco.
Quomodo praedicta definitio est bona cum in plenilunio sol et luna non debeant esse oppositi in Zodiaco? debent.
Quomodo cum in plenilunio sol possit esse in initio Cancri in ecclypticae et luna in initio capricorni distans sex gradibus ab ecclyptica? nihil refert quia inde tantum sequitur quod non debeant esse diametraliter oppositi tam scilicet secundum latitudinem quam longitudinem, cum eo vero bene consistit quod debeant esse oppositi in Zodiaco secundum longitudinem.
Quandonam luna censetur esse opposita soli secundum longitudinem in Zodiaco? quando centrum lunae est in arcu mensurante progressum et adaequante latitudinem Zodiaci sic ut aliquod punctum istius arcus diametraliter opponatur centro solis.
Da definitionem formalem plenilunii? potest semel sumi pro illuminatione qua luna est illuminata secundum totam faciem nobis obversam propter oppositionem eius cum sole in Zodiaco.
Quomodo illa definitio est bona cum non conveniat plenilunio quod contingit in ecclypsi lunae? si plenilunium accipiatur plane rigorose tunc plenilunium lunae ecclypsatae non est proprie dictum plenilunium, quia luna non est tunc proprie loquendo plena.
An plenilunium lunae ecclypsatae non possit certo sensu etiam contineri praedicta definitione? imo si nimirum sic intelligatur definitio est illuminatio qua luna illuminatur vel qua luna exigit illuminari quantum est ex eo quod ordinarie fieri solet.
Quid plenilunium sumptum pro tempore? est tempus illud quo luna opponitur soli in Zodiaco.
Quomodo cum conveniatur tempus illud quo luna ecclypsatur? nihil refert, quia illud tempus potest etiam vocari plenilunium.
An quando luna est illuminata secundum totam faciem nobis obversam sit etiam illuminata secundum totam faciem soli obversam? imo quia est eadem facies quae in plenilunio obvertitur nobis et soli.
An in omni plenilunio luna sit aeque multum illuminata? non, quia in plenilunio quo contingit ecclypsis lunae non est ita illuminata sicut in aliis pleniluniis.
An in omni plenilunio lunae non ecclypsatae luna semper aequaliter sit illuminata? non, quia luna in uno plenilunio est vicinior soli quam in altero.
Dic ergo omnia requisita ad hoc ut luna in plenilunio sit maxime illuminata ab sole? in primis ut luna non sit ecclypsata, deinde ut sol sit in opposito augis sui excentrici, et luna sub auge sui excentrici, et opposito augis sui epycicli.

Quomodo vero cum luna esset adhuc magis illuminata si sol esset in opposito augis sui excentrici, et luna etiam in opposito augis sui excentrici ac insuper epicicli? hoc quidem verum est si sol et luna possent sic disponi, sed non potest fieri quia aux excentrici solis et aux excentrici lunae sunt in signis oppositis in zodiaco ut in sphaera. ergo si sol supponatur esse in auge sui excentrici luna in plenilunio debet esse etiam in auge sui excentrici, quia in plenilunio luna existit in signo zodiaci opposito isti signo in quo existit sol

Quid luna interlunaris? est luna coniuncta cum sole in eodem gradu zodiaci secundum longitudinem.

Da talem semel ecclypsatam: non datur, quia ecclypsis lunae tantum contingit in plenilunio.

Quid luna novilunaris? est luna incipiens illuminari in facie nobis obversa propter recessum eius a sole in zodiaco.

Quid luna semiplena? est luna illuminata secundum medietatem faciei nobis obversae propter distantiam eius a ~~so~~ sole quartam partem zodiaci.

Dividitur in semiplenam accrescentem et decrescentem

Quid luna semiplena accrescens? est luna semiplena illuminata secundum medietatem faciei nobis obversae occidentalem.

Quid luna semiplena decrescens? est luna semiplena illuminata secundum medietatem faciei nobis obversae orientalem.

Quaenam medietas faciei lunae vocatur occidentalis? illa per quam luna occidens prius tangit horizontem, illa vero vocatur orientalis quae ultimo deprimitur infra horizontem in occasu lunae.

Quid luna accrescens? est luna acquirens lumen maius extensum in facie nobis obversa propter recessum eius a sole in zodiaco.

Qualem figuram apparet habere luna accrescens? aliquando figuram cornutam, aliquando apparet semiplena, et aliquando apparet gibbosa.

Quid luna gibbosa? est luna sic illuminata in facie nobis obversa ut secundum aliquas partes illuminatas referat similitudinem gibbi.

gibbus lunae sunt partes lunae illuminatae in facie nobis obversa referentes similitudinem gibbi

Quandonam luna apparet gibbosa? eo tempore quod intercedit inter semilunium lunae accrescentis et plenilunium, item eo tempore quod intercedit inter plenilunium et semilunium lunae decrescentis

Quid luna decrescens? est luna acquirens lumen minus extensum in facie nobis obversa propter accessum eius ad solem in zodiaco, luna vero decrescens etiam aliquando apparet gibbosa, et aliquando semiplena, et aliquando cornuta.

Quaenam est distinctio inter lunam accrescentem et decrescentem? quod luna accrescens nunquam splendeat ante solis ortum, sed bene decrescens, luna vero decrescens nunquam splendeat immediate post solis occasum, luna vero accrescens sic splendeat, quia luna accrescens est magis orientalis quam sol, iam autem quando est magis orientalis quam sol tunc non potest splendere immediate ante solis ortum, luna vero decrescens est magis occidentalis quam sol, ac proinde nequit splendere immediate post solis occasum.

Quandonam luna censetur magis orientalis quam sol? quando sic est constituta in zodiaco ut supra horisontem serius oriatur quam sol.

Quandonam censetur magis occidentalis quam sol? quando sic est constituta in zodiaco ut supra horisontem citius oriatur quam sol.

Unde fit quod luna accrescens sit magis orientalis quam sol? quia luna in sua accretione motu proprio antevertit solem versus orientem.

Unde fit quod luna decrescens sit occidentalior sole? quia luna post plenilunium motu proprio insequitur solem ut illum assequatur, et ratione illius est occidentalior.

Da aliquam convenientiam lunae accrescentis cum luna decrescente: in hoc conveniunt quod utraque sit aliquando simul cum sole supra horisontem et aliquando simul cum sole infra horisontem, quia luna tam accrescens quam decrescens est cum sole in eadem medietate zodiaci, et semper aliqua medietas zodiaci est supra horisontem.

Quid inde infers? ergo eo tempore quo supra horisontem existit illa medietas zodiaci in qua luna est simul cum sole, tunc debet luna esse simul cum sole supra horisontem, et quando illa eadem medietas est infra horisontem, tunc luna debet cum sole etiam esse infra horisontem.

Quid luna plena? est luna illuminata secundum totam faciem nobis obversam.

Quantum temporis intercedit ut luna ex plena fiat interlunaris? quatuordecim dierum cum medio circiter.

Quantum temporis intercedit inter unum interlunium et alterum proxime subsequens? viginti novem dierum circiter.

Quomodo enim luna absolvat motum zodiaci spatio viginti septem dierum circiter? nihil refert.

Quare ergo requiruntur viginti novem dies? quia ultra viginti septem novem dies requiruntur aliqui dies ut luna possit solem assequi.

Quare luna interlunaris potius nullum habet lumen in facie nobis obversa quam luna plena vel semiplena? quaestio supponit falsum, quia habet tunc etiam aliquod lumen in facie nobis obversa.

Quomodo cum luna tunc respiciat solem secundum totam faciem nobis aversam? est verum sed nihil refert, quia luna

tanquam corpus minus illuminatur ultra sui medietatem
a sole tanquam luminoso maiore.
Quare illud lumen non apparet nobis in interlunio? quia lumen
solare maius obfuscat lumen lunare minus.
Quid luna antiqua seu vetus lunatio? est luna habens ultimam
illuminationem vel faciem nobis obversam ante interlunium prop-
ter accessum suum ad solem.
distinguitur illam a luna nova? in eo quod luna antiqua protendat
cornua in occidentem, nova vero in orientem, item in eo quod an-
tiqua luceat immediate ante solis ortum, nova vero immediate
post solis occasum.
Da lunam accrescentem splendentem totam noctem apud nos: non
datur. Cur? est quam luna decrescens? quaestio supponit falsum,
Quare minus quia omnis luna decrescens et accrescens distat a sole minus
quam medietate zodiaci, ac proinde non potest splendere totam
noctem apud nos, quia ad hoc ut splenderet totam noctem deberet
una integra medietas zodiaci deprimi infra horizontem
antequam orietur sol, et sic luna deberet distare medietate zo-
diaci.
An ergo una integra nocte oriuntur sex signa zodiaci, et etiam
occidunt? imo, sex autem signa zodiaci conficiunt medietatem
eius

De Ecclypsi Solis et Lunae.

Quid ecclypsis? generaliter est privatio copiosi alicuius
luminis in aliquo astro secundum faciem nobis ob-
versam propter interpositionem terrae inter solem et illud
astrum, vel est occultatio alicuius astri respectu nostri
causata propter interpositionem alterius astri inter prius astrum
et aspectum nostrum.
Quomodo recte cum illa definitione non continetur ecclypsis
lunae partialis? continetur.
Quomodo cum luna tunc non sit privata lumine secundum fa-
ciem nobis obversam? est privata ad sensum definitionis, quae
nimirum est privata secundum partem.
Quid ecclypsari? est aliquod astrum privari copioso lumine in
facie nobis obversa propter interpositionem terrae inter solem et
illud astrum, vel est aliquod astrum occultari nobis propter inter-
positionem alicuius astri inter prius astrum et aspectum nos-
trum.
Quid ecclypsare? est terram per sui interpositionem inter solem
et aliquod astrum causare privationem copiosi luminis in facie

nobis obversa illius astri vel est unum astrum occultare nobis aliud astrum propter interpositionem sui inter illud aliud astrum, et aspectum nostrum.

Quomodo se habent astrum potens ecclypsare, et astrum potens ecclypsari? utrumque est luna

Da astrum potens ecclypsari tantum: aliqua stella fixa existens in Zodiaco.

Da astrum potens ecclypsare tantum: non datur.

An omnes stellae possint ecclypsari? non quia non stella polaris, et generatim omnis stella existens notabiliter extra tropicos versus alterum polorum mundi.

An omnis stella existens inter tropicos possit ecclypsari? non, quia non talis stella quae existit notabiliter extra Zodiacum.

Divide ecclypsim ante definitam: in ecclypsim privationem et ecclypsim occultationem.

Quid ecclypsis privatio? est privatio copiosi luminis in facie nobis obversa alicuius astri causata per interpositionem terrae inter solem et illud astrum.

Dic omnes stellas ecclypsabiles ecclypsi privatione: sola luna

quare non etiam aliae stellae? quia vel non possunt ingredi umbram terrae, vel non possunt directe opponi soli in Zodiaco.

Quousque protenditur umbra terrae? usque in ipsum coelum mercurii.

Quare ergo mercurius nequit ecclypsari ecclypsi privatione? quia mercurius nunquam directe opponitur soli in Zodiaco, ex eo quod eodem tempore conficiat integrum Zodiacum cum sole.

Quid ecclypsis occultatio? est occultatio alicuius astri nobis facta propter interpositionem alterius astri inter prius astrum, et aspectum nostrum.

Dic omnes stellas ecclypsabiles ecclypsi ~~n~~ occultatione: omnes in Zodiaco aut plane prope existentes excepta luna.

Dic omnes stellas non ecclypsabiles ecclypsi occultatione: omnes notabiliter extra Zodiacum existentes et insuper luna.

Quare luna non potest? quia infra se nullum habet astrum interponibile inter lunam, et aspectum nostrum.

Quid ecclypsis lunae? est interpositio terrae inter solem et lunam.

An illa definitio sit formalis? non sed causalis.

Defini ecclypsim lunae formaliter: est privatio copiosi luminis in facie lunae nobis obversa causata per interpositionem terrae inter solem et lunam.

excludis privationem luminis in facie lunae nobis obversa tempore interlunii: quia illa non causatur per interpositionem terrae inter solem, et lunam.

Quo tempore solet contingere ecclypsis lunae? tempore plenilunii.

Quare non alio tempore? quia alio tempore terra non potest esse interposita inter solem et lunam, quia ad hoc ut terra sit:

terposita inter solem et lunam requiritur ut sol et luna sint oppositi in Zodiaco hoc vero tantum fit tempore plenilunii.
Quare omni tempore plenilunii non fit eclypsis lunae? quia omni tempore plenilunii sol non sufficienter opponitur lunae ad hoc ut fiat eclypsis lunae.
Quomodo enim plenilunium sit oppositio solis et lunae in Zodiaco: non vero
Quare ergo in omni plenilunio sol et luna non sufficienter opponuntur ad eclypsim lunae? quia ad plenilunium sufficit oppositio solis et lunae secundum longitudinem zodiaci, ad eclypsim lunae vero requiritur oppositio solis et lunae directa, vel fere directa in Zodiaco.
Quandonam sol et luna opponuntur directe in Zodiaco? quando sunt in punctis Zodiaci diametraliter oppositis.
Quandonam duo puncta Zodiaci censentur diametraliter opposita? quando sic se habent ut ab uno illorum possit duci linea recta per centrum terrae usque ad alterum.
Quare fuit additum aut fere directa? ut comprehendatur eclypsis lunae partialis.
Cuius corporis umbram debet ingredi luna ad hoc ut eclypsetur? umbram terrae.
Quid umbra? est privatio luminis directi in illuminabili ortam per interpositionem opaci inter illuminans et illuminabile.
Quid illuminans seu luminosum? est corpus lucidum aptum producere lumen in alio corpore.
Quid illuminabile? est corpus aptum recipere lumen ab aliquo
Quid subiectum umbrae? est illuminabile in quo corpus opacum per suam interpositionem inter illuminans et illud illuminabile causat privationem luminis directi.
Quid lumen directum? quod mittitur a luminoso per radios rectos
Quid radii recti? sunt radii missi a luminoso ad instar linearum rectarum.
Omnes radii sunt recti? non, quia in [illegible] radiis [illegible] alicuius montis compositis ex radio misso usque ad superficiem alicuius montis et radio inde reflexo versus vallem eiusdem montis non est rectus sed obliquus.
Quaenam debent interveniri ad hoc ut constituatur umbra? haec tria: corpus luminosum, opacum, et illuminabile.
Quomodo illa debent esse disposita? debent esse disposita in linea recta sic ut opacum sit intermedium, et illuminans sit in una extremitate illius lineae, illuminabile vero in altera extremitate eiusdem.
An omnia illa tria eodem modo concurrant ad productionem umbrae? non, quia illuminans habet se respectu umbrae tanquam causa efficiens privativa respectu sui effectus, corpus vero opacum habet se tanquam causa occasionalis respectu umbrae, illuminabile habet se tanquam subiectum suo modo sustentans umbram.
Cuius ex illis tribus umbra dicitur esse umbra? umbra corporis opaci.
Quomodo enim illa umbra sit in illuminabili? nihil refert.
Quare ergo non dicitur umbra ipsius illuminabilis sicut [illegible]

dicitur egestas illius hominis in quo est egestas? quia illa vox alicuius dum dicitur vmbra alicuius importat aliam habitudinem in vim obliqui quam illa vox hominis dum dicitur egestas hominis.

Quam habitudinem importat illa vox terrae? habitudinem causae occasionalis causantis vmbram per sui interpositionem inter illuminans, et illuminabile in quo est vmbra.

Vnde provenit quod vmbram potius attribuamus corpori opaco quam subiecto vmbrae? quia homines passim advertunt vmbram habere aliquam figuram similem cum figura opaci a quo proijcitur, et ratione illius vmbram illam dicunt esse illius opaci vmbram.

An quotiescunque opacum est dispositum in linea recta inter luminosum et illuminabile opacum proijciat vmbram? non, quia non tunc quando illuminabile aliunde ita illuminatur vt privatio luminis per interpositionem opaci causata adverti non possit.

Declara in exemplo: sic v.g. si ante petrum stet candela, et retro ipsum stet fax accensa, petrus non dicetur proijcere vmbram retro se.

An ergo ad vmbram requiratur vt sit privatio notabilis luminis directi etc.? imo.

Quid corpus opacum? est corpus ineptum transmittere lumen ab alio acceptum vel sic, est corpus sic constitutum vt natum sit per sui interpositionem inter illuminans et illuminabile impedire transfusionem luminis per se in illud illuminabile.

Da tale: terra.

Quid corpus diaphanum seu transparens? est corpus sic constitutum vt natum sit transmittere lumen ab alio acceptum. vt vitrum, aer.

Quid diaphaneitas seu transparentia? est talis constitutio partium alicuius corporis vt vi illius constitutionis corpus sit natum transmittere lumen ab alio acceptum.

Vnde oritur ista diaphaneitas in corpore? ex eo quod pori corporis sibi invicem sic correspondeant vt constituant quasi angustos aliquos tubos rectos per quos lumen recta transmitti possit.

An corpus opacum et diaphanum specie distinguantur? non, quia vnum corpus potest esse partim opacum partim diaphanum, sic vitrum v.g. aliquod lumen transmittit, et aliquod etiam lumen reflectit, deinde vitrum in partes comminutum est corpus opacum quod tamen ante erat diaphanum.

An quotiescunque corpus opacum proijcit vmbram retro se, illuminabile post opacum positum sit in vmbra? non, quia non quando corpus opacum et illuminabile retro positum nimis procul distant.

Declara in exemplo: sic si aliquid in meridie proijciat vmbram, et aliquid aliud sit retro priorem ad centum passus illud non erit in vmbra alterius.

Quid proijcere vmbram? est corpus opacum per sui interpositionem inter luminosum, et illuminabile causare privationem luminis di-

recti cum illuminabili. Ut petrus stans in meridie sub dio sole splen-
dente sine nubibus, et aliunde non impedito.
An quotiescunque corpus opacum habet retro se illuminabile privatum
luminis directo projiciat umbram? non, quia si non habeat ante se
luminosum non dicitur projicere umbram.
An quotiescunque habet ante se luminosum tunc saltem projiciat umbram?
non, quia non tunc quando tam procul distat a luminoso ut lumen
ad se pervenire nequeat.
An omnes umbrae sint aequalis figurae? non, quia umbra projecta
a corpore quadrato est alterius figurae quam projecta a rotundo.
An omnes umbrae projectae a corpore rotundo sint aequalis figurae? non,
quia aliae sunt pyramidales, aliae antipyramidales seu obtusae,
et aliae columnales.
Quid umbra pyramidalis? est umbra referens similitudinem py-
ramidis, id est quae in initio est crassior et paulatim fit tenuior
et angustior donec desinat in acumen.
Quandonam umbra corporis rotundi est pyramidalis? quando cor-
pus opacum rotundo est minus luminoso.
Quid umbra antipyramidalis seu obtusa? est umbra referens simi-
litudinem pyramidis inversae, id est quae in initio est tenuior, et
angustior, et in progressu paulatim fit crassior et latior.
Quandonam corpus opacum rotundum projicit umbram antipyramida-
lem? quando corpus opacum est magis luminoso.
Quid umbra columnalis? est umbra referens similitudinem columnae
id est quae in initio tam est lata et crassa quam in progressu et
in fine.
Quandonam corpus opacum rotundum projicit umbram columnalem?
quando est aequalis magnitudinis cum luminoso.
An corpus opacum minus semper projiciat umbram pyramidalem
aeque magnam? non, quia projicit umbram maiorem dum a corpore
luminoso est remotius quam dum ab eodem est minus remotum.
Unde ergo hoc contingit? quia quo magis corpus opacum minus est distans
a luminoso maiore tanto maior pars est non illuminata in facie
illius opaci a luminoso aversa, ac proinde tanto difficilius possunt
radii a circumferentia luminosi provenientes post opacum in unum
convenire.
An corpus opacum maius luminoso semper projiciat umbram
aeque magnam obtusam? non, quia quo corpus opacum maius est vi-
cinius corpori luminoso minori tanto maiorem umbram projicit,
ex eo quod per maiorem vicinitatem impedit transitionem plu-
rium radiorum rectorum, ac proinde maiorem causat umbram, quia
radii corporis luminosi minoris occupant multo minus spatium
circa ipsum luminosum quam dum sunt procul a luminoso dis-
perguntur; dum paulatim ergo corpus opacum maius transfe-
rendum plurium radiorum impedit dum vicinius est quam dum
remotius est.
An corpus opacum aequale cum luminoso modo projiciat minorem

modo maiorem umbram eliminat? non, sed semper equalem
sive sit vicinius sive remotius a luminoso.
Quid intrare umbram? est corpus aliquod existens in umbra quod
immediate ante existebat extra illam.
An ut corpus intret umbram debeat moveri localiter? non, quia
dum aliquis splendente sole equitat continuo aliae et aliae partes
terrae intrantes umbram sequi sine motu locali.
Quid umbra terrae? privatio luminis copiosi in illuminabilibus a
sole orta per interpositionem terrae inter solem et illa illuminabi-
lia.
Cuius figurae est umbra terrae? pyramidalis, quia terra est minor
sole.
Quousque protenditur umbra terrae? usque in coelum mercurii.
An umbra terrae semper sit equalis magnitudinis? non, quia est maior
dum sol existit in auge sui excentrici, quia tunc terra est remotior
a sole, et consequenter proiicit maiorem umbram iuxta antedicta.
An pars umbrae terrae quae pervenitur a luna in ecclypsi sit semper
equae magnae latitudinis? non, quia luna ingreditur latiorem partem
umbrae terrae dum est terrae vicinior, quam dum est a terra remotior.
Quando est terrae vicinior? quando est in opposito augis sui excen-
trici et epicicli.
Quantae latitudinis est umbra terrae in coelo lunae? nonaginta qua-
tuor minutorum.
Quanta est longitudo? etiam nonaginta quatuor minutorum, quia
umbra illa est adinstar corporis rotundi quod est equae latum ac lon-
gum.
Quid latitudo umbrae ~~terrae~~ existentis in coelo lunae? est extensio
umbrae terrae in coelo lunae quam habet secundum latitudinem zo-
diaci.
Quid longitudo eiusdem umbrae? est extensio umbrae terrae quam
habet secundum longitudinem zodiaci in coelo lunae.
Quanta est semidiameter latitudinis umbrae terrae? quadraginta
septem minutorum.
An ergo ut luna ingrediatur umbram terrae debeat esse intra la-
titudinem umbrae terrae? imo.
Quot gradibus luna potest distare ab ecclyptica existens in um-
bra terrae? nullo, quia alias semidiameter umbrae terrae deberet esse
ad minimum unius gradus, quia centrum umbrae terrae est in ec-
clyptica, ac proinde ecclyptica dividit diametrum latitudinis umbrae
terrae in duas partes equales, iam autem una media pars dia-
metri latitudinis umbrae terrae debet esse ab una parte lineae ecclyp-
ticae, et media pars eiusdem diametri ab altera parte lineae ec-
clypticae, cum vero lunam ut sit in umbra terrae debeat esse intra
latitudinem umbrae terrae, sequitur quod luna non possit distare
magis a linea ecclyptica quam quadraginta septem minutis, quanta
videlicet est semidiameter latitudinis umbrae terrae.
An centrum umbrae terrae semper maneat in ecclyptica? imo, quia
centrum umbrae terrae semper directe opponitur centro solis quod

semper maneat in ecclyptica.
An umbra terrae moveatur in coelo lunae? imo saltem apparenter
ab occidente in orientem sicut sol per viam Zodiaci.
An non moveatur alio motu? imo insuper motu diurno.
An luna singulis pleniluniis saltem pro parte ingrediatur umbram
terrae? non, quia in singulis pleniluniis non est tam vicina ecclyp-
ticae ut ingrediatur umbram terrae.
Ubinam ergo debet luna existens in Zodiaco ut ingrediatur umbram
terrae? debet esse in capite vel cauda draconis vel saltem tam vi-
cina alteri illorum ut distet minus quam quadraginta septem minu-
tis ab ecclyptica.
Quid draco? est figura quae oritur ex intersectione lineae ecclyp-
ticae et circuli deferentis lunam.
Quid circulus deferens lunam? est linea circularis in excentri-
co simpliciter coeli lunae quam centrum lunae describit motu pro-
prio in Zodiaco.
Quare illa figura vocatur draco? quia in medio est latior,
et in utroque fine est strictior adinstar draconis.
Quid caput draconis? est punctum illud intersectionis quo linea
ecclyptica et circulus deferens lunam se intersecant per quod
luna transit a parte australi respectu ecclypticae ad septentrionalem.
cur additur respectu ecclypticae? quia non requiritur ut absolute tran-
seat ad partes septentrionales, sed sufficit quod transeat ad partes
septentrionales respectu ecclypticae.
Quandonam dicitur pars Zodiaci esse septentrionalis respectu
ecclypticae? quando est vicinior septentrioni quam pars ecclypticae
secum existens in eodem arcu mensurante precise latitudinem Zo-
diaci.
Quid cauda draconis? est illud punctum intersectionis circuli de-
ferentis lunam et ecclypticae per quod luna transit a parte sep-
tentrionali ad australem respectu ecclypticae.
An caput et cauda draconis moveantur in Zodiaco? imo
Quomodo moventur? moventur contra successionem signorum, id est
ab oriente in occidentem per viam Zodiaci.
Quanto tempore absolvit utrumque motus suos in Zodiaco? spatio no-
vemdecim annorum.
Quantum spatii ergo conficit singulis diebus caput et cauda dra-
conis in Zodiaco? decimam nonam partem unius gradus circiter,
unde probatur? ex eo quod sol conficiens uno anno Zodiacum sin-
gulis diebus conficit circiter unum gradum in Zodiaco, ergo
caput et cauda draconis spatio novemdecim annorum con-
ficientes Zodiacum debent singulis diebus conficere circiter de-
cimam nonam partem unius gradus.
Quot minuta continet decima nona pars unius gradus? tria
circiter minuta.
Unde colligitur quod caput et cauda draconis moveantur in Zo-

draco? ex eo quod ecclypses non habeant fixa aliqua puncta
zodiaci in quibus certa lege fiant.
Unde hoc probatur? quia astrologi reflectunt quod si aliquo hoc tem-
pore fuerit facta ecclypsis totalis lunae in capite vel cauda dra-
conis existente in primo gradu cancri, advertunt tamen quod alio
tempore fiat iterum ecclypsis totalis lunae in puncto zodiaci quod
nec est in primo gradu cancri nec in gradu opposito, et inde colli-
gunt caput et caudam draconis variari in zodiaco.
Quam multum potest luna ecclypsata distare a capite draconis
sole existente in cauda vel prope caudam draconis? ad summum
sedecim gradibus, et idem dicendum est de luna ecclypsata quando
sol existit in capite vel prope caput draconis, tunc enim ad sum-
mum luna potest distare sedecim gradibus a cauda draconis.
Unde probas? quia luna ut ecclypsetur debet esse intra terminos
ecclypticos, non potest vero esse intra terminos ecclypticos nisi
sit vicina caudae vel capiti draconis ad sedecim gradus ad mi-
nimum.
Quid termini ecclyptici? sunt puncta hinc inde terminantia
spatium illud zodiaci secundum longitudinem in quo sol aut luna
debet existere ad hoc ut ecclypsetur.
Cur dicitur secundum longitudinem? quia puncta terminantia spa-
tium zodiaci secundum latitudinem non solent vocari termini
ecclyptici
Divide terminos ecclypticos. in solares et lunares.
Quid termini ecclyptici lunares? puncta hinc inde terminantia
spatium illud zodiaci secundum longitudinem in quo luna debet
existere ad hoc ut ecclypsetur.
An quotiescumque luna est intra terminos ecclypticos tunc sit
ecclypsata? non, quia quando luna est intra terminos ecclypticos
tempore interlunii, tunc non est ecclypsata.
Quid ergo ulterius requiritur ad ecclypsim lunae? ut sit intra
terminos ecclypticos tempore plenilunii.
Ubi reperiuntur termini ecclyptici lunares? prope caput draconis, item
prope caudam draconis.
Quantum distant a se invicem termini ecclyptici lunares prope
caudam draconis existentes? triginta duobus, item totidem gra-
dibus distant termini ecclyptici lunares existentes prope
caput draconis.
Quidnam est precise in medio inter utrumque terminum ecclyp-
ticorum? inter utrumque terminum ecclypticorum existentium prope
caudam draconis mediat precise cauda draconis, et inter
utrumque existentem prope caput mediat caput draconis.
Quantum distat uterque a cauda, et uterque a capite draconis?
sedecim gradibus, quia termini ecclyptici distant triginta
duobus gradibus inter se, ergo uterque eorum distat sedecim gra-
dibus ab illo puncto quod est precise in medio ipsorum.
Undenam colligitur quod termini ecclyptici lunares distent triginta duobus
gradibus inter se? ex eo quod aliquando fiant consequenter duae

ecclypses in duobus pleniluniis quorum unum immediate sequi-
tur alterum, siam autem hoc nequiret fieri nisi termini ecclip-
tici lunares distarent ad minimum triginta duobus gradibus in-
ter se quia inter unum plenilunium et alterum proxime sub-
sequentes debent intercedere viginti novem dies et aliquot horae
si vero intercedant tot dies, consequenter umbra terrae interea
movetur ad viginti novem gradus cum medio circiter in Zodiaco
versus orientem, et caput vel cauda draconis interea temporis mo-
vetur ad unum gradum cum medio versus occidentem, ergo licet
Luna in secunda ecclypsi ponatur esse in ipso termino ecclyptico
debebit ad minimum distare sedecim gradibus a capite vel cauda
draconis si distet sedecim gradibus in uno termino existens, ergo
alter terminus ecclipticus etiam sedecim gradibus distabit a
capite vel cauda draconis, ac proinde distabunt triginta duobus
gradibus inter se quia dum aliqua distant sedecim gradibus ab
eo quod praecise mediat inter utrumque eorum tunc distant tri-
ginta duobus gradibus inter se.

An termini ecclyptici semper aequaliter distent a se mutuo? Non,
sed magis distant quando terra proiicit umbram maiorem, et minus
distant, quando terra proiicit umbram minorem

Cur magis distant priori casu? quia Luna non debet tunc esse
tam vicina lineae ecclipticae secundum latitudinem ad hoc ut in-
grediatur umbram terrae, posteriori vero casu Luna debet esse vi-
cinior lineae ecclypticae secundum latitudinem ad hoc ut ingredia-
tur umbram terrae ut ipsa minorem.

An termini ecclyptici moventur in Zodiaco sicut caput et cauda
draconis? Imo.

Quomodo autem recte diximus distantiam terminorum ecclypticorum
cum modo distent longius modo minus longe inter se? dicta tan-
tum fuit distantia praeter propter, unde aliqui dicunt tantum
distare triginta gradibus inter se.

Quid Luna ecclypsata? est Luna privata copioso lumine solari
directo propter interpositionem terrae inter solem et ipsam

Qualem figuram habet Luna ecclypsata? si sit totaliter ecclyp-
sata tunc apparet adinstar orbis obscuri, et obscure rubentis; si vero
sit partialis ecclypsis tunc subinde apparet semiplena, subinde for-
ma plena, subinde cornuta.

quando cornua lunae ecclypsatae tenduntur in orientem? sub ~~finem~~ initium
ecclypsis totalis, quando Luna iam tota ingressa est umbram terrae
secundum totam faciem nobis obversam, quia Luna ingreditur
umbram terrae primo secundum partem orientalem, ac proinde
in casu allegato protendit cornua sua in orientem, quia generaliter
Luna protendit cornua sua in illam partem in qua existit pars
eius obscurata

quando Luna ecclypsata, protendit cornua in occidentem? sub finem

eclypsis totalis dum iam Luna ~~[illegible]~~ incipit egredi umbram terrae, sic ut pro maxima sui parte adhuc in illa contineatur, quia Luna motu proprio incipit egredi umbram terrae secundum partem sui orientalem, ac proinde relinquitur in umbra terrae secundum partem oppositam nempe occidentalem; iam autem si hoc sit verum protendet sua cornua in partem occidentalem, quia generatim Luna protendit sua cornua in illam partem in qua existit pars eius nobis obversa obscurata.

Quandonam cornua Lunae eclypsatae tenduntur in austrum? R. quando est tantum in parva sui parte nobis obversa illuminata, et consequenter pro maxima sui parte obscurata sic ut pars Lunae obscurata sit australior quam pars eiusdem illuminata; quia cornua Lunae tenduntur in illam partem in qua existit pars obscurata nobis obversa; cum enim pars obscurata Lunae censeatur australior, cornua protendi debent in austrum.

Quandonam ille casus contingit? quando Luna immediate existit ante ~~caput~~ caudam draconis sic ut secundum illam partem per quam transit ~~caput~~ caudam draconis primo, sit obscurata pro maiori sui parte; secundum illam partem per quam transit caput draconis ultimo sit parum illuminata.

Declara hoc sic debere tunc fieri: quia pars quae primo debet transire per ~~caput~~ caudam draconis est pars australis, ergo si secundum illam sit notabiliter obscurata, cornua tenduntur in austrum.

An illud idem alio casu fieri nequeat? imo, quia illud idem fiet si Luna fuerit totaliter eclypsata existens in ~~cauda~~ capite draconis, et tunc incipiat parum illuminari propter recessum eius a ~~cauda~~ capite draconis; quia dum Luna recedit a ~~cauda~~ capite draconis versus septentrionem post eclypsim totalem, tunc pars eius septentrionalis primo incipit illuminari, et consequenter pars eius australis eo tempore adhuc est in umbra terrae, et sic iterum cornua tenduntur versus partem australem.

Quando cornua Lunae eclypsatae tenduntur in septentrionem? parum ante eclypsim totalem quae fit dum Luna est in ~~[illegible]~~ capite draconis, item parum post eclypsim totalem quae fuit facta Luna existente in ~~capite~~ cauda draconis.

Declara prius: quia in priori casu Luna pro maxima sui parte est in umbra terrae secundum partem magis septentrionalem, quia Luna tunc ingreditur umbram terrae secundum partem sui septentrionalem; transit enim tunc ab austro in septentrionem; ergo illa pars quae primo eclypsatur antequam Luna totaliter eclypsetur debet esse septentrionalis, et sic cornua tenduntur in septentrionem.

Declara posterius: quia in posteriori casu Luna secundum maiorem sui partem versus septentrionem est in umbra, et secundum parvam sui partem versus austrum est illuminata, ergo cornua tenduntur in septentrionem.

proba antecedens: quia immediate post eclypsim totalem fac-
tam in ~~capite~~ caudae draconis luna incipit egredi umbram terrae secun-
dum partem australem, ac proinde relinquit se ipsam obscuratam
secundum partem septentrionalem.
Secundum quam partem prius luna ingreditur umbram terrae
orientalem an occidentalem? secundum partem orientalem, quia
ingreditur umbram terrae per motum proprium qui est ab occi-
dente in orientalem.
Quam partem umbrae prius ingreditur luna? occidentalem.
Secundum quam partem luna prius ingreditur umbram terrae
australem aut septentrionalem? aliquando prius secundum austra-
lem, aliquando secundum septentrionalem.
Quando ingreditur prius secundum partem australem? quando
ingreditur umbram terrae accedendo ad caput draconis vel recede-
ndo a cauda.
Quando ingreditur prius secundum septentrionalem? quando in-
greditur umbram terrae accedendo ad caudam draconis, vel re-
cedendo a capite draconis.
Divide eclypsim Lunae: in totalem et partialem.
Quid eclypsis lunae totalis? est privatio luminis direc-
ti solaris in tota facie lunae nobis obversa propter intera-
positionem terrae inter solem et ipsam.
Quando solet fieri eclypsis lunae totalis? quando luna est in
capite draconis vel cauda tempore plenilunii, vel saltem plane
prope.
An una eclypsis totalis lunae non possit esse diuturnior alia?
imo. ex eo quando ceteris paribus uno tempore umbra terrae
quam ingreditur est magis extensa quam alio tempore.
Quando hoc contingit? quando uno tempore terra est magis remo-
ta a sole quam alio tempore, vel quando uno tempore luna est
vicinior terrae quam alio ceteris paribus.
Quid eclypsis partialis? privatio luminis directi solaris in
parte faciei lunaris nobis obversae tantum, idque propter inter-
positionem terrae inter solem et lunam.
Quomodo illa definitio subsistit cum continuatur mediatas ec-
lypsis totalis lunae? non destruitur, quia non est privatio integra.
Quid privatio integra seu eclypsis integra? est talis pri-
vatio quae non est pars quasi integralis alterius alterius simi-
lis privationis in eadem facie lunae existentis.
An eclypsis partialis non possit sumi sic ut illa media eclyp-
sis vocetur partialis? imo, si nomen sumatur pro eclypsi
lunae quae est pars quasi integralis alterius eclypsis lunae.
Quid partialitas eclypsis partialis? est relatio ~~formata~~ partis
quasi integralis ad totum quasi integrale.
Quomodo tum eclypsis partialis lunae non sit pars quasi integralis.

alterius eclypsis? non est pars actualis est tamen aptitudinalis.

Quot eclypses possunt fieri uno anno? quatuor, quia possunt ad summum fieri duae sole existente semel in capite draconis, et semel in cauda draconis, et sole existente semel prope caput draconis, et semel prope caudam draconis rursum possunt fieri duae.

Quid eclypsis solis? interpositio lunae inter solem et aspectum nostrum. illa definitio non est formalis sed causalis.

Defini formaliter? Est occultatio solis secundum faciem nobis obversam facta propter interpositionem lunae inter solem et aspectum nostrum.

Quomodo recte cum ibi non contineatur eclypsis solis partialis? continetur.

Quomodo cum in eclypsi solis partiali sol a nobis adhuc videatur? distinguo, videtur secundum partem, sed non secundum totam faciem nobis obversam, iam vero in definitione per occultationem intelligitur occultatio non solum totalis, sed etiam partialis modo sit notabilis.

Quomodo recte cum sit sol in omni interlunio deberet dici eclypsatus partialiter? non deberet.

Quomodo cum semper tunc sit nobis occultatus partialiter, nempe secundum faciem a nobis aversam? non refert, quia in primis illa occultatio non fit propter interpositionem lunae inter solem et aspectum nostrum, deinde per occultationem partialem intelligitur occultatio partialis secundum faciem solis nobis obversam.

An omnis occultatio totalis solis sit eclypsis solis? non, quia occultatio solis quae fit de nocte non est eclypsis solis, quia illa non fit propter interpositionem lunae inter solem et aspectum nostrum.

Quo tempore fit eclypsis solis? tempore interlunii.

Quare non etiam alio tempore? quia alio tempore luna non potest interponi inter solem et aspectum nostrum.

An in quolibet interlunio fiat eclypsis solis? non.

Quomodo non, cum in quolibet interlunio luna sit posita inter solem et aspectum nostrum, sic ut existat in eodem gradu Zodiaci cum sole? distinguo existit in eodem gradu Zodiaci secundum longitudinem, sed non in eodem gradu secundum latitudinem.

An ergo ad eclypsim solis requiritur ut luna existat in eodem gradu Zodiaci cum sole etiam secundum latitudinem? imo vel saltem ut fere sic existat, quia luna debet directe interponi inter solem et aspectum nostrum.

Quandonam censetur luna directe interposita inter solem et aspectum nostrum? quando non possunt duci lineae rectae ab oculo nostro saltem ad aliquas partes solis nisi transeant per lunam.

An interpositio ~~iterum~~ requisita ad eclypsim solis in lunam debeat

esse diametralis interpositio lunae inter solem, et aspectum nostrum?
non in rigore loquendo.
Quandonam luna censetur diametraliter interponi inter solem et
aspectum nostrum? quando linea recta ducta ab oculo nostro ad
centrum solis transit per centrum lunae.
An ad ecclypsim solis non requiratur ut luna sit inter terminos
ecclypticos solares? imo.
Quid termini ecclyptici solares? sunt puncta hinc inde termi-
nantia spatium illud zodiaci in quo debet existere sol et luna ad hoc ut
fiat ecclypsis solaris.
Quantum utrinque distant termini ecclyptici solares ab ecclyptica?
distant tantum quanta est semidiameter solis.
Quantum extenditur diameter solis? secundum aliquos ad qua-
draginta quatuor minuta, secundum alios ad triginta duo tantum.
Quantum ergo continet semidiameter solis? secundum aliquos vigin-
ti duo minuta, secundum alios vero sedecim tantum.
Dic quantum distent secundum latitudinem zodiaci termini
ecclyptici solares inter se? tantum quanta est integra diameter
solis. scilicet quadraginta quatuor minutis, vel secundum alios
triginta duobus.
Dic maximam distantiam quam luna distare potest ab ecclyptica
in ecclypsi solari? minus quam viginti duobus minutis ~~prius~~
unde distare potest ad summum viginti minutis, et uno cum secun-
dis circiter, quia in ecclypsi solari luna debet esse intra terminos
ecclypticos solares, illi vero tantum distant ab ecclyptica
ad summum viginti duobus minutis.
An termini ecclyptici lunares sint magis distantes a se mutuo
quam termini ecclyptici solares? si illi termini censentur
precise in coelo lunae tunc respondendum est quod sic, quia termi-
ni ecclyptici lunares distant secundum latitudinem zodiaci
tantum quanta est latitudo umbrae terrae in coelo lunae, id est
nonaginta quatuor minutis, termini vero ecclyptici solares tan-
tum distant a se mutuo secundum latitudinem zodiaci quanta est
diameter solis, id est quadraginta quatuor minutis.
An interim spatium illud quod occupat diameter solis in coelo so-
lis non sit maius quam spatium occupatum ab umbra terrae
in coelo lunae secundum latitudinem zodiaci? imo.
Quomodo ergo diameter solis est tantum quadraginta quatuor mi-
nutorum cum latitudo umbrae terrae est nonaginta quatuor mi-
nutorum? minuta illa in coelo solis sunt multo maiora quam
minuta illa in coelo lunae. unde generatim notandum quod quan-
do duo circuli sunt inaequalis magnitudinis tunc nunquam
licebat sic argumentari
Hic arcus circuli minoris est viginti graduum,

etsi arcus circuli maioris est eiusdem graduum
sicut arcus circuli minoris est maior hoc arcu cir-
culi maioris, quia quantum unus cir-
culus superat alium magnitudine tantum proportione servata
gradus unius circuli superant gradus alterius magnitudine.
An luna debeat esse vicinior capiti vel caudae draconis ad hoc ut fiat
ecclypsis solis quam ad hoc ut fiat ecclypsis lunae? imo, quia ad hoc
ut fiat ecclypsis solis luna debet esse vicinior ecclypticae quam ad hoc
ut fiat ecclypsis lunae, iam vero si hoc sit verum consequenter debet
esse vicinior capiti vel caudae draconis, quia generaliter quanto ma-
gis luna accedit ad ecclypticam tanto magis accedit ad caput vel
caudam draconis.
Secundum quam partem sol prius nobis ecclypsatur an secundum
orientalem, an secundum occidentalem? secundum occidentalem,
quia luna supponit se soli assequendo illum per motum proprium
ac proinde primo assequitur partem occidentalem.
Secundum quam partem sol prius ecclypsatur an secundum au-
stralem an septentrionalem? aliquando secundum partem austra-
lem, aliquando secundum septentrionalem.
Quandonam sol prius ecclypsatur secundum partem australem?
quando luna ecclypsat solem existens ante caput draconis, vel exis-
tens post caudam draconis, quia dum luna est ante caput draco-
nis itemque dum est post caudam draconis tunc existit in parte au-
strali respectu lineae ecclypticae, ergo si ibi incipiat occultare solem,
occultabit primo eius partem australem.
Quando sol prius obscuratur secundum partem septentrio-
nalem? quando luna incipit ecclypsare solem existens ante cau-
dam draconis vel existens post caput draconis, quia dum luna
est ante caudam draconis tunc est adhuc in parte septentrionali
respectu ecclypticae, itemque dum est post caput draconis, ergo
utrobique ecclypsat illam partem solis quae est septentrionalis,
quia generaliter pars illa quae est septentrionalis respectu
ecclypticae est etiam septentrionalis respectu solis.
Divide ecclypsim solis? in totalem et partialem.
Quid ecclypsis solis totalis? est ecclypsis solis qua totus sol
ecclypsatur.
An ad hoc ut aliquis videat ecclypsim solis totalem debeat
esse in umbra lunae? imo.
An ergo ille non possit videre lumen solis? distinguo non potest
videre ~~lu~~ lumen illud solis emissum per radios directos, sed bene
per radios reflexos in speculo etc. eodem modo aliquis extra
umbram lunae existens possit videre solem totaliter ecclypsa-
tum.
An una ecclypsis totalis solis non possit esse maior altera?
imo, ex eo quod uno tempore luna sit nobis vicinior et a sole
remotior, alio vero tempore non sit.
Dic ergo constitutionem lunae et solis necessariam ad hoc ut
fiat maxima ecclypsis solis: utraque in primis debet esse in capite
draconis vel utraque in cauda draconis; sol vero debet esse ultimus

in auge sui excentrici, luna vero in opposito augis sui excentrici
et epicycli, quia
Declara quod tunc fiet maxima ecclypsis solis: quia tunc sol
est a terra remotissimus, et luna est terrę vicinissima, intelligendo
nimirum de maxima distantia solis a luna possibili in interlu-
nio.
An talis constitutio solis et lunę sit de facto possibilis? ad hoc
notandum quod aliqui huius temporis constituant augem lunę et
solis in eodem signo zodiaci nempe in cancro, alii vero, veri-
similius constituunt in oppositis signis augem nempe solis in can-
cro, et augem lunę in capricorno, secundum posteriorem sen-
tentiam tunc talis constitutio ante data est possibilis, secundum
priorem vero non.
Quomodo potest dari ecclypsis solis totalis cum luna sit mul-
to minor sole? nihil refert quia equidem luna potest oculo occul-
tare totum solem ex eo quod sit a sole valde remota, et oculo
nostro valde vicina comparatione facta ad solem sicuti manus
vicina oculo potest occultare integrum scholę parietem..
Quid ecclypsis solis partialis? est ecclypsis qua pars solis
tantum ecclypsatur
Quomodo cum contingatur media pars ecclypsis totalis solis?
non contingeret quia non est ecclypsis integra.
Et qua partialitate ecclypsis vocatur partialis? a partialitate
partis solis quę ecclypsatur, unde illa vox partialis denominat
tantum extrinsice ecclypsim partialem
Divide aliter ecclypsim: in generalem, et particularem se-
provincialem
Quid ecclypsis solis universalis? est ecclypsis solis quę cerni-
tur in toto hemisphęrio in quo contingit.
An ecclypsis totalis possit esse generalis? distinguo non potest
esse generalis sub ratione ~~ecc~~ ecclypsis totalis, sed bene potest
dari ecclypsis generalis respectu aliquorum totalis, et respe-
ctu aliquorum partialis.
Quare non potest dari ecclypsis solis universalis totalis in quantum tota-
lis? quia umbra lunę non potest occupare integrum terrę hemisphęrium
hoc vero deberet fieri si daretur ecclypsis totalis universalis sub ra-
tione totalis.
Cur umbra lunę non potest occupare integrum terrę hemisphęrium?
quia luna est minor terra, et umbra lunę est pyramidalis, ac proin-
de exiguam tantum hemisphęrii terrestris partem occupare potest.
Quare ergo non potest dari ecclypsis totalis respectu hominum
existentium extra umbram lunę? quia ecclypsis solis totalis non potest
talibus hominibus esse conspicua, quia si fiat extra umbram lunę
sol non potest illis integre occultari, quia non occultabitur illis
illa pars solis a qua mittuntur radii luminis directe, versus illos
existentes extra umbram lunę.

Quinam homines ordinarie videt eeclypsim solis totalem? Illi in quorum meridiano contingit eeclypsis totalis solis, et multo magis illi in quorum zenith talis eeclypsis contingit.
Cur dictum est ordinarie? quia potest fieri eeclypsis solis in meridiano aliquorum etiam totalis quae ab illis non videtur, quia hoc fiet si eeclypsis contingat in illa parte meridiani quae est vicina horizonti.
Respectu quorum hominum hoc potest fieri? respectu hominum habitantium prope polos. Unde quando dicitur quod eeclypsis debeat fieri in meridiano aliquorum hoc debet intelligi de illa parte meridiani quae est supra horizontem, vel de aliquo circulo ~~parallelo~~ vicino meridiano illorum.
An possit fieri eeclypsis solis in zenith aliquorum quae respectu ipsorum non est totalis? Imo, quia potest fieri eeclypsis partialis solis in qua apparet extrema circumferentia solis ad instar circuli luminosi.
Quomodo sol et luna debent esse constituti ut hoc fiat? Sol debet esse in opposito augis sui excentrici et luna in auge sui excentrici et epycicli.
An homines illi non sint in umbra lunae tunc temporis? non, quia illa non protenditur usque ad terram.
Quid eeclypsis particularis solis? quae non cernitur per totum hemisphaerium in quo contingit.
An ut aliquis videat eeclypsim solis particularem possit esse in umbra lunae? non, quia tunc talis eeclypsis ipsi appareret totalis intelligendo visione directa.
An detur eeclypsis lunae generalis item particularis? eeclypsis lunae ordinarie est generalis potest tamen aliquando esse particularis.
Quomodo cum in eeclypsi lunae luna sit observata in facie nobis obversa? est verum sed non omnibus eiusdem hemisphaerii apparet eadem totalis facies obversa, ille enim qui habitat in extremitate hemisphaerii versus orientem videt aliquam partem lunae quam non videt ille qui habitat in altera parte hemisphaerii versus occidentem, et sic potest observari praecise pars illa faciei terrae obversae quam videt habitans versus occidentem, et quam non videt ille qui habitat versus orientem.
An luna semper proiiciat umbram versus terram sicut in eeclypsi solis? non, quia non in plenilunio.
Quid maculae lunae? est nigredo quaedam apparens in diversis partibus lunae ex eo quod lumen solis minus retineant et reflectant quam aliae.
Quid maculae ~~solis~~ concretim lunae? sunt ipsaemet partes lunae rariores lumen solis minus retinentes et reflectentes quam aliae.

Finis

In Libros De Generatione Et Corruptione

Quodnam est obiectum horum librorum? Corpus elemen-
tare quatenus est mutabile variis mutationibus distinctis a
locali.
Quodnam corpus vocatur elementare? illud quod est vel ele-
mentum vel corpus mixtum.
Quare corpus mixtum vocatur elementare? quia saltem virtua-
liter componitur ex elementis.
assigna aliquas mutationes distinctas a locali: generatio, corruptio,
nutritio, accretio, et similia.

De Generatione

et Corruptione.

Quid generatio? sumitur dupliciter semel pro actione, et
semel pro mutatione.
Quid generatio actio? est actio qua producitur forma depen-
denter a subiecto substantante. ut actio qua producitur frigus
in materia prima aquae.
An in hoc tractatu consideratur generatio actio, an generatio mu-
tatio? generatio mutatio.
Quid generatio mutatio generaliter? transitus subiecti a privatione
alicuius formae ad illam formam.
Quinam sunt termini proximi generationis mutationis? terminus
a quo proximus est privatio formae, terminus ad quem proximus
est forma scilicet positiva. proximus
An ergo non detur generatio mutatio cuius utergue terminus est
privatio? non proprie loquendo.
Divide generationem sic sumptam: in substantialem, et accidenta-
riam.
Quid generatio substantialis? est generatio cuius terminus ad quem
proximus est substantia. ut generatio mutatio hominis.
An sola forma substantialis physica possit esse terminus ad quem
proximus generationis substantialis? non.
da ergo alias formas: subsistentia animae rationalis, natura
formae substantialis, unio sintegralis substantialis.
da generationem substantialem cuius terminus ad quem est unio
integralis: mutatio qua materia prima hominis transit ad unio-
nem integralem cum materia prima advenientis homini per nu-
tritionem.
Quid generatio accidentaria? est generatio cuius terminus ad quem

proximus est accidens? ut mutatio qua aqua mutatur a priua-
tione caloris ad calorem dum calefit.
An quaelibet accidentia possint naturaliter acquiri subiecto per gene-
rationem accidentariam? non, quia non sic intellectus angelicus,
item quantitas, quia talia accidentia sunt coaeua suis subiectis proxi-
mis.
Quare saltem non possint acquiri subiectis remotis per generationem
accidentariam? quia quodlibet subiectum remotum talium formarum
includit in sua entitate subiectum proximum illarum, ac proinde si non
possint acquiri subiecto proximo, non poterunt etiam acquiri subiecto
remoto.
An inter tales formas sit annumerandus intellectus humanus? non.
Quare non, cum intellectus humanus sit coaeuus suo subiecto proxi-
mo? inde bene sequitur quod non possit acquiri suo subiecto proximo,
cum eo vero bene consistit quod possit acquiri subiecto remoto.
Cui subiecto acquiri potest? materiae primae hominis.
Cur potius intellectus humanus acquiri possit alicui subiecto remo-
to quam intellectus angelicus? quia non quodlibet subiectum remotum
intellectus humani includit in sua entitate subiectum proximum
eius sicut quodlibet subiectum remotum intellectus angelici.
Dari generationem accidentariam per quam subiectum moveatur ad
formam sibi unitam unione per se talis potest tantum probabiliter
dari, ut etsi mutatio qua hic gradus intensivus albedinis mutatur
ad unionem intensivam cum alio gradu intensivo.
An ergo unio intensiva albedinis unitur per se suo subiecto proxi-
mo? imo, saltem probabiliter.
An possit efficaciter probari dari generationem substantialem? .
plerique dicunt quod sic, quia certum est materiam primam aliquam
de transire a priuatione animae rationalis ad illam; atqui certum
est animam rationalem esse veram formam substantialem; ergo
certo datur generatio substantialis.
proba maiorem: maior constat ex generatione hominis et nutritione,
in quibus ad oculum etiam patet quod materia prima transeat
ad animam rationalem.
proba minorem: ex fide patet
An similiter certo constet dari generationes substantiales dis-
tinctas a generatione unitatione? non.
An ergo non sit certum dari generationem ovis asini etc? imo
sed non est certum tales generationes esse substantiales, unde
qui vellet sustinere tantum esse generationes accidentarias non
posset penitus conuinci.
proba saltem probabili ratione dari tales generationes substantia-
les: quia experientia constat quod aliquod corpus subinde ita altera-
tur ut nunquam postea appareat esse eiusdem speciei cum eo quod
ante erat, aliquando vero sic alteratur ut postea sponte sua redeat
ad pristinum statum, atqui hoc nequit commode fieri nisi detur for-
ma substantialis; ergo potest dari generatio substan.
Probat priorem partem assumpti: quia hoc patet in gutta aquae

miscta et copiosum ignem.
Declara posteriorem partem assumpti: hoc patet in aquâ calefactâ
quae post sibi relicta se reducit ad pristinum frigus.
Proba subsumptionem illius argumenti: quia non est alia causa com-
mode assignabilis illarum alterationum, quam quod in uno casu
deperdatur prior forma substantialis, acquiratur nova, posteriori vero
casu perseveret antiqua forma sub qualitatibus peregrinis quas post
expellit producendo novas qualitates sibi connaturales.
Declara illud argumentum non convincere: quia posset dici quod esset
unum accidens quod post produceret illas novas qualitates.
Quid corruptio? transitus subiecti a forma ad eius privationem.
Da terminos proximos corruptionis: terminus a quo proximus
est forma, terminus ad quem proximus est privatio formae.
Divide corruptionem: in substantialem, et accidentariam
Quid corruptio substantialis? cuius terminus a quo proximus est
substantia. ut corruptio mutatio hominis.
Da corruptionem substantialem cuius terminus a quo proximus
non est forma substantialis physica: transitus quo materia prima
hominis transit ab unione integrali cum alia partiali materia
hominis ad privationem illius unionis.
An sit certum dari corruptionem substantialem? est eodem modo
certum sicut certum est dari generationem substantialem
Quid corruptio accidentaria? cuius terminus a quo proximus est
accidens. ut transitus aquae a calore ad privationem eius.
An detur generatio substantialis sine generatione accidentaria? regu-
lariter loquendo non, quia regulariter omnis generatio substantia-
lis, vel fit dum generatur corpus *naturale* vel dum augetur corpus
naturale, utroque vero casu semper coniungitur aliqua generatio
accidentaria.
An generatio accidentaria semper habeat coniunctam generatio-
nem substantialem? non, quod patet in aqua dum eadem manens
quoad substantiam movetur a privatione caloris ad calorem
An generatio accidentaria semper habeat coniunctam aliquam
corruptionem accidentariam? non, quia dum aer movetur a pri-
vatione luminis ad lumen non necessario habet coniunctam cor-
ruptionem accidentariam.
An generatio substantialis semper habeat coniunctam corruptio-
nem substantialem? generaliter loquendo hoc non est necesse, quia
v.g. una pars integralis aquae potest moveri ad unionem inte-
gralem cum alia parte absque coniuncta corruptione substan-
tiali.
An ergo hoc axioma non sit verum, generatio unius est cor-
ruptio alterius? imo sed sensu admittimus.

An illa propositio sit formalis generatio unius est cor

ruptio alterius sit formalis? non, sed concomitativa, quia
sensus est generationem unius comitatur corruptio alterius.

Quid refert illud unius dum dicitur generatio unius, item illud
alterius quando corruptio alterius? corpus naturale

An fiat vis in numero singulari quando dicitur generatio unius
est corruptio alterius? non.

An hic intelligatur tantum corpus naturale totale dum dicitur
quod generatio unius sit corruptio alterius? non, sed corpus natu-
rale sive totale sive partiale.

Da ergo plenum sensum illius axiomatis. R. sensus est generatio-
nem unius vel plurium corporum naturalium sive totalium
sive partialium concomitatur corruptio alterius, id est sive unius
alterius, sive plurium aliorum corporum naturalium sive to-
talium sive partialium.

Da generationem corporis naturalis totalis habentem coniunc-
tam corruptionem corporis naturalis partialis tantum: ut gene-
ratio vermis ex parte integrali cadaveris.

Da generationem corporis naturalis partialis habentem con-
iunctam corruptionem corporis naturalis totalis: ut generatio par-
tialis aeris ex aqua quae non est aeris pars integralis.

Da generationem corporis totalis habentem coniunctam corrup-
tionem corporis etiam totalis: generatio cadaveris humani ha-
bet enim coniunctam corruptionem hominis.

An si hoc axioma intelligeretur de formis substantialibus esset ge-
neraliter verum? non, quia tunc posset dari generatio formae
substantialis non habens coniunctam corruptionem illius formae
substantialis: quia generatio formae substantialis cadaveris hu-
mani non habet coniunctam corruptionem animae rationalis.

An interim corruptio formae substantialis non possit sumi tam
late ut anima rationalis dicatur corrumpi in morte homi-
nis? imo, sumpta pro deperditione formae substantialis in subiecto.

Declara quod anima rationalis taliter corrumpatur in morte
hominis: quia deperditur suo subiecto nempe materia prima.

An sicut generatio unius est corruptio alterius, sic corruptio
unius sit generatio alterius? imo, sub eodem sensu.

An illa duo axiomata habeant locum in generationibus et cor-
ruptionibus accidentariis? non generaliter loquendo, quia non quae-
libet generatio accidentaria habet coniunctam corruptionem ac-
cidentariam, quia non v.g. generatio luminis.

Da corruptionem accidentariam sine generatione accidentaria:
ut corruptio luminis.

An illa axiomata habeant saltem locum in generationibus et
corruptionibus accidentariis formarum habentium contrarium? non
generaliter loquendo, quia non tunc quando illae formae sunt con-
trariae tali contrarietate quae non necessario exigit inexistentiam

alterius contrariorum in quovis subiecto capaci: quia sic v.g. generatio assensus de aliquo obiecto non habet necessario coniunctam corruptionem dissensus circa idem obiectum.

Specifica ergo generationes et corruptiones accidentarias in quibus illa duo axiomata sunt universaliter vera: Ut generationes et corruptiones talium formarum quae contrariantur tali contrarietate quae exigit inexistentiam alterius contrariorum in quovis subiecto capaci.

Quomodo vocantur illa contraria? immediata.

An illud axioma non possit esse verum de contrariis mediatis? imo v.g. in albedine et nigredine.

Quomodo cum etiam ubi generetur albedo non necessario corrumpatur nigredo? hoc quidem verum est sed tamen necessario corrumpitur vel nigredo vel aliquis color medius inter albedinem et nigredinem.

Dic in quibus generationibus et corruptionibus accidentariis haec axiomata sunt falsa: in generationibus et corruptionibus formarum accidentalium quae neque habent contrarium immediatum neque tale contrarium quod contrariatur tali contrarietati quae requirit inexistentiam vel alterius contrarii vel saltem alicuius formae mediae inter utrumque contrarium in quovis subiecto capaci.

De Alteratione.

Quid alteratio? sumitur dupliciter late, et stricte.

Quid alteratio late? est mutatio terminata ad qualitatem. Ut transitus aeris a tenebris ad lumen

Divide alterationem sic sumptam 2 in late dictam tantum, et alterationem stricte dictam.

Quid alteratio late dicta tantum? est alteratio quae non est mutatio qua subiectum sensibile idem permanens in suis mutatur affectibus qui vel contrarii sunt vel inter contrarios medii, vel ex his mixti. Ut mutatio aeris a tenebris ad lumen.

Quid alteratio stricte? est mutatio qua subiectum sensibile idem permanens in suis mutatur affectibus, qui vel contrarii sunt vel inter contrarios medii vel ex his mixti. Ut mutatio successiva aquae a calore ad frigus.

genus definiti hic est mutatio.
Quam habitudinem in ui obliqui significat quâ dum dicitur muta-
tio quâ subiectum etc? habitudinem causæ formalis respectu illius
uocis mutatur.
quid refert illud relatiuus quâ? genus definiti uerificatum pro
definito.
Quid ibi subiectum? idem quod corpus naturale.
Quid subiectum sensibile? est corpus naturale affectum quali-
tatibus sensibilibus.
Quid qualitas sensibilis? quæ sensu externo percipi potest. ut
albedo, lumen.
Da subiectum prout hic quod non est subiectum sensibile: tale
esset corpus naturale quod nullis qualitatibus sensibilibus
esset affectum.
An de facto detur tale? non.
Cur non aer uel coelum? quia aer habet calorem et humidi-
tatem, coelum uero habet lumen.
Quid subiectum sensibile idem permanens? est subiectum sen-
sibile retinens easdem partes substantiales saltem moraliter
loquendo.
cur additur hoc? quia homo censetur idem permanere dum nu-
tritur, etiamsi subinde aliquas partes ueteres perdat et nouas
in corpore acquirat, quia saltem moraliter loquendo retinet
omnes easdem partes substantiales.
Quandonam censetur subiectum sensibile retinere easdem par-
tes substantiales? quando nec ullas ante habitas deperdit, neq.
ullas ante non habitas acquirit.
Quare debet addi illa particula idem permanens? ut alteratio
distinguatur contra generationem substantialem, in quâ [illegible]
[illegible] nec sensibile quidquam ut subiectum idem permanet.
Quid hic mutari? esse subiectum mutationis per se successi-
uæ.
Quid mutatio per se? est mutatio cui omnia per se competunt
quæ experimentur ut mutatio aquæ a calore ad frigus.
Da mutationem quæ ideo non est alteratio quia non est mutatio
per se: mutatio albi a frigore ad calorem, quia non omnia quæ
hic experimentur competunt per se isti mutationi, non enim al-
bedo.
Quid mutatio successiua? est mutatio composita ex par-
tibus sibi succedentibus?
Da mutationem quæ non est alteratio ex eo quod non sit suc-
cessiua: mutatio instantanea aquæ a calore ad frigus.
per quam partem definitionis excluditur talis mutatio
instantanea? per illam partem mutatur uel secundum alios
per genus definiti quod secundum illos est mutatio suc-

efficiâ.

Quid subiectum sensibile mutari in suis affectibus? est subiectum sensibile mutari tali mutatione quae pro termino a quo habet affectum illius subiecti, et pro termino ad quem etiam affectum illius subiecti.

Da subiectum tale: ut aqua dum mutatur successive a calore ad frigus.

Quid affectus? est qualitas sensibilis tertiae speciei.

Da qualitatem sensibilem non affectum: gravitas, non enim est tertiae speciei.

Quid affectus contrarii? sunt affectus summe repugnantes inter se vel primario vel secundario.

Da tales qui non sunt contraria aristotelica: hic calor et hoc frigus.

Quid affectus medius? est affectus participans de natura duorum affectuum extremorum.

An affectus medius et inter contrarios medius coincidant? non quia dantur affectus medii non inter contrarios medii.

Quid affectus inter contrarios medii? sunt affectus participantes de natura duorum affectuum extremorum contrariorum.

Quid affectus medii inter extremos? sunt affectus participantes de natura duorum affectuum extremorum.

Da affectus medios inter extremos non inter contrarios: tales sunt duo soni medii inter sonum maxime bassum et inter sonum maxime altum.

Quid affectus extremi? sunt affectus eodem sensu externo perceptibiles maxime diversimode illum sensum afficientes ut sonus maxime bassus et sonus maxime altus.

Quomodo se habent affectus contrarii et affectus extremi? utrique sunt albedo et nigredo.

Da affectus extremos non contrarios: duo soni extremi.

Da econtra: tales sunt calor et frigus intelligendo de affectibus extremis positive.

Quid affectus extremi positive? sunt affectus extremi tales ut habeant aliquem affectum medium inter illos.

Quid affectus extremi negative? sunt affectus eodem sensu perceptibiles tam diversimode illum sensum afficientes ut non dentur alii affectus speciei distincti a prioribus magis diversimode illum sensum afficientes.

Da affectus contrarios non extremos negative: non dantur.

Quid affectus ex fisis mixti? sunt affectus quorum unus est contrarius et alter medius inter contrarios, ut albedo et viredo.

An tales etiam sunt calor et viredo? non.

Quomodo non cum unus sit contrarius nempe calor, et alter medius nempe viredo? non est ad sensum definitionis, ad contrarios quia sensus est sunt affectus quorum unus est contrarius et alter medius inter illum affectum contrarium, et alium affectum cui contrariatur.

Da alterationem consistentem inter affectus medios, alteratio consistens proxime inter viriditatem et flaviditatem.
Da alterationem consistentem inter affectus ex his mixtos: alteratio consistens inter albedinem et flaviditatem.
An alteratio debeat esse mutatio continua successiva? imo moraliter loquendo.
Quotuplex est continuitas entis continui? duplex, alias continuitas entis continui successivi, alia continuitas entis continui permanentis.
Quandonam censetur aliquid continuum continuitate successiva? quando ipsius partes sibi succedentes succedunt sine intermissione.
Quandonam censetur aliquid continuum continuitate permanente? quando partes eius simul existentes sibi proxime iunguntur.
Da talem: lapis.
Quandonam censetur mutatio successiva esse moraliter continua? quando partes eius sic sibi succedunt ut inter illas non detur interruptio quae facile notari possit.
Quare alteratio debet tantum esse moraliter continua? quia si deberet esse rigorose continua sequeretur quod vix ullae alterationes darentur.
An ergo alteratio aquae ad calorem dum aliquis calefit tunc non esset vera alteratio? non, quia non est rigorose successiva continua.
Quare non potest dici quod talis alteratio sit rigorose continua? quia sequeretur [illegible] quod illa aqua in ictu oculi deberet fieri calida ad octo, quia si esset rigorose continua deberet aqua singulis instantibus ad minimum acquirere unum gradum caloris, [illegible] vero in ictu oculi continentur plura instantia quam octo, sequeretur quod in ictu oculi fieret calida ad octo.
An omnis mutatio consistens inter qualitates contrarias sit alteratio? non, quia mutatio qua substantia aquae mutatur a gravitate ad levitatem non est alteratio, quia subiectum sensibile non mutatur ibi in suis affectibus, quia non in qualitatibus tertiae speciei.
Quam habitudinem in vi obliqui significat illa vox affectibus dum dicitur in suis mutatur affectibus? habitudinem termini ~~[illegible]~~ inexistentiae significatae per particulam in.
Cuiam inexistentiam significat particula in? inexistentiam mutationis principaliter significatae per vocem mutatur in suis terminis quorum unus est a quo, et alter ad quem: ~~[illegible]~~ potest etiam dici significare inexistentiam denominati illius vocis mutatur in affectibus tanquam subiecti communis in suis formis.
An omnis mutatio consistens inter affectus sit alteratio? non, quia non mutatio consistens inter affectus qui nec sunt contrarii neque medii neque ex his permixti.
Da talem mutationem, ut mutatio consistens inter duos sonos.
An omnis mutatio consistens inter affectus contrarios sit alteratio? non, quia non talis mutatio quae est instantanea.

An omnis mutatio successiva consistens inter affectus contrarios sit alteratio? non. quia neque tunc quando est successiva continua moraliter.

per quam partem definitionis insinuatur quod alteratio debeat esse moraliter successiva continua? per illam particulam mutatio intelligendo per mutationem, mutationem moraliter unam. quia mutatio successiva moraliter discontinua non est moraliter una.

An omnis mutatio successiva moraliter continua consistens inter affectus contrarios sit alteratio? non. quia non [illegible] quando sola materia prima seorsim sumpta moveretur ab uno contrario affectu ad alium, quia tunc non esset mutatio qua mutatur subiectum sensibile.

An de facto sit naturaliter possibilis talis mutatio? verisimilius dicitur quod non, nisi vellemus dicere quod aliqui dicunt, videlicet quod in subitanea morte hominis materia maneat aliquanto tempore nudata omni forma substantiali; de facto tamen probabiliter datur talis mutatio sed supernaturaliter, secundum illos nominales qui dicunt quod quantitas in venerabili eucharistia existat extra omne subiectum, et quod illa sit subiectum accidentium sensibilium.

declara quod secundum illos detur talis mutatio: quia talis est qua quantitas extra subiectum constituta movetur a frigore ad calorem in venerabili.

An omnis mutatio successiva continua qua subiectum sensibile ~~[struck]~~ movetur ad albedinem sit alteratio? non verisimilius, quia non talis mutatio qua subiectum sensibile movetur a privatione albedinis ad albedinem.

An hoc possit fieri naturaliter? verisimilius est quod sic, et hoc contingit dum aqua resoluta in tenues vapores paulatim condensatur in nubem, tunc enim successive acquirit albedinem quam ~~[struck]~~ verisimiliter ante nullum habebat colorem.

An possit dari subiectum capax albedinis carens albedine et nigredine et omni colore medio inter illas? imo verisimiliter ut patet in exemplo allegato, hoc tamen non est ita certum, quia etiam ille vapor potest habere aliquem tenuem colorem in gradu remisso, qui propterea sensui externo decerni non potest.

Quomodo ergo verum antedictum fuit quod albedo et nigredo sint tales affectus ut alter eorum insit cuilibet subiecto capaci vel gratia sui vel gratia colorum mediorum inter illos? hoc intelligendum est regulariter loquendo.

An illud quod est subiectum proximum terminorum alterationis debeat necessario esse subiectum proximum alterationis? non, quia terminus ad quem proximus alterationis potest adesse simul suo subiecto proximo materiae primae, iam autem illo casu illud subiectum proximum termini ad quem alterationis

non esset subiectum proximum alterationis, quia non mutare-
tur per illam alterationem ab una forma ad aliam, subiectum
vero proximum alterationis debet transire ab una forma ad aliam.
Declara in exemplo: sit in sententia quae dicit quantitatem realiter
ter distingui a materia posset albedo simul cum quantitate adve-
nire materiae primae saltem per deum.
Quidnam ibi esset subiectum proximum termini ad quem alteratio-
nis? quantitas
Cur quantitas non esset subiectum proximum alterationis? quia
supponitur advenire simul cum termino ad quem suo materiae
primae, ac proinde existere pro primo instanti suae existentiae, instanti-
ne ordinarium modum quo formae materiales adveniunt suis
subiectis proximis
Quomodo cum illa quantitas non sit subiectum proximum ter-
minorum, sed tantum termini? nihil deficit.
Quomodo ergo per illud exemplum recte respondetur ad quaestionem
antedictam? in quaestione non fit vis in numero.
An aliquid possit esse subiectum proximum utriusque termini altera-
tionis, ita ut non sit subiectum alterationis? intelligendo an ali-
quid eodem instanti possit esse subiectum proximum utriusque ter-
mini totalis alterationis tunc quaestio supponit falsum, quod idem
non potest eodem instanti esse et sub termino a quo totali, et sub
termino ad quem totali, eiusdem alterationis

Divide alterationem: in corruptivam et perfectivam.
Quid alteratio corruptiva? est alteratio terminata ad effectum
disponentem ad novam formam substantialem. ut alteratio termi-
nata ad calorem in aqua.
Quid alteratio perfectiva? est alteratio terminata ad effectum non
disponentem ad novam formam substantialem. ut alteratio aquae
ad frigus.
Quomodo cum frigus disponat igneam materiam &c ad novam
formam substantialem? non refert.
Quomodo ergo praedicta alteratio est perfectiva? quia frigus aqui-
dem est affectus non disponens materiam aquae ad novam formam
Quid alterari? est subiectum sensibile idem permanens in suis
mutari affectibus qui vel contrarii sunt, vel inter contrarios medii
vel ex his mixti, ut aqua dum successive continue mutatur
a frigore ad calorem.
Quid alterare? est rem aliquam mutare subiectum sensibile in
suis affectibus, qui vel contrarii sunt, aut inter contrarios medii,
vel ex his mixti.
Da quod alterat et simul alteratur: sic aqua calida alterat ma-
num sibi impositam, et alteratur etiam ab igne si immediate exsi-
stat in olla igni superposita.
An aliqua possint se mutuo alterare? imo, sic manus plane ca-
lida imposita aquae frigidae potest alterare aquam ad aequalem

calorem, et ab aqua alterari ad frigus.

De Generatione Substantiali

Quid generatio substantialis? iuxta aristotelem est mu-
tatio qua totum mutatur in totum nec sensibile quidquam
ut subiectum idem permanet. definitur est generatio substan-
tialis totius habens coniunctam corruptionem substantiae
eius totius.
Da genus definiti: mutatio, item mutatio substantialis sumendo
illam late.
Quid refert illud quam dum dicitur qua totum? genus definiti veri-
ficatum pro definito
Quam habitudinem importat? habitudinem causae formalis respec-
tu vocis mutatur.
Quid totum hic? est substantia physice composita integra: ut homo
Quid substantia integralis est substantia apta seorsim existere et suae
speciei functiones exercere. ut homo.
Da substantiam physice compositam non integram: manus hominis
Da substantiam integram quae sit pars integralis actu: magna
pars integralis aquae influvii.
Da substantiam non integram quae de facto non est pars integralis.
cauda sanguisugae viventis abscissa, quia seorsim existens non potest
perfecte exercere functiones suae speciei.
Quid totum mutari prout hic? est totum esse terminum a quo per
accidens mutationis.
Quodnam est illud accidens gratia cuius totum quod mutatur
dicitur terminus a quo per accidens? est privatio formae substan-
tialis quae acquiritur per generationem substantialem aristotelicam.
cur totum mutari non potest sic definiri, est esse terminum a quo
per se mutationis? quia tunc potius contineretur conversio substan-
tialis quia in eo distinguitur conversio substantialis a generatione sub-
stantiali quod illud totum quod per conversionem mutatur in totum
sit terminus a quo per se mutationis, totum vero illud quod per
generationem mutatur in totum sit terminus a quo per accidens
mutationis.
in quo distinguuntur termini proximi conversionis substantialis
a terminis proximis generationis substantialis? in eo quod

Utrum terminus conversionis substantialis proximus sit positivus, terminus vero a quo proximus generationis substantialis sit privatio.

Quid totum mutatur in totum? est totum esse terminum a quo per accidens mutationis cuius terminus ad quem per se est totum.

Cur potius illud totum in quod mutatur totum est terminus ad quem per se generationis quam totum quod mutatur sit terminus a quo per se? quia totum in quod mutatur totum habet se ad terminum ad quem proximum generationis tanquam totum ad suam partem, totum vero quod mutatur habet se ad terminum a quo proximum tanquam subiectum remotum ad suam formam.

Quisnam est terminus proximus generationis substantialis aristotelicae? forma substantialis quae acquiritur per generationem.

Quando dicitur aliquid esse terminus per se generationis? quando est terminus generationis, vel gratia entitatis totalis vel gratia partis.

An sit necesse addere illud nec sensibile quidquam? non, sed additur ut generatio substantialis aristotelica clarius distinguatur contra alterationem in qua iuxta aristotelem subiectum idem permanet.

An illa vox mutatur idem omnino significet in hac definitione quod significat in definitione alterationis? idem significat principaliter, sed non idem significat secundario in recto, quia in definitione alterationis illa vox mutatur connotat subiectum mutationis, in hac vero definitione connotat terminum a quo per accidens.

Quam identitatem significat particula idem, cum dicitur nec sensibile quidquam ut subiectum idem permanet? identitatem numericam, vel secundum alios specificam.

Quae extrema illius identitatis? subiectum sensibile prout est sub termino a quo generationis, et idem subiectum sensibile prout est sub termino ad quem generationis.

Quomodo cum non detur subiectum sensibile quod modo est sub termino a quo, modo sub termino ad quem generationis? nihil refert, quia talis identitas hic non affirmatur sed negatur.

Quid dicatur adgeneratio? est generatio qua aliquid generatur quod primo instanti suae existentiae est compars integralis totius praeexistentis, ut generatio qua generatur pars integralis adveniens homini per nutritionem.

Cur omnis generatio non continetur definitione generationis substantialis ante datae? quia non omnis adgeneratio est mutatio qua totum mutatur in totum nec sensibile etc., ut patet in primis non generatio partis integralis hominis advenientis per nutritionem, quia illa pars integralis adveniens non est totum prout intelligitur in definitione generationis, quia non est apta seorsim existere et suae speciei functiones exercere.

Cantilena Libonum.

1

O dura abstinentia! o sitis horrida
quam valde vexas labia, sunt ita horrida
oportet haec rigare bona cerevisia,
sunt laeta tempora
est modo venia.

2

Eamus absque morula ad diversoria
in pintis et in poculis sit nostra gloria
in potu delectemur hic habet gaudia
defessa pectora
facitque fortia.

3

Hinc procul annotata sint, sint procul studia
sumendi blanda nectara sint iam proludia
incipiamus una solari guttura
ferantur pocula
solvemus postea.

4

Sit procul ex consortio magistri monitum
Non hauriamus auribus hic talem sonitum
Non semper aggravare debemus animum
per opus nimium
detur solatium.

5

Hinc Bacche deus optime ferto solatia,
et tua potatoribus iam adsit gratia,
ut possint epotare vitra grandissima
potu scatentia
absque molestia.

6

Es fidus semper dominus, da servus munera
Languores procul abeant, sint procul funera
Sit procul formidande mortis memoria
absit tristitia
absint suspiria

7

Eia sodales optimi laetemur libere
Continuemus integris diebus bibere
Sic uniuscuiusque pectus levabitur
refocillabitur,
fortificabitur.

8

Continuemus iterum mors finit omnia
quid studuisse proderit, sunt mera somnia,
bibamus nullus erit post centum secula
sicut nubecula
volant hic singula.

Diuide generationem substantialem: diuiditur in generationem substantialem corporis mixti, et generationem substantialem corporis simplicis.

Quid generatio substantialis corporis mixti? est generatio substantialis, qua totum quod est corpus mixtum mutatur in totum.

Quid generatio substantialis corporis simplicis? est generatio substantialis, qua totum, quod est corpus simplex mutatur in totum.

Quid generatio viventis? est processio viventis a principio vivente ut coniuncto in similitudinem naturae: genus definiti est processio.

Quid processio? est origo qua unum principiatur ab alio.

Quid processio viventis? est processio qua vivens principiatur.

Quid vivens? est corpus animatum, vel substantia intellectualis, ut homo, angelus.

Quid processio viventis a vivente? est processio qua vivens principiatur a vivente considerato sub ratione viventis.

Quid processio viventis a vivente coniuncto? est processio viventis a vivente habente aliquid sui in principiato. ut processio qua filius in diuinis procedit a patre in diuinis.

Quid processio viventis a vivente in similitudinem naturae? est talis processio viventis a vivente, ut cuius principiatum est simile in natura suo principio. ut processio filii in diuinis a patre in diuinis.

Quid natura hic? idem quod essentia.

An generatio viventis sit species generationis substantialis definitae? non, quia generatio substantialis ante definita debet esse mutatio, generatio vero viventis non sic.

Da generationem viventis quae non est mutatio: generatio filii in diuinis, quia filius in diuinis est deus, in deo vero non datur ulla mutatio realis.

An productio evae ex costa adami sit generatio viventis? non, quia non est processio viventis a vivente.

Quomodo cum eva producta sit vivens, item adam vivens? nihil refert quia eva non procedit ex adam considerato ut vivente, quia adam habet se mere passiue, et nullo modo concurrit per modum principii ad [illegible] productionem evae.

An generatio muli ex equo sit generatio viventis? imo.

Quomodo cum mulus non procedat ab equo in similitudinem naturae? adhuc procedit ad sensum definitionis, quia procedit in similitudinem naturae ab equo quantum est ex parte modi quo equus principiat mulum, quod vero non sit similis hoc prouenit per accidens.

An processio spiritus sancti a patre et filio in diuinis sit generatio viventis? non.

Quomodo cum spiritus sanctus procedat a patre et filio ut similis in natura? non procedit ut similis vi processionis. Unde non tam bene quam secunda persona in diuinis, quia secunda persona procedit a patre per intellectum, spiritus sanctus vero procedit

per voluntatem, iam vero processio per intellectum ex se est talis ut vi ipsius principiatum procedat ut simile in natura cum princi- pio, non vero sit processio per voluntatem, quia id quod procedit per intellectum procedit vi processionis tanquam imago sui obiecti, non vero illud quod procedit per voluntatem.
An ergo obiectum sit principium ipsius conceptus seu verbi mentis imo, quia licet obiectum non sit semper secundum se approximatum con- ceptui, est tamen semper sit approximatum gratia suae speciei intelli- gibilis in mente existentis.
Dic, quomodo pater in divinis generet filium in divinis? pater generat filium per hoc quod concipiat perfectissimo modo suam infi- nitam essentiam vi cuius conceptionis existit verbum mentis divi- nae, id est verbum patris quod est filius Dei.

De Conversione

Quid conversio? transitus unius rei in aliam.
An conversio debeat esse mutatio? non, proprie loquendo, quia om- nis mutatio debet habere subiectum proprie dictum non sic con- versio.
Quae requiruntur ad conversionem? quatuor, primo ut tam termi- nus a quo quam ad quem sit positivus, secundo ut desinat terminus a quo vi positionis termini ad quem, idque vel ex natura rei, vel ex aliquo alio tertio ut detur aliquid commune utrique termino quod scili- cet modo est coniunctum termino a quo et post perseveret sub ter- mino ad quem, quarto ut terminus ad quem incipiat existere vel ab- solute vel saltem secundum quid.
Da quod non est conversio defectu primi requisiti: omnis generatio mutatio.
Da quod non est conversio defectu secundi requisiti: ut mutatio qua paries albus mutatur in parietem [illegible] frigidum, quia ibi non desi- nit terminus a quo vi positionis termini ad quem.
Da quod non est conversio defectu tertii requisiti: sic ut si Deus destrueret totam substantiam panis et loco eius produceret substan- tiam carnis nihil relinquendo utrique commune non fieret conversio.
An terminus ad quem conversionis debeat absolute incipere existere? non, quia iuxta quartum requisitum sufficit quod incipiat existere secundum quid, quia sic dum alimentum convertitur in substantiam hominis terminus ad quem conversionis, nempe anima rationalis incipit tantum existere secundum quid

Cur non incipit absolute existere? quia anima rationalis ante adhuc existebat.

Declara quod incipiat existere secundum quid: quia incipit existere in materia in qua ante non existebat.

Divide conversionem: in substantialem, et accidentariam.

Quid conversio substantialis? est conversio unius substantiae in aliam. ut conversio ligni in ignem.

Da terminos proximos illius conversionis: forma substantialis ligni, et forma substantialis ignis.

Divide conversionem substantialem: in conversionem substantialem formalem, et transsubstantiationem.

Quid conversio substantialis formalis? est conversio qua unum corpus naturale mutatur in aliud remanente eadem materia prima.

Quare additur hoc? ut excludatur transsubstantiatio.

Da terminos proximos conversionis substantialis formalis: terminus a quo proximus est forma substantialis illius corporis quod mutatur, et terminus ad quem proximus est forma substantialis illius corporis in quod prius corpus mutatur per conversionem.

An ergo omnis conversio substantialis formalis sit proprie dicta mutatio? imo, quia ex parte rei est transitus materiae primae ab una forma substantiali ad aliam.

Quid transsubstantiatio? est conversio qua una substantia integre convertitur in aliam.

Quandonam censetur substantia integre converti in aliam? quando nihil est ex parte termini ad quem quod fuit de substantia termini a quo.

Da transsubstantiationem: conversio panis in corpus Christi quando fit consecratio.

Quomodo cum ibi maneat aliquid ex parte termini ad quem quod etiam continebatur sub termino a quo? manet quidem aliquid accidens, sed non datur aliquid ex parte termini ad quem quod fuit de substantia panis qui est terminus a quo.

An conversio ligni in ignem sit transsubstantiatio? non.

Quomodo enim nihil sit ex parte termini ad quem istius conversionis quod fuit de substantia termini a quo? nihil quidem est ex parte termini ad quem proximi quod fuit de substantia termini ad quem proximi, sed bene datur aliquid ex parte termini ad quem remoti, nempe ignis quod fuit de substantia termini a quo remoti, nempe ligni, quia materia prima ligni fit materia prima ignis.

Da conversionem convertibilem quoad essendi consequentiam cum transsubstantiatione eucharistica quae non est transsubstantiatio: talis est conversio qua aggregatum ex substantia panis et accidentibus panis convertitur in aggregatum ex corpore Christi et accidentibus panis.

Quare non est transsubstantiatio? quia una substantia ibi non integre convertitur in aliam.

An divisio conversionis substantialem in formalem et transubstantiationem sit adaequata? non, quia nullo membro dividente continetur conversio substantialis materialis.
Quid conversio substantialis materialis? est conversio qua unum corpus naturale convertitur in aliud remanente eadem forma substantiali, et desinente materia prima.
An talis naturaliter sit possibilis? videtur quod non.
Quo casu daretur talis? sic v.g. si deus destrueret materiam primam Joannis, et loco eius reduceret aliam materiam primam alicuius hominis daretur conversio materialis.
An non detur aliqua conversio substantialis nullo membro dividente contenta? imo, quia si deus destrueret subsistentiam huius angeli, et loco eius poneret eidem naturae sanctissimae aliam subsistentiam daretur conversio substantialis unius angeli in alium angelum quae nec esset transubstantiatio, nec conversio substantialis formalis.
Cur non esset transubstantiatio? quia natura angelica remaneret sub termino ad quem.
Cur non esset conversio substantialis formalis? quia non esset conversio corporis naturalis.
Quomodo ergo praedicta divisio est bona si non adaequata? est divisio in conversiones quae fiunt passim magis obvie, et non attenditur ad illos casus qui per absolutam dei potentiam fieri possunt.
Quid conversio accidentaria? conversio qua unum accidens convertitur in aliud.
Da talem: ut conversio albedinis in nigredinem.
An divisio conversionis in substantialem et accidentariam sit adaequata? non, quia non continetur conversio qua una substantia convertitur in accidens, vel contra.

An in Corruptione Substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam.

Quid fieri resolutionem usque ad materiam primam in corruptione substantiali? est in corruptione substantiali nihil remanere in corpore genito quod ante fuerat in corrupto praeter unam materiam primam.
An in corruptione substantiali fiat talis resolutio? non, quia experientia constat quod si homo subito occidatur in cadavere eius aliquamdiu remaneat calor, quantitas, et multa alia accidentia.
Quomodo cum sit unum accidens deberet migrare de subiecto in subiectum? distinguo, non deberet migrare de subiecto proximo in subiectum proximum, sed migrat bene de subiecto remoto in remotum, et in eo nullum est inconveniens.
An sublata generatione substantiali tolleretur omnis alteratio? communius responsio habet quod quidem tolleretur omnis alte-

ratio corruptiva, sed non omnis alteratio perfectiva.
An non possit dici quod sublata omni generatione substantiali adhuc posset dari alteratio corruptiva? imo, quia licet deus decerneret ut nunquam fieret amplius generatio substantialis tamen stante tali decreto divino posset ignis adhuc calefacere aquam, sed non corrumperet.
Quomodo alteratio aquae ad calorem tunc esset corruptiva cum aqua tunc non posset corrumpi? quidem illa alteratio ex natura sua tendit in destructionem aquae.

De Nutritione.

Quid nutritio? est conversio alimenti in substantiam viventis facta ab anima vegetativa virtute caloris naturalis ut restauretur id quod absumi operat. genus definiti est conversio, item conversio alimenti.
Quid conversio alimenti? est conversio cuius terminus a quo per se est alimentum.
Cur additur illud per se? quia conversio cuius alimentum est terminus a quo per accidens non est conversio alimenti prout hic.
An alimentum sit terminus a quo per se primo illius conversionis? non, quia tantum est terminus a quo per se gratia partis, nempe gratia suae formae substantialis.
Quid conversio alimenti in substantiam viventis? est conversio alimenti cuius terminus ad quem per se est substantia viventis.
Quid substantia viventis? secundum aliquos idem est quod substantia vivens.
Quid substantia viventis sumendo in sensu regiminis? est substantia quae est pars integralis viventis.
Quid vivens? est aliquid aptum exercere operationes vitales.
An intellectus sit vivens? intellectus est vivens generaliter loquendo, sed non est vivens stricte sumendo vivens pro substantia viventi sicut sumitur dum significant principaliter differentiam constituentem corporis viventis, unde si per vivens in definitione nutritionis velimus significare vivens stricte, tunc per illud aliquid in definitione viventis intelligi debet aliquid subsistens per se.
Quid significat vox facta? actionem, sed hic fit verificatio pro actione vitali.
Quam adiacentiam significat in obliquo? adiacentiam actionis ad suum terminum.
Quisnam est terminus actionis pro qua fit verificatio dum dicitur facta ab anima vegetativa etc? est conversio alimenti pro qua fit verificatio in definitione nutritionis.

Quid significat illa propositio ab dum dicitur ab anima? habitu=
dinem actionis ad suum principium.
Quam habitudinem in vi obliqui importat illa vox vegetativa dum dici=
tur anima vegetativa? habitudinem principii ad actionem.
Quid anima vegetativa? est anima nata exercere actiones pure vi=
tales. ut anima plantarum.
Quid actio pure vitalis? est actio vitalis quae nec est cognitio, neque ~~a cognitione~~
neque a cognitione dependet. ut actio nutritiva.
Da actionem principiatam ab intellectu pure vitalem: actio qua intel=
lectus in se producit habitum independenter a cognitione directione.
Quare illa est pure vitalis? quia neque est cognitio, neque a cogni=
tione dependet.
Quid actio vitalis non pure? est actio vitalis quae vel est cognitio
vel a cognitione dependet.
Da talem principiatam a potentia loco motiva: actio qua homo
in se producit motum ambulationis.
Quali dependentia debet dependere actio vitalis non pure a cognitio=
ne si non sit cognitio? debet dependere a cognitione tanquam causa di=
rectiva.
Quid ibi virtus dum dicitur virtute caloris naturalis? abstrac=
tive sumendo idem est, quod activitas, seu aptitudo ad aliquid effi=
ciendum.
Quid virtus concretive? est res nata aliquid efficere.
Quomodo sumitur virtus in definitione nutritionis an concre=
tive an abstractive? potest utroque modo sumi.
Quam habitudinem in vi obliqui importat ille obliquus caloris na=
turalis dum dicitur virtute caloris naturalis? si illa vox vir=
tus sumatur concretive quaestio supponit falsum, quia tunc
regimen ponitur pro concordantia, ut sensus sit, virtute quae est
calor naturalis.
Quid si vox virtus sumatur abstractive? tunc importat habi=
tudinem subiecti ad suam formam, quia illa particula, virtute
caloris naturalis tunc habet hunc sensum virtute cuius sub=
iectum proximum est calor naturalis.
Qualis causa est anima vegetativa respectu nutritionis? causa
efficiens.
Qualis? si anima consideretur tanquam causa efficiens nu=
tritionis virtute caloris naturalis, tunc tantum est causa ef=
ficiens per accidens respectu nutritionis, quia quatenus anima
vegetativa efficit nutritionem virtute caloris naturalis, efficit
illam per talem actionem cuius principium etiam est calor na=
turalis, iam autem actio egrediens a calore naturali tanquam
principio non potest terminari ad nutritionem per se, sed tantum
per accidens, quia nullum accidens quale est calor potest
efficere per se substantiam qualis ex parte rei est nutritio.
Quid producit anima vegetativa per se virtute caloris naturalis
in nutritione? dispositiones disponentes ad formam substantia=
lem substantiae viventis in quam consistitur alimentum per
nutritionem.
utrum actio qua anima producit illas dispositiones per se sit eadem

cum actione qua virtute caloris naturalis producit nutritionem per accidens? imo. quia illa actio, prout terminatur ad dispositiones est actio causae per se, prout vero remote ulterius terminatur ad substantiam viventis est actio causae per accidens.
Qualis causa per accidens nutritionis est anima vegetativa agens virtute caloris naturalis, an ex parte effectus an ex parte causae? ex parte effectus.
An interim anima vegetativa sub alia consideratione spectata non possit esse causa per se nutritionis? imo, quia considerata prout agit per actionem egredientem a se, et terminatam proxime ad nutritionem est causa per se nutritionis.
Declara quod anima vegetativa possit esse principium actionis terminatae ad nutritionem proxime: quia nutritio a parte rei nihil est aliud saltem probabiliter quam unio formae substantialis partis integralis viventis cum materia prima alimenti, illam vero per se potest efficere anima vegetativa viventis.
An anima vegetativa producat per se formam substantialem partis viventis quae advenit per nutritionem? non semper, quia non in nutritione hominis, quia est eadem forma substantialis partis viventis advenientis in nutritione hominis cum anima vegetativa quae efficit nutritionem hominis, iam autem idem non producit se ipsum proprie loquendo.
An in omni alia nutritione distincta a nutritione hominis anima vegetativa efficiat formam substantialem partis advenientis per nutritionem? imo saltem probabiliter, quia in omni alia nutritione forma substantialis partis advenientis per nutritionem est distincta ab anima vegetativa efficiente nutritionem, et sic cessat incommodum repertum in nutritione hominis.
Quare dicitur saltem probabiliter? quia aliqui probabiliter sustinent quod animae brutorum perfectorum sint integraliter indivisibiles sicut anima rationalis, iam autem secundum illam sententiam in nutritione brutorum perfectorum anima vegetativa non efficiet etiam formam substantialem partis advenientis per nutritionem sicut in nutritione hominis.
Quid calor naturalis? est calor a primordiis generationis ortus et singulis partibus viventis insitus ad functiones vitales peragendas.
An calor naturalis distinguatur specie ab elementari: non.
Quomodo cum calor elementaris subinde destruat calorem naturalem? non destruit illum agendo proxime in calorem naturalem, sed agendo in subiectum eius destructo vero subiecto etiam destruitur calor naturalis.
Quo modo calor elementaris destruit subiectum caloris naturalis? per hoc quod calor elementaris subinde producat calorem nimis intensum in partibus principalibus animalis ratione cuius fit ut partes illae emoriantur et sic etiam perit calor naturalis
quo argumento probari potest calorem elementarem esse eiusdem speciei cum calore naturali? per hoc quod constet calorem elementarem subinde fovere naturalem, ut patet ex medicamen

tis calefactivis quae praescribi solent iis qui laborant inopia caloris naturalis.

An idem numero calor possit modo esse naturalis modo non? imo quia sit calor naturalis residens in homine vivo potest aliquamdiu post manere in cadavere in quo proprie non est calor naturalis quia calor naturalis non invenitur proprie nisi in viventibus.

Quodnam est subiectum caloris naturalis? humidum radicale.

Quid humidum radicale? est substantia oleosa et pinguis per totum corpus viventis diffusa ~~[illegible]~~ caloris naturalis subiectum.

Quomodo humidum radicale est subiectum caloris naturalis cum calor naturalis consumat humidum radicale? non refert.

Quomodo non cum forma naturalis non soleat destruere subiectum sibi connaturale? distinguo non solet destruere agendo in illud actione univoca, sed bene agendo in illud actione aequivoca.

Per quam actionem ergo calor naturalis causat consumptionem humidi radicalis cuius est forma? per actionem qua in humido radicali producit raritatem et consequenter levitatem, quia per raritatem et levitatem contingit aliquas partes humidi radicalis nimis celeriter moveri et a se invicem separari, et sic consumitur humidum radicale quod exigit suas partes sibi esse contiguas.

An possit statui aliud subiectum caloris naturalis praeter humidum radicale? imo quia possent statui spiritus quidam ignei humido radicali immixti.

An tunc calor naturalis destrueret suum subiectum? non quia non destrueret illos spiritus igneos sed tantum destrueret humidum radicale quod illis spiritibus igneis nutriendis inserviret sicut oleum lampadis servit flammae lampadis conservandae.

Cur additur in definitione nutritionis haec pars ut restauretur id quod absumi coeperat? ut indicetur causa finalis nutritionis, quia nutritio a natura ordinata est ut vivens perseveret ad quod necessarium est ut adveniant novae partes in locum earum quae continuo absumuntur.

An restauratio eius quod absumi coeperat sit causa finalis totalis nutritionis? non quia ultra illam causam finalem nutritio habet adhuc aliam, nempe ut vivens debitam acquirat magnitudinem.

An non possit dari nutritio in qua non fieret restauratio eius quod absumi coeperat? imo quia sic posset fieri nutritio viventis parvuli post generationem viventis, sic ut ante ullae partes viventis defluxissent.

Quomodo illa conversio esset nutritio cum non esset conversio alimenti ita ut restauraretur id quod absumi coeperat? esset adhuc talis ex sensu definitionis, quia illa pars ut restauretur id quod absumi coeperat ponitur sub conditione id est si quidnam aliquod absumi coeperit. vel potest dici quod sit hic sensus definitionis, est conversio alimenti etc. ut restauretur id quod absumi coeperat, id est secundum se ex natura sua ad restaurationem eius quod absumi coeperat sive aliquid ante fuerit absumptum sive non.

Quid restauratio seu reparatio? est restitutio alicuius in pristinum statum.

Quid restauratio eius quod absumi deperat? est restitutio in pristinum statum eius quod absumi deperat.

pro quo accipitur illa vox (eius quod absumi dicitur) eius quod absumi deperat? pro partibus viventis quae absumi deperant, unde restauratio eius quod absumi deperat, idem est quod restauratio partium viventis quae absumi deperant

Quid restauratio partium viventis? prout hic sit verificatio est substitutio novarum partium integralium viventis in locum earum quae absumi deperant.

Quomodo ergo per talem substitutionem partes viventis non restituantur in pristinum statum? restituuntur.

Quomodo cum non sint eaedem partes quae substituuntur pro iis partibus in quarum locum substituuntur? licet non sint eaedem numero physice loquendo, sunt tamen eaedem specie, imo etiam eaedem numero saltem moraliter loquendo, hoc autem sufficit ad hoc ut aliquae partes restituantur in pristinum vigorem prout hic.

Quid vero est illa restauratio partium viventis an actio an mutatio? potest sumi utroque modo.

Quid restauratio partium viventis sumendo illam pro mutatione? est mutatio alimenti in substantiam viventis quatenus per illam substituuntur novae partes viventis in locum earum quae absumi deperant, sumendo vero pro actione potest dici quod sit actio terminata ad talem mutationem de qua iam diximus.

Quid absumtio partium viventis? est deperditio partium integralium viventis ipso vivente manente salvo facta ob naturalem indispositionem partium eiusdem viventis.

Quo alio nomine adhuc appellatur illa absumptio? defluxus naturalis.

Cur additur in definitione ipso vivente manente salvo? quia si vivens simul cum illis partibus pereat non erit absumptio partium viventis.

Quomodo hoc recte dicitur cum destructis aliquibus partibus viventis ipsum vivens non possit manere existens? non potest manere existens in rigore loquendo, potest tamen sic manere moraliter loquendo

Quandonam vivens censetur manere idem moraliter loquendo? dum communi hominum apprehensione censetur manere idem.

Cur additur facta ob naturalem indispositionem? ut excludatur deperditio partium quae fit per laesionem et vulnerationem viventis.

Quid naturalis indispositio partium viventis? est indispositio partium viventis orta ex causis naturalibus sine quibus ipsum vivens subsistere nequit.

Quaenam sunt illae causae naturales? partim internae, partim externae. internae sunt v.g. calor naturalis, diversae dispositiones diversarum partium heterogenearum viventis, et similia.

Causae externae sunt aer circumstans, influentiae etc.

An alimentum sive pharmacum in stomacho contentum sit causa interna an externa respectu viventis? externa, quia est tantum in vivente ut locatum in loco, non vero ut forma vel pars in subiecto vel toto.

Quid vero absumptio partium viventis? potest sumi pro mutatione quâ materia prima transit a formâ substantiali partium viventis ad formam oppositam ipso vivente manente, (alias orta ex naturali indispositione illarum partium viventis.

An absumptio partium viventis sic sumpta sit generatio, an conversio? conversio.

Cur non est generatio? quia uterque eius terminus proximus est positivus.

An non possit sumi ut sit generatio? imo.

Defini sic illam: est transitus materiae primae partium viventis a privatione formae oppositae formae substantiali partium viventis ad illam formam oppositam factus ob naturalem indispositionem viventis.

An illa definitio absumptionis partium viventis sit formalis? non, quia est tantum concomitativa, illa enim absumptio formaliter non importat generationem, sed vel conversionem, vel corruptionem.

Quid absumptio partium viventis sumenda pro corruptione? est transitus materiae primae partium viventis a formâ substantiali partium viventis ad eius privationem ortus ex naturali indispositione partium viventis.

An nutritio non possit sumi pro generatione? imo.

Defini sic illam: est transitus materiae primae alimenti a privatione formae substantialis substantiae viventis ad illam formam factus ab animâ vegetativâ virtute caloris naturalis ut restauretur id quod absumi coeperat.

Distinguis terminis proximis nutritionem generationem, et nutritionem conversionem: termini proximi nutritionis conversionis sunt forma substantialis alimenti tanquam terminus a quo, et forma substantialis substantiae viventis tanquam terminus ad quem; termini vero proximi nutritionis generationis sunt privatio formae substantialis substantiae viventis tanquam terminus a quo et forma substantialis substantiae viventis tanquam terminus ad quem.

Quid nutriri? est esse vivens in cuius substantiam convertitur alimentum conversione facta ab animâ vegetativâ virtute caloris naturalis ut restauretur id quod absumi coeperat. ut homo.

Da partem animalis quae nutritur: ut caput oculum.

An quaelibet pars animalis nutriatur? non, quia non pars essentialis animalis, ut anima.

An quaelibet pars integralis? non, quia non pars integralis indivisibilis animalis.

Quid nutrire? sumitur dupliciter, semel prout competit alimento

et simul prout competit causae efficienti nutritionis.
Quid nutrire prout competit alimento? est alimentum per sui con-
versionem in substantiam viventis factam ab anima vegetativa
vi caloris naturalis reparare viventis (secundum id quod ab-
sumi deperditur) sic gluten, et tenuis nos nutriunt.
An panis sit nutriat? non proprie loquendo, quia panis non con-
vertitur scilicet immediate in substantiam viventis, sed panis
ad sumentem remote potest dici nutrire.
Quid nutrire prout competit causae efficienti nutritionis? est efficere
nutritionem.
Da quod nutrit, et non nutritur? Deus, item anima vegetativa vi-
ventis.
Da quod nutritur et non nutrit effective? non datur, quia omne id
quod nutritur mediante anima vegetativa efficit nutritionem.
In cuius nutritione interveniunt plures uniones substantiales,
an in nutritione hominis, an vero in nutritione alterius viventis?
in nutritione alterius viventis, quia in nutritione alterius viven-
tis ultra uniones substantiales quae in nutritione hominis inter-
veniunt, etiam intervenit unio substantialis integralis qua par-
tialis anima adveniens per nutritionem unitur animae viventis
praeexistenti.
Cur non intervenit talis unio in nutritione hominis? quia
est eadem anima quae unitur materiae primae advenienti per nu-
tritionem, cum illa quae ante in vivente existebat.
Cur similiter in aliis viventibus non est eadem anima? quia ani-
mae omnium viventium distinctorum ab homine sunt integraliter
divisibiles secundum communiorem sententiam, quod additur quia
secundum aliquorum sententiam anima equi, et similium bru-
torum perfectorum etiam est integraliter indivisibilis.
In cuius nutritione interveniunt plures mutationes an in nutritio-
ne hominis, an in nutritione alterius viventis? in nutritione ho-
minis, quia ultra mutationes in nutritione viventis ab homine
distincti fieri solitas, etiam in nutritione hominis intervenit mu-
tatio qua anima rationalis mutatur ad [struck] certam praesentiam
localem, quia per nutritionem ipsum vivens fit magis extensum,
ac proinde anima rationalis debet tunc existere praesens plu-
ribus partibus spatii quam erat ante, et sic debet moveri ad aliquam
praesentiam quam ante non habebat.
Cur non interveniat etiam aliqua mutatio substantialis in nutri-
tione hominis quae non solet intervenire in nutritione alterius
viventis? imo probabiliter, quia si unio physica teneat se ex
parte formae substantialis tunc intervenit etiam mutatio, qua
anima rationalis movetur ad unionem physicam cum materia
alimenti accedente per nutritionem.
Cur in nutritione alterius viventis etiam non datur mutatio ad
talem unionem physicam si unio physica teneat se ex parte
formae substantialis? quia in nutritione alterius viventis anima

quæ est subiectum illius unionis physicæ simul producitur cum unione physicâ, et sic nequit moveri ad illam, quia nihil movetur ad formam quæ cum illo primo instanti existentiæ illius producitur. Ob eandem rationem non datur in nutritione alterius viventis mutatio ad novam præsentiam localem talis qualis datur in nutritione hominis.

Quid alimentum? corpus aptum converti in substantiam viventis conversione facta ab animâ vegetativâ virtute caloris naturalis ut restauretur id quod absumus [illegible] ut panis.

An alimentum debeat esse corpus mixtum? non, quia aqua potest esse alimentum plantæ.

Dividendum alimentum: ~~[illegible]~~ in alimentum potentiâ proximâ, et alimentum potentiâ remotâ tantum.

Quomodo illa divisio est bona cum neutro membro contineatur alimentum actu? nihil refert.

Quomodo non omne alimentum actu etiam sit alimentum? non est alimentum propriè dictum, sed impropriè.

Quid alimentum actu? est pars integralis viventis veniens accedens per nutritionem.

Cur tale alimentum non est propriè dictum alimentum? quia propriè loquendo non potest converti in substantiam viventis, sed potius est ipsa substantia viventis in quam convertitur alimentum.

Quid alimentum potentiâ proximâ? est alimentum aptum converti in substantiam viventis non interveniente aliâ conversione substantiali, ut sanguis vel chylus.

Quid alimentum potentia remota tantum? est alimentum aptum converti in substantiam viventis, sed non nisi interveniente aliâ conversione substantiali prævia, ut panis, quia panis quidem aptus est converti in substantiam viventis, sed non nisi interveniente aliâ conversione substantiali prævia.

Quænam talis conversio intervenire debet antequam panis in substantiam viventis convertatur? conversio quâ panis convertitur in chylum, item conversio quâ chylus postea pro parte convertitur in sanguinem.

Quomodo panis non est alimentum potentiâ proximâ cum immediate convertatur in substantiam viventis per conversionem eucharisticam? nihil refert, quia non convertitur ibi tanquam alimentum, siquidem autem ad alimentum potentiâ proximâ requiritur ut tanquam alimentum proximè converti possit in substantiam viventis.

Quænam intervenire debent ad hoc ut alimentum fiat alimentum potentiâ proximâ? debet regulariter loquendo præcedere concoctio alimenti, una vel plures pro diversitate alimenti potentiâ remota, et pro diversitate viventis.

De Concoctione alimenti

Quid concoctio alimenti? est alteratio alimenti facta
ab anima vegetativa virtute caloris naturalis sufficiens ut
alimentum reddatur similius nutrienti, aptiusque ad converti
in substantiam nutrientis.
Quot concoctiones alimenti intervenire solent in nutritione? In
nutritione animalium perfectorum solent intervenire tres con-
coctiones alimenti principales, nempe chylificatio, sanguificatio,
et confectio tenuis roris seu glutinis seu cambii.
Quid chylificatio? est concoctio alimenti per quam convertitur
in chylum.
Quomodo sic recte definitur cum concoctio alimenti debeat esse al-
teratio, hic autem definitur tanquam conversio? non definitur tan-
quam conversio.
Quomodo ergo recte dicitur quod chylificatio sit concoctio alimen-
ti per quam convertitur in chylum? recte hoc sensu dicitur, quia
nimirum per illam alterationem alimentum sic alteratur ad tales
dispositiones, quibus positis infallibiliter fit conversio alimenti
in chylum.
Quid chylus? sunt potulenta et esculenta in stomachi ventricu-
lo permixta, et ibidem vi caloris naturalis ipsius transmutata
in substantiam similem crassiori pulti.
An chylus sit semper coloris albi? non sed subinde alterius.
An chylus distinguatur specie a cibis introsumptis? potest dici quod
distinguatur specie ab aliquibus cibis introsumptis, an vero a quibus-
libet cibis commixtis secundum substantiam in chylo hoc est satis
incertum.
Quid sanguificatio? est concoctio alimenti per quam puriores partes
chyli convertuntur in sanguinem.
Quid confectio roris? est concoctio alimenti per quam puriores par-
tes sanguinis convertuntur in tenuem rorem.
Quo ordine solet peragi nutritio in animalibus perfectis? primo ci-
bus et potus introsumuntur per os animalis, ibique cibus durior sit masti-
catur, postea ex ore per gulam in stomachum dejicitur, gula
vero est orificium illud quod cibus ex gutture intrat ut ad stoma-
chum perveniat,
cibus vero et potus in ventriculum stomachi coniecti ab eodem

constringuntur, et vi caloris alterantur donec in chylum transmutentur, et sic peragitur prima concoctio alimenti principalis.
postea vero chylus per inferius orificium stomachi descendit ad intestina, intestinum vero in quod primo ex stomacho descendit vocatur a medicis intestinum duodenum, chylus vero iam in intestinis existens per varios eorum meatus circumducitur, et interea iecur per ~~[illegible]~~ venas quasdam quas Mesaraicas vocant exsugit puriorem substantiam ex chylo, et ad se attrahit, et tunc in iecore ex illa puriore chyli substantia conficitur sanguis, et sic peragitur secunda alimenti concoctio principalis.
Quid fit cum reliqua parte chyli quae non exsugitur a iecore? illa servit pro excrementis, et natura se exonerat illa tanquam inutili.
An tota chyli materia in iecore contenta convertatur ibidem in sanguinem? non, sed ex illa puriori materia etiam oriuntur in iecore excrementa, nempe tres humores principales, et unus humor inutilis.
Assigna tres illos humores principales: flava bilis, atra bilis, et pituita, seu humor aqueus.
Quisnam est quartus humor inutilis? R serum, illo autem humore prorsus conatur se exonerare natura, quia ille humor nullum habet in corpore humano speciale officium.
An tres illi humores principales habeant speciale officium naturae? imo.
Quale officium habet flava ~~[bilis]~~ bilis? illa mittitur in loculum fellis, et inde mittitur ad intestina ut per sui acrimoniam separationem excrementorum a corpore humano proficiat.
Quale officium habet atra bilis? illa mittitur ad lienem, et ibi servit saltem ~~pro~~ inferiore sui parte in pabulum lienis.
Quodnam est officium pituitae? pituita simul cum sanguine ducitur ad singulas partes animalis, et specialiter servit pro vehiculo ut sanguis possit ex iecore duci ad cor.
Quomodo ducitur sanguis ex iecore ad cor? per diversas venas ex iecore ortas quae omnes finiuntur in venam cavam cuius terminus est in corde.
notandum est quod in corde sint duo ventriculi seu sinus, unus dexter, et alter sinister, ~~in~~
In quem ventriculum prius recipitur sanguis ex iecore attractus? sanguis ex iecore attractus per venam cavam prius stillat in dextrum cordis ventriculum, ibique propter calorem cordis rarescit, ~~[illegible]~~ rarefacto vero sanguine cor dilatatur, quo dilatato aperiuntur in dextro cordis ventriculo duae valvulae, et sanguis tunc fluit ex corde in venam arteriosam ad pulmones, ibique per aerem a pulmonibus attractum ~~[illegible]~~ refrigeratur. postea ex vena arteriosa devolvitur sanguis in arteriam venosam, et ex illa stillat in sinistrum cordis ventriculum, ubi rursum dilatatur, et ~~[illegible]~~ aper

tis duabus valvulis devolvitur in aortam seu magnam arteriam cordis, et tunc communicatur omnibus partibus animalis.
Quid tunc fit cum sanguine quando communicatur omnibus partibus animalis? Tunc natura in diversis partibus animalis convertit puriorem substantiam sanguinis in tenuem rorem, glutinum seu cambium, et sic peragitur tertia concoctio principalis alimenti.
An ergo tertia concoctio alimenti non fiat in determinata parte animalis sicut duae priores? non, sed illa fit per totum corpus animalis.
Quidnam fit cum crassiore substantia sanguinis quae non fuit conversa in tenuem rorem? illa rursum devolvitur ad cor.
An devolvatur ad cor per eandem viam qua a corde exivit? non, sed per venas intrat in cor sanguis qui prius exiverat per arterias.
Quomodo sanguis potest ex arteriis venire in venas? per foramina quaedam quae a medicis Anastomoses vocantur.
Quid anastomoses? foramina quaedam in iis partibus vicinis constituta, in quibus arteriae et venae coniunguntur per quae sanguis ex arteriis stillat in venas.
An ergo sanguis in corpore humano sit in continuo motu? imo, et quidem circulari, movetur enim continuo ex sinistro sinu cordis in arterias, ex arteriis in venas per totum corpus dispersas, ex venis vero rursum intrat dextrum ventriculum cordis, postea sinistrum, et sic continuo peragitur motus circularis sanguinis.
Proba aliquo argumento circulationem sanguinis? in primis constat diversis experientiis anathomicis, deinde constat quod homo item alia animalia possint vivere ad aliquot dies sine ullo cibo aut potu; hoc autem non videtur posse fieri nisi detur circulatio sanguinis, quia interea temporis non potest novus sanguis saltem notabiliter advenire per nutritionem, et cor nunquam potest esse vacuum sanguine, ergo consequens est quod sanguis qui ante fuit in corde et effluxit debeat rursum venire ad cor, et sic moveri circulariter.
Da aliud argumentum: constat experientia quod dum alicui secatur vena soleat ligari fortiter brachium supra locum illum in quo debet fieri venae sectio; hoc autem fit ideo ut impediatur fluxus sanguinis ex venis ad cor, et possit ex arteriis fluere per illam partem in qua fit venae sectio; nam autem si sanguis ex arteriis non flueret in venas, et ex venis in cor illud remedium esset inutile.
Quomodo vero cum secundum illam sententiam per tale ligamentum brachii potius impediretur effluxus sanguinis in sectione venae, non impediretur.
Quomodo cum propter tale ligamentum sanguis non possit commode fluere ex corde per arterias in venas? adhuc potest.
Quomodo cum bene impediatur fluxus sanguinis per venas propter tale ligamentum? nihil refert.

cur ergo etiam non impeditur fluxus sanguinis per arterias? quia arteriae sunt multo magis additae intra carnem animalis quam venae, et sic nequeunt ita constringi sicut venae.

in qua concoctione alimenti principali ex tribus ante dictis consistit nutritio animalis? in nulla earum.

cur non in tertia? quia per tertiam non fit conversio alimenti in substantiam viventis sed tantum fit conversio potioris sanguinis in tenuem rorem seu gluten.

in qua conversione consistit nutritio animalis perfecti? in conversione qua tenuis ros seu gluten convertitur in substantiam viventis.

pro quo ergo alimento fit verificatio in definitione nutritionis? pro alimento potentia proxima.

per quotam concoctionem habetur tale alimentum in vivente? in animalibus perfectis per tertiam, in aliis viventibus per primam vel secundam pro diversitate viventis.

An nutritio superius non sumatur generalius quam hic definiatur? imo sumitur, nutritio generaliter est conversio alicuius corporis in substantiam alterius corporis praeexistentis facta ab illo corpore naturali.

Q.

De Accretione

et de Decretione.

Quid accretio? est motus factus ab anima vegetativa virtute caloris naturalis quo corpus animatum secundum omnes suas partes proportione servata quantitatem seu acquirit maiorem.

Cur nam accretio hic definitur? accretio stricte quae est propria viventibus. genus definiti est motus.

Quid significat principaliter illa vox factus dum dicitur factus ab anima? actionem.

quam adiacentiam connotat in obliquo? adiacentiam actionis ad suum terminum.

Quid significat principaliter illa vox ab dum dicitur ab anima? habitudinem actionis ad suum principium, respectu vero denominati vocis factus significat habitudinem effectus ad suum principium quia sensus est accretio est motus factus ab anima vegetativa tanquam principio actionis, et tanquam principio effectus causati per illam actionem.

Quam habitudinem in vi obliqui importat vox anima vegetativa? habitudinem principii respectu principalis significati vo

ris factus, item respectu denominati.

Quid corpus animatum in hac definitione? est corpus animatum cuius forma substantialis est anima.

Quid significat principaliter vox secundum, dum dicitur secundum omnes suas partes? habitudinem totius ad partem integralem.

An ergo per partes hic intelliguntur partes integrales? imo.

Quales intelliguntur? partes integrales formales et illaesae.

Quid pars integralis formalis viventis? est pars integralis viventis tantae magnitudinis ut forma substantialis in illa existens possit sufficienter agere in alimentum ad hoc ut convertatur in substantiam viventis: ut caput hominis.

Cur talis pars vocatur formalis? vocatur sic a forma sibi inexistente quae suam activitatem se prodit.

Quid pars illaesa? est pars integralis viventis habens debitam temperiem.

Quid pars viventis non formalis? est pars viventis quae non est tantae magnitudinis ut forma substantialis in illa existens possit agere sufficienter in alimentum ad hoc ut convertatur in substantiam viventis: ut pars integralis indivisibilis hominis.

Quid pars laesa seu morbida? est pars integralis viventis carens debita temperie: ut manus laesa.

Cur per partes in definitione ~~accre~~tionis non possunt intelligi partes integrales tam formales quam non formales? quia falsum est quod vivens per accretionem acquirat quantitatem maiorem secundum omnes suas partes tam formales quam non formales, quia alias dum Joes hac hora crescit deberet eadem illa hora fieri duplo maior quam erat ante, quia singulae partes indivisibiles deberent acquirere unam partem novam indivisibilem.

Quare ibi per partem intelligitur pars illaesa? quia homo qui etiam habet brachium aridum (aut alio modo impeditum) potest accrescere, nec tamen secundum illam partem laesam acquirit quantitatem maiorem.

Defini proportionem quae hic intelligitur: est similitudo inter excessum quo quantitas postulata a parte quae ex naturae instituto est maior excedit quantitatem postulatam a parte quae ex naturae instituto est minor, et excessum quo quantitas acquisita a parte quae ex naturae instituto est maior excedit quantitatem acquisitam a parte quae ex naturae instituto est minor.

Assigna extrema proxima istius proportionis: illi duo excessus assignati in definitione.

An in accretione debeat servari talis proportio ut pars quae est duplo maior ante accretionem etiam sit duplo maior post accretionem? non, quia sic etiam partes aequales ante accretionem deberent manere aequales post accretionem, iam autem experientia constat contrarium in arboribus, ubi in initio accretionis radices sunt maiores quam reliquae partes exstantes, iam finita autem accretione partes ex-

tantis saepe sunt quadruplo maiores et ultra.
Quid quantitas maior? est quantitas quae excedit aliam ad quam comparatur numero partium coextensarum.
quaenam quantitas hic debet acquiri per accretionem? totalis quantitas viventis prout est post accretionem.
respectu cuius illa debet esse maior? respectu totalis quantitatis viventis quae habebatur ante accretionem.
quomodo illa dicitur acquiri cum pro maxima parte ante fuerit habita? non dicitur acquiri quasi per se secundum omnes suas partes acquiratur, sed per hoc quod aliis aliquibus partibus accedentibus ipsum vivens iam habeat maiorem quantitatem totalem quam ante habebat.
An vero accretio non sit verus motus? non secundum definitionem iam datam, quia non manet idem numero subiectum sub termino a quo, et sub termino ad quem.
Cur non ipsum vivens? quia vivens in rigore non manet idem ante accretionem, et post accretionem, quia post accretionem iam acquisivit multas partes integrales quas non habebat ante.
An accretio non possit sumi pro vero motu? imo sub aliqua alia consideratione quam ante est definita.
qualis motus tunc erit an substantialis an accidentarius? aliqui accipiunt accretionem sic ut principaliter significet eandem mutationem quae est nutritio sic ut accretio et nutritio tantum differant connotato. secundum illos vero qui dicunt nutritionem differre ab accretione, res pendet ex eo, an quantitas distinguatur realiter a materia prima an non, si enim non distinguatur erit motus substantialis si distinguatur erit motus accidentarius
Ostende quod erit motus substantialis si quantitas identificetur materiae primae: quia tunc nihil aliud erit quam transitus materiae primae a privatione unionis cum materia alterius materiae primae advenientis ad talem unionem ratione cuius fit quod sit materia viventis maior.
Ostende quod tunc erit motus substantialis: quia terminus eius ad quem est illa unio inter partes integrales materiae quae identitate sua est substantia.
quid est necesse quod illa unio sit substantia? quia alius materia prima non esset ens unum, illa enim unio constituit materiam primam, impossibile autem est quod ens unum componatur ex accidente et substantia.
Ostende quod accretio erit motus accidentarius si quantitas distinguatur a materia prima? quia tunc terminus eius ad quem erit accidens.
quis tunc erit terminus ad quem? unio inter quantitatem praeexistentem in vivente, et quantitatem advenientem.
Qua ratione fit accretio? per nutritionem continuo adveniunt novae partes alimenti quae convertuntur in substantiam viventis

quod si illę partes superexcedant numerum partium defluentium, fit ut plures partes sint homine post illam nutritionem quam fuerint ante nutritionem, et sic consequenter quantitas sit maior quę reperietur in homine post illam nutritionem quam ante et sic accrescet.

Utrum materia alimenti quę accrescit debeat prius uniri praeexistenti antequam introducatur forma? non prius tempore, sed tamen prius natura.

Ostende prius: quia nihil impedit materiam ab initio antequam scilicet uniatur habere dispositiones requisitas ad formam viventis, et consequenter nihil impediet hoc ipso quo unitur introduci formam.

Ostende posterius: quia anima viventis pro conditione praevia ut producat se in materia alimenti requiritur ut sit unita materię praeexistenti.

Quid accrescere? est corporis animatum virtute caloris naturalis ab anima vegetativa secundum omnes sui partes certa proportione servata quantitatem acquirere maiorem.

Da quod nutritur et non accrescit: sic senex decrepitus debet enim nutriri ut vita intertineatur, non autem accrescit ut patet ad oculum.

An impinguatio etiam sit accretio? [redacted] non, quia non acquirit maiorem quantitatem secundum omnes partes, quia non secundum ossa.

Quid decretio? est motus quo corporis animatum defectu caloris naturalis secundum omnes suas partes certa proportione servata quantitatem acquirit minorem.

Da extrema illius motus: quantitas maior, et quantitas minor.

Assigna subiectum istius motus: ipsum vivens.

quomodo cum illud non maneat idem sub termino a quo et sub termino ad quem? verum est, hinc etiam non est motus rigorosus seu philosophicus sed tantum vulgaris ad quem sufficit quod subiectum maneat vulgariter idem.

Ostende quod subiectum non maneat rigorose idem: quia perdit aliquas partes integrales quas ante habebat, quia decretio fit per hoc quod defluant plures partes quam per nutritionem accedant et consequenter quantitas integra viventis ante illum defluxum est maior quam remaneat post illum.

Quid quantitas minor? est quantitas quę exceditur ab alia quantitate ad quam comparatur in numero partium coextensarum.

Quid minoritas quantitatis minoris? est relatio fundata in una quantitate terminata ad aliam orta ex eo quod ab illa excedatur in numero partium coextensarum.

An tota quantitas minor ante decretionem non fuerit in vivente? potest fuisse, sed non est necessarium, sic v. g. si defluant aliquę partes viventis, et illo tempore defluxus (quod supponatur) interim nulla fuerit facta nutritio, tum tota quantitas minor ante fuerit in vivente.

ostende non [redacted] necessarium: quia hoc non fiet si fiat nutritio
tempore defluxus.
Quid refert relativus quod? genus definiti, sub habitudine causae for=
malis respectu istius concreti acquirit.
Cur non sub habitudine causae occasionalis? quia sic definitione con=
tinentur defluxus aliquis oppositus nutritioni, quia ille defluxus
potest esse motus quo tanquam causa occasionali defectus calo=
ris naturalis corpus animatum secundum omnes suas partes eo=
dem proportione servata quantitatem acquirit minorem, ille enim
defluxus est occasio cur minor fiat quantitas, attento quod hoc
per hoc contingat quod plures partes defluant quam accedant
quae est causa decretionis? defectus caloris naturalis.
Quomodo tunc decretio sit motus positivus? non est motus posi=
tivus quando sumitur pro vero motu, cum vero sumitur pro
vulgari, tunc etiam defectus caloris naturalis bene posset
dici causa vulgaris.
An defectus caloris naturalis sit causa principalis decretionis
non, sed potius anima viventis non conservans partes defluentes
Quid defectus caloris naturalis? est carentia status perfecti
in calore naturali.
In quo consistit status perfectus caloris naturalis? in eo quod sit
attemperatus in corpore viventis ut hic et nunc subservire possit
animae vegetativae tanquam instrumentum debite dispositum ad exer=
cendas operationes vitales
Per quid potest tolli ille status perfectus caloris naturalis? subinde
tollitur per nimiam remissionem caloris naturalis, subinde per ni=
miam eiusdem intentionem.
Quomodo calor naturalis potest amittere statum perfectum per
nimiam intensionem, cum quo forma sit intensior, tanto sit per=
fectior? est quidem perfectior in se, sed non est semper perfectior
ea perfectione quae requiritur ad statum perfectum qualis hic in=
telligitur.
An ergo ad statum perfectionem caloris naturalis non sufficiat
quod sit perfectior in se? non, sed ulterius requiritur ut sit perfec=
tior in ordine ad suum subiectum. Unde generaliter notandum est
quod accidentia ad sui statum perfectum non tantum requirant
perfectionem suae essentiae, sed etiam talem perfectionem per quam
efficiant substantiam cui tanquam subiecto connaturaliter com=
petunt
An decretio non causetur per defectum alicuius alterius quam
caloris naturalis? imo, quia etiam causari potest per defectum
aliarum qualitatum primarum, quae post calorem naturalem
requiruntur ad debitam temperiem corporis animati.
Quomodo ergo recte definitur decretio quod sit motus factus defec=
tu caloris naturalis? adhuc recte, quia defectus caloris natu=
ralis est causa magis ordinaria, et quotiescumque intervenit defec=
tus alicuius alterius qualitatis tunc solet etiam concomitari
defectus caloris naturalis.

Quomodo cum decretio fieri possit per sublationem frigoris requisiti ad debitam temperiem corporis inanimati? non deesset.
Quomodo non, cum sublato illo frigore non deficiet, sed potius augebitur calor naturalis? non refert, intelligendo de defectu late dicto.
Quomodo ergo tunc interveniet defectus caloris naturalis si augeatur calor naturalis? adhuc interveniet quia amittet suum statum perfectum propter nimiam sui intensionem.
Declara hoc posse fieri: quia propter nimiam intensionem caloris naturalis contingit subinde aliquas partes corporis animati nimis rarefieri, occasione cuius rarefactionis turbatur temperamentum corporis animati, et fit defluxus naturalis partium viventis.
Quales partes intelliguntur in definitione decretionis? partes inaequales formales, et illaesae.
An proportio hic sumatur proprie sicut in definitione accretionis? imo sumitur enim hic etiam pro quadam habitudine similitudine.

Defini proportionem illam: est proportio consistens inter excessum quo quantitas partis maioris viventis excedit quantitatem partis minoris eiusdem viventis, et excessum quo quantitas recedens a parte maiore viventis per decretionem excedit quantitatem recedentem a parte minore viventis per eandem decretionem.
Da terminos proximos illius proportionis. sunt duo illi excessus iam dicti.
An excessus hic intellecti debeant restringi ad excessus quorum una quantitas partis viventis quae ex naturae instituto debet esse maior excedit quantitatem partis viventis quae ex naturae instituto debet esse minor etc, sicut in definitione accretionis? non. quia
Cur non tam bene quam in definitione accretionis? quia in definitione accretionis illae particulae, ex instituto naturae debebant addi propter accretionem quae subinde solet fieri in plantis quia in accretione plantarum quantitas quae accedit ad partem viventis minorem subinde est aequalis aut maior quam quantitas quae accedit ad partem viventis maiorem quamvis minimum naturae institutum hoc exigit.
Declara in exemplo: sicut in initio accretionis aliquarum plantarum radix habet maiorem quantitatem quam ramusculi, in progressu vero accretionis earundem rami acquirunt quantitatem maiorem quam radix, et propter tale exemplum debet in definitione proportionis ad accretionem requisitae addi illa particula <u>ex naturae instituto</u>.

quare similiter non debet addi in definitione proportionis ad decretionem requisitae? quia decretio aristotelica non solet fieri nisi tunc quando vivens secundum naturae institutum accepit plenam

accretionem, et propterea illa pars quae semel exigit quanti-
tatem maiorem, semper post exigit, et illa pars quae post accretionem
perfectam semel exigit quantitatem minorem semper postea exigit
qualis quantitas hic intelligitur actualis an aptitudinalis? quan-
titas aptitudinalis prout substat quantitati actuali.

Cur nequit intelligi sola quantitas actualis? quia quando viuens
condensaretur rigorose secundum omnes suas partes proportio-
ne seruata non recte diceretur decrescere, et tamen acquire-
ret quantitatem actualem minorem. quia tali casu non acqui-
reret quantitatem aptitudinalem minorem.

Cur nequit intelligi quantitas aptitudinalis sine respectu ad
actualem? quia si viuens perderet aliquas partes quantitatis
aptitudinalis, et tamen maneret sub aequali extensione actuali
proprie non diceretur decrescere, quia proprie loquendo non acqui-
reret quantitatem minorem.

Quid ergo requiritur ad hoc ut viuens prout hic acquirat
quantitatem minorem? requiritur ut viuens perdat aliquas par-
tes quantitatis aptitudinalis ante habitas, sic ut quantitas ap-
titudinalis remanens post decretionem habeat minorem ex-
tensionem localem, quam quantitas aptitudinalis quae fuerat
ante decretionem.

Qua habitudine reali respicit terminus a quo decretionis, ter-
minum ad quem eiusdem? tanquam totum integrale suam
partem, quia terminus a quo est quantitas maior, et terminus
ad quem est quantitas minor, illa autem fuit pars integralis
quantitatis maioris ante decretionem.

An tota quantitas viuentis existens post decretionem semper
fuit pars integralis quantitatis maioris quae erat ante decre-
tionem? non est necesse, quia eo tempore quo viuens decrescit
potest per nutritionem ipsi accedere noua substantia, ac proin-
de noua quantitas, iam autem, illa noua quantitas non fuit
pars integralis quantitatis maioris quae fuit ante decretionem

quomodo quantitas minor viuentis recte assignatur pro termi-
no ad quem decretionis cum illa non acquiratur per decretio-
nem? non acquiritur in rigore loquendo, sed tantum mora-
liter, et vulgariter prout decretio definitur ab aristotele tan-
quam motus tantum vulgaris ac moralis.

An decretio possit sumi tanquam proprie dictus motus? imo

Defini sic illam: est transitus quo una pars quantitatis vi-
uentis transit ab unione integrali cum alia parte quan-
titatis eiusdem viuentis ad priuationem talis unionis, seu

satus defectu caloris naturalis viuentis quatenus per
illum transitum viuens dicitur acquirere quantitatem
minorem secundum omnes partes certa proportione forma-
tam
quinam sunt termini decretionis sic sumptæ? terminus a quo
est unio integralis quantitatis viuentis remanentis in decretio-
ne cum quantitate eiusdem viuentis quæ deperditur per decretio-
nem quatenus ex utraque illa conflatur quantitas maior, ter-
minus autem ad quem est priuatio talis unionis
Da subiectum decretionis sic sumptæ? est illa quantitas viuen-
tis quæ remanet post decretionem.
Qualis mutatio est decretio sic sumpta, an substantialis an acciden-
taria? est accidentaria si quantitas realiter distinguatur a materia,
et est a parte rei substantialis si quantitas a parte rei identifice-
tur materiæ primæ.
An ulterius decretio sic sumpta non habeat coniunctas aliquas
mutationes substantiales? imo, et in primis conuersionem sub-
stantialis, quia in primis habet coniunctam conuersionem sub-
stantialem oppositam nutritioni nempe defluxum substantialem
viuentis quia habet coniunctam mutationem qua materia pri-
ma partium integralium in decretione a viuente defluentium
transit a forma substantiali illarum partium ad formam sub-
stantialem oppositam.
Da unam aliam conuersionem substantialem etiam decre-
tioni coniunctam? ut mutatio qua materia prima partium
integralium viuentis transit ab unione cum forma substan-
tiali illarum partium ad unionem cum forma opposita priori
formæ substantiali.
An non habeat decretio alias mutationes substantiales con-
iunctas? imo, quia habet etiam coniunctam mutationem qua
partes integrales viuentis remanentes in decretione transeunt
ab unione integrali cum partibus eiusdem viuentis deflu-
entibus ad illius unionis priuationem.
An decretio non habeat coniunctam generationem substan-
tialem physicam? imo quia habet coniunctam mutationem
qua materia prima transit a priuatione formæ substantia-
lis oppositæ formæ substantiali partium viuentis in decre-
tione defluentium ad illam formam substantialem.
Da corruptionem physicam coniunctam cum decretione hic
ante definita? transitus quo materia prima transit a forma
substantiali partium viuentis in decretione defluentium ad il-
lius priuationem.

An decretio non habeat coniunctam mutationem substantialem cuius forma substantialis est subiectum? imo, saltem plerag. quia plerag decretio habet coniunctam mutationem qua anima viventis remanens in decretione movetur ab unione integrali cum anima partium viventis effluentium in decretione ad illius unionis privationem.

Cur dictum est saltem plerag? quia non omnis decretio viventis habet coniunctam talem mutationem, quia non decretio hominis quia non datur unio integralis inter formam substantialem individuum partium integralium hominis, est enim eadem anima rationalis quae est forma totius hominis et singularum partium integralium eius, iam autem si non detur talis unio integralis non potest consequenter dari mutatio a tali unione ad eius privationem.

An non possit probabiliter dici quod decretio hominis habeat coniunctam mutationem substantialem cuius anima rationalis est subiectum? imo, quia talem habebit probabiliter coniunctam si dicatur quod unio substantialis physica teneat se ex parte formae substantialis, quia tunc decretio hominis habebit coniunctam mutationem qua anima rationalis hominis movebitur ab unione physica cum materia prima partium in decretione effluentium, ad illius unionis privationem.

Quid decrescere? est corporis animati defectu caloris naturalis certa proportione servata secundum omnes suas partes quantitatem acquirere minorem.

Da corpus quod non potest decrescere: lapis.

Da corpus animatum tale: corpus animatum integraliter indivisibile, quia id quod potest decrescere debet habere integrales.

An hoc ipso quo corpus animatum patitur effluxum naturalem, seu conversionem oppositam nutritioni eo ipso decrescat? non, quia homo iuvenis etiam patitur conversionem oppositam nutritioni, et tamen in illo statu non decrescit.

Quomodo non cum acquirat quantitatem minorem? non refert, quia non acquirit quantitatem minorem secundum omnes suas partes certa proportione servata, non enim secundum ossa.

An detur aliquando decretio aristotelica prout hic? aliqui probabiliter negant, vel aliqui probabiliter affirmant

in quo statu secundum posteriores homines possunt decrescere decretione aristotelica? in senectute.

Quomodo enim tunc non acquirant quantitatem minorem secundum ossa? secundum illos etiam acquirunt.

Quid decretio late dicta? est acquisitio minoris quantitatis.

Da quod potest decrescere late sed non stricte: aqua.

Quid accretio late? est acquisitio maioris quantitatis.

Da primam proprietatem accretionis et decretionis? id quod accrescit manet idem ante et post accretionem, similiter etiam quod decrescit idem manet ante et post decretionem.

Qualis identitas significatur per illam particulam idem? identitas numerica realis moralis.

Quid identitas numerica realis moralis? identitas per quam aliquid est a parte rei idem numero secum secundum communem modum apprehendendi.

An illud quod est idem numero secum prout hic possit esse distinctum numero ab eo cum quo dicitur idem prout hic? imo rigorose loquendo, quia vivens ante decretionem dicitur idem numero prout hic cum vivente post decretionem et tamen in rigore loquendo est numero distinctum ab illo vivente, quia vivens ante decretionem includit aliquid in sua entitate quod non includit vivens post decretionem, nempe aliquas partes integrales quae in decretione a vivente defluunt.

An in hac proprietate non possit intelligi identitas numerica realis seu rigorosa? imo, certo sensu.

Quomodo enim tunc falsum erit dicere quod id quod accrescit maneat idem ante et post accretionem? adhuc erit verum certo sensu, id quod accrescit manet idem rigorose ante et post decretionem quantum est ex parte ipsius accretionis, quia quantum est ex parte ipsius accretionis tantum accedit nova quantitas viventi, quantitas vero non spectat ad entitatem viventis.

Unde ergo contingit quod accedente nova quantitate etiam accedat nova substantia viventi? ex eo quod quantitas et materia prima se mutuo inseparabiliter concomitentur, unde accedente nova quantitate simul accedit nova materia prima quae cum forma substantiali sibi correspondente constituit novam partem integralem viventis.

Da secundam proprietatem: accretio fit aliquo externo accedente, et decretio fit aliquo interno recedente.

Quodnam est illud externum quo accedente fit accretio? est ipsum alimentum quantitate praeditum quatenus convertitur in substantiam viventis quantitate praeditam.

An quotiescumque alimentum convertitur in substantiam viventis quantitate praeditam toties fiat accretio? non, sed tunc quando occasione illius conversionis vivens non acquirit quantitatem maiorem secundum omnes suas partes proportione servata.

Declara in exemplo: sic dum aliquis ex macro fit pinguis proprie non accrescit, sicut nec decrescit dum ex pingui fit macer, quia priori casu non acquirit quantitatem maiorem secundum ossa, sicut nec minorem quantitatem posteriori casu secundum.

Quodnam est illud internum quo recedente fit decretio? sunt partes integrales viventis quantitate praeditae defluentes in decre-

tione a viventi.

Da tertiam proprietatem: sub quod accrescit quaelibet pars augetur, et sub quod decrescit quaelibet pars minuitur.

Quid quod accrescit? est corpus animatum accrescens, et id quod decrescit est corpus animatum decrescens.

Quid partem augeri prout hic? est partem acquirere quantitatem minorem

Quid partem diminui? conformiter etc.

qualis pars hic intelligitur? pars integralis formalis illa tam similaris quam dissimilaris.

Quid pars integralis similaris viventis? est pars integralis viventis constans ulterioribus partibus integralibus quae omnes sunt uniformis temperamenti.

cur restringitur hic pars similaris ad partem similarem viventis? quia in hac proprietate agitur de corpore accrescente et decrescente quale tantum est corpus vivens.

Da partem similarem viventis: ~~[illegible]~~ pars carnis notabilis.

Quid pars similaris in genere? est pars integralis constans ulterioribus partibus integralibus quae omnes sunt uniformis temperamenti.

Quid pars dissimilaris? est pars integralis constans ulterioribus partibus integralibus non uniformis temperamenti. ut caput hominis, quia caput hominis includit alias partes carnes, cerebrum quae non sunt uniformis temperamenti.

quam habitudinem importat illa vox sub dum dicitur sub quod accrescit? habitudinem totius integralis ad partem integralem.

Da quartam proprietatem: propter accretionem et decretionem non est ponendum vacuum: quia si propter accretionem et decretionem deberet poni vacuum esset ideo quia alias non haberetur modus quo alimentum posset applicari singulis partibus corporis animati nisi ponatur vacuum, sed hoc est falsum, ergo etiam falsum est quod propter accretionem et decretionem debeat poni vacuum.

quomodo ergo poterit applicari alimentum singulis partibus corporis animati si non ponatur vacuum? per hoc quod in corpore animato ponantur multi pori per quorum meatus alimentum ad singulas viventis partes derivatur.

quomodo equidem recte cum illi pori debeant ante esse vacui antequam alimentum illos possit subintrare? non debent, quia poterunt fuisse repleti antea aere, vel aliquibus corporibus subtilibus quae adveniente alimento expelluntur, et sic nullo instanti debebit poni vacuum.

Da quintam proprietatem: propter accretionem non sunt admittenda duo corporalia in eodem loco.

quomodo ergo alimentum poterit applicari singulis partibus viventis si non ponantur duo corpora in eodem loco? per hoc quod vel fuit admittantur multi pori in corpore viventis sicut ante dictum est.

Da sextam proprietatem? accretio fit aliquo corpore accedente, et decretio aliquo corpore recedente.

quodnam corpus accedit per accretionem? nova pars viventis quantitate praedita, corpus autem recedens per decretionem est pars viventis quantitate praedita in decretione defluens.

De Tactu

Quid hic tactus? sumitur tripliciter semel pro tactu mathematico, semel pro physico et semel pro metaphysico.

An illa vox tactus significet triplicem illum tactum univoce an aequivoce? aequivoce.

quid ergo significat principaliter vox tactus dum tribuitur tactui mathematico? tactum mathematicum, et dum tribuitur tactui physico principaliter tactum physicum etc.

Quid tactus mathematicus? contiguitas duarum magnitudinum, vel rerum magnitudinem habentium. ut contiguitas coeli lunae cum elemento ignis.

An recte sic definiretur, est continuitas etc.? non, quia ad tactum mathematicum non requiritur ut sit continuitas, sed sufficit quod sit contiguitas duarum magnitudinum etc.

An ergo illa non sint eadem contiguitas duarum magnitudinum et continuitas? non, quia plus requiritur ad continuitatem quam ad contiguitatem duarum magnitudinum.

Quid continuitas duarum magnitudinum? est contiguitas duarum magnitudinum simul unitarum, ad contiguitatem autem in genere non requiritur ut res contiguae vere inter se uniantur.

Da contiguitatem duarum rerum quae non est tactus mathematicus? contiguitas duorum angelorum.

Quid ~~mathe~~ tactus physicus? contiguitas duorum corporum coniuncta cum actione unius in alterum. ut contiguitas consistens inter aerem et ignem.

qualis actio hic intelligitur? actio per quam unum producit in altero certam qualitatem.

Divide tactum physicum: in mutuum et non mutuum.

Quid tactus physicus mutuus? contiguitas duorum corporum coniuncta cum actione utriusque in invicem. ut contiguitas inter

ignis

aquam et ignem supposito quod ignis in aquâ producit calorem, et aqua vicissim in igne aliqualem frigus.
Quid tactus physicus non mutuus? contiguitas duorum corporum coniuncta actioni unius in alterum tantum. Ut contiguitas inter coelum lunae et elementum ignis.
quodnam ex illis duobus corporibus agit in alterum? coelum lunae producendo in elemento ignis influentias.
cur elementum ignis non producit vicissim in coelo lunae calorem? quia coelum lunae utpote corpus coeleste non est capax caloris.
An tactus mathematicus possit dividi in mutuum et non mutuum? non. quia omnis tactus mathematicus est mutuus.
Quid tactus metaphoricus? est actio quâ unum agit in alterum a quo distat. Ut actio quâ sol agit in haec inferiora.
dividi tur: in mutuum et non mutuum.
Quid tactus metaphoricus mutuus? est actio duorum in invicem sic ut a se invicem distent. Ut actio quâ ignis in distanti aquâ producit calorem sic ut aqua vicissim in igne producat aliqualem frigus.
Quid tactus metaphoricus non mutuus? actio unius in alterum a se distans non habens coniunctam actionem illius alterius in se primi. Ut actio quâ sol agit in haec inferiora.

De Agente
et patiente.

Quid agens? sumitur seu latissime, stricte, strictius, et strictissime.
Quid agens latissime? idem quod causa efficiens.
Quid agens stricte? est causa producens aliquam formam in aliquo.
Da agens latissime non stricte? deus creans naturam angelicam
Quid agens strictius? est corpus naturale producens aliquam formam in aliquo. Ut ignis producens calorem in ligno.
Quid agens strictissime? est corpus naturale producens in aliquo aliquam qualitatem sensibilem. secundum aristotelem vero circa hunc tractatum debet restringi ad qualitatem sensibilem secundum quam fit alteratio.
Da agens strictius quod non est agens strictissime: ignis producens formam substantialem ignis in materia ligni.
Da producens qualitatem sensibilem quod non est agens strictissime iuxta mentem aristotelis: sol producens lumen.
Quid patiens? sumitur etiam late, stricte, et strictissime
Quid patiens late? est aliquid recipiens formam ab aliquo productam
An agens late, et patiens late respectu eiusdem actionis debeant distingui? non quia sic intellectus est agens late, et patiens late respectu conceptus intellectivi in se producti.

Quid patiens stricte? est corpus naturale recipiens in se formam ab aliquo productam, ut lignum quatenus in se recipit calorem ab igne productum.

Quid patiens strictissime? est corpus naturale recipiens in se qualitatem sensibilem ab aliquo productam secundum quam fit alteratio.

Quid necesse addere ab aliquo productam, cum omnis qualitas sensibilis in subiecto recepta sit hoc ipso ab aliquo producta? inde tantum sequitur quod illa particula non sit necessaria ad convertibilitatem definitionis, adhuc tamen non est superflua, quia per illam ostenditur quod aliquid non obtineat rationem patientis nisi in quantum recipit formam ab aliquo productam.

An agens strictissime et patiens strictissime debeant esse distincta? secundum definitiones datas non debent, quia aqua in se producens frigus obtinet rationem agentis et patientis strictissimi, et tamen non distinguitur a se ipsa.

Nota tamen quod in sequentibus axiomatibus dicatur quod agens debeat esse distinctum a patiente, sed hoc non intelligitur de quolibet agente strictissime, sed tantum de aliquo ut post videbitur.

An Agens et patiens debeant esse similia an dissimilia, item de illo axiomate.

Quid simile? sumitur dupliciter, semel virtualiter, et semel formaliter.

Quid simile formaliter? est id quod convenit cum eo ad quod comparatur in eadem specie qualitatis, ut unus paries albus respectu alterius parietis albi.

An simile formaliter sit simile per se an simile per accidens? simile formaliter generaliter sumptum potest esse et simile per se et simile per accidens, secundum mentem vero Aristotelis fit hic verificatio pro simili per accidens, quia agit hic de agente et patiente quod secundum ipsius mentem hic restringitur ad corpus naturale, corpus autem naturale non potest esse nisi simile aut dissimile per accidens.

Divide simile formaliter? in simile physicum et logicum tantum. Cur dicitur simile logicum tantum? quia alias non esset bona divisio, omne enim simile physicum est simile logicum, sed non est simile logicum tantum.

Quid simile physicum? est id quod cum eo ad quod comparatur convenit in eadem specie qualitatis et eadem intensione, ut lignum calidum ad quatuor respectu alterius ligni calidi ad quatuor.

An aqua calida ad unum sit simile physicum respectu alterius

aquæ calidæ ad unum? imo
quomodo cum aqua calida ad unum non habeat calorem æque in-
tensum ab alia aqua calida ad unum? habet ad sensum definitio-
nis antedatæ.
Quomodo cum calor ad unum non sit intensus? non refert.
quomodo ergo aqua calida ad unum habet calorem æque intensum
non habet quidem calorem æque intensum positive, habet tamen ne-
gative.
quando una forma censetur esse æque intensa negative ac alia?
quando illa forma non est inæqualiter intensa respectu alterius.
quando duæ formæ censentur inæqualiter intensæ prout hic? quando
sic se habent ut una earum sit pluribus gradibus intensiuis et altera
intensius composita vel sic ut una earum componatur ex paucio-
ribus gradibus intensiuis quam altera.
da formas inæqualiter intensas priori modo? ut calor ad unum
et calor ad quatuor.
da formas inæqualiter intensas posteriori modo: calor ad duo
et calor ad quatuor.
An formæ æque intensæ negative prout hic debeant esse formæ
intensibiles vel remissibiles? non, quia intellectus patris et intel-
lectus filii sunt formæ æqualiter intensæ negative, et tamen
nec sunt intensibiles nec remissibiles.
Quid simile logicum tantum? quod cum eo ad quod comparatur
convenit in eadem specie qualitatis sed non æque intensa, ut aqua
calida ad quatuor respectu aquæ calidæ ad duo
An idem possit esse simile physicum et logicum tantum respectu
eiusdem? imo gratia diversarum qualitatum.
Quid simile virtualiter? est id quod habet qualitatem eiusdem
speciei et æque intensam quam potest producere actione æquivoca
illud ad quod comparatur. ut lignum, est enim simile virtualiter
soli quando habet calorem tam intensum quam sol potest pro-
ducere
cur dicitur actione æquivoca? quia si habeat qualitatem tam
intensam eiusdem speciei quam agens potest producere actione
univoca tunc potius erit simile formaliter quam virtuali-
ter.
quale simile intelligitur dum dicitur simile non agit in simile?
simile physicum.
pro qua actione fit verificatio dum dicitur simile non agit in si-
mile? pro actione univoca physica.
Quid actio univoca? est actio qua agens producit qualitatem
eiusdem speciei cum virtute per quam agit.
An actio univoca prout hic coincidat cum actione univoca de
qua in octo libris physicorum? non, saltem formaliter loquendo.
Quid agens univocum prout hic? est agens producens qualita

tam eiusdem speciei cum virtute per quam operatur. ut sic ignis quatenus producit calorem in ligno.
An agens univocum et causa univoca coincidant? non. quia ignis producens calorem in ligno est agens univocum, et tamen non est causa univoca, quia producendo calorem in ligno non producit effectum eiusdem secum speciei.
An possit dari causa univoca quae non est agens univocum? si agens sumatur latissime tunc non datur, si sumatur stricte tunc talis est calor producens alium calorem.
Quid actio physica? solet dupliciter definiri, primo hoc modo: est actio terminata ad qualitatem sensibilem disponentem ad formam substantialem. alia definitio sic habet: est actio terminata ad qualitatem sensibilem habentem contrarium.
An illae duae definitiones coincidant? non. quia datur actio physica posteriore definitione contenta quae non est actio physica secundum priorem definitionem.
Da talem: actio terminata ad albedinem. quaenam definitio ex illis sit melior est mera quaestio de nomine.
Quid actio univoca physica? est actio per quam agens producit qualitatem eiusdem speciei cum virtute qua operatur sic ut illa qualitas sit sensibilis, et disponens ad formam substantialem.
Quid agens physicum? est agens quod est principium actionis physicae ut sic.
Quid agens univocum physicum? est agens quod producit qualitatem sensibilem habentem contrarium quae est eiusdem speciei cum virtute per quam operatur. ut ignis producens in ligno calorem quale agens hic intelligitur? agens univocum physicum.
Da sensum totius axiomatis: simile physicum non agit actione univoca physica in aliud simile physicum quod est ipsi simile, non repugnat autem actionem producendo minimum in ipso aliquid secundum illam qualitatem secundum quam est ipsi simile physice.
cur dicitur simile physicum? quia simile logicum bene potest agere in aliud simile logicum ut calidum ad sex potest agere in calidum ad duo
quare dicitur actione univoca? quia simile physicum bene potest agere actione aequivoca physica in aliud simile physicum, quia si piper habeat calorem ad quatuor, et lingua etiam calorem ad quatuor poterit actione aequivoca intendere calorem linguae existentem.
Declara quomodo hoc piper faciet actione aequivoca? quia hoc faciet per calorem virtualem qui est specie distinctus a calore formali

in lingua producto.
cur dicitur actione univoca physica? quia simile physicum saltem probabiliter agere potest in aliud simile physicum actione univoca non physica. sic unum luminosum ad quatuor probabiliter agere potest in aliud luminosum ad quatuor.
quare dicitur in aliud simile physicum? ut insinuetur quod simile physicum quod agit et simile physicum in quod prius agit debeant esse distincta, quia aliter illud axioma esset falsum, quia simile physicum bene potest agere in se ipsum, quia sic aqua frigida ad sex potest agere in se ipsam producendo septimum gradum frigoris.
cur dicitur quod est simile physicum ante actionem? quia unum simile physicum potest agere in aliud quod est ipsi simile physicum eo instanti quo existit actio per quam agit.
Declara in exemplo: sic calidum ad octo potest agere in calidum ad septem producendo in ipso octavum gradum caloris.
Declara quod patiens ibi sit simile physicum agenti eo instanti quo existit actio: quia eo instanti quo existit actio habebit octavum gradum caloris, quia octavus gradus caloris est terminus illius actionis, sicut vero existente actione debet existere terminus eius.
cur dicitur producendo de novo aliquam qualitatem etc.? quia simile physicum potest agere in aliud simile physicum actione univoca physica conservativa etiamsi fuerit etiam simile physicum ante conservationem. sic aer calidus ad sex potest conservare calorem ad sex in aqua.
quare non potest dici quod ille calor tunc conservetur a forma substantiali? quia ille calor est contra naturam respectu formae substantialis aquae, sed autem qualitatem nullam [illegible] conservatur a forma substantiali cui est violentum.
cur dicitur producendo aliquid secundum illam qualitatem secundum quam est ipsi simile physicum? quia simile physicum potest agere actione univoca physica in aliud simile physicum producendo aliquid secundum illam qualitatem secundum quam non est simile physicum, quia sic si aqua sit frigida ad quatuor tantum et aer sit similiter frigidus poterit adhuc agere in aerem, si aqua habeat maiorem humiditatem quam aer.
Nota hoc axioma ab aliquibus sic allegari: patiens debet esse dissimile agenti.
quale patiens ibi intelligitur? corpus naturale quod patitur ab agente univoco physico ut sic.
Quid dissimile? dicitur dupliciter, semel formaliter, et semel virtualiter.
Quid dissimile formaliter? est id quod disconvenit in eadem specie qualitatis cum eo ad quod comparatur. et illud dividitur in dissimile physicum, et logicum tantum.

Quid dissimile physice? est quod cum eo ad quod comparatur non conuenit in eadem specie qualitatis et eque intensa. dissimile physice diuiditur in dissimile physice positiue et dissimile physice negatiue

Quid dissimile physice positiue? est quod habet qualitatem eiusdem speciei inequaliter intensam respectu eius ad quod comparatur. ut calidum ad quatuor respectu calidi ad sex.

Quid dissimile physice negatiue? sumendo cum exclusione est id quod non habet qualitatem eiusdem speciei et eque intensam cum eo ad quod comparatur sic ut non sit dissimile positiue. ut calidum ad quatuor respectu corporis quod nullam habet calorem.

Diuide dissimile physice negatiue: in dissimile priuatiue et dissimile negatiue stricte

Quid dissimile priuatiue? ~~est quod non habet qualitatem eiusdem speciei et eque~~ est quod non habet qualitatem eiusdem speciei et eque intensam cum eo ad quod comparatur sed tamen est capax talis qualitatis. sic aqua calida ad quatuor respectu aque calide ad quinque.

Quid dissimile physice negatiue stricte? est quod non habet qualitatem eiusdem speciei et eque intensam cum eo ad quod comparatur sic ut sit incapax talis qualitatis. sic corpus coeleste respectu calidi ad sex.

Eodem modo diuidi potest dissimile logice.

Quale dissimile intelligitur in axiomate quando dicitur patiens debet esse dissimile agenti? dissimile physicum priuatiue.

Cur non intelligitur dissimile logicum? quia patiens ~~debet~~ potest esse simile logicum respectu agentis

~~[illegible]~~ Cur non intelligitur dissimile physice negatiue pure stricte? R quia tunc insinuaretur quod patiens esset subiectum incapax illius qualitatis secundum quam dicitur dissimile agenti, hoc autem est falsum.

Declara: sic aqua calida ad quatuor est patiens dissimile respectu aeris calidi ad quinque, et tamen aqua est subiectum capax caloris ad quinque.

Cur non intelligitur dissimile physicum positiue? quia tunc insinuaretur quod patiens deberet habere qualitatem eiusdem speciei cum qualitate agentis sed inequaliter intensam hoc autem est falsum, quia sic aqua frigida ad octo esset patiens dissimile prout hic respectu ignis calidi ad octo, et tamen nullum habet gradum caloris.

An coelum lunae sit patiens dissimile prout hic respectu elementi ignis sibi contigui? non

Cur non tam bene quam aqua frigida ad octo respectu ignis

calidi ad octo? quia aqua frigida ad octo est subiectum capax
caloris, non sic cœlum Lunæ.
quænam particulæ debent subintelligi ad hoc ut axioma sic ex-
pressum sit verum? similes particulæ sicut fuerunt subintellec-
tæ ad axioma priori modo expressum.
Da ergo sensum axiomatis sic expressi: id quod patitur ab agente uni-
voco physico ut sic debet esse ipsi prævie ante actionem dissimile phy-
sice privative secundum illam qualitatem secundum quam ab ipso
patitur primo instanti existentiæ illius qualitatis.
cur dicitur primo existentiæ instanti etc.? quia patiens non debet esse
sic dissimile agenti si agens natura conservet illam qualitatem in
patiente
Aliud axioma priori axiomati affine est hoc: minus tale non agit
in magis tale.
Quid minus tale? est id quod habet qualitatem eiusdem speciei
cum qualitate alterius sed minus intensam. ut aqua calida
ad duo respectu aquæ calidæ ad quatuor.
An aqua frigida ad sex sit minus tale respectu ignis calidi
ad octo? non.
Quomodo non cum habeat qualitatem minus intensam quam al-
terum ad quod comparatur? non refert quia illa qualitas inten-
sa non est eiusdem speciei cum qualitate ignis
Quid magis tale? quod habet qualitatem eiusdem speciei cum qua-
litate alterius ad quod comparatur sed magis intensam. ut aqua
calida ad quatuor respectu aquæ calidæ ad duo.
Da sensum præcedentis axiomatis: agens habens qualitatem certæ
speciei non agit actione univoca physica in aliud habens qualita-
tem eiusdem speciei cum priori producendo aliquid secundum illam
qualitatem.
Da rationem cur simile non agat in simile item minus tale in ma-
gis tale: quia si alterutrum fieret ageretur contra finem agen-
tis qui est assimilare sibi patiens.
Quomodo simile non agit in simile cum corpus calidum ad quinque
pedale densius possit agere in calidum ad quinque pedale rarius? sic
non potest agere sicut hic.
Quomodo non cum experientia constet quod corpus calidum densius
sit maioris activitatis quam corpus calidum rarius æqualis in-
tensionis et magnitudinis? non refert.
quidni ergo corpus ad quinque pedale densius non poterit agere in corpus
calidum ad quinque pedale rarius si sit maioris activitatis? quia
aliquid non tantum dicitur maioris activitatis ex eo quod possit pro-
ducere qualitatem intensiorem quam illud ad quod comparatur, sed

etiam ex eo quod habeat maiorem sphaeram activitatis quam
alterum, id est dicere ex eo quod habeat virtutem diffundendi
per longius spatium qualitatem a se producibilem.
Unde fit quod corpus calidum densius habeat maiorem sphaeram
activitatis quam corpus calidum rarius eiusdem intensionis et
magnitudinis? quia corpus calidum densius habet plures partes
calidas sub eadem dimensione quam corpus calidum rarius eiusdem
intensionis et magnitudinis.
Quomodo cum corpus calidum rarius sit calidum secundum omnes
suas partes tam bene quam corpus calidum densius? non refert.
Quomodo non cum utrumque supponatur etiam aequalis magnitu-
dinis? etiam non refert.
quomodo ergo unum habet plures partes calidas quam alterum?
quia corpus calidum densius habet plures partes integrales
in aequali spatio contentas quam corpus calidum rarius eiusdem
magnitudinis.
Quomodo cum sic daretur penetratio vel replicatio partium? non
daretur, quia potest dici quod corpus rarius habeat plures vel
laxiores poros in quibus continentur aliqua corpuscula quae non
sunt de entitate corporis rarioris.
Quomodo minus tale non agit in magis tale cum ferrum can-
dens comburat stuppam? nihil refert
quomodo non cum ferrum hoc non possit facere nisi producendo
in materiam stuppae calorem ad octo? non refert
Quomodo cum ferrum candens non habeat calorem ad octo?
distinguo ferrum candens verisimiliter non habet calorem ad octo
secundum illas partes quae retinent naturam ferri, habet tamen
calorem ad octo secundum particulas igneas partibus ferri inter-
mixtas secundum quas comburit stuppam.
Quomodo cum illae particulae igneae non sint ferrum? verum est
quomodo ergo ferrum comburat stuppam? ferrum dicitur com-
burere stuppam vulgariter, ex eo quod homines ordinarie appre-
hendant partes ferri et partes ignis in ferro contentas tanquam
quid unum componentes
Cur nequit dici quod ferrum dum fit candens destruatur? R.
quia etiamsi maxime fuerit candens si imponatur aquae vel ex-
tinguatur, sibi redit ad pristinum statum; iam autem apud phy-
sicos generale indicium est quod corpus alterum non sit cor-
ruptum si sibi relictum sponte sua ad pristinum statum suum
redeat.

De Axiomate

idem non agit in seipsum.

Qualis actio intelligitur hic, cum dicitur idem non agit in seipsum? actio univoca physica.
De quo agente negatur quod agat in se ipsum in hoc axiomate? de agente univoco physico.
Quid significat illa vox In dum dicitur in seipsum? inexistentiam actionis in patiente.
Quam habitudinem in vi obliqui significat seipsum ibi? habitudinem termini per accidens actionis, seu habitudinem patientis.
Quare non habitudinem termini per se? quia terminus per se actionis pro qua fit hic verificatio non est ipsum patiens sed qualitas in patiente producta.
Quomodo axioma sic intellectum est verum cum aqua per naturalem resultantiam producat in se frigus? non refert.
Quomodo non cum aqua sub tali consideratione sit agens univocum physicum? non est secundum communiorem sententiam.
Quomodo non cum aqua mediante frigore quod in se habet producat ulterius frigus in se ipsa? secundum communem sententiam aqua producit illud ulterius frigus in se tantum gratia formae substantialis, non autem gratia frigoris praeexistentis. si tamen aliqui vellent sustinere quod aqua producat illud frigus mediante frigore praeexistente tunc per agens debet intelligi in hoc axiomate agens univocum physicum actione directa.
An per agens univocum physicum intelligatur in hoc axiomate quodlibet agens univocum physicum? non, sed tantum agens univocum physicum per se primo.
Quid agens univocum physicum per se primo? R. est quod agit actione univoca physica non tantum gratia entitatis integralis partialis.
An recte sic? est quod agit actione univoca physica gratia omnium suarum partium integralium? non, quia tunc insinuaretur quod agens univocum physicum per se primo deberet habere partes integrales hoc autem est falsum.
Cur dicitur in definitione gratia entitatis integralis partialis? quia agens univocum physicum per se primo potest agere gratia entitatis essentialis partialis tantum, quia sic generatum corpus na:

turale producit in se aliquas qualitates primas gratia formæ substantialis tantum.

Da sensum prædicti axiomatis? nullum agens univocum physicum per se primo agit actione univoca physica in seipsum.

Cur additur hoc agens per se primo? quia agens univocum physicum gratia partis tantum potest actione univoca physica agere in se ipsum, quia sic homo habens unam manum calidam potest in alia sua manu frigida producere calorem.

Cur dicitur actione univoca physica? quia agens per actionem distinctam ab univoca physica potest agere in seipsum, quia sic aqua calida agit in seipsum reducendo se ad pristinum frigus.

Da quod agit actione directa in se ipsum: generatim omne agens vitale stricte dictum.

An agens actione intentionali possit agere in se ipsum? imo,

Quid actio intentionalis? est actio per quam producitur species intelligibilis vel species sensibilis.

Da quod agit tali actione in se ipsum: ut intellectus humanus in se producens speciem intelligibilem.

An tale sit intellectus intellectus in se producens speciem intelligibilem? quæstio supponit falsum, quia intellectus angeli in se non producit speciem intelligibilem, sed illa immediate producitur a Deo.

Cur non tam bene quam intellectus humanus? quia intellectus humanus habet aliquid quod ipsum determinet ad productionem talis speciei, nempe phantasiam, non autem intellectus angelicus.

An agens actione illuminativa agat in se ipsum? imo quia sic luminosum quod est tale ex natura sua producit in se lumen per naturalem resultationem.

An agens actione illuminativa directa non agat in se ipsum? aliqui dicunt quod sic sed verisimilius negatur.

quomodo non enim aer illuminatus prope parietem soli objectum producat in se maius lumen per reflexionem factam a pariete? illud magis lumen non producitur ab aere illuminato prope parietem sed ab ipso sole quod probatur ex eo quod si ille aer produceret illud magis lumen non esset ratio cur non tam bene illud produceret dum est vicinus parieti non directe opposito soli quam dum est vicinus parieti directe opposito soli.

An quando oculus in speculo videt seipsum idem agat in se ipsum actione intentionali? distinguo, idem agit in se ipsum tanquam causa per accidens, sed idem non agit in se ipsum tanquam causa per se; quia oculus mediante colore quem in se habet producit reflexe in se speciem visibilem illius coloris ac proinde agit actione intentionali.

Quare est tantum causa per accidens respectu illius speciei visibilis? quia non gratia sui, sed gratia alterius realiter condistincti semper coloris dicitur causans illam speciem.
qualis causa intelligitur per agens dum dicitur quod agens non agat in se ipsum? agens quod agit tanquam causa per se.

Da aliud axioma: nihil agit in distans nisi agendo per medium.
Quid distans? sumitur dupliciter, semel negative et semel positive.
Quid distans negative? quod neque alterum penetrat, neque alteri est contiguum ad quod comparatur.
Quid distans positive? est illud inter quod et alterum ad quod comparatur interiacet aliquod spatium.
Da distans negative non positive: aliquod ens reale de facto non existens.
quale spatium intelligitur in definitione distantis positive? spatium imaginarium.
cur nequit intelligi spatium reale? quia si totus aer in hac schola contentus destrueretur nullo alio in locum eius producto parietes adhuc distarent positive, et tamen nullum spatium reale inter illos interciperetur.
Quid distantia negativa? negatio in aliquo entis quo est esse alteri contiguum vel alterum penetrans ad quod comparatur.
Quid distantia positiva? est relatio consistens inter aliqua entia ex eo quod inter illa aliquod spatium intercipiatur.
quale distans hic intelligitur positive an negative? potest intelligi distans positive utique, potest tamen etiam intelligi distans negative.
Cur potius intelligitur distans positive? quia in axiomate fit expressa mentio de medio intercedente, ergo secundum mentem Aristotelis intelligitur melius hic distans positive quam negative.
cur dictum est distans positive vel sic? quia agens bene potest agere in corpus distans positive non agendo per medium, sed non sub illa ratione qua distat positive, sic si Petrus esset relegatus Romae et Lovanii ignis Lovanii existens posset agere in Petrum qui ab illo igne distat positive, sed non sub ea ratione qua distat positive, quia ignis non calefaceret Petrum quatenus est Romae distans, sed quatenus est Lovanii igni approximatus.
Da sensum istius axiomatis? nullum ens agit tanquam causa per se in aliquid a se positive distans quatenus distans est, nisi simul effectum producat per totum medium.
Quid ibi medium? est spatium imaginarium interceptum directe inter agens et patiens distans.
cur dicitur directe interceptum? quia spatium imaginarium oblique tantum interceptum inter agens et patiens non est proprie medium.

cur non? quia alias quando candela in cubiculo existens producit lumen per fenestram apertam in pariete parte quadam opposita, sequeretur quod deberet producere lumen per totum aerem per totam aream dispersum, hoc autem est falsum.

quomodo illud axioma est verum cum sol producat lumen in terra non agendo per medium? agit per medium

quomodo cum subinde sit lumen valde intensum in terra propter reflexionem sic ut non sit tam intensum in aere a terra remotiore? non refert.

quomodo non cum sic producat lumen ad octo [illegible] in terra non producendo lumen ad octo in toto aere intermedio? respondere potest quod hoc fiat tantum per accidens propter reflexionem causatam per impedimentum extrinsecum, iam autem axioma intelligitur quod nullum ens per se loquendo agat in distans non agendo per medium, deinde respondere potest quod ad hoc ut agat in distans simul agendo per medium non requiratur ut producat effectum tam intensum in medio quam distante sed sufficiat quod producat effectum similem.

quomodo equidem axioma est verum cum sol producat calorem in his sublunaribus et non in corporibus coelestibus intermediis? non refert quia non producit illum calorem tanquam causa per se sicut intelligitur in axiomate quia sol vere non influit in calorem sed tantum calor producitur a lumine per se producto a sole.

quomodo equidem hoc axioma est verum cum punctum medium alicuius magni ignis agat in aerem a se distantem non agendo per totum medium? est verum sed nihil refert quia per agens hic intelligitur agens totale.

Quid agens totale? est agens quod non est pars integralis alterius agentis respectu eiusdem patientis. ut totalis ignis agens in aerem

proba quod punctum medium alicuius ignis etiam agat in aerem a se distantem: quia quo ignis est maior tanto fortius agit ergo non tantum partes exteriores ignis sed etiam interiores quibus est punctum medium agunt in aerem circumcirca ignem existentem

Quid dicendum est contra eos qui obiiciunt quod phantasia agat in appetitum et humores corporis distantes quod magnes trahat ferrum in distans, quod lupus hominis distantes raucos faciat basiliscus occidat visu item quod torpedo piscis torporem producat in manu piscatoris? Ad primum quod phantasia non moveat physice appetitum vel corporis humores sed tantum determinat naturam ad similes effectus producendos. ad reliquas alias obiectiones respondendum est quod tales effectus non producantur per se in distantiis sed tantum per accidens, axioma vero intelligitur de agente quod agit tanquam causa per se.

Explica modum quo magnes trahit probabiliter ferrum distans:
magnes producit per totum medium usque ad ipsum ferrum quali=
tatem aliquam loco motivam vel qualitatem aptam determinare
potentiam loco motivam ad motum quae qualitas in ferro producta
causat motum versus magnetem.
Cur illa qualitas non causat talem motum in aere intermedio?
quia est incapax aer talis motus versus magnetem. Simili modo
explicanda sunt reliqua exempla.
Quomodo praedictum axioma est verum cum si agens inveniat me=
dium habens effectum tam intensum quam agens producere potest
tunc aliquid aget in distans non agendo per medium? non agit.
Quomodo cum tunc agens non possit agere per medium? R. si
illud medium non habeat virtutem conservandi effectum alicunde
in se productum tunc agens poterit adhuc agere in distans agen=
do per illud medium actione conservativa conservando nimirum
effectum ante productum, sic si ignis constituatur in talibus cir=
cumstantiis ut inter ipsum et lignum intercedat aqua summe
calida, tunc ignis poterit producere calorem in ligno distanti
agendo per medium, id est conservando calorem in aqua interme=
dia ante productum.
quod si illud medium habeat ex se virtutem conservandi effec=
tum in se productum? tunc agens distans et totum illud me=
dium poterit considerari per modum unius agentis totalis quod
non poterit agere in distans nisi agendo per medium.
An per deum aliquid non possit agere in distans non agendo per
medium? imo quia in eo nulla est implicantia.
An deus possit agere in distans non agendo per medium? non,
quia respectu dei nihil est distans.
Unde oritur quod nihil possit naturaliter agere in distans non agen=
do per medium? ex naturae lege, secundum quam omnia ita ordi=
nata sunt ut unum non possit agere in alterum nisi illi sit contiguum
tum, vel nisi diffundat similem effectum per totum medium
intercedens inter ipsum et patiens distans.
An ob eandem rationem simile non agat in simile? potest dici quod
sic.
Quomodo recte cum sic secundum naturae legem duo ignes aeque
calidi non possent plus efficere quam unus eorum seorsim
possent.
Quomodo cum non possint plus efficere in aere intermedio inter
utrumque? possunt.
Quomodo cum si uterque eorum ut 8 sit calidus ad octo non possit
producere nisi calorem ad octo? non refert
sic subsumo, atqui unus eorum seorsim etiam potest producere

calorem ad octo? est verum.
infero sed ergo utrumque eorum simul non potest plus producere quam unum eorum seorsim: nego consequentiam, quia licet utrumque eorum non possit producere calorem magis intensum tamen adhuc plus poterunt efficere per hoc quod utrumque eorum citius aget et latius quam unum eorum seorsim.

Utrum praedicta axiomata patiantur Exceptionem in agentibus per antiperistasim.

Quid antiperistasis? Solet communiter sic definiri: est circumstantia contrarii ad suum contrarium cum mutua pugna occasione cuius illud quod intus est magis roboratur.
An illa definitio sit bona? in rigore loquendo non, quia in primis ad antiperistasim non requiritur ut sit mutua pugna inter duo contraria, deinde non requiritur ut contrarium quod intus est magis roboretur.
Defini aliter: est circumstantia alicuius contrarii circa aliquod corpus occasione cuius contrarium priori correspondens vel producitur, vel magis roboratur in illo corpore.
Da antiperistasim: sic datur antiperistasis in aestate quando propter circumstantem aerem calidum circa terram aqua fontana in visceribus terrae existens magis frigescit, item datur antiperistasis in hyeme quando propter circumstans frigus aeris aqua putealis et fontana in terra calescit, item quando ob eandem causam stomachus magis calescit.
Cur non est additum in definitione cum mutua pugna? quia ad antiperistasim non requiritur quod fiat mutua pugna contrariorum, quia contingit saepe quod illa contraria nimis a se mutuo distent ut quando inter aerem et aquam in visceribus terrae existentem intercedit magna pars terrae.
Cur fuit additum contrarium vel producitur vel roboratur? quia fiet antiperistasis si aqua ante frigida ad octo incipiat calefieri propter aerem frigidum terram circumstantem et tamen ibi non roboraretur sed tantum producetur contrarium.
Cur non? quia ut roboraretur per calorem deberet ante habuisse calorem quem tamen ante non habuit ex supposito.
Divide antiperistasim: in naturalem et violentam.
Quid antiperistasis naturalis? est antiperistasis occasione cuius

producitur vel magis roboratur forma contraria intus existens subiecto suo connaturalis. ut quando aqua putealis in estate magis frigescit.

Quid antiperistasis violenta? est antiperistasis occasione cuius producitur vel magis roboratur forma contraria intus existens subiecto suo violenta. talis est quando aqua putealis vel fontana per illam calescit in hyeme.

An quando aqua fontana in estate magis frigescit ob antiperistasim idem agat in se ipsum? non, quia aqua non producit illud frigus actione univoca physica sed gravia sue forme substantialis tunc intendit suum frigus per naturalem resultantiam.

An quando aqua putealis in hyeme magis calescit idem agat in se ipsum? non.

Quomodo non cum aqua actione univoca physica producat illum calorem? non producit.

Quomodo cum non sit alia causa assignabilis? est quia in visceribus terre latent ordinarie occulti spiritus ignei qui in hyeme in maiori copia congregantur circa aquam fontanam, ex eo quod in exteriori superficie terre plurimi meatus sint obstructi propter frigus, et ab illis spiritibus aqua calefit, in estate illi meatus terre per calorem laxantur per quos spiritus illi citius sursum evadunt quibus absentibus reducitur aqua ad maius frigus.

De Reactione et repassione.

An illa vox reactio et repassio distinguantur significatis principalibus? imo.

An illa vox actio et reactio distinguantur significatis principalibus? non, sicut nec voces agens et reagens distinguuntur tamen connotato.

Quid reactio? est actio qua unum agit in aliud quod in ipsum vicissim agit, vel immediate ante egit.

An illud immediate sumatur rigorose? non, sed tantum moraliter, unde illud quod tribus vel quatuor instantibus egit ante alterum dicitur immediate ante egisse prout hic.

Da reactionem: actio qua aqua agit in ignem qui eodem tempore agit vel immediate ante egit in aquam.

Quid reagens? est aliquid agens in aliud quod vicissim in ipsum agit vel immediate ante egit. ut aqua agens in ignem qui vicissim agit in aquam.

An aqua calida agens in aquam frigidam secundum calorem supposito quod aqua ~~calida~~ vicissim agat in calidam secundum frigus

sit reagens? imo prout hic.
Quomodo cum aqua calida a parte rei non producat calorem in aquam frigidam est verum, sed equidem denominatur producere calorem in aquam frigidam, iam autem ad reagens prout hic sufficit quod denominetur agere in alterum etc sive a parte rei sit principium illius actionis sive non.

Da agens non reagens? Ut deus, quia nihil vicissim agere potest in eum.

Quid reagere? est aliquid agere in alterum quod vicissim in eum agit vel immediate ante egit.

Quid repassio? est passio qua aliquid patitur ab altero quod vicissim ab ipso patitur vel immediate ante passum est. Ut passio qua aqua patitur ab igne vicissim ab aqua patiente.

Quid passio? est receptio qua aliquid recipit formam ab aliquo productam.

Quid pati? est recipere in se formam ab aliquo productam.

An id quod patitur, et id a quo idem patitur debeant esse distincta? non, quia aqua producens in se frigus patitur a se ipsa.

An reactio et repassio essentialiter specie distinguantur? distinguuntur si considerentur secundum rationem, si vero spectentur a parte rei tunc non, quia eadem res a parte rei potest esse reactio et repassio, quia v.g. actio qua ignis in aquam producit calorem quae vicissim in ignem producit frigus a parte rei est reactio et repassio, declaratur quia actio illa probabiliter identificatur unioni caloris cum subiecto, passio vero qua aqua ab igne patitur etiam identificatur parti illi unioni, sic a parte rei eadem res est reactio, et repassio.

An reactio et repassio convertantur esse sive consequentia? non, quia potest dari reactio etiamsi eodem tempore non detur repassio et contra, quia sic v.g. actio qua ignis agit in aquam quae nihil de facto agit in aliud, sed immediate ante egit in ignem, est reactio sine repassione.

Quare non datur etiam repassio in igne tunc temporis? quia ignis tunc temporis non patitur ab aqua, sed tantum immediate ante passus fuit.

Quomodo equidem cum eodem tempore existat repassio in aqua patiente? non refert, quia quaestio intelligitur de reactione, et repassione respectu eiusdem.

Quid repatiens? est id quod patitur ab altero quod vicissim ab ipso patitur vel immediate ante passum est. Ut aqua patiens ab igne vicissim ab aqua patiente.

Quomodo se habent reagens et repatiens? utrumque, est ignis agens in aquam quae eodem tempore vicissim in ignem agit,

Da reagens non repatiens: ignis agens in aquam supposito quod aqua

nihil vicissim in ignem agat, sed tantum immediate ante egerit.
Da repatiens non reagens: aqua patiens ab igne supposito quod nihil
de facto in ignem agat, sed immediate ante tantum egerit.
Da patiens quod nullo modo potest esse reagens aut repatiens. R.
sumendo reagens et repatiens late non datur.
Quare tale quod non est res strictae entitatis quae non est activa? tale
probabiliter non datur.
Cur non conceptus et affectus? probabiliter videntur sui cum sub-
iecto sitem praesentius suas realiter superadditas, saltem
perdere elevari possent ad aliquid producendum.
Quare tale quod non est materia prima? illa producit in se quanti-
tatem probabiliter.
Quomodo equidem cum producendo quantitatem non possit esse rea-
gens in aliud? est verum.
Quomodo ergo tamen potest esse reagens et repatiens? quia po-
test esse subiectum alicuius qualitatis activae mediante qua deno-
minatur agere in aliud, hoc vero sufficit ad hoc ut sit reagens quod
denominetur reagere.
Quid repati? est unum pati ab alio quod aliud ab ipso vicissim
patitur vel immediate ante passum est.
Da quod patitur et non repatitur: ut aqua patiens ab igne suppo-
sito quod ignis ab aqua non patiatur vicissim neque immediate ante
passus sit.
Divide reactionem: in reactionem secundum eandem partem, et re-
actionem secundum diversam partem et neutram.
Quid reactio secundum eandem partem? actio qua aliquid agit in
alterum secundum illam sui partem integralem, secundum
quam ab altero vicissim repatitur aut immediate ante passum
est. ut actio qua aqua agit in ignem, secundum illam partem
integralem secundum quam ab igne patitur.
Quid reactio secundum diversam partem? actio qua aliquid agit
secundum ~~integram~~ unam sui partem integralem in alterum, a quo vi-
cissim patitur, secundum aliam sui partem integralem. ut actio
~~secundum~~ qua homo secundum unam manum calidam producit in
aqua calorem sic ut secundum aliam manum patiatur ab eadem
aqua frigus.
Quid reactio neutra? est reactio qua unum reagit in alterum nec
secundum eandem, nec secundum diversam sui partem integralem.
ut reactio qua ignis integraliter indivisibilis reagit in alterum.
reactio dividitur aliter in reactionem secundum eandem contrarie-
tatem, et reactionem secundum diversam contrarietatem.
Quid reactio secundum eandem contrarietatem? est actio qua
unum agit in alterum secundum unum extremum contrarietatis a quo

vicissim patitur vel immediate passum est secundum alterum extremum eiusdem contrarietatis. Ut reactio qua ignis agit in aquam secundum calorem quae vicissim agit in ignem secundum frigus.

Quid reactio secundum diversam contrarietatem? Est actio qua unum agit in alterum secundum unum extremum certae contrarietatis a quo vicissim patitur vel immediate passum est secundum extremum alterius contrarietatis. Ut actio qua ignis agit in aquam secundum calorem quae vicissim agit in ignem secundum humiditatem.

An praedicta divisio sit adaequata? Non si reactio sumatur late sed debet addi tertium membrum quod est reactio neutra id est reactio qua aliquid reagit nec secundum eandem nec secundum diversam contrarietatem

Conformiter dividi potest reagens.

Divide repassionem: in repassionem secundum eandem partem et repassionem secundum diversam et neutram

Quid repassio secundum eandem partem? Est passio qua aliquid patitur ab altero secundum illam sui partem integralem secundum quam in alterum etiam agit vel immediate ante egit. Ut passio qua aqua patitur ab igne secundum illam sui partem integralem qua etiam in ignem agit

Quid repassio secundum diversam partem? Est passio qua aliquid patitur ab altero secundum unam sui partem integralem in quod etiam agit secundum aliam sui partem integralem. Ut passio qua ~~[illegible]~~ sic homo patitur ab aqua secundum unam manum sic ut etiam agat in aquam secundum alteram.

Quid repassio neutra? est passio qua aliquid patitur ab alio sic ut nec secundum eandem, neque secundum diversam partem per illam repatiatur. Ut repassio ignis integraliter indivisibilis

Quid repassio secundum eandem contrarietatem? est passio qua unum patitur ab altero secundum unum extremum contrarietatis sic ut alterum vicissim patiatur vel immediate ante passum sit ab ipso secundum alterum extremum eiusdem contrarietatis. Ut passio qua aqua patitur ab igne secundum calorem qui vicissim patitur ab aqua secundum frigus.

Quid repassio secundum diversam contrarietatem? est passio qua unum patitur ab altero secundum extremum unius contrarietatis sic ut alterum vicissim patiatur vel immediate ante passum sit secundum extremum alterius contrarietatis. Ut repassio qua aqua patitur secundum calorem ab igne vicissim patiente ab aqua secundum humiditatem

Quid repassio neutra ex duabus antedictis? est repassio qua aliquid repatitur ab altero nec secundum eandem nec secundum diversam contrarietatem. Ut ~~actio~~ passio qua aqua patitur ab igne secundum lumen sic ut ignis patiatur ab aqua secundum frigus.

An possit dari reactio, et repassio duorum agentium intrinsece secundum

eandem partem, et eandem contrarietatem? imo, quia experientia constat quod si aqua valde calida in pari quantitate commisceatur aquae valde frigidae se mutuo reducant ad tepiditatem, hoc autem fieri non potest nisi illae duae aquae sibi commixtae secundum easdem partes in se mutuo agant, et etiam a se mutuo patiantur.

An omne agens possit reagere et repati? non, quia non deus.

An omne corpus naturale agens in alterum ab eodem etiam repatiatur? non, quia coelum agit in haec inferiora, et ab illis non repatitur quia coelum non est subiectum capax effectus producibilis ab his inferioribus.

An omne corpus naturale agens in alterum ab eodem repatiatur si sit capax effectus ab eodem producibilis? non, quia potest fieri quod corpus agens in alterum sit extra sphaeram activitatis illius alterius corporis, quia sic ignis positus extra sphaeram activitatis aquae potest agere in aquam, et ab illa non repati, si videlicet aqua sit intra sphaeram activitatis ignis.

Declara hoc posse fieri: quia ignis habet maiorem sphaeram activitatis quam aqua ceteris paribus, et sic aqua poterit esse intra sphaeram activitatis ignis, licet ignis sit extra sphaeram activitatis aquae.

Quaenam requiruntur ad hoc ut duo agentia possint in se mutuo agere? in primis ut utrumque sit activum saltem per accidens, secundo ut utrumque sit capax effectus ab altero producibilis, tertio ut utrumque sit intra sphaeram activitatis alterius, quarto ut utriusque activitas superet resistentiam passivam alterius.

Cur dictum est, ut utrumque sit activum saltem per accidens? quia non requiritur ut sit activum per se, aqua enim calida et frigida sunt sufficienter activae ut in se agant, et tamen aqua calida est tantum activa per accidens.

An duo corpora distantia possint agere in se invicem secundum eandem partem? imo

Quomodo cum tunc medium inter illa intermedium deberet simul moveri contrariis motibus? hoc in primis non est necesse si illa agentia agant in se mutuo secundum eandem partem sed diversam contrarietatem.

Declara in exemplo: quia sic ignis poterit agere in aquam distantem secundum calorem, et aqua in ignem secundum humiditatem, licet medium non moveatur contrariis motibus.

An duo corpora naturalia distantia possint agere in se mutuo secundum eandem partem et contrarietatem? imo

Quomodo cum tunc medium inter illa intermedium deberet moveri contrariis motibus? distinguo, deberet sic moveri acquirendo simul duas formas contrarias in gradibus intensis, sic negatur, acquirendo duas formas contrarias ambas in gradu remisso, vel unam in gradu intenso, et alteram in remisso, sic transeat, in eo enim nullum est inconveniens, quia duae formae contrariae possunt eidem proximo subiecto inesse in gradibus remissis, et etiam una in gradu remisso, et altera in gradu intenso.

Da exemplum in quo duo corpora naturalia sic distantia poterunt

agere: sit sic medium inter illa duo corpora nec habet gradum ullius
formae contrariae, nec ullum gradum alterius, poterunt illa duo cor:
pora agere in illud, sic medium interiacens, unum scilicet producendo
unum gradum ullius formae contrariae, et alterum producendo etiam
unum gradum alterius formae contrariae.
An agens calidum, et agens frigidum a se mutuo distantia possint
agere in se mutuo? imo
Quomodo cum sic idem medium debeat simul moveri ad frigus et ad
calorem saltem in gradibus remissis? transeat.
Quomodo cum idem medium non possit sic simul moveri? potest sic
secundum diversas sui partes.
An idem medium non possit simul moveri ad frigus, et ad calo:
rem secundum eandem suae partem integraliter indivisibilem? non, [...]
quidem in gradibus remissis iuxta praesentem rerum statum, quia
omne subiectum capax frigoris, et caloris habet semper exple:
tam totam suam capacitatem vel per unum extremum contrarie:
tatis summe intensum vel per utrumque simul certo modo interse
commixtum. hoc est dictum, quodlibet subiectum capax talium
formarum habet semper octo gradus qui vel sunt unius formae
contrariae seorsim vel qui sunt tales ut aliqui sint unius formae,
et aliqui alterius, iam autem si hoc ita sit non poterit simul unquam
introduci et unus gradus caloris, et unus gradus frigoris in idem
indivisibile subiectum, iam autem quando introducitur unus gradus
caloris tunc debet necessario expelli unus gradus frigoris ad hoc
ut non sint plures gradus quam octo istius contrarietatis in eodem
subiecto, si unus debeat expelli, ergo multo minus poterit produci
unus gradus frigoris cum gradu caloris simul.
An interim tali casu duo corpora naturalia quorum unum est
calidum et alterum frigidum non poterunt agere in se mutuo distan:
tia etiam secundum eandem partem? imo. si nimirum moveant me:
dium interiacens partim ad calorem partim ad frigus secundum
diversas eius partes.
Iam modum quo hoc potest fieri: hoc modo: A ut calidum corpus
ad octo poterit producere calorem ad septem in puncto medii sibi
vicino, et calorem ad sex in puncto secundo, calorem ad quinque
in tertio, in quarto autem puncto poterit reperire calorem ad quatuor
aliunde productum, in quinto puncto calorem ad tria, in sexto ca:
lorem ad duo, in septimo calorem ad unum. corpus autem frigi:
dum ab opposita parte existens poterit producere in puncto sibi
vicino, id est puncto septimo secundum priorem computationem
frigus ad septem, puncto sexto frigus ad sex, puncto quinto frigus
ad quinque, in quarto vero puncto poterit etiam reperire frigus
ad quatuor aliunde productum, in tertio puncto frigus ad tria,
in secundo ad duo, in primo ad unum. tunc corpus calidum medián:
tibus septem illis punctis cum proportione caloris, et corpus fri:
gidum ab altera parte mediantibus iisdem punctis cum certa
[...]

proportione frigidis poterunt agere in se mutuo secundum easdem partes quoad calorem et frigus.

An agens possit in alterum agens producendo qualitatem tam intensam quam ipsum habet? imo.

Quomodo cum illud agens debeat deperdere aliquid de sua qualitate propter reactionem patientis? si patiens tum immediate ante egerit in ipsum agens tunc non est necesse quod eo tempore quo agens reagit deperdat aliquid propter reactionem patientis, quia reactio patientis tunc non existit, sed immediate ante tunc tantum extitit.

An unum ex duobus agentibus in se mutuo possit in altero producere qualitatem summe intensam? imo si agant secundum diversam contrarietatem.

Quid si agant in se mutuo secundum eandem contrarietatem, et secundum eandem partem? adhuc poterit.

Quomodo cum tali casu unumquodque eorum debeat aliquem gradum suae qualitatis deperdere? est verum sed non refert.

Quomodo ergo poterit producere qualitatem summe intensam? ~~quia minime tamen~~ licet perdiderit aliquem gradum suae qualitatis, poterit tamen postea intendere per naturalem resultantiam suam qualitatem usque ad summum gradum, quando patiens erit sufficienter debilitatum, et tunc poterit in patiente producere qualitatem summe intensam.

An reactio et repassio libero respectu considerata convertantur in essendi consequentia? imo, quia posita reactione ponitur repassio vel in eodem, vel saltem in aliquo alio, et posita repassione ponitur reactio.

De axiomate: actio non sequitur nisi a proportione maioris inaequalitatis.

Quid proportio? sumitur late ut sit idem quod habitudo

Quid proportio maioris inaequalitatis? est proportio quae est maior inaequalitas.

Quid inaequalitas prout hic? sumitur late ut sit idem quod relatio consistens inter aliqua orta ex eo quod unum excedat alterum.

Quid inaequalitas maior? est inaequalitas tenens se ex parte excedentis alterum. ut inaequalitas qua calidum ad sex est inaequale calido ad duo.

Quid inaequalitas minor? est inaequalitas tenens se ex parte excessi ab altero. ut inaequalitas calidi ad duo respectu calidi ad sex.

Quid actionem sequi prout hic? est actionem actu egredi a suo
principio.
Da sensum istius axiomatis: actio non egreditur ab agente nisi ac=
tivitas agentis superet resistentiam passivam patientis, si quidem
talem habet, quod additur quia potest fieri quod patiens nullam ha=
beat resistentiam sicut purus aer nullam habet resistentiam res=
pectu luminis in se producendi.
Quid resistentia? est impeditio qua unum impedit actionem alterius
Divide illam: R. in positivam et negativam.
Quid resistentia negativa? est impeditio qua unum impedit actionem
alterius per hoc quod sit incapax effectus ab altero producendi. ut
resistentia qua coelum lunae resistit igni quatenus calefactivus est.
Quid resistentia positiva? resistentia qua aliquid resistit alteri aliter
quam per hoc quod sit incapax effectus ab alio producibilis
Divide resistentiam positivam: in activam et passivam.
Quid resistentia positiva activa? est resistentia positiva qua aliquid
resistit alteri diminuendo activitatem ipsius. ut resistentia qua
ignis resistit aquae diminuendo activitatem aquae.
Quid vero illa resistentia? est actio qua ignis in aqua producit calo=
rem, et per consequens causat destructionem aliquorum graduum
frigoris.
Quid resistentia positiva passiva? est resistentia positiva qua ali=
quid resistit alteri aliter quam diminuendo activitatem eius. ut
resistentia qua lapis resistit divisioni sui, item resistentia qua
lapis motaus resistit elevationi sui.
Quid vero illa prior resistentia? est conservatio unionis inter partes
integrales lapidis.
Quid vero posterior illa resistentia? est conservatio praesentiae la=
pidis ad locum inferiorem.
An si daretur subiectum quod tantum esset capax unius gradus ca=
loris, vel unius gradus frigoris quorum neutrum de facto haberet;
et si ipsi applicaretur frigidum ad unum et calidum ad unum quid
in tali subiecto tunc produceretur? si utrumque esset aequaliter
applicatum neutrum produceretur scilicet nec gradus frigoris,
nec gradus caloris, quia non est maior ratio pro uno quam pro
altero.
An ergo frigidum tunc resisteret calido et econtra? imo.
Qualis resistentia an activa an passiva? potest dici esse activa
saltem aequivalenter, quia utrumque diminueret activitatem alterius salte=
tem in tantum in quantum suspenderet influxum illius activi=
tatis in suum effectum producendum in subiecto hic et nunc dis=
posito.
Quomodo vero cum sic etiam resistentia qua lapis motaus resistit

elevationi sui deberet dici activa? non debet.
quando non enim ille lapis hic et nunc impediat quominus manus possit producere elevationem lapidis, est verum.
Cur ergo similiter non est resistentia activa, sicut ante? disparitas est in eo quod lapis ille non sit subiectum sufficienter dispositum ad hoc ut per manum possit elevari, in alio vero casu subiectum erat sufficienter dispositum. Sic autem activitas potest commode dici diminui quando hic et nunc non potest producere effectum in subiecto debite applicato et disposito quem tamen ante producere poterat, modo tamen virtus sua non totaliter extinguatur.
An quando aliquid resistit alteri destruendo integram activitatem suam tunc resistat positive? imo. Unde diminuere similiter ibi late.
An illud axioma sit universaliter verum? imo, intelligendo per resistentiam patientis resistentiam passivam ut ante dictum est.
An si intelligatur quod actio non egrediatur a principio nisi activitas agentis superet resistentiam activam patientis, an tunc sit universaliter axioma verum? non, quia una gutta aquae potest agere in magnum ignem saltem aliqualiter, et tamen sua activitas non superat resistentiam activam ignis. Erit tamen universaliter verum si intelligatur de actione victoriosa.
Quid actio victoriosa? actio qua unum agens tam fortiter agit in alterum ut alterum in se convertat. Ut actio qua ignis ita agit in lignum ut fiat ignis.
An per proportionem inaequalitatis non possit intelligi vera proportio? imo. Da illam: ut proportio consistens inter excessum quo activitas agentis excedit resistentiam passivam aptitudinalem, seu in actu primo consideratam patientis, et excessum quo actio actu egrediens ab agente superat resistentiam passivam actualem, seu in actu secundo consideratam patientis.

De Sphaera activitatis

Quid sphaera activitatis? est spatium determinatum protensum ab agente per quod agens potest actionem suam diffundere.
Quid spatium determinatum? est spatium finitae extensionis.
Quid spatium protensum ab agente? est spatium agenti contiguum et inde ulterius extensum ita ut aliquid possit esse in alio spatio et agenti non contiguum.
An omne spatium existens extra agens sit sphaera activitatis agentis? non, quia spatium existens Romae non est sphaera activitatis respectu ignis existentis Lovanii.

Cur dicitur manens immotum? quia alias deberet dici quod
parva pars ignis Romae existens haberet sphaeram activitatis
usque Romam, quia illa pars potest diffundere suam actionem usque Ro-
mam si elementum non manebat immotum, sed movetur eo usque.
Quid agens actionem suam diffundere? est agens per diversas
partiales actiones producere diversos partiales effectus in diver-
sis partibus passi.
An si punctum materiae primae esset replicatum per decem punc-
ta spatii, et ignis successive produceret in illo puncto in diver-
sis punctis spatii existente calorem, an ignis actionem suam
non diffunderet? imo.
Quomodo cum non produceret diversos partiales effectus in diver-
sis partibus passi? produceret adhuc in diversis partibus passi
virtualibus.
An omne agens agat per sphaeram activitatis? non, quia non Deus,
quia Deus non habet spatium a se protensum.
An omne agens creatum agat per sphaeram activitatis? non
quia non agens immanenter.
An omne agens actione transeunte agat per sphaeram activitatis?
non, quia non tale agens per spatium indivisibile.
An tale agens per spatium divisibile necessario agat per sphaeram
activitatis? non, quia si hoc non agat per spatium divisibile secundum
omnes partes sibi contiguum.
Da tale: ut punctum ignis agens per circulum spatii secun-
dum omnes partes sibi contiguum.
Quare tale non agit per sphaeram activitatis? quia non agit per
spatium ab agente protensum.
Quomodo agens agit per sphaeram activitatis? uniformiter, diffor-
miter.
Quid actio uniformis? est actio qua producitur effectus aequalis
perfectionis intensivae in omnibus partibus passi. ut actio qua
ignis producit in singulis punctis spatii sibi contiguis calorem
ad octo.
Quid actio difformis? est actio qua producitur effectus inaequa-
lis perfectionis in aliquibus partibus passi.
Da talem: ut actio qua ignis in producit punctis a se sibi vicinis
calorem ad octo, et in punctis remotioribus calorem ad septem.
Quid agere uniformiter? est producere effectum aequalis per-
fectionis in omnibus partibus passi.
Quid agere difformiter? est producere effectum inaequalis intensionis
in aliquibus partibus passi. ut ignis in partibus vicinioribus pro-
ducens calorem ad octo, et remotioribus calorem ad septem.

Da quod agit nec uniformiter nec difformiter: agens producens effectum indivisibilem inaequaliter.

Da talem producens effectum divisibilem inaequaliter: ignis producens calorem ad quatuor in unico puncto materiae, prius non replicato, et generatim agens producens effectum extra omne subiectum.

Quid uniformitas actionis uniformis? est relatio consistens inter diversas partiales actiones quibus producitur effectus in diversis partibus passi, orta ex eo quod per illas producatur effectus aequalis intensionis in omnibus partibus passi.

Da extrema proxima illius uniformitatis: plures partiales actiones ante dictae.

Quid difformitas actionis difformis? relatio consistens inter plures partiales actiones quibus producuntur partiales effectus in diversis partibus passi orta ex eo quod per illas producantur effectus inaequalis intensionis in diversis partibus passi.

Da extrema proxima illius difformitatis: Illae plures partiales actiones.

Divide actionem difformem: in actionem uniformiter difformem et actionem difformiter difformem.

Quid actio uniformiter difformis? est actio qua producitur effectus inaequalis intensionis in partibus passi partim vicinioribus partim remotioribus ab agente servata proportione maioris vel minoris distantiae illarum ab agente.

In quo consistit illa proportio distantiae? loquendo de actionibus uniformiter difformibus quales ordinarie dantur consistit in hoc quod quo effectus per actionem talem productus est vicinior agenti eo sit intensior, et quo est remotior eo sit remissior.

Cur dicitur loquendo de actionibus quae ordinarie dantur? quia in aliis actionibus uniformiter difformibus potest dari proportio distantiae opposita priori.

Da exemplum: ut actio Xy qua ignis in puncto sibi vicino produceret calorem ad unum, in puncto secundo calorem ad duo, in puncto tertio magis distanti calorem ad tria et sic consequenter esset uniformiter difformis.

Quid uniformitas actionis uniformiter difformis? est similitudo difformitatum qua difformes sunt plures partiales actiones quibus producitur effectus inaequalis intensionis in diversis partibus passi orta ex eo quod inter illas servetur proportio maioris vel minoris distantiae ab agente.

Quid actio difformiter difformis? est actio qua producitur effectus inaequalis intensionis in diversis partibus passi partim vicinioribus partim remotioribus ab agente non servata proportione maioris vel minoris distantiae ab agente. ut actio qua ignis in puncto sibi vici

nissimo produceret octo gradus caloris, in puncto sequenti sex, in puncto ulteriori septem.

Quid difformitas actionis difformiter difformis? est dissimilitudo difformitatum diversarum actionum partialium quibus producitur effectus inaequalis intensionis in partibus passi partim vicinioribus partim remotioribus orta ex eo quod illae illas non servant pro portione maioris vel minoris distantiae illarum ab agente.

Da extrema proxima illius difformitatis? sunt plures illae difformitates actionis ante dictae.

Da extrema proxima uniformitatis uniformiter difformis? sunt difformitates in definitione istius uniformitatis assignatae.

An omne agens per sphaeram activitatis agat uniformiter difformiter per illam? imo, intelligendo de agente quod non est inaequalis activitatis secundum diversas sui partes, et intelligendo sublatis impedimentis.

Cur additur primum? quia si secundum aliquas sui partes sit inaequalis activitatis potest agere non uniformiter difformiter, quia si verbi gratia aqua secundum partem sui septentrionalem sit frigida ad sex et secundum partem sui australem sit frigida usque ad octo producet in partibus passi aeque distantibus frigus inaequalis intensionis et sic non aget uniformiter difformiter.

Cur dicitur sublatis impedimentis? quia positis impedimentis potest agere non uniformiter difformiter etc.

Unde oriri possunt illa impedimenta? per hoc quod in aliquam partem sphaerae activitatis agentis ponatur aliquid incapax effectus tam intensi quam produceret agens in illa distantia sublatis impedimentis quia sic si ab una parte ignis ponatur aqua summe frigida, ab alia parte aer, ignis non aget uniformiter difformiter.

Da casum quo agens per sphaeram activitatis producit actionem uniformem totaliter: sit si aer vicinus igni in illa parte spatii qua ignis solet producere calorem ad octo, habeat ante calorem ad septem, et in illa parte qua ignis solet producere calorem ad septem habeat illum ad sex, et in illa in qua solet producere calorem ad sex habeat calorem et quinque et tunc ignis in singulis illis partibus producet tantum unum gradum caloris, et sic aget uniformiter.

Quid agere uniformiter difformiter? est agere actione uniformiter difformi.

Quid agere difformiter difformiter? est agere actione difformiter difformi.

Da duo agentia aequaliter extensa, et habentia qualitatem aequaliter intensam et extensam quorum unum agit magis extense per sphaeram quam alterum? duo agentia aequalis extensionis et habentia qualitatem aeque intensam et extensam quorum unum est densius quam alterum verbi gratia pars ignis faecalis in loco suo naturali, et pars

ignis predalis hic in terra?
Quaenam ex illis duobus est densius: pars ignis predalis hic in terra?
An sphaera replicationis angelicae sit sphaera hic definita? non quia angelus per talem sphaeram agens non manet immotus?
An agens per sphaeram in singulis punctis spatii remotioribus et remotioribus producat qualitatem minus et minus intensam? non est necesse licet etiam tollantur impedimenta quia v.g. ignis sublatis impedimentis potest producere calorem ad octo in duobus punctis spatii quorum unum est igni vicinius quam alterum.
Unde hoc colligitur? quia si hoc non posset fieri tunc ignis non posset agere nisi per octo puncta spatii a se diffundendo actionem quia in primo puncto posset tantum producere calorem ad octo, in secundo ad septem etc. in octavo ad unum.
quomodo agentia generaliter possunt producere qualitatem aeque intensam in duobus punctis spatii quorum unum est agenti vicinius quam alterum? agentia per sphaeram mediante qualitate sibi connaturali quod additur quia licet aqua v.g. supponatur calida ad octo tantum poterit producere calorem ad octo in corpore sibi plane contiguo, et non in distanti quia calor ille non est aquae connaturalis.
An hoc sit certum quod etiam possit producere calorem ad octo in puncto spatii sibi plane contiguo? verisimilius est quod non, nisi in productione illius caloris adiuvetur ab alio agente v.g. igne.
qualem ergo calorem aqua calida ad octo verisimilius producere tantum potest in puncto spatii sibi plane contiguo? calorem ad septem alias enim non esset ratio cur si produceret calorem ad octo, ille calor ad octo rursum non produceret alium calorem ad octo, et sic in infinitum.
quam habitudinem dicit obliquus activitatis cum dicitur sphaera activitatis? consideratae per accidens ad mensuram.
Da terminum activitatis agentis? ipsa actio quae ab agente vi activitatis eius dimanare potest.
An non possit sustineri quod agens diminuat suum effectum etiam ad minimas distantias maiores quam erant ante distantiae quibus minores distabant partes sphaerae viciniores? imo si dicamus quod non detur terminus in intensione formarum, sed quod possint augeri intensive in infinitum.

Proprietates
agentis et patientis

Da primam: patiens est potestate tale quale agens est actu.
Quid esse potestate tale? est posse recipere qualitatem eiusdem speciei cum illa quam habet alterum ad quod comparatur.
Quid esse actu tale? est de facto habere qualitatem eiusdem speciei cum illa quam habet alterum ad quod comparatur.
Da sensum proprietatis: patiens potest recipere qualitatem eiusdem speciei cum illa quam agens de facto habet.
Quale agens hic intelligitur? agens univocum.
An non possit intelligi agens aequivocum? imo, si hic sensus sit proprietatis: patiens potest recipere qualitatem eiusdem speciei cum illa quam agens de facto habet vel formaliter vel saltem virtualiter.
Quid significat principaliter illa vox tale? similitudinem.

Da secundam proprietatem: patiens non partim pati, et partim non pati, sed universum pati natum est.
Quid partim pati? est pati secundum aliquam partem integralem sui.
Quid partim non pati? est secundum aliquam sui partem integralem non pati.
Quid universum pati? est pati secundum omnes suas partes integrales.
Da sensum proprietatis: patiens non tantum est natum pati secundum aliquam sui partem integralem et secundum aliquam non, sed etiam secundum omnes sui partes integrales pati natum est.
An patiens semper patiatur ab agente secundum omnes sui partes integrales? non, quia non tunc quando non est secundum omnes suas partes integrales intra sphaeram activitatis agentis, item quando secundum aliquam partem integralem est iam simile agenti.

Da tertiam proprietatem: patiens magis minusque pati natum est quatenus est magis minusque tale.
Quid magis tale? est habere plus qualitatis quam alterum ad quod comparatur.
Quid esse minus tale? est habere minus qualitatis quam alterum ad quod comparatur.
Quid magis pati? est recipere plus formae ab agente quam alterum ad quod comparatur.
Quid minus pati? est recipere minus formae ab agente quam alterum

ad quod comparatur
An magis tale et minus tale accipiantur hic sicut ante definivimus? non
Quid ergo magis tale prout hic? est id quod est magis simile physice alicui quam unum aliud ad quod comparatur. Ut calidum ad sex est sive magis tale quam calidum ad quatuor respectu calidi ad octo.
quando dicitur aliquid magis simile physice prout hic? quando habet qualitatem eiusdem speciei cum qualitate alterius sic ut qualitas eius magis accedat ad numerum graduum intensivorum qualitatis alterius quam qualitas alicuius tertii ad quod comparatur.
Quid minus tale prout hic? est id quod est minus simile physice alicui quam unum aliud ad quod comparatur.
Quando dicitur aliquid esse minus simile physice prout hic? quando habet qualitatem eiusdem speciei cum altero ad quod comparatur sic ut illa qualitas minus accedat ad numerum graduum intensivorum qualitatis alterius quam qualitas unius tertii ad quod comparatur.
Da sensum proprietatis, patiens tanto plus formae ab agente recipere natum est quanto est minus ipsi simile, et tanto minus formae ab eodem recipere natum est quanto magis est ipsi simile.
An possit dari alius sensus proprietatis? ille colligitur ex dictatis.
Da aliam proprietatem: continuum summe existens affectionis est expers.
Quid continuum? idem quod simile physicum.
Quid affectio? idem quod passio.
Da sensum proprietatis: simile physicum non patitur a simili physico, atque idem a se ipso

An detur

mixtio

Proba dari mixtionem: probatur ex generatione animalium imperfectorum tempore veris, quia illa videntur generari ex commixtione diversorum elementorum scilicet aquae cum terra vel saltem ex commixtione aliquorum corporum mixtorum.
proba alia ratione: quia quatuor elementa habent qualitates inter se repugnantes per quas in se invicem possunt agere, et se invicem destruere, ac proinde in tantum poterunt se invicem alterare ut inveniatur dispositio sufficiens ad introductionem formae mixti.
An mixtio quae fit in corporibus mixtis fiat ex elementis? potest dici quod sic.
Quomodo enim elementa in generatione corporis mixti corrumpantur?

hoc non est certum, licet tamen ita esset nihil referret.
Quomodo ergo poterit dici fieri mixtio ex elementis si corrumpantur?
hoc equidem poterit dici hoc sensu, nimirum quod fiat mixtio ex ele-
mentis saltem virtualiter in mixto permanentibus.
Quomodo manent elementa in mixto? est duplex sententia proba-
bilis, una dicens elementa manere formaliter in mixtis,
altera dicens elementa non manere formaliter in mixtis,
sed tantum potentia et virtute. sed posterior sententia est
communior.
Quid elementa manere formaliter in mixtis? est elementa manere
in mixtis secundum suam formam substantialem.
proba aliquo argumento elementa manere formaliter in mixtis; quia
in corpore mixto animadvertuntur diversi effectus qui solent pro-
cedere a formis substantialibus diversorum elementorum, ergo in
mixto sunt formae substantiales diversorum elementorum.
proba antecedens; quia in mixto sentitur calefactio, item pro-
ductio alicuius frigoris, levitatis vel gravitatis, et similia.
quid respondendum contra illud pro oppositam sententiam? R quod illi
effectus satis produci possint a virtutibus diversorum elementorum
tantum in mixto remanentibus.
Da aliud argumentum; in combustione ligni viridis fit separatio
quatuor elementorum in propria forma existentium, ergo ele-
menta illa fuerunt in ligno viridi ante secundum propriam for-
mam substantialem.
proba antecedens: quia elementum terrae abit in cineres, aqua late-
raliter effluit, aer in fumum, et ignis in flammam abscedit, ergo
separantur in propriam formam?
Quid respondendum ad illud pro oppositam sententiam? quod vel non elementa
illa quatuor sint proprie dicta elementa vel quod de facto gene-
rentur in corruptione mixti vel quod aliquam parte generentur ex
igne, et aliquam partem ante fuerint, sed non tanquam pars
ipsius mixti, verum tanquam aliquid latens in poris mixti, sicut
spiritus animales et humores quidam aquei latent in poris ani-
malium.
Da argumentum pro posteriori sententia? elementa in generatione
corporis mixti perdunt dispositiones requisitas ad suam formam sub-
stantialem, ergo non manent in mixto secundum suam formam
substantialem.
proba antecedens: quia qualitates elementorum in mixto reducuntur
ad quandam mediocritatem, iam vero forma elementorum pro con-
naturali dispositione requirit unam qualitatem primam in summo
et alteram in excellenti, ergo perdunt naturalem dispositionem
suae formae.
Quidnam opponi posset argumento iam allato? R obiici potest quod
ad perseverantiam formae elementi non requiratur totalis illa dis-

positio quae requiruntur ut elementum sit in statu suo perfecto naturali.
declara in exemplo: patet in aqua notabiliter calida, item in vapore educto ex aqua.
Quomodo illa difficultas opposita solui debet? dicendo quod hoc non posset ita fieri in corpore mixto sicut fit in aqua calida et vapore, quia in corpore mixto illae qualitates permanenter manent sic reductae ad mediocritatem, hoc vero non fieret si forma substantialis elementi maneret in mixto sicut forma substantialis aquae manet in aqua calida quia sicut aqua calida conatur se reducere ad pristinam frigiditatem per suam formam substantialem adhuc perseverantem, ita forma substantialis elementi conaretur reducere elementum ad pristinam qualitatem si in mixto perseveraret, alias falsum est illud axioma, quod nullum violentum sit perpetuum.
An supposito quod elementa maneant formaliter in mixto, mixtum sit ens unius naturae? imo
Quomodo cum mixtum tunc includat plura corpora naturalia specie distincta? non includit sic plura corpora naturalia specie distincta quin saltem mixtum maneat eiusdem speciei moraliter loquendo prout includit unum, et prout includit alterum.
Quomodo cum plures formae substantiales specie distinctae constituant plura corpora naturalia specie distincta etiam moraliter? distinguo, plures formae substantiales ultimae sic constituunt, sed non plures formae substantiales non ultimae.
Quid forma substantialis ultima? est forma substantialis quae dat ultimum complementum corpori naturali ad hoc ut constituatur in tali vel tali specie corporis naturalis.
Cur ergo forma substantialis elementi non est forma substantialis ultima corporis mixti? quia non dat ultimum complementum corpori mixto etc.

Diuisio mixtionis et quid sit mixtio.

Diuide mixtionem: in accidentariam et substantialem.
Quid mixtio accidentaria? est coniunctio qualitatum primarum repugnantium in eadem materia prima.
Diuide mixtionem accidentariam: in perfectam, et imperfectam dispositio
Quid mixtio accidentaria perfecta? est mixtio accidentaria quae est sufficiens

ad introductionem formæ substantialis corporis mixti. Ut mixtio accidentaria sufficiens ad hoc ut in materiam introducatur forma substantialis ranæ dum generatur ex putrefactione.

Quid mixtio accidentaria imperfecta? est mixtio accidentaria quæ non est dispositio sufficiens ad introductionem formæ substantialis corporis mixti. Ut mixtio caloris ad quatuor ~~primam~~ cum frigore ad quatuor in aqua tepida.

Mixtio substantialis generaliter est unio materiæ primæ mixtilium formæ substantiali corporis mixti.

Quid mixtio secundum aristotelem? est mixtilium alteratorum unio.

Qualia mixtilia hic intelliguntur? mixtilia prima

Quid mixtilia prima? sunt mixtilia non composita ulterius ex aliis mixtilibus. Ut omnia et sola elementa.

Quid mixtilia alterata? sunt mixtilia mutata in suis affectibus quæ aut contrariæ sunt aut inter contrarios medii aut ex hisce mixti. Ut aqua et terra mutata a frigore ad calorem.

Qualis unio hic intelligitur dum dicitur alteratorum unio? unio physica.

pro qua unione physica fit hic verificatio? pro unione physica materiæ primæ mixtilium alteratorum cum forma substantiali corporis mixti.

Quomodo cum talis unio non sit mixtilium alteratorum unio? est talis.

Quomodo cum mixtilia alterata non maneant actu existentia in mixto secundum communiorem sententiam? est verum.

Quomodo ergo dari potest illorum unio in mixto? R. datur saltem illorum unio secundum partem, nempe secundum materiam primam istorum hoc vero sufficit prout hic ut detur unio mixtilium alteratorum.

Da extrema proxima illius unionis? natura materiæ primæ mixtilium alteratorum, et natura formæ substantialis corporis mixti.

Da sensum totius definitionis? mixtio est unio physica qua mixtilia prima alterata saltem gratia suæ materiæ primæ in mixto permanentis uniuntur formæ substantiali corporis mixti.

An per unionem non possit hic intelligi unio integralis? imo.

qualis tunc erit sensus definitionis? R. mixtio aristotelica est unio integralis qua mixtilia prima alterata saltem secundum substantias primas uniuntur integraliter in mixtio.

Quomodo hic sumitur mixtio an verbaliter an nominaliter? nominaliter.

An possit sumi verbaliter pro actione? imo, si per unionem intelligatur unitio id est actio terminata ad unionem iam ante explicatam.

distinguas subiectum proximum mixtionem nominaliter sumptam, et mixtionem actionem: subiectum proximum mixtionis nominaliter sumptæ est natura materiæ primæ mixtilium alteratorum, et natura

formę substantialis corporis mixti, supposito quod unio physica teneat se tam ex parte materię quam ex parte formę substantialis; si vero unio teneat se tantum ex parte alterius illorum, tunc natura alterius illorum est subiectum proximum; subiectum vero proximum mixtionis actionis consideratę secundum suam rationem est ipsa mixtio nominaliter sumpta, quia illa est terminus mixtionis actionis, sicut vero generatio terminus actionis est subiectum actionis, si illa actio consideretur secundum rationem.

Cur dicitur si consideretur etc.? quia si mixtio actio consideretur prout est a parte rei, tunc nihil est aliud quam ipsamet mixtio nominaliter sumpta, generatum eius actio terminata ad primum modum est a parte rei ipse primus modus, ad quem terminatur.

Distinguitur ergo subiectis proximis mixtionem nominaliter sumptam et mixtionem actionem consideratam prout est a parte rei? non distinguuntur, quia ut ante dictum est, illa duo sunt una et eadem res a parte rei, ac proinde habent unum et idem subiectum.

Quotuplex mixtio sumpta pro mutatione? duplex, scilicet semel pro conversione, et semel pro generatione.

Quid mixtio mutatio sumpta pro generatione? est transitus materię primę mixtibilium alteratorum a privatione formę substantialis mixti ad illam formam substantialem mixti.

Quid mixtio mutatio sumpta pro conversione? est transitus materię primę mixtibilium alteratorum a forma substantiali illorum mixtibilium ad formam substantialem mixti.

Distinguitur subiectis proximis mixtionem nominaliter sumptam et mixtionem sumptam pro mutatione: subiectum proximum mixtionis sumptę pro mutatione est natura materię primę mixtibilium alteratorum; subiectum vero proximum adęquatum mixtionis nominaliter sumptę est natura materię primę mixtibilium alteratorum et natura formę substantialis, si minimum unio physica proxime se teneat ex parte utriusque extremi.

Quid si teneat tantum ex parte formę substantialis? tunc subiectum proximum erit natura formę substantialis tantum; si vero se teneat tantum ex parte materię primę, tunc mixtio nominaliter et mixtio mutatio non distinguuntur subiectis proximis.

Distinguitur subiectis proximis mixtionem mutationem et alterationem mixtibilium: si quantitas distinguatur realiter a materia prima, tunc subiectum proximum alterationis est quantitas materię primę mixtibilium alteratorum, et subiectum proximum mixtionis mutationis est natura materię primę illorum; si vero quantitas identificatur naturę materię primę, tunc non distinguuntur subiectis proximis.

An illa definitione mixtionis continetur mixtio corporis mixti

ex pluribus corporibus mixtis? non, sed excluditur per particulam mixtilium, quia per illam particulam intelliguntur mixtilia prima iam vero plura corpora mixta non sunt mixtilia prima.
Excludi ab illa definitione mixtio unius corporis mixti ex uno tantum elemento? per illam particulam etiam mixtilium, siquidem sumatur vox in numero plurali.
Quid si non sumatur vox in plurali numero? tunc etiam talis mixtio continebitur definitione.
Excludi ab aliqua definitione mixtionem corporis mixti ex duobus elementis, et duobus corporibus mixtis? per illam particulam mixtilium.
Quomodo cum illa mixtio sit etiam mixtilium primorum alteratorum unio? non est prout hic, quia non est mixtilium primorum tantum

De Mixtili

Quid mixtile? est corpus quod in alterum agere et ab eodem pati natum est, sic ut utrumque propriam formam amittendo transeat in idem tertium.
Da genus definiti? corpus naturale
Quid ibi agere? est agere actione physica corruptiva.
Quomodo cum ponatur definitum in definitione, ergo, quia agere in definitione positum sumitur late prout vero est definitum sumitur stricte.
Quid actio physica corruptiva? est actio physica qua producitur forma dispositiva ad corruptionem sui subiecti. ut actio qua calor producitur in aqua.
Quid pati prout hic? est pati ab agente actione physica corruptiva ut sic [illegible]
Quid passio hic? est receptio qua aliquid recipit formam ab agente dispositivam ad corruptionem sui subiecti. ut receptio qua aqua recipit calorem productum ab igne.
An illa definitio sit definitio ordinaria? non, sed tantum est definitio passionis qualis hic intelligitur.
Qualis forma hic intelligitur quando dicitur, sic ut utrumque propriam formam amittendo? forma substantialis.
Quomodo cum mixtilia non possint amittere propriam formam substantialem? distinguo mixtilia manentia existentia non possunt amittere suam formam substantialem, sed mixtilia desinentia possunt certo sensu amittere formam substantialem.

Quid duo corpora naturalia transire in idem tertium? est duo corpora naturalia transire in aliquod idem, corpus naturale specie distinctum ab utroque. significatur hic per idem identitas numero realis.

An coelum sit mixtile? non, quia coelum non potest pati corruptive ab altero.

Quid pati corruptive? est sic pati ab agente ut ab eo recipiat formam dispositivam ad corruptionem sui subiecti.

Excludit materiam primam a definitione mixtilis per genus definiti quod est corpus naturale.

Da mixtile in non mixtili: ut aqua in composito ex aqua et frigore.

Divide mixtile: in mixtile primum et mixtile secundum.

Quid mixtile primum? est mixtile quod est corpus simplex ut omnia et sola elementa

Quid mixtile secundum? est mixtile quod est corpus mixtum.

Da corpus sublunare quod nec est mixtile primum nec mixtile secundum: non datur.

Da primam conditionem mixtilium: mixtilia debent esse inter se mutuo activa, et a se mutuo passiva.

Quali actione et passione debent esse inter se mutuo activa et passiva? actione et passione physica corruptiva.

An illa conditio sit plane necessaria mixtilibus? imo, ut patet ex definitione mixtilis.

Da secundam conditionem: mixtilia debent esse quodammodo virtute paria.

Quando censentur mixtilia quodammodo virtute paria? quando sunt fere aequalis activitatis.

Cur hoc requiritur ad mixtilia? quia si activitas unius mixtilis notabiliter superaret activitatem alterius, tunc ambo non transirent in idem tertium, sed unum converteret alterum in se ipsum.

Quomodo conditio illa subsistit cum mixtilia non possint in se mutuo agere nisi activitas unius superet activitatem alterius, et contra? Hoc non est verum, quia parva pars aquae potest etiam agere in magnum ignem.

An illa conditio sit plane necessaria? non, quia non tunc quando unum mixtilium longe minoris activitatis quam alterum adiuvatur ab aliquo tertio in agendo

Da tertiam: mixtilia debent facile posse suscipere terminos alienos.

Quid suscipere terminum alienum? est se accommodare alienae figurae.

An illa conditio sit absolute necessaria mixtilibus? non, sed tantum ut mixtio facilius fiat.

Finis.

Liber Secundus

De Elementis

Da definitionem Aristotelicam elementi: est corpus naturale
in quod cetera corpora dividuntur quibus inest potentia vel
actu.
Qualis divisio ibi intelligitur quando dicitur dividuntur? divisio
totius physici in partes physicas.
Quomodo? cum cetera elementa non dividantur in elementum tam
quam in partes physicas? non dividuntur sic in elementum gratia totius
elementi sed saltem gratia materiae primae elementi quae cum virtu-
tibus naturalibus elementi remanet in corpore mixto.

Quid inesse actu? est inesse alteri secundum formam substantialem.
Da sensum totius definitionis: elementum est corpus naturale
quod gratia saltem materiae primae est pars physica cuiuslibet corporis
naturalis cui inest vel secundum materiam primam, vel secundum for-
mam substantialem.
Quare Aristoteles dixit hoc ultimum sub disiunctione? quia tradidit
hanc definitionem in libris de coelo ubi nondum determinaverat an
elementa maneant formaliter in mixtis an non.
Defini elementum aliter: corpus simplex generabile et corruptibile.
Exclude coelum: per illud generabile et corruptibile.
Quid generabile? Id quod potest esse terminus ad quem per se generationis.
Quid corruptibile? quod potest esse terminus a quo per se corruptionis.
quando aliquid censetur ~~aliquid~~ per se terminus generationis esse et cor-
ruptionis? quando terminat generationem vel corruptionem gratia
sui per se primo vel saltem gratia partis.
quot sunt elementa?

De Qualitatibus primis.

Quid qualitas tangibilis? est qualitas tactu perceptibilis.
An omnis qualitas materialis sit tangibilis? [non] quia non sen-
sus interni.
Da qualitatem sensibilem non tangibilem: lumen, sonus.
Divide qualitatem tangibilem: in qualitatem tangibilem primam
et secundam.
Quid qualitas tangibilis prima? est qualitas [per se] tangibilis non praesuppo-
nens aliam qualitatem tangibilem se priorem a qua tanquam cau-
sa per se in sui productione dependeat.
Exclude lumen: per genus definiti quod est qualitas tangibilis.
An illa definitione contineatur calor productus a sole? imo
Quomodo cum ille calor praesupponat lumen tanquam causam per se?
non obstat, quia lumen non est qualitas tangibilis, et sic non prae

supponit aliam qualitatem tangibilem
Sic continuatur calor productus in aqua ab igne? imo
Quomodo cum calor aquae praesupponat qualitatem tangibilem nempe
calorem ignis tanquam causam per se? non refert, quia calor ignis
non est alia qualitas tangibilis respectu caloris aquae.
Quid ergo hic alia qualitas tangibilis? est qualitas tangibilis specie
distincta ab illa qualitate tangibili ad quam comparatur.
Quomodo equidem continetur calor cum calor praesupponat siccitatem
tanquam causam? non videtur esse verum, et si licet hoc aliquando
fieret ad summum praesupponeret siccitatem tanquam causam per
accidens.
Quomodo equidem siccitas continetur definitione cum siccitas in luto
v.g. oriatur ex calore prius introducto? non oritur ex illo tanquam
causa per se.
Qua ratione calor tali casu causat siccitatem? per hoc quod calor
rarefaciat particulas humidas in luto contentas quae rarefactae et
leviores factae avolant, quibus recedentibus remanent partes magis
terrestres et sicciores.
quot sunt qualitates primae? quatuor, calor, frigus, humiditas, et
siccitas.
An impetus non sit qualitas tangibilis prima? non.
Quomodo non cum impetus sit qualitas tangibilis, et nullam qua-
litatem tangibilem praesupponat tanquam causam per se? praesuppo-
nit.
Quomodo invenitur impetus in angelo in quo nulla non est alia
qualitas tangibilis? est verum.
quomodo ergo impetus in sui productione praesupponit aliam qualita-
tem tangibilem? praesupponit adhuc aliam qualitatem tangibilem ut
producatur in subiecto tanquam qualitas tangibilis, quia impetus non
potest tactu percipi nisi in illo subiecto existat in quo praesupponi-
tur esse aliqua qualitas tangibilis prima.
An non posset facilius respondere ad obiectionem iam datam? imo
dicendo quod impetus excludatur per genus definiti quod est quali-
tas per se tangibilis.
Quomodo recte dicitur quod qualitas per se tangibilis sit genus defi-
niti cum qualitas per se tangibilis sit convertibilis cum definito?
non est.
da ergo qualitatem per se tangibilem quae non est qualitas tangibi-
lis prima? species tangibilis caloris. pro quo
Nota quod sicut lumen et color dicitur videri mediante specie vi-
sibili, ita calor et reliquae qualitates primae probabiliter dicuntur
percipi tactu mediante specie tangibili.
An illa species tangibilis sit per se tangibilis? imo, sicut species
visibilis dicitur per se visibilis.
Divide qualitatem tangibilem primam: in activam et passivam.

Quid qualitas tangibilis prima activa? est qualitas tangibilis prima quae est una ex duabus maxime activis. ut calor et frigus.
Quid qualitas tangibilis prima passiva? est qualitas tangibilis prima quae est una ex duabus minime activis? humiditas et siccitas.
Dividitur aliter qualitatum tangibilium primarum: dividitur concretum expressa in calidum, frigidum, humidum et siccum.
Quid calidum? est quod tantum congregat ea quae sunt eiusdem generis. ut calidum ignis.
An ignis sit tale quid? non, quia excluditur per genus definiti quod est quale per se tangibile primum, ignis enim est tantum quale per accidens.
Quid ea quae sunt eiusdem generis? sunt ea quae sunt eiusdem temperamenti
Quid frigidum? est quod ex aequo congregat tam ea quae sunt eiusdem generis quam quae diversi. ut frigidum aquae.
Quid humidum? est quod cum facile terminum alienum suscipiat proprio aegre definitur.
Quid terminus ibi? figura.
Quid terminus alienus? figura competens alicuius gratia alterius extranei contigui. ut figura rotunda aquae, competens aquae gratia poculi rotundi in quo continetur
Quid facile terminos alienos suscipere? est facile se accommodare alienae figurae.
Quid proprio termino aegre definiri? est ex se non habere stabilem aliquam figuram.
Quid siccum? est quod proprio termino bene definitur, alieno aegre.
Quid proprio termino bene definiri? est ex se habere stabilem aliquam figuram.
Quid alieno termino aegre definiri? est difficulter alienae figurae se accommodare.
An illae definitiones sunt essentiales? non, sed sunt tantum descriptiones qualitatum primarum.
Quid calor abstractim? est qualitas tangibilis prima congregativa tantum eorum quae sunt eiusdem generis.
Quid frigus in abstracto? est qualitas tangibilis prima ex aequo congregativa tam eorum quae sunt eiusdem generis quam quae diversi.
Quid humiditas in abstracto? est qualitas tangibilis prima faciens suum subiectum facile terminum alienum suscipere et proprio aegre definiri.
Quomodo cum non communicatur humiditas ad duo tantum? communicatur.
Quomodo cum humidum ad duo possit esse siccum ad sex? est verum res non refert.
Quomodo ergo per humiditatem ad duo tantum subiectum potest facile terminos alienos suscipere? potest ad hoc hic sensus, quia humiditas ad duo saltem quantum est ex ratione sua specifica apta est facere suum subiectum terminos alienos facile suscipere.

Quid siccitas? est qualitas tangibilis prima faciens suum subiectum proprio termino bene definiri, et alieno aegre.
An omnes qualitates primae sint positivae? communis sententia habet quod sint, aliqui tamen non improbabiliter asserunt frigiditatem esse privationem caloris, et siccitatem privationem humiditatis.
An supposito quod sint qualitates positivae omnes distinguantur a suis subiectis proximis? communis sententia habet quod sic, multi tamen probabiliter negant humiditatem et siccitatem realiter distingui a subiecto proximo.
Proba calorem realiter distingui; quia calor modo est in aqua, modo non; iam vero verisimile est illam qualitatem distingui a subiecto proximo quando subiectum modo illam habet, et modo existit sine illa; eodem modo probari potest de frigore.
Proba humiditatem et siccitatem distingui a subiectis proximis: quia eadem aqua modo est congelata modo fluida, et consequenter modo sicca modo humida, ergo humiditas et siccitas realiter distinguuntur a subiecto proximo.
An illa ratio efficaciter probet? non, quia hoc poterit dici fieri non per humiditatem et siccitatem realiter distinctas a substantia, sed per hoc quod modo intra poros aquae consistant aliqua corpuscula quae motu suo reddant aquam fluidam, et humidam, modo talia corpuscula absint vel saltem a motu quiescant quando nimirum est congelata.
An omnes qualitates primae sint activae? communis sententia affirmat, aliqui dubitant tamen de humiditate et siccitate.
Proba calorem esse activum: experientia per calorem ignis.
An sicut calor agit in distanti ita frigus? imo, sed non tam procul quam calor, quia si aliquis in manu habens phialam infundat illi aquam plane frigidam sentiet manum exterius applicatam frigidam fieri, ergo signum est quod frigus aquae agat per vitrum in manum distantem.
Proba siccitatem et humiditatem esse activas: quia videmus linteum exsiccari ad praesentiam ignis, eadem humectari ad praesentiam corporum humidorum, ergo siccitas ignis et humiditas corporum humidorum producunt siccitatem, et humiditatem in corporibus applicatis.
An illa ratio convincat? non, sed ad summum probabiliter probat.
Cur non? quia tota illa experientia salvari potest dicendo quod ignis tantum producat in linteo calorem rarefacientem corpuscula humida quae in linteo continentur quibus rarefactis et abeuntibus remanserint solum partes sicciores; deinde dici potest quod corpora humida stillent in poros terrae tenuia corpuscula humida, quae propter suam tenuitatem ingeruntur simul cum

terrae constituens unum elementum et ratione illius terra ap-
prehenditur humida licet hoc ita non sit.
An similiter dici possit quod ignis tantum calefaciat aquam et alia
corpora emittendo spiritus igneos et non diffundendo calorem?
hoc etiam aliqui dicunt semper fieri sed non est necesse hoc admit-
tere, licet saepe similes spiritus concurrant, quia constat expe-
rientia quod ignis etiam diffundat calorem per vitrum et alia
corpora densa quae non videntur habere poros sufficientes ut pateat
transitus illis corpusculis igneis.
quomodo ergo patet transitus pro calore? ad hoc patet quia calor
diffunditur per modum formae inexistentis toti medio per quod
diffunditur, talis vero forma non requirit poros in suo subiecto
quia penetrat illud.
Quid qualitas tangibilis secunda? est qualitas tangibilis prae-
supponens aliam qualitatem tangibilem a qua tanquam causa
per se in sui productione dependeat
excludit alterationem; per genus definiti quod est qualitas tangibi-
lis.
Da aliquas qualitates tangibiles secundas: gravitas et levitas,
durities, mollities, ariditas et viscositas.
An tales sint raritas et densitas? probabiliter non, quia proba-
biliter tantum sunt relationes.
An in rei veritate tales sint durities et mollities? videtur quod
non quia durities non videtur esse aliud quam firmior quaedam
unio partium integralium alicuius corporis, occasione cuius
illud difficulter potest comprimi ut patet in duris lapidibus
Quid mollities a parte rei? est negatio firmioris unionis [illegible]
inter partes integrales alicuius corporis occasione cuius illae par-
tes facile possunt comprimi, ut mollities lanae.
Quid ariditas similiter a parte rei? est negatio viscositatis
inter partes integrales alicuius corporis sicci, et terrestris
Quid viscositas? est talis constitutio partium alicuius corporis
humidi et utcumque mollis occasione cuius difficulter a se in-
vicem separentur et facile aliis per modum attactum adhaerant.
An glabrities et asperitas sint qualitates tangibiles secundae a
parte rei? videtur quod non.
Quid a parte rei asperitas? nihil est aliud a parte rei quam plu-
res partes integrales alicuius corporis partim magis extan-
tes partim magis introcedentes in exteriori superficie illius
corporis, ut [illegible] rudis cortex arboris.
Quid glabrities? negatio asperitatis in superficie exteriori
alicuius corporis
An gravitas et levitas efficiantur a qualitatibus primis
tanquam causis efficientibus per se? imo secundum communem
doctrinam.

An sit certum? non, sed potius contrarium a parte rei videtur verius.
quo modo ergo oriuntur ex qualitatibus primis? tam ex qualitatibus primis tanquam dispositionibus per se concurrentibus ad introductionem illarum in subiectum.
Quomodo ergo secundum hoc gravitas et levitas sunt qualitates secundae? potuerunt adhuc contineri dicendo quod gravitas praesupponat qualitas primas non tanquam causam efficientem per se, sed tanquam causam dispositivam per se.
Qualis qualitas est species tangibilis caloris? [illegible] secundum illos qui illam non distinguunt specie a calore est qualitas prima; secundum vero illos qui illam distinguunt specie a calore est qualitas tangibilis secunda.
Nota quod per qualitatem primam et qualitatem secundam semper intelligatur qualitas tangibilis prima et secunda nisi accedat specialis ratio per aliam acceptionem.

Quotnam sint elementa

Probatur quod sint quatuor elementa: quia secundum legem ordinariam naturae sunt tantum possibiles quatuor combinationes qualitatum primarum in gradu perfecto specie distinctae, nimirum; ergo dantur tantum quatuor elementa.
Cur dicitur in gradu perfecto? quia in gradu tam perfecto quam imperfecto possunt dari plures quam quatuor.
Cur dicitur specie distinctae? quia si intelligantur combinationes sine specie distinctae sive non, dantur plures quam quatuor.
Assigna quatuor combinationes specie distinctas possibiles: ut siccitas in summo, et frigus in excellenti respectu ~~aquae~~ terrae; frigus in summo et humiditas in excellenti respectu aquae; humiditas in summo, et calor in excellenti respectu aeris; calor in summo et siccitas in excellenti respectu ignis.
Quomodo cum possit etiam dari combinatio humiditatis in summo cum calore in summo? est verum, sed illa non est specie distincta a prioribus.
Quot ergo essent possibiles combinationes qualitatum primarum in gradu perfecto si non restringerentur ad species distinctas?
Duodecim, nempe quatuor iam assignatae, et quatuor combinationes ex qualitatibus primis non repugnantibus summe intensis, item quatuor combinationes ex duabus qualitatibus primis in gradu

excellenti [struck out] tantum.
An ratio pro quatuor elementis efficaciter probet? non quia
non implicat dari elementorum habens pro connaturali quali-
tate tantum unam qualitatem primam.
An elementum ignis habeat sibi connaturalem vastum ali-
quem locum ubi reliqua tria elementa? ita secundum com-
munem sententiam, [struck out] et ille locus est immediate sub
concava superficie coeli lunae.
Cur ergo ille ignis de nocte non videtur? hoc fit propter ni-
miam istius raritatem.
Quo pabulo ignis ille nutritur? nec ullo, quia est sibi semo-
tus a contrariis agentibus et sic sponte perseverat.
An singula elementa habeant qualitatem in summo? imo.
Proba hoc: quia qualitates primae sunt perfectiones connaturales
elementis, ergo conveniens est ut dentur aliqua elementa quibus
illae competant in summo, atqui magis ordinatum est ut singulis elemen-
tis correspondeat una qualitas prima in summo quam ut plures con-
veniant uni elemento, et alteri nulla, ergo singula elementa habent
unam qualitatem in summo.
Nulla ratio efficaciter probet? non, sed tantum est ratio congruen-
tiae, quia quatuor elementa possent subsistere licet unum illorum
haberet duas qualitates primas in summo, et alterum duas tantum
in excellenti.
Quo ordine competunt elementis in summo qualitates primae? calor
in summo igni, humiditas aeri, frigus aquae, siccitas terrae.
Quomodo cum aqua appareat humidior quam aer? licet hoc ad sen-
sum sic appareat, tamen non est ita secundum communem doctrinam.
Unde ergo fit quod aer appareat minus humidus quam aqua? hoc fit ex
raritate aeris et densitate aquae, ratione cuius humiditas aquae est magis
sensui perceptibilis quam humiditas aeris.
Quomodo aquae competit summum frigus cum glacies sit frigidior
quam aqua in statu naturali constituta? non est, quod vero gla-
cies ordinarie appareat frigidior aqua partim fit ex eo
quod aqua raro sit in statu suo perfecte naturali, item ex eo quod
glacies sit densior aqua.
An praeter qualitatem in summo correspondeat singulis elementis in summo
una qualitas in excellenti? imo.
Quo ordine? igni siccitas in excellenti, aeri calor, aquae humidi-
tas, terrae frigus.
An sit certum quod illae qualitates tali ordine elementis conveniant?
neque, sed ille ordo tantum admittitur ob authoritatem aristotelis et
aliorum philosophorum.
Declara non esse certum: quia spectando rationem aer videtur potius
habere frigus in excellenti quam calorem.
Proba: quia semotis agentibus calidis aer se reducit ad frigus ut patet
de nocte, item ut patet ex media regione aeris quae est longe frigi-
dior quam infima, ergo aer est natura frigidior.

proba siccitatem competere igni: quia experientiâ constat ignem alia corpora exsiccare.

quomodo ignis est siccus cum non contineatur bene proprio termino, et alieno aegre? agendo de igne hic existente verum est!

Quomodo ergo siccum recte ante fuit sic definitum? adhuc recte, quia saltem siccum quantum est ex ratione sua specifica aptum est proprio termino bene contineri etc. licet propter certas circumstantias hoc non praestet in igne hic existente.

quare hoc non praestat? propter summum calorem ignis, occasione cuius particulae ignis sunt in celerrimo motu.

An qualitas in excellenti competens summo, habeat sibi admixtos aliquos gradus qualitatis sibi contrariae in eodem elemento? imo, si existat elementum in statu naturali, idque secundum communem doctrinam.

An status naturalis elementi necessario exigat illos gradus qualitatis contrariae? non, quia elementum posset absolute existere in statu naturali absque illis gradibus.

Unde ergo hoc oritur? ex natura illarum qualitatum contrariarum quae exigunt explere capacitatem sui subjecti, vel per alteram earum in summo vel per admixtionem utriusque tale ex qua exsurgat compositum ex octo gradibus intensivis partim unius partim alterius qualitatis contrariae.

Quot gradus qualitatis contrariae solent esse admixti qualitati primae in excellenti in eodem elemento? duo si connaturaliter existat, idque ideo quia qualitas prima in excellenti competens elemento solet dici, vel esse sex graduum.

Quid qualitas symbolica

Quid qualitas symbolica? est qualitas prima perfecta et connaturalis duobus elementis specie distinctis.

Ex quo fundamento colligitur quod qualitates symbolicae sint eiusdem speciei in elementis? ex experientia qua constat quod qualitas symbolica unius elementi iuvet, et intendat qualitatem symbolicam alterius.

Declara in exemplo: sic calor ignis intendit calorem aeris, frigus aquae intendit frigus terrae.

An qualitates primae repertae in mixtis sint eiusdem speciei cum qualitatibus primis elementorum? imo ob eandem rationem.

Quomodo censentur corpora venenosa habentia magis frigus quam aqua? illud frigus talium corporum est verisimiliter tantum frigus virtuale, id est quaedam virtus ad producendum frigus formale.

Da qualitatem non symbolicam? est albedo, voluntas.
Da qualitatem primam non symbolicam: calor ad octava tantum.
Da qualitatem primam perfectam non symbolicam: talis perfecta nominatur si non restringatur ad certum numerum graduum, quia omnis qualitas prima convenit in gradu perfecto duobus elementis specie distinctis connaturaliter.
Cur fuit additum si non restringatur? quia calor restrictus ad octo gradus sub tali consideratione non est connaturalis duobus elementis specie distinctis.

Da primam proprietatem: unumquodque elementum haud quaquam simplex est sed mixtum.
Quid elementum simplex seu purum? est elementum non affectum qualitatibus peregrinis neque habens partes aliorum corporum sibi permixtas.
Duplex elementum purum: in purum accidentaliter, et substantialiter.
Quid elementum purum accidentaliter? est elementum non affectum qualitatibus peregrinis.
Quid qualitas peregrina? est qualitas contraria qualitati connaturali illius ad quod comparatur, ut calor respectu aquae.
Quid elementum purum substantialiter? est elementum non habens partes aliorum corporum sibi permixtas.
Quid puritas elementi puri? est negatio in elemento eius quod est esse affectum qualitatibus peregrinis vel habere partes aliorum corporum sibi permixtas.
Quid elementum mixtum? est elementum quod vel est affectum qualitatibus peregrinis vel habet partes aliorum corporum sibi permixtas.
Elementum mixtum accidentaliter est elementum affectum qualitatibus peregrinis.
Mixtum substantialiter est elementum habens partes aliorum corporum sibi permixtas.
Quid mixtio elementi mixti? est coniunctio qualitatum peregrinarum cum qualitatibus connaturalibus alicuius elementi in illo elemento vel habitio qua elementum habet partes aliorum corporum sibi permixtas.
Proba unumquodque elementum esse mixtum? quia unumquodque elementum habet partes aliorum corporum sibi permixtas, sic terra habet in visceribus aquam, aqua habet particulas terrestres, aer habet exhalationes et vapores, ignis habet particulas terrestres sibi immixtas occasione quarum ignis solet esse magis lucidus hic circa terram quam in loco naturali; deinde unumquodque elementum quod circa nos existit habet aliquas qualitates peregrinas.
An hoc sit verum de quibuslibet partibus cuiuscumque elementi? non, quia partes terrae circa centrum, item partes aeris ultra mediam regionem aeris, et partes ignis sub concava superficie coeli lunae verisimiliter non sunt mixtae nisi forte aliquae partes aeris sint etiam mixtae in suprema regione aeris.

Declara quod ibi possint inveniri partes mixtae? quia ibi generantur cometae, ac proinde dantur ibi qualitates peregrinae, et partes aliorum elementorum

Da secundam proprietatem: ignis est excessus caloris sicut glacies frigoris

Quid ignem esse excessum caloris? est ignem excedere in calore quodlibet alia elementa specie distincta.

Quid ibi glacies? est aqua in statu suo naturali constituta.

Da sensum proprietatis: ignis in statu naturali constitutus excedit quodlibet elementa specie distincta in calore, et aqua in statu naturali constituta excedit in frigore quodlibet elementa specie distincta

De Elementi transmutatione.

Quid transmutatio elementi? est conversio unius elementi in aliud. id est est conversio habens pro termino a quo unum elementum, et pro termino ad quem aliud elementum

qualis terminus est elementum respectu transmutationis elementi an per se an per accidens? terminus per se.

An sit terminus per se primo? non, sed tantum gratia suae formae substantialis.

Divide transmutationem elementi: in transmutationem mediatam et immediatam.

Quid transmutatio elementi immediata? est conversio qua unum elementum convertitur in aliud non mediante alia mutatione substantiali ut conversio aquae in aerem immediata.

Cur dicitur alia mutatione substantiali? quia potest bene mediare una mutatio accidentaria.

Quid transmutatio elementi mediata? est conversio qua unum elementum convertitur in aliud mediante alia mutatione substantiali ut conversio aquae in ignem supposito quod aqua prius convertatur in aerem et tunc aer ulterius in ignem.

An ergo conversio elementi ~~mediat~~ mediata includat duas mutationes substantiales? imo, quia includit conversionem qua terminus a quo conversionis mediatae convertitur immediate in elementum medium, et conversionem qua illud elementum medium ulterius convertitur in elementum quod est terminus ad quem transmutationis elementi mediatae

Quid elementum symbolum? est elementum conveniens cum alio elemento in eadem qualitate prima perfecta et connaturali. ut aer respectu ignis.

An talis sit unus ignis respectu alterius? non.
Quomodo cum conveniat cum eo in eadem qualitate prima perfec-
ta et connaturali? non refert, quia unus ignis non est aliud ele-
mentum respectu alterius ignis quia non est specie distinctum
Quid elementa symbola? elementa specie distincta quae conve-
niunt in eadem qualitate prima perfecta et connaturali
Quot sunt paria elementorum symbolorum? quatuor, ignis et
aer, aer et aqua, aqua et terra, terra et ignis.
Quid est symbolismus seu symbolisatio elementorum? convenientia
duorum elementorum specie distinctorum in eadem qualitate prima
perfecta et connaturali.
Quomodo cum non continuatur symbolisatio trium elementorum?
talis non datur
Quid elementa symbolisare? est elementa specie distincta convenire
in eadem qualitate prima perfecta et connaturali.
in qua qualitate symbolisant aer et aqua? in humiditate.
in qua terra et ignis? in siccitate.
in qua aqua terra? in frigore.
in qua aer et ignis? in calore.
in qua symbolisant terra et aer? quaestio supponit falsum.
Cur non terra calida et aer? quia licet tunc conveniant in ea-
dem qualitate prima, tamen illa non est utrique connaturalis.
Dando elementa convenientia in eadem qualitate prima conna-
turali summe intensa? non dantur quia unaquaeque qualitas prima
est tantum connaturalis in summo gradu uni elemento
Quid elementum asymbolum? est elementum discrepans ab alio
elemento utraque qualitate prima perfecta et connaturali ut ignis
respectu aquae.
Quid elementa asymbola? sunt elementa discrepantia inter se utraque
qualitate prima perfecta et connaturali.
quot sunt paria elementorum asymbolorum? duo, ignis et
aqua, aer et terra.
Quomodo se habent elementum symbolum et asymbolum? respec-
tu eiusdem repugnant, diverso respectu conveniuntur.
declara ultimum quia quodlibet elementum respectu alicuius est
symbolum, et respectu alicuius asymbolum.
quomodo se habent elementa symbola et asymbola? repugnant
Quid asymbolisatio elementorum? est discrepantia aliquorum ele-
mentorum in utraque qualitate prima perfecta et connaturali
An aqua calida et terra frigida sint elementa asymbola? non
Quomodo cum discrepent utraque qualitate prima perfecta, et con-
naturali? non discrepant.
Quomodo non cum in nulla qualitate tali conveniant? potest
dici quod conveniant.
in qua ergo conveniunt? in frigore.

Quomodo cum aqua supponatur calida? nihil refert, quia equi-
dem conveniunt in frigore hoc sensu, quia natura utriusque exigit
habere frigus perfectum tanquam qualitatem sibi connaturalem.
Dantur elementa assymbola quorum utraque qualitas assymbo-
lica est summe intensa? intelligendo de elementis connaturali-
ter existentibus non dantur, quia quodlibet elementum assymbolum
habet tantum unam qualitatem assymbolicam sibi in summo gradu
connaturalem, et unam in excellenti.
Cur dictum est intelligendo de elementis etc.? quia si elementa
assymbola non restringantur ad elementa in statu naturali con-
stituta, tunc talia erunt ignis et aqua supposito quod ignis a
causa extrinseca acceperit siccitatem ad octo, et aqua humi-
ditatem ad octo.
Quid qualitas assymbolica? est qualitas prima competens ele-
mento assymbolo ut tali, id est, est qualitas prima competens
elemento sub illa consideratione qua discrepat utraque qualitate
prima perfecta et connaturali ab alio elemento ad quod com-
paratur.
An quando una qualitas assymbolica competit uni elemento
assymbolo in summo tunc qualitas contraria ipsi correspondens
competat alteri elemento assymbolo in summo? imo, sic calor
qui est qualitas assymbolica ignis competit igni in summo, et frigus
quod competit alteri assymbolo nempe aquae etiam in summo.
An unum elementum symbolum possit converti in aliud sym-
bolum? imo, quia sic aqua potest converti in aerem, et aer in
ignem.
An unum elementum symbolum possit tantum converti in aliud
symbolum per actionem unius tantum? non, quia unum elementum
potest per suam actionem etiam aliud in se convertere, idque etiam im-
mediate, quia sic ignis potest in se convertere exhalationem
quae est substantialiter terra.
An ignis immediate possit immediate in se convertere aerem? imo.
An etiam aquam? imo verisimiliter.
Quomodo cum ignis sit elementum assymbolum respectu aquae?
nihil refert, quia unum elementum assymbolum probabiliter po-
test in se convertere aliud assymbolum, sic ignis magnus potest
immediate in se convertere guttam aquae sibi iniectam.
Quomodo cum illa prius convertatur in fumum? an hoc semper
fiat est incertum, puto enim etsi hoc ita esset poterit tunc dici quod
fumus ille sit substantialiter aqua sicut vapores aquei.
Quomodo cum equidem cum calor tunc debebit intervenire con-
versio aquae in fumum? illa conversio iuxta antedicta est tantum
accidentaria, ad conversionem vero elementi mediatam requiritur
ut unum elementum convertatur in aliud mediante alia conver-
sione substantiali.

Quomodo aqua potest immediate converti in ignem cum frigus
aquae possit citius superari a calore ignis quam humiditas aquae
a siccitate ignis? non refert.
Quomodo cum sit illa aqua prius fiet elementum calidum et
humidum quam calidum et siccum? hoc generaliter loquendo
non sequitur.
Cur non si prius ponatur in locum frigoris calor in aquae materia quam
in locum humiditatis siccitas? in primis licet hoc ordinarie
ita fit dum caetera sunt paria tamen potest tam cito produci
siccitas quam calor si ignis sit longe maioris quantitatis
quam aqua iniecta in ignem deinde poterit fieri quod aqua ab
ante aliunde fuerit debilitata quoad suam humiditatem.
Quomodo unum elementum assymbolum potest converti in aliud
cum sic dabitur motus ab extremo ad extremum sine transitu
per medium? generaliter hoc intelligendo, in eo nulla est inconve-
nientia.
In quo ergo illud axioma tantum est verum? in motu locali
corporearum rerum naturaliter facto.
An angelus possit moveri naturaliter ab extremo ad extremum
sine transitu per medium? imo, quia sic si angelus sit replica-
tus per eadem puncta ab oriente in occidentem poterit secun-
do instanti perdere praesentiam ad primum punctum spatii
versus orientem et acquirere novam praesentiam ad novum punctum
spatii versus occidentem.
An elementum symbolum facilius convertatur in symbolum
quam assymbolum in assymbolum? imo regulariter loquendo, quia ut unum
elementum symbolum convertatur in aliud symbolum
requiritur tantum expulsio unius qualitatis primae, et produc-
tio contrariae ipsius in eius locum, ut vero assymbolum conver-
tatur in assymbolum requiritur expulsio duarum qualitatum
primarum et productio duarum contrariarum correspondentium.
Cur dicitur regulariter loquendo? quia aliquando tam cito mu-
tatur assymbolum in assymbolum quam symbolum in symbolum
nempe dum unum elementum assymbolum est affectum qua-
litatibus remissis ut dum aqua est conversa in vaporem,
deinde dum unum elementum assymbolum est longe maioris
quantitatis quam aliud assymbolum quod oppugnatur ut patet
in magno igne respectu guttae aquae.
Quid unum elementum facilius mutari in aliud quam alterum?
sumitur dupliciter, semel ut sit idem quod unum elementum bre-
viori tempore mutari in aliud quam alterum et semel ut sit idem
quod unum elementum paucioribus mutationibus intermediis
mutari in aliud quam alterum.
Quomodo elementum assymbolum non tam cito mutatur
in aliud quam alterum cum duo agentia tam cito oppugnent

duo quam unius, unum? Hoc non est regulariter verum, quia facilius potest contingere quod se mutuo impediant in priori casu quam in posteriori

De Temperamento.

Quid temperamentum? est aggregatum ex quatuor qualitatibus primis ad quandam mediocritatem reductis, et eidem subiecto proximo inexistentibus.
Da corpus naturale carens temperamento: coelum.
Da tale sublunare: ut elementum in statu naturali constitutum.
Divide temperamentum: in uniforme, et difforme.
Quid temperamentum uniforme? in quo omnes qualitates primę sunt ęque intensę. Ut temperamentum in quo omnes qualitates primę sunt intensę ad quatuor tantum.
Quid temperamentum difforme? in quo non omnes qualitates primę sunt ęque intensę.
Divide temperamentum difforme: in temperamentum in quo una tantum qualitas prima prędominatur reliquis et temperamentum in quo duę qualitates primę prędominantur, posterius temperamentum subdividitur in complexionem, et temperamentum tale distinctum a complexione.
Quid complexio? est temperamentum animalis in quo duę qualitates primę prędominantur. Dividitur in complexionem chollericam, sanguineam, phlegmaticam, et melancholicam.
Complexio colerica est in qua prędominatur calor et siccitas,
Sanguinea in qua calor et humiditas.
Phlegmatica in qua frigus et humiditas,
Melancholica in qua frigus et siccitas: optima vero complexio ex illis est sanguinea, pessima melancholica.

Finis

In Libros Methaoro-rum.

Quodnam est obiectum librorum methæororum? corpus imperfecte mixtum.

Quid corpus imperfecte mixtum? est elementum affectum qualitatibus peregrinis.

Cur non sic, est corpus affectum qualitatibus peregrinis? quia tunc contineretur aliquod corpus mixtum affectum qualitatibus peregrinis, ut plumbum liquefactum.

Cur illud nequit contineri? quia corpus mixtum non est imperfecte mixtum sed perfecte.

Da corpus imperfecte mixtum: aqua calida.

An ad hoc ut aliqua qualitas sit peregrina prout hic sufficiat quod sit non connaturalis suo subiecto? non, sed requiritur ut sit contraria qualitati connaturali illius subiecti cui inest, quia siccitas non est qualitas peregrina respectu aeris, et tamen non est aeri connaturalis sed præter naturam.

Qualis mixtio intelligitur dum dicitur corpus imperfecte mixtum? mixtio accidentaria imperfecta.

Cur non mixtio substantialis imperfecta? non datur talis, quia omnis mixtio substantialis est perfecta.

Quid mixtio substantialis? mixtibilium alteratorum unio. pro quo nota quod quotiescunque petitur ~~…~~ definiri mixtio, sit mixtio substantialis oporteat dicere hanc definitionem aristotelis.

Quid imperfectio mixtionis imperfectæ? insufficientia qua mixtio accidentaria est insufficiens ad expulsionem formæ elementi et introductionem formæ substantialis mixti.

Quid perfectio mixtionis accidentariæ perfectæ? sufficientia qua mixtio accidentaria est sufficiens ad expulsionem formæ elementi et introductionem formæ substantialis mixti.

Quare elementum affectum qualitatibus peregrinis vocatur corpus imperfecte mixtum? quia per illam affectionem est mixtum tali mixtione quæ non est sufficiens ad hoc ut elementum transeat in corpus mixtum.

De Methæoro.

Quid methæorum? corpus imperfecte mixtum ortum in sublimi ex vapore vel exhalatione ut nubes.

Nota quod methæorum soleat dupliciter considerari, semel tanquam elementum quatenus substat qualitatibus illis peregrinis per quas constituitur in ratione methæori et semel pro composito per accidens ex elemento et qualitatibus peregrinis iam dictis.

An definitio methæori sit formalis? si methæorum sumatur pro composito per accidens tunc non est formalis, si vero sumatur

matur pro elemento quatenus substat qualitatibus peregrinis tunc est formalis.

Declara prius: quia in sensu formali non recte dicitur quod tale compositum per accidens sit corpus imperfecte mixtum, quia non est elementum.

Quod si corpus imperfecte mixtum etiam sumatur pro composito per accidens ex elemento, et qualitatibus peregrinis tunc etiam definitio metheori esset formalis iuxta priorem sensum, sed quod corpus imperfecte mixtum sic sumatur hoc non est tam commune.

Quid esse ortum hic? est esse terminum ad quem generationis.

Qualis generatio hic intelligitur? generatio prout abstrahit a substantiali et accidentaria.

Cur nequit intelligi generatio substantialis tantum? quia tunc nubes et similia metheora non continerentur definitione, quia nubes tantum oritur in sublimi per generationem accidentariam.

An per generationem possit intelligi generatio accidentaria tantum? aliqui dicunt quod sic.

Quomodo ergo cum tunc non continerentur metheora ignita? continerentur.

Quomodo cum metheora ignita generentur ex exhalatione substantialiter? non generantur substantialiter in quantum sunt metheora.

Declara: quia omne metheorum constituitur per certas qualitates peregrinas, ac proinde etiam generatur in quantum materia prima elementi unitatur ad illas qualitates peregrinas.

Quomodo cum per metheorum intelligi potest elementum prout substat qualitatibus peregrinis cum sic nubes non esset metheorum? imo esset.

Quomodo cum illud elementum non oriatur in sublimi? sortitur ad sensum definitionis.

Quomodo etiam illud elementum sit aqua quae ante extitit hic inferius antequam in nubem converteretur? est verum.

Quomodo ergo oritur in sublimi? oritur adhuc gratia qualitatum peregrinarum quas acquirit in sublimi.

Quid vapor? est halitus humidus ex aqua vel corpore aqueo vi caloris eductus.

Quid halitus? est corpus grave factum leve vi caloris ipsum rarefacientis.

An vapor sit halitus? non, quia non est corpus grave.

Quomodo illa definitio subsistit cum sic idem corpus deberet esse grave et leve? non deberet esse in illo sensu in quo grave, et leve repugnant.

Quomodo cum idem deberet habere gravitatem perfectam, et levitatem perfectam? non debet, quia per grave ibi intelligitur corpus natura sua postulans gravitatem perfectam, per leve vero intelligitur corpus de facto habens levitatem perfectam, illa duo vero non repugnant, quia utrumque est aqua resoluta in vaporem.

Quomodo calor potest causare levitatem in corpore gravi? prius

rarefaciendo corpus grave ad quam rarefactionem sequitur levitas.
An si aliquod corpus grave habeat levitatem perfectam aliunde
quam ex calore an tunc esset halitus? imo modo saltem habeat
aliquam raritatem.
Quomodo enim tali casu non contineretur definitione halitus? imo
~~[illegible]~~ contineretur quia tale corpus saltem natum est fieri leve
vi caloris ipsum rarefacientis.
Da secundam definitionem halitus: est corpus naturâ suâ grave
factum leve per raritatem in se introductam a calore rarefacien-
te vel saltem naturâ suâ introducibili a tali calore.
Quid significat principaliter illâ vox factum cum dicitur factum
leve? actionem verificatam pro actione terminata ad levitatem per-
fectam receptam in corpus naturâ suâ grave.
Quam adiacentiam significat vox factus hic? adiacentiam actionis
ad terminum per accidens qui est corpus naturâ grave.
Quare in definitione vaporis dicitur halitus humidus? ut distin-
guatur contra exhalationem deinde ut excludatur quidam halitus
invisibilis ex aquâ vel corpore aqueo qui non est humidus.
Declara talem dari: sicut dum ex aquâ calida, item ex ligno
viridi exsurgit fumus cum accenditur in eo fumo reperiuntur
quidam minuti halitus non humidi, quod inde patet, quia ex illis
paulatim congregantur fuligines in caminis.
Quid requiritur ad hoc ut ~~[illegible]~~ halitus sit humidus? ut vel ha-
beat de facto humiditatem perfectam vel saltem resolvi possit
in corpus humidum accedente solo frigore.
An glacies sit halitus humidus? non, quia licet proxime resolvi
possit in corpus humidum, tamen non potest sic resolvi accedente
solo frigore sed accedente calore.
An fumus surgens ex ollâ bulliente sit halitus humidus?
imo pro maximâ saltem parte quia resolvitur in aquam acceden-
te solo frigore ut patet in guttis adhaerentibus cooperculo olle
dum exponitur frigido aeri.
Quid intelligitur per aqueum in definitione? corpus aqueum.
Quid corpus aqueum? corpus mixtum naturâ fluidum. ut lac
An aqua? non, quia non est corpus mixtum.
An vapores semper educantur ex aquâ vel corpore aqueo tan-
quam partes integrales ex suo toto? ordinarie sic educuntur, sed
non semper.
Declara quod non semper: quia potest fieri quod aliquod corpus aqueum
totum resolvatur in vaporem, totum vero illud corpus non potest
educi ex se ipso tanquam pars integralis ex suo toto.
Declara hoc posse fieri: sic si aliquis guttam aquae vel vini
infundat[ur] ferro plane calido gutta illa tota evanescit subito in
vaporem.
Quomodo ergo talis vapor educitur ex aquâ tali casu? edu-
citur ex aquâ tanquam materiâ ex aquâ saltem apparenti.
Cur dicitur saltem apparenti? quia vapor ille secundum communem

sententiam est ipsamet aqua resoluta in vaporem, et sic a parte rei vapor ille non respicit aquam tanquam materiam ex qua, sed tanquam idem sui ipsius.
Declara saltem esse materiam ex qua apparentem, quia secundum exteriorem apparentiam vapor apparet corpus distinctum ab aqua, et apparet generari ex aqua adinstar aeris ex aqua generabilis.
Quaenam sint causae eductionis qua vapor educitur ex aqua? Venti, levitas vaporis, impetus productus a levitate.
An etiam astra, sol, influentiae etc. sint causae talis eductionis? Sunt causae per accidens, sed non per se.
Da vaporem qui est corpus mixtum: vapor eductus ex lacte.
Da talem qui est corpus simplex: vapor eductus ex aqua.
An ergo vapor sit eiusdem speciei cum illo corpore ex quo educitur? Imo, quia patet experientia quod accedente frigore vapor resolvatur in corpus eiusdem speciei cum illo corpore ex quo eductus fuit.
Quomodo enim aqua salsa et marina resoluta in vapores postea accedente frigore resolvatur in pluviam dulcem? non refert, quia salsedo, item dulcedo aquae non mutant speciem aquae.
Unde ergo fit quod aqua salsa resoluta in vapores postea resolvatur in pluviam dulcem? Ex eo quod particulae illae aquae immixtae causantes salsedinem prius separentur a partibus aquae antequam fiat pluvia dulcis, pro quo notandum quod aqua sit salsa per hoc quod ipsi sint intermixtae particulae quaedam terrestres et arenosae, quae motu suo pulsant organum gustus unde aqua salsa dicitur.
Quando igitur aqua salsa resolvitur in vapores tunc illae partes terrestres vel non solum elevantur sursum ob maiorem gravitatem, vel si elevantur tunc non serviunt post pro pluvia sed potius pro ventis et similibus meteoris.
Quid exhalatio? est halitus siccus ex terra vel corpore terreo eductus vi caloris.
An ille halitus debeat absolute esse siccus? non, sed tantum respective facta scilicet comparatione ad vaporem, quia datur exhalatio viscosa.
Quid corpus terreum? est corpus mixtum natura sua inconfluidum.
Da exhalationem: sic copiae illae pulvisculorum apparentes in aestate splendente sole per rimam vel foramen aliquod cubiculi.
Quomodo sumitur hic exhalatio? concretim.
Quid exhalatio abstractim? est motus quo exhalatio concretim movetur vi caloris ex terra vel corpore terreo. Potest etiam sumi pro actione terminata ad talem motum.
In quo distinguuntur vapor et exhalatio? In eo quod vapor sit halitus humidus et eductus vi caloris ex aqua vel corpore aqueo, exhalatio vero sit halitus siccus etc., item in eo

quod vapor ordinarie tantum ascendat usque ad mediam regionem aeris, exhalatio vero plus ultra.

Unde hoc fit? ex eo quod exhalatio ordinarie habeat fortiorem calorem, et difficilius eundem extinguat. per hoc nimirum quod participet de natura corporis magis densi quam vapor, denique distinguuntur in eo quod exhalationes saepe serviant pro materia meteoris ignitis, vapor vero vel nunquam vel valde raro. quod additur quia non repugnat vaporem aliquando servire pro materia ignitis ut patet in vapore educto ex vino adusto.

Quid evaporare? sumitur dupliciter semel pro evaporare efficienter, et semel pro evaporare terminative.

Quid evaporare terminative seu evaporare prout competit aquae vel corpori aqueo? est aquam vel corpus aqueum ex se vaporem emittere.

Quaenam dicuntur sic evaporare? aqua, item corpus aqueum.

An emissio qua aqua, vel corpus aqueum emittit vaporem sit vera emissio? non, sed tantum est apparens, quia nec aqua, nec corpus aqueum physice concurrit ad motum quo vapores educuntur ex aqua vel corpore aqueo.

Quid evaporare efficienter? est aliquid vaporem ex aqua vel corpore aqueo vi caloris educere.

Assigna aliqua quae sic dicuntur evaporare: Deus, sol, coeli, ignis et similia.

An ut aliquid dicatur evaporare debeat esse causa per se eductionis vaporum ex aqua, vel corpore aqueo? non, sed sufficit quod sit causa per accidens talis, quae denominatur causare talem eductionem.

An omnis causa per se eductionis vaporum ex aqua vel corpore aqueo recte dicatur evaporare efficienter? non, quia non levitas intrinseca aquae resolutae in vapores. videtur enim requiri ut sit causa extrinseca vaporibus, ad hoc ut denominetur evaporare efficienter.

An similiter exhalare sumatur dupliciter? imo semel pro exhalare terminative, et semel pro exhalare efficienter.

Quid exhalare terminative seu exhalare prout competit terrae vel corpori terreo? est terram vel corpus terreum ex se exhalationem emittere. ut terra, item corpus terreum.

Cur sic exhalare item sic evaporare vocatur exhalare et evaporare terminative? quia illud quod sic exhalat item sic evaporat, est terminus a quo per accidens motus localis in quo consistit eductio vaporum vel exhalationum.

Quid exhalare efficienter? est aliquid exhalationem ex terra vel corpore terreo vi caloris educere.

Quotuplex est exhalatio quam causa aliqua educere potest? duplex alia pinguis et alia arida.

Quid exhalatio pinguis? est exhalatio habens partes sibi mutuo tenaciter adhaerentes, et habentes qualitatem facile dispositivam ad inflammationem.

Da corpus terreum ex quo talis exhalatio educi solet: cemeterium.
An sudor erumpens ex homine pingui sit exhalatio pinguis? non, quia non habet partes sibi mutuo tenaciter adhaerentes.
Quid exhalatio arida? est exhalatio non habens partes sibi mutuo tenaciter adhaerentes, et habentes qualitatem facile dispositivam ad inflammationem.
Da corpus ex quo talis exhalatio educi solet: ut montes arenosi.
Da distinctionem inter exhalationem pinguem et aridam: quod exhalatio pinguis serviat pro materia metheori igniti, exhalatio arida vero pro materia ventorum.
An motus quo vapores et exhalationes moventur sursum sit illis connaturalis? R. sub distinctione, si considerentur tanquam corpora natura sua gravia affecta levitate tanquam qualitate peregrina tunc non est illis connaturalis et sic solet communiter respondere: si vero considerentur tanquam composita praecedens ex corpore naturae sua gravi et levitate, tunc motus sursum est illi connaturalis.
Declara: quia ille motus fit secundum propriam inclinationem levitatis, quae secundum ultimam considerationem spectat ad naturam seu essentiam vaporis et exhalationis.

Quis Locus generationis methaerorum.

Quis locus generationis metheororum? sublimis ut patet ex definitione metheori.
Quid sublime? sumitur late et stricte.
Late est totum illud spatium quod undequaque protenditur a loco elementorum gravium usque ad concavum supremi coeli.
Stricte est locus connaturalis elementis levibus.
An in coelis etiam generentur metheora? hoc aliqui dixerunt sed non est verisimile maxime secundum illos qui dicunt coelos esse solidos.
An in loco naturali ignis generentur metheora? aliqui hoc probabiliter dicunt et colliguntur ex illorum paralipsi.
Quis est ordinarius locus generationis metheororum? aer.
Divide aerem: in tres regiones tanquam totum integrale in suas partes in supremam mediam et infimam.
Quid regio aeris? notabilis pars aeris undique terram ambiens notabilibus accidentibus a reliquis partibus distincta.
Quid suprema regio aeris? est regio aeris quae simul cum elemento ignis rapitur motu diurno in orbem.

Quid infima regio aeris? est regio aeris terram, et aquam attingens, et ~~eo~~ usque se extendens quousque notabiliter reflectuntur radij solares a globo terrae, et aquae.

Quid media regio? est regio aeris inter supremam et infimam collocata.

Distingue illas regiones per diversa accidentia? R. suprema regio distinguitur per motum diurnum, media regio distinguitur per magis intensum frigus, infima vero per maiorem densitatem coniunctam cum notabili reflexione radiorum solarium.

An omnia illa accidentia sint illis regionibus connaturalia? non, quia frigus non est connaturale mediae regioni iuxta communiorem sententiam.

Unde provenit illud frigus? aliqui dicunt esse inditum ab auctore naturae ut illa regio magis subservire posset ad condensandas nubes, et similia metheora.

An reflexio radiorum solarium, item maior densitas, sit connaturalis infimae regioni? non, sed illa reflexio est praeter naturam, et notabilis condensatio est contra naturam.

An infima regio aeris sit figurae perfecte rotundae? non, sed est figurae ovalis, quia in una parte magis alte protenditur a terra quam in altera.

In qua parte magis remote protenditur a terra? sub aequinoxiali.

In qua parte minime protenditur a terra? sub polis, quia sub aequinoxiali altissime reflectuntur radij solares a terra, sub polis vero minime alte.

Quotuplicis generis habent causas metheora? cuiuslibet generis.

Da causam materialem ex qua metheori: causa materialis ex qua permanens cuiuslibet metheori est vel vapor vel exhalatio vel elementum ignis.

An quilibet vapor, item exhalatio, sit capax ut sit materia ex qua permanens metheori? non, quia vapor item exhalatio educta ex corpore mixto, quia metheorum debet esse corpus imperfecte mixtum, talis vapor vero item exhalatio est corpus perfecte mixtum.

Quis est materia ex qua transiens metheori? materia ex qua transiens proxima est vapor, vel exhalatio, remota est terra vel aqua.

Da materiam in qua metheori: non datur, quia metheorum non est forma.

Quidnam est causa formalis metheori? causa formalis componens sunt illa accidentia per quae metheorum constituitur in ratione metheori.

Da causam formalem informantem metheori: non datur, quia metheorum non est ens incompletum.

Quidnam est causa efficiens metheori? deus, sol, et alia astra coeli, et subinde elementum ignis.

An illa omnia sint causa per se efficiens metheori? non, quia non sol et coeli.
quaedam solet efficiens in metheoro causa per se efficiens metheori: vel formam substantialem ignis qua constat metheorum, vel aliqua accidentia per quae metheorum constituitur in ratione metheori.
quaenam est causa finalis metheori? utilitas et commoditas viventium, quia metheora generantur propter utilitatem viventium, nempe ut terra sit fertilior, aer magis purgatus quae cedunt in utilitatem viventium.
Da causam exemplarem metheori: causa exemplaris obiectiva est ipsum metheorum, formalis est conceptus divinus.

De Actione
per antiperistasim.

Quid actio per antiperistasim? actio qua producitur vel roboratur unum contrarium in aliquo corpore ratione alterius contrarii correspondentis illud corpus circumstantis.
quodnam est principium actionis per antiperistasim? si sit qualitas connaturalis suo subiecto quae producitur per illam actionem tunc principium est forma substantialis illius corporis in quo fit actio per antiperistasim si vero sit forma violenta tunc principium illius sunt aliqua corpuscula contigua illi corpori in quo fit actio per antiperistasim.
Declara prius: sic actio per antiperistasim qua in aqua fontana in aestate producitur frigus habet pro suo principio formam substantialem illius aquae
Declara posterius: sic actio per antiperistasim qua in aqua fontana tempore hiemis producitur calor habet pro suo principio quaedam corpuscula ignea isti aquae contigua.
Quid robur quo contrarium roboratur per actionem per antiperistasim? est gradus intensivus cuius additione contrarium magis augetur.
quomodo cum possit fieri actio per antiperistasim qua producuntur primus gradus alicuius contrarii in certo corpore? non refert.
Quomodo cum tali casu illud contrarium non habeat robur prout hic definitur? est verum, sed nihil refert, quia ad actionem per antiperistasim non requiritur ut contrarium per illam roboretur robore stricto, sed sufficit quod per illam contrarium vel producatur vel antea productum magis roboretur. et ideo in

debilitione additur quam contrarium vel producitur vel roboratur. Ideo aliqua methеora generantur actione per antiperistasim, imo et fulgura et fulmina.

De Methaoribus ignitis quae generantur in suprema regione aeris.

Quid metheorum ignitum? est metheorum constans exhalatione pingui et accensa tanquam materia.
Quid exhalatio accensa? exhalatio conversa in ignem.
Cur dicitur exhalatione pingui? quia alias non esset commoda materia ignis.
Quid accensio qua exhalatio accenditur? est actio qua producitur forma substantialis ignis in materia prima exhalationis.
Da principium illius actionis: aliquando est vivus ignis qui exhalationem sibi contiguam accendit, interdum solus deus supplens defectum causae secundae et introducens formam ignis in materiam exhalationum debite dispositam ad formam ignis.
Defini accensionem exhalationis sumptam pro mutatione: est transitus materiae primae exhalationum a forma substantiali illarum ad formam ignis.
Defini illam tanquam generationem? transitus materiae primae exhalationum a privatione formae ignis ad illam.
Quid significat vox accensa? accensionem vel passivam vel activam indifferenter.
Qualis particula est vox accensa respectu vocis exhalatio? alienans.
Divide metheorum ignitum: in metheorum ignitum supremae regionis aeris et metheorum infimae et mediae.
Quomodo cum nullo membro confunditur metheorum ignitum generatum in loco elementi ignis? illud reducitur ad metheorum supremae regionis aeris, si nimirum tale aliquando generetur.
Quae metheora ignita generantur in suprema regione aeris? metheora quae sunt ad instar stellarum.
Quid stella metheorica? metheorum ignitum referens similitudinem verae stellae: dividitur in cometam, stellam cadentem, et stellam discurrentem.

De Cometa.

Quid cometa? exhalatio copiosa viscosa bene compacta et accensa referens similitudinem verae stellae, ac reliqua metheora duratione superans.

An illa definitio sit formalis? non, si metheorum sumatur pro composito per accidens ex elemento et certis qualitatibus, per quas constituitur in ratione metheori.

Cur non? quia cometa sic sumptus non est exhalatio copiosa etc., sed est compositum per accidens ex tali exhalatione et certis qualitatibus.

Qualis ergo est illa definitio? causalis.

Cur dicitur in definitione exhalatio copiosa, viscosa, bene compacta etc.? quia requiritur talis materia sic disposita ut cometa diu possit durare.

Cur dicitur reliqua metheora duratione superans? ut distinguatur contra stellam cadentem et discurrentem.

Da materiam ex qua cometae: exhalatio copiosa, viscosa, bene compacta et accensa.

An materia ex qua permanens sit exhalatio? non.

Quomodo cum sit exhalatio accensa? quia exhalatio accensa non est vera exhalatio, unde vera exhalatio est tantum materia ex qua transiens cometae.

Da causam formalem cometae? figura, lumen, et reliqua accidentia per quae est similis stellae, et reliqua metheora duratione superat.

Defini Cometam formaliter: est metheorum ignitum supremae regionis aeris referens similitudinem verae stellae, ac reliqua metheora duratione superans.

Quomodo tamen non continetur cometa generatus in loco elementi ignis? continetur quia tales etiam comprehenduntur sub metheoris supremae regionis aeris.

An si cometa duraret tantum per aliquot horas esset verus cometa? imo.

Quomodo cum non esset reliqua metheora duratione superans? Resp. adhuc esset quia nempe est de numero illorum metheororum quae plerumque solent omnium maxime durare.

Divide cometam: in coelestem et elementarem.

Quid cometa coelestis? est cometa qui apparet coniunctus cum aliquo astro, et cum eo tanquam unum corpus constituens.

Unde provenit illa apparentia? ex interpositione cometae inter aspectum nostrum, et illud astrum coniuncta cum notabili distantia co-

metę ab aspectu nostro.

Quid cometa elementaris? est cometa qui non apparet coniunctus cum aliquo astro, et cum eo unum corpus constituens.

An idem cometa possit esse coelestis et elementaris? imo diversis temporibus.

An eadem ita scilicet respectu diversorum hominum. cometa aliter dividitur in crinitum barbatum et caudatum.

Quid cometa crinitus? est cometa habens undequaque circumcirca se tenues partes exhalationum accensas referentes similitudinem crinium.

Quid crines cometę criniti? sunt tenues partes exhalationum circumcirca cometam accensę referentes similitudinem crinium.

Quid cometa barbatus? est cometa habens magnam partem exhalationum extra se accensam referentem similitudinem barbę.

Quid barba cometę barbati? est magna pars exhalationum extra cometam accensa referens similitudinem barbę respectu illius cometę.

Quid cometa caudatus? est cometa habens magnam partem exhalationum extra se accensam referentem similitudinem caudę.

Quid cauda cometę caudati? est magna pars exhalationum extra cometam accensa referens similitudinem caudę respectu illius cometę.

Ex quo colligitur utrum pars exhalationum sit barba an cauda cometę? si in motu cometę pars exhalationum precedat cometam tunc vocatur barba, si sequatur vocatur cauda.

Per quid distinguuntur tres illi cometę inter se? per causam formalem, id est per accidentia quę includunt.

Da locum generationis cometarum: suprema regio aeris, et secundum aliquos etiam locus elementi ignis.

Unde probatur? ex motu cometarum ab oriente in occidentem.

An ille motus cometarum sit verus motus? imo, quia ille motus ipse apparet diu durans, et facile inveniri potest a quo ille motus communicatur cometę, nempe ab elemento ignis, vel suprema regione aeris.

An cometa etiam moveatur ab occidente in orientem? imo, sed ille motus plerumque est apparens tantum.

Unde oritur illa apparentia? partim ex motu diurno astrorum, partim ex nimia tarditate motus diurni ipsius cometę, quia per hoc contingit quod cometa modo apparens coniunctus alicui astro, altero die appareat multum remotus ab eodem versus orientem.

Cur cometa movetur tam tarde motu diurno? quia tantum movetur motu diurno per hoc quod propellatur ab aere vel elemento ignis, iam vero non potest celeriter ab illis propelli.

An non possit etiam esse verus motus [struck through] in cometa ab occidente in orientem? imo, si eiusmodi talis imprimeretur per influentiam alicuius astri.

An cometa etiam moveatur aliquando ab austro in septentrionem et contra? imo, ut patet in cometa ab aliquot annis viso in Belgio.

[illegible]

quænam est causa illius motus? verisimiliter aliquod astrum talem motum per influentiam imprimens.
An talis motus localis aliquando sit tantum apparens? imo, præcipue quando non diu durat.
Unde contingit illa apparentia? ex eo quod materia exhalationum sit sic in longum disposita ut referat similitudinem stellæ lateraliter motæ, idque ob successivam inflammationem in diversis locis contiguis.
An cometa aliquando descendat, et aliquando ascendat? imo.
Unde hoc contingit? ex eo quod materia cometæ modo fiat gravior modo levior.
Nota tamen talem motum posse tantum esse apparentem per successivam inflammationem sursum vel deorsum ipsarum exhalationum.
Quo tempore generantur cometæ? maxime tempore veris et autumni.

De Stella discurrente.

Quid stella discurrens? exhalatio pinguis quæ per successivam sui inflammationem refert similitudinem stellæ discurrentis.
Da materiam eius: exhalatio pinguis in longum et oblique disposita; forma vero est successiva eius inflammatio, et alia accidentia per quæ refert similitudinem stellæ discurrentis.
Quid discursus stellæ discurrentis? est successiva inflammatio per quam exhalatio pinguis ita inflammatur ut referat similitudinem stellæ discurrentis.
Da subiectum eius: materia prima exhalationis.
Quid rei illa successiva inflammatio? est mutatio qua materia prima exhalationis secundum diversas suas partes successive mutatur ad formam ignis taliter ut referatur similitudo stellæ discurrentis.
An discursus stellæ discurrentis sit verus motus? distinguo distinctionem: si per verum motum intelligatur motus sive localis sive non localis, tunc semper est verus motus a parte rei, quia ille discursus vel est motus localis, vel est successiva inflammatio, ac proinde motus non localis.
Quomodo ergo vere ante dictum est quod discursus stellæ discurrentis sit successiva inflammatio si possit esse motus localis?
Hoc intelligebatur de stellis discurrentibus quales ordinarie dantur.
An ergo secundum aliquos dentur stellæ discurrentes per verum motum localem? aliqui probabiliter dicunt hoc aliquando fieri, sed est valde rarum et forte nunquam contingit.

Unde probatur? ex eo quod stellae discurrentes aliquando appareant moveri, sicut vero non est verisimile tale metheorum tam celeriter vero motu moveatur, deinde stellae discurrentes ordinariè moventur tantum per aliquod breve spatium et tunc extinguuntur, si vero moverentur vero motu non appareret cur diutius non moverentur sicut cometae.

Define ergo discursum stellae discurrentis tam secundum eos qui dicunt semper tantum esse successivam inflammationem quam secundum illos qui dicunt posse esse motum localem: est successiva inflammatio exhalationis copiosae et pinguis, vel est motus localis successivus talis exhalationis accensae sic ut referat similitudinem stellae discurrentis.

De fulmine, fulgure et coruscatione, quae metheora generantur in secunda regione aeris.

Quid fulmen stricte dictum? est exhalatio copiosa et accensa per modum flammae e nube violenter erumpens.

Quid fulgur? est exhalatio modica et accensa per modum flammae e nube ~~erumpens~~ erumpens.

Quid coruscatio? est exhalatio subtilis et accensa intra nubem per rimas nubis relucens.

In quo distinguuntur fulmen et fulgur? distinguuntur materia, materia enim fulminis est exhalatio copiosa, fulguris vero modica.

In quo differt coruscatio a fulgure et fulmine? secundum formam quia fulmen et fulgur erumpit ex nube per modum vivae flammae, coruscatio vero non apparet per modum vivae flammae erumpentis ex nube, sed tanquam flamma intra nubem accensa, et per rimas nubis ad instar tremuli luminis relucens.

Quid coruscatio abstractive? est productio luminis in speciem tremuli ab exhalatione intra nubem accensa, et per eius rimas relucente.

Qualis coruscatio famose intelligitur? coruscatio concretive.

Divide fulmen: in fumidum et clarum.

Quid fulmen clarum? est fulmen quod ob maiorem ~~mat~~ et puriorem materiam qua constat magis resplendet.

Quid fulmen fumidum? est fulmen quod ob materiam densiorem et vaporum admixtionem apparet minus clarum.

Distingue fulmen fumidum a claro: distinguuntur materia et forma, unum enim habet materiam puriorem, et alterum vaporibus admixtam, et unum habet maiorem splendorem et alterum minorem.

Divide aliter fulmen: in fulmen terebrans, dissipans et urens.

Quid fulmen terebrans? est fulmen quod ob subtiliorem materiam qua constat facile corpora penetrat sine notabili eorum noxa.

Quid fulmen dissipans? quod ob crassiorem materiam qua constat corpora saltem densiora non penetrat sed dissipat.
Quid fulmen urens? quod ob materiam sulphuream qua constat in corporibus relinquit notabiles notas combustionis.
Distinguis illa tria fulmina inter se: per materiam, quia primum includit materiam tenuiorem, secundum crassiorem, tertium sulphuream, deinde distinguuntur effectibus.
An idem fulmen possit esse dissipans et comburens? imo diversimode considerando.
Unde oritur fulmen? ex eo quod exhalationes crassiores calidae intra nubem frigore condensatam conclusae mutua allisione et attritu notabiliter incalescant, ut cuius accensae nubem disrumpunt cum violentia et speciem magnae flammae ostendunt, quod fit simili fere modo sicut dum tormentum bellicum exploditur.
An illa fulmina causentur per antiperistasim? imo quia occasione frigoris condensatur nubes, et ratione istius condensationis illae exhalationes arctius concluduntur, ob quam conclusionem tanto fortius nubem disrumpunt.
Cur fulmen potius erumpit ex inferiore parte nubis quam superiori vel laterali? in primis etiam aliquando erumpit ex superiori, quod autem hoc nobis non appareat fit propter interpositionem nubis inter aspectum nostrum et fulmen erumpens; ratio vero cur potius possit erumpere versus terram quam versus coelum est quia nubes ab inferiore parte ordinarie non tam cito condensatur quam a superiore, est enim vicinior secundum partem inferiorem radiis solaribus reflexis, et sic citius patet exitus fulmini per partem inferiorem quam superiorem

De Tonitru

Quid tonitru? est notabilis sonitus excitatus ab exhalatione e nube erumpente vel intra nubem tumultuante, vel ex collisione duarum nubium inter se, quod additur ob aliquos qui dicunt tonitru etiam oriri ex vehementi collisione duarum nubium inter se.
An exhalatio unde oritur tonitru debeat esse accensa? debet esse accensa vel proxime disposita ad accensionem.
Cur ergo non additur illa particula accensa in definitione? hoc satis intelligitur dum dicitur e nube erumpente vel intra nubem tumultuante, quia hoc nequit fieri nisi illae exhalationes sint accensae vel

proximè dispositum ad accendendum
Divide tonitrua in crepans, stridens, et tumultuans.
Quid tonitruum crepans? est tonitruum excitatum ab exhalatione uni-
co ictu e nube erumpente.
Quid tonitruum stridens? est tonitruum excitatum ab exhalatione
diversis ictibus successivè nubem disrumpente.
Tumultuans est tonitruum ab exhalatione intra nubem diversis ictibus
successivè excitatum sine nubis disruptione.
Da materiam tonitrui: si intelligatur materia ex qua non datur, si
si vero materia in qua, talis quidem est aer nubes, et pro parte ex-
halatio.
Cur tonitruum non habet materiam ex qua? quia est sonus, sonus
vero non habet materiam ex qua, licet realem qualitatem faciunt
si intelligitur.
Declara quod aer nubes, etc. sint materia in qua tonitrui: quia
tonitruum tanquam sonus recipitur partim in aere nubi vicino
unum partim in aerem partim in exhalationem tanquam forma
in sicut subiectum a quo dependeat.
An aer nobis hic vicinus sit subiectum tonitrui cum tonitruat?
non, sed tantum est subiectum specierum audibilium a tonitruo tanquam
sono productarum.
Quaenam est causa efficiens tonitrui? exhalatio e nube erumpens
vel intra nubem tumultuans, vel duae nubes sibi mutuo for-
titer allisae.
An illae causae sint causae efficientes proximae ipsius? non scilicet
secundum communem sententiam, quia secundum communem sen-
tentiam illae causae producunt tonitruum mediante qualitate sonifi-
ca.
Cur dicitur, secundum communem sententiam? quia secundum ~~[illegible]~~
~~[illegible]~~ sententiam aliquorum recentiorum sonus non est aliud
nisi motus, et secundum hoc non est opus hinc fingere unam
qualitatem sonificam, sed sufficit exhalatio vel nubes impe-
tuose mota ad hoc ut producatur ille sonus qui vocatur tonitruum.
Quidnam causatur prius, tonitruum an fulmen? vel tonitruum
simul causatur cum fulmine vel causatur ante fulmen,
unde ergo fit quod primo videamus fulmen antequam audia-
mus tonitruum? ex eo quod species visibiles fulminis diffun-
dantur per medium in instanti, species vero audibiles tonitrui
successivè
Unde fit quod aliquando audiatur tonitruum, et nullum videatur
fulmen? ex eo quod vel exhalatio non sit accensa quae causat
tonitruum vel si sit accensa quod tantum tumultuetur intra nubem
sine nubis disruptione.

De methaeoris ignitis quae generantur in infima regione aeris, de igne lambente et fatuo.

Quid ignis lambens? est exhalatio tenuis viscosa et accensa capitibus hominum vel crinibus brutorum adhaerens.

Da subiectum ignis lambentis: non datur, quia generatim nullius meteororum proprie dictorum est forma.

Da causam materialem ex qua ignis lambentis: exhalatio tenuis viscosa et accensa.

Da causam formalem sive formam componentem: adhaesio exhalationis tenuis viscosae et accensae circa caput hominum aut crines brutorum.

Cur ignis lambens debet esse exhalatio tenuis et viscosa? Debet esse tenuis ut adhaereat capiti hominum vel crinibus brutorum sine notabili eorum noxa. ~~tenuis~~

Unde fit quod talis ignis oriatur circa caput hominum vel crines brutorum? ex eo quod talis ignis soleat generari ex exhalationibus eductis ex capitibus hominum aut corporibus brutorum.

Quid ignis fatuus? est exhalatio viscosa et accensa circa terram adinstar fatui hinc inde subsiliens.

Cur talis exhalatio debet esse viscosa? quia alias non esset materia capax ignis fatui qui ordinarie aliquamdiu durat.

Cur ignis lambens debet constare exhalatione viscosa? quia alias non posset ita firmiter adhaerere capitibus hominum vel crinibus brutorum.

Da causam materialem ex qua ignis fatui: exhalatio viscosa et accensa.

Da causam formalem: progressio talis exhalationis circa terram et saltus.

Quid saltus ignis fatui? est motus verus vel apparens quo exhalatio ~~viscosa~~ viscosa et accensa apparet moveri adinstar fatui ~~[illegible]~~ hinc inde subsilientis.

An ille saltus sit verus saltus? non, quia verus saltus tantum competit animalibus.

An sit verus motus? ordinarie est, sed tamen non est necesse quod sit semper talis.

Declara quod possit esse motus apparens tantum: quia exhalatio

possit sic esse disposita ad successivam inflammationem in diversis suis partibus, ut modo inflammaretur in parte inferiori, et modo inflammaretur in parte superiore extincta parte inferiore, et postea rursum in parte inferiore extincta parte superiore.
Quodnam est subiectum saltus ignis fatui dum est versus motus? exhalatio viscosa, et accensa.
Unde fit quod illa exhalatio modo subsiliat, modo rursum parum quiescat, et post rursum subsiliat, et sic consequenter? ideo subsilit quia natura sua levior aere tentat aerem transcendere; ideo tantum quiescit quia subinde implicatur aeri per crassos vapores condensato.
An subinde non movetur deorsum? imo.
Unde hoc fit? quia in aerem condensatum impingens ab eodem subinde resilit versus terram.
An ignis fatuus non sit subiectum saltus ignis fatui? non, quia includit in se istum saltum.
An quamdiu ignis fatuus existit talis saltus existat? non tamdiu existit talis saltus in rigore loquendo.
Declara, quia ignis fatuus includit saltum factum cum interruptione ac proinde debet intercedere aliqua quies inter partes illius saltus, eo vero tempore quo existit illa quies censetur existere ignis fatuus saltum secundum aliquam sui partem, et tamen tunc secundum nullam sui partem existit saltus

De Castore polluce et Helena.

Quid castor et pollux? sunt duae exhalationes viscosae et accensae antennis navium simul adhaerere solitae.
Quando censentur duae istae exhalationes simul adhaerere antennis navium? quando eodem tempore sic adhaerent antennis navium ut existant prope invicem.
Da materiam ex qua castoris et pollucis? aggregatum ex duabus exhalationibus viscosis et accensis.
Da causam formalem istorum: adhaesio eorum simultanea circa antennas navium vel existentia simultanea talium exhalationum supra mare, quod additur quia non est necesse ut tales exhalationes de facto simul adhaereant antennis navium sed sufficit quod simul existant supra mare et sint tales quae soleant simul adhaerere antennis navium.
Quid castor? est exhalatio viscosa et accensa antennis navium adhaerere solita cum consortio alterius similis quam vocamus pollucem. materia eius est exhalatio viscosa et accensa; forma vero adhaesio circa antennas navium vel existentia supra mare, et consortium cum alia simili exhalatione quam vocamus pollucem.

Quid pollux? exhalatio viscosa et accensa antennis navium adhære-
re solita cum consortio alterius similis quam vocamus castorem.
forma eius est adhæsio antennis navium vel existentia supra
mare et consortium cum simili exhalatione quam vocamus casto-
rem.
Utram ex duabus exhalationibus accensis in mari simul appa-
rentibus debet vocari castor et quæ pollux? hoc pendet ab ar-
bitrio hominis cum illa stante correspondentia ut si unam voces
castorem alteram tunc consequenter voces pollucem.
Quid helena? exhalatio viscosa et accensa antennis navium ad-
hærere solita sine consortio alterius similis.
Da materiam eius: exhalatio viscosa et accensa forma vero
eius est adhæsio ad antennas navium vel existentia supra ma-
re negatio conjunctionis cum exhalatione simili tanquam
consorte.
An castor sive pollux possit mutari in helenam et helena con-
tra? utrumque quia hoc fiet si ex duobus ignibus antennis navium
adhærentibus destruatur unus remanente altero, posterius
vero fiet si uni igni antennis navium adhærenti conjungatur
alter similiter adhærens.
An maneat idem meteorum dum helena mutatur in castorem?
non manet idem secundum formam? non quia dum est helena
includit pro partiali forma negationem conjunctionis cum alia
simili exhalatione tanquam consorte dum vero est castor
includit conjunctionem cum alia simili exhalatione tanquam
consorte.

De Stella

Cadente, capra saltante, et dracone volante.

Quid stella cadens? est meteorum igneum referens
similitudinem veræ stellæ cadentis.
Da materiam ex qua stellæ cadentis: exhalatio accen-
sa.
Da formam eius: similitudo quam habet cum vera stella
cadente.
Unde oritur illa similitudo? imprimis ex eo quod habeat figu-
ram similem veræ stellæ, et ex eo quod appareat ita cadere
acsi caderet una vera stella deorsum.
An casus stellæ cadentis sit verus casus? non, quia casus
tantum competit corporibus propria gravitate cadentibus
deorsum.
An saltem sit verus motus? ordinarie est, sed non est
necesse quod sit semper.
Unde oritur ille motus quando est verus motus? ex eo quod

illa exhalatio accensa ex qua componitur stella cadens repel-
latur violenter a nube vel ab illa expellatur deorsum: potest
etiam ille motus verisimiliter fieri ex hoc capite quod [illegible]
cum illa exhalatio accensa habeat ibi immixtam viscosam
aliquam materiam non accensam, et gravem, cuius pondere etiam
ipsa exhalatio rapiatur deorsum.
Declara quod motus localis stellae cadentis possit esse
apparens tantum: hoc fiet si aliqua exhalatio sit in longum
disposita a loco remotiore versus locum viciniorem terrae, et
si illa tunc successive accendatur eo modo quo solent accen-
di stellae discurrentes.
Quid capra? Est meteorum ignitum referens similitudinem
verae caprae. Materia eius est exhalatio accensa, forma sunt
accidentia per quae est similis verae caprae.
Unde oritur illa similitudo cum vera capra? Ex eo quod ha-
beat aliquas partes prominentes et diffusas ad instar pedum,
et aliquas partes tenuiter accensas et quasi cadentes ad instar
pilorum caprae.
Divide capram: in capram saltantem, et non saltantem.
Quid capra saltans? Meteorum ignitum referens similitu-
dinem verae caprae saltantis. Forma eius sunt accidentia
per quae est similis verae caprae saltanti, qualia sunt figura
similis figurae caprae et saltus.
An sit verus saltus? Non.
An sit verus motus localis? Aliquando est, aliquando appa-
rens tantum.
A quo producitur ille motus localis dum est verus? Ab impe-
tu impresso ipsi exhalationi accensae quae apparet saltare.
A quo producitur ille impetus? Ordinarie a levitate ipsius ex-
halationis, aliquando etiam a nubibus saltem pro parte.
Quomodo ille impetus producitur a levitate, cum per illum ex-
halatio partim moveatur sursum, partim deorsum? Nihil obstat.
Quomodo, cum levitas sit tantum motiva sursum? Est
tantum motiva sursum si absint impedimenta; sed impetus
productus a levitate movet etiam deorsum dum sunt impedi-
menta; in capra vero saltante ponitur impedimentum nempe
densitas nubium in quam impingit.
Quid capra non saltans? Conformiter: forma eius est figura
similis figurae caprae, et negatio saltus.
Quid draco? Est meteorum ignitum referens similitudinem
veri draconis. Forma eius sunt accidentia ratione quorum
est similis vero draconi.
In quo consistit illa similitudo? In dispositione certae materiae
ratione cuius apparet habere partem supremam, et infimam non

ita crassam mediam vero crassiorem adinstar turgidi ventris alijsque draconib.

Divide draconem: in volantem et non vo.

Quid draco volans? est metheorum ignitum referens similitudinem veri draconis volantis. forma eius sunt figura et reliqua accidentia per quae est similis vero draconi volanti.

Ubi generantur dracones volantes? ordinarie circa nubes. solent enim expelli seu exprimi vel saltem repelli ita a nubibus ut appareant moveri adinstar draconum volantium.

Ubi adhuc generantur? ordinarie etiam in collegijs.

Quid draco non volans? est metheorum ignitum referens similitudinem veri draconis non volantis.

Quae forma eius? figura per quam assimilatur vero draconi et negatio volatus.

Quid volatus draconis volantis? est motus quo aliqua exhalatio accensa apparet moveri sub tali dispositione partium ut simul tota referat similitudinem veri draconis volantis.

Quid saltus caprae saltantis? est motus quo aliqua exhalatio accensa apparet moveri sub tali dispositione partium ut simul tota referat similitudinem verae caprae saltantis.

Quid casus stellae cadentis? est motus quo exhalatio accensa apparet moveri sub tali dispositione partium ut simul tota referat similitudinem verae stellae cadentis. per motum ex partibus generis definiti in illis definitionibus intelligitur motus localis verus vel apparens.

De Flamma

Columna trabe, candela ardente etc.

Quid flamma? exhalatio in longum et latum extensa simul accensa referens similitudinem magni ignis.

Nota

Quid columna? est metheorum ignitum referens similitudinem verae columnae.

Quomodo exhalatio accensa debet esse disposita ad hoc ut referat similitudinem verae columnae? debet esse in altum recta elevata, aut fere recta, et habere apparentiam figurae rotundae, et utrumque crassae, magis tamen longae.

Quid trabs? est metheorum ignitum referens similitudinem verae trabis.

An columna possit mutari in trabem? imo si minimum exhalatio accensa habens similitudinem columnae et in altum ele-

nata post disponatur lateraliter ut trabes in edificiis.
Quid candela ardens? est metheorum ignitum referens similitudinem verae candelae ardentis.
Quid ad hoc requiritur? Ut exhalatio habeat aliquot partes albicantes in longum dispositas et in extremitate sua sit accensa.
Quid stella sive titio ardens? est metheorum ignitum referens similitudinem verae stellae sive titionis ardentis.
Quid ignis pyramidalis seu perpendicularis? est metheorum ignitum referens similitudinem verae pyramidis.
Ita materia praedictorum metheororum: exhalatio accensa, forma vero fuit illa accidentia ratione quorum habent similitudinem cum illis a quibus nomine apellantur

Quid ventus? est halitus siccus quem tellus profundit copia per terram currens.
An illa definitio sit formalis? non, sed causalis assignata scilicet per causam materialem ex qua.
Quis ventus hic definitur: ventus ordinarius spirans circa terram.
Quam habitudinem in recto obliqui significat illa vox halitus sicci in definitione venti? habitudinem subiecti respectu illius vocis copia supposito numerum quod illa vox significet numerum numerantem.
Cur hoc additur? quia si significaret illa vox copia numerum numeratum illa vox halitus sicci significaret habitudinem partis integralis late dictae respectu significati vocis copia.
Quid terram halitum siccum profundere? est terram halitum siccum ex se apparenter emittere.
Quare dicis apparenter? quia terra proprie ex se non emittit istum halitum sed a calore et levitate violente elevatur.
Quid halitum siccum per terram currere? est halitum siccum moveri motu celeri et laterali non procul a terra.
An si aliquis saccum plenum halitibus siccis celeriter circa terram circumduceret per hoc daretur ventus? non.
Quomodo cum tali casu detur halitus siccus copia per terram currens? non currit per terram prout hic, quia talis halitus tantum movetur per accidens [illegible]

per circulum intelligitur moveri non per accidens.
Quid cursus halitus sicci prout hic est motus obliquus et la:
teralis quo halitus siccus movetur non per accidens circa
terram.
Da subiectum istius cursus halitus sicci.
Da subiectum proximum: natura halitus sicci.
An ventus sit subiectum illius cursus? non secundum ordi:
nariam sententiam, quia ventus includit istum motum tan:
quam partem, iam vero totum non est subiectum sue partis.
Cur dicitur secundum ordinariam sententiam? quia in alia
sententia ventus potest esse subiectum illius motus.
In qua sententia? in illa in qua consideratur meteorum
tanquam corpus imperfecte mixtum substans qualitatibus
perpetuis et illas sibi includens.
Qualis motus est ille cursus an secundum naturam an con:
tra? motus ille partim contra, partim secundum, partem
preter naturam, quia ille cursus includit diversos partiales
motus quorum unus est parum sursum, alter aliquantu-
lum deorsum, alter vero lateralis, et sic secundum diversas
illas partes potest diversimode se habere respectu halitus
sicci per illum moti.
An ventus non recte dicatur moveri localiter per illum
cursum? non recte dicitur moveri localiter subiective sed
(?) moveri localiter essentialiter sicut compositum ex
pariete et albedine recte dicitur album essentialiter idem
dicendum de capra saltante, stella cadente, dracone volan=
te.
Quid ventum spirare? est ventum adinstar animalis con=
ceptum flatum ex ore semittere.
A quibus causis efficitur cursus halitus sicci per terram? partim a gravitate halitus
ascendentis, partim a levitate, partim ab impetu acquisito, resistentiis nubis, vel repul:
sionis halitus sicci facta a nube, partim ex se quod ille halitus non
possit facile dividere aerem.
An ventus spirans circa nubes contineatur illa defini:
tione? si intelligatur ventus compositus ex vento spirante
circa terram et vento spirante circa nubes continetur
saltem gratia partis, si vero intelligatur tantum
ventus mere spirans circa nubes tunc non continetur ordinaria
definitione sed definito, quia non est ventus ordinarius.
Vide ventum in cardinalem et collateralem.
Quid ventus cardinalis? est ventus spirans ex aliquo
cardine mundi.
Quid cardo mundi? est unum ex quatuor punctis terminan=
tibus duos axes circa quos moventur duo hemispheria coeli:
numerantur: oriens, occidens, meridies et septentrio.
Quaenam puncta terminant axem primi mobilis? septentrio

Paradigma terræ plagas 4. ac 12 ventorum situm indicans.

Pentastichon

Variarum mensurarum rationem indicans.

quatuor ex granis digitus componitur unus
Et quater in palmo digitus: quater in pede palmus:
Quinque pedes passum faciunt: passus quoque centum
Viginti quinque stadium dant: sed miliare
octo dabunt stadia: duplicatum dat tibi leuca.

et meridies, oriens vero et occidens terminant axem decimae
sphaerae, per duos supremos coelos intelliguntur hic duo supre-
mi coeli mobiles.
Quid oriens? est illud punctum horizontis in quo sol
nobis oritur dum est in aequinoctio.
Quid occidens? illud punctum horizontis in quo sol nobis
occidit dum est in aequinoctio.
An idem punctum mundi possit esse oriens et occidens?
imo respectu diversorum, sed non respectu eiusdem eodem
tempore naturaliter loquendo, quod additur, quia si aliquis
esset replicatus posset idem punctum sub diversa consi-
deratione habere, et tanquam oriens, et tanquam occidens.
Quid septentrio? est punctum terminans axem primi
mobilis existens supra nostrum horizontem quod ultimum
additur ut excludatur meridies.
Quid meridies? punctum terminans axem primi mobilis
existens infra nostrum horizontem
Quot sunt venti cardinales? quatuor, boreas, seu aquilo,
auster seu notus, eurus et zephyrus seu favonius.
A quali parte mundi spirat boreas? a septentrionali.
a quali parte spirat auster? a meridionali.
a quali parte eurus et zephyrus? eurus ab oriente, ze-
phyrus ab occidente iuxta hos versus

Asper ab axe ruit boreas, ruit eurus ab ortu,
Auster amat medium, zephyrus ubi phaebe recumbit.

Quid ventus collateralis? est ventus proximus spirans
a latere alicuius venti cardinalis.
Cur additur proximus? ut excludatur ventus cardinalis
remote spirans a latere alicuius venti cardinalis.
quot sunt venti collaterales? octo iuxta hos versus

Caecias et vulturnus flantem eurum comitantur,
Phenicias pariter libonotus sunt socii austro,
Africus atque corus zephyro sunt collaterales,
Thrasias et [illegible] boream stipare videntur.

Nota quod ventus collateralis alicuius venti cardinalis
enumeratus primo loco spirat a dextris illius venti cardinalis,
ventus vero enumeratus secundo loco spirat a sinistris.
a qua parte spirat caecias? a dextris euri.
a quali parte vulturnus? a sinistris euri.
a quali parte phenicias? a dextris austri libonotus a sinistris
austri.
A quali parte spirat africus seu corus? africus a dextris
zephyri corus a sinistris eiusdem.
a quali parte spirant trasias item [illegible]? trasias a dextris
boreae, [illegible] a sinistris.

Quaenam qualitates primae sunt ventis ~~[illegible]~~ connaturales? si spectentur secundum exhalationes quas includunt, sunt connaturales illis frigus et siccitas, quia illae exhalationes secundum suam substantiam sunt corpora terrestria, cum vero corpora terrestria connaturaliter exigunt frigus et siccitatem.

Quas qualitates primas habent sibi connaturales quando considerantur in ratione venti? diversi venti diversas habent qualitates sibi connaturales sub tali consideratione. Pro quo nota, quod sub illa consideratione non attendatur ad qualitates primas quas venti exigunt ratione suae substantiae quam includunt, sed ad qualitates primas quas suo flatu in terras solent causare.

Quas qualitates primas habet sibi connaturales boreas sub ~~[illegible]~~ ratione venti? frigus et siccitatem.

Quas qualitates habet auster? calorem et humiditatem.

Quas qualitates habet eurus? calorem et siccitatem.

Quasnam habet zephyrus? frigus et humiditatem.

Quas qualitates habent venti collaterales cardinalibus? participant de qualitatibus sui venti cardinalis exceptis tamen caecia et phoenicia (quod additur quia caecias qui est ventus collateralis euri saepe participat de qualitatibus aquilonis seu boreae, et phoenicias qui est ventus collateralis austri subinde participat de qualitatibus euri.

Quot modis venti sibi mutuo opponuntur? duobus: semel ratione loci, et semel quoad qualitatem.

Quid venti oppositi quoad locum? sunt venti qui flant ex partibus quasi diametraliter oppositis.

Da omnes ventos sic oppositos: in primis tales sunt boreas et auster, eurus et zephyrus, item thracias et ~~phoenicias~~ tunges(?) et ~~libonotus~~ caecias et africus, vulturnus et corus.

Cui vento opponitur quoad locum africus? caeciae.

Cui tunges(?)? libonoto etc.

Nota quod ventus lateralis spirans a dextris cuiusvis venti cardinalis opponatur quoad locum vento laterali sinistro(?) cardinali qui opponitur quoad locum; idem dic de vento spirante a sinistris alicuius cardinalis.

Quid venti oppositi quoad qualitatem? sunt venti qui repugnant utraque qualitate prima: boreas et auster.

Et venti e converso se habent venti contrarii quoad locum et contrarii quoad qualitatem? utrumque sunt boreas et auster.

Da ventos contrarios quoad locum non quoad ~~[illegible]~~ qualitates: caecias, et africus.

Cur caecias non opponitur quoad qualitatem africo? quia caecias licet sit collateralis euro, tamen participat de qualitatibus aquilonis, et sic convenit in frigore cum africo qui est frigidus, et humidus utpote collateralis zephyro.
Da ventos oppositos quoad qualitatem non quoad locum: ut caecias et libonotus, quia caecias est frigidus et siccus, libonotus est humidus et calidus.
Cur non opponuntur quoad locum? quia caecias est euro collateralis, libonotus austro, et sic non spirant ex locis diametraliter oppositis. proprietates ventorum habentur in dictatis.

?

Quid etesiae seu venti anniversarii? sunt venti qui certis anni temporibus flant.
Divide etesias: in australes et septentrionales.
Quid etesiae australes? sunt etesiae flantes circa solstitium hyemale.
Septemtrionales vero sunt etesiae flantes circa solstitium aestivum.
Divide aliter ventos: in generalem seu universalem et provincialem.
Quid ventus universalis? ventus spirans per varias mundi provincias.
Quid ventus provincialis? ventus spirans per certas tantum mundi provincias. ut circius spirans tantum in gallia Narbonensi.
An non posset probabiliter sustineri quod ventus nec sit aliquid siccus, nec compositum ex aliquo sicco? imo quia probabiliter ventus non est aliud quam aer impetuose motus, idque ob hanc rationem quia subinde per notabile tempus sentimus ventos quando est aer maxime serenus, ergo tunc non possunt esse talis exhalationum copia per quarum motus fiat ventus, motus vero ille aeris potest causari ab influentiis vel similibus causis.
Defini ventum generaliter: est aliquid sicci copia circum per terram, aera, vel nubes.
Da ventum generaliter dictum non stricte: ventus

latè dictus existens circa nubes tantum

De Procella.

Quid procella? exhalatio copiosa magna vi e nube
erumpens, et deorsum recta vel gyraliter tendens.
materia eius est exhalatio copiosa, sive accensa sive
non accensa, forma est impetuosa eruptio e nube, et ten-
dentia deorsum vel recta vel gyralis.
Divide procellam: in echnephiam, typhonem et presterem.
Quid echnephias? est procella non accensa tendens rec-
ta deorsum.
Da materiam item formam: materia est exhalatio copio-
sa, forma est tendentia recta deorsum, et negatio accen-
sionis.
Quid typhon seu turbo? procella non accensa tendens gy-
raliter deorsum. materia est exhalatio copiosa, forma
est motus gyralis deorsum, et negatio accensionis.
Per quid distinguuntur typhon et echnephias? per formam
partialem, quia unus includit tendentiam rectam deorsum,
et alter tendentiam gyralem deorsum.
Quid prester? est typhon inflammatus.
Per quid distinguitur prester a typhone? per materiam,
typhon enim includit exhalationem non accensam, et prester
per materiam habet exhalationem accensam, et per formam
habet tendentiam gyralem deorsum, et impetuosam e nube
eruptionem.
An omnes istae tres procellae pro partiali forma includant
impetuosam e nube eruptionem? sic, sed per illam non dis-
tinguuntur inter se.



Tractatus de Metheoris aqueis.

Quid methaeorum aqueum? est metheorum cuius ma-
teria ex qua est substantialiter aqua.
An omne metheorum aqueum habeat pro materia vapo-
rem? distinguo: habet vaporem pro materia sua permanen-
te sive transeunte; sed non habet necessario vaporem pro
materia permanente sicut patet in pluvia nive et grandine.

De Nube.

Quid nubes? est vapor condensatus pendens in media
regione aeris vel suprema parte infimae.
Qualis est illa definitio? causalis.
Defini nubem formaliter: est metheorum aqueum compositum
ex vapore condensato et pendentia illius in media regione
aeris vel suprema parte infimae. materia est vapor, forma
est condensatio illius vaporis et pendentia eiusdem in me-
dia regione aeris aut suprema parte infimae.
Quid condensatio alicuius corporis? sumitur pro actione se-
mel et semel nominaliter.
Quid condensatio actio? est actio qua corpus aliquod fit praesens
minori spatio sub aequali numero partium.
Quid condensatio nominaliter? est praesentia alicuius corpo-
ris ad minus spatium sub aequali numero partium.
Quam condensationem significat illa vox condensatus
in definitione causali? condensationem nominaliter sumptam.
Quid pendentia illius vaporis in media regione aeris vel
suprema parte infimae? est praesentia illius vaporis ad spa-
tium mediae regionis aeris vel supremae partis infimae con-
cepti cum gravitate sua naturaliter deorsum.
Cur hoc additur concepti etc? quia ille vapor revera non pendet

sed tantum concipitur pendens, ad cuius conceptum requiritur ut concipiatur gravitate sua nisi deorsum.
An nubes aliquando moveantur? in rigore loquendo non.
Quomodo non bonum modo videamus nubem in una parte aeris, modo in alia? non est eadem nubes in rigore, quia nubes in suo conceptu essentiali involuit praesentiam ad certum spatium mediae regionis aeris vel supremae partis infimae, quando vero vapor condensatus movetur loco tunc acquiritur alia et alia praesentia, et sic mutatur essentia nubes.
Divide nubem: in faecundam et sterilem
Quid nubes faecunda? est quae ob humorem quo abundat facile in pluviam converti potest. ut nubes in quibus apparent iridis.
Quid nubes sterilis? est nubes defectu humoris inepta converti in pluviam.
Quid nebula? iuxta aristotelem est nubis in aquam conversae superfluitas.
Quomodo sumitur ibi superfluitas? concretive, ut sit idem quod pars superflua.
Da sensum definitionis? sunt partes vaporis condensati restantes ex nube ante in aquam conversa.
Quid nebula generaliter? est vapor condensatus pendens in infima parte infimae regionis aeris.
Quid nebula non aristotelica? est nebula quae non est a nubis in aquam conversae superfluitas. ut nebula apparens supra prata, tunc cum nulla praecessit pluvia.
An nebula aristotelica semper existat in infima parte regionis infimae aeris? imo per hoc ipsum quod est nubis in aquam conversae superfluitas sufficienter colligitur quod illae partes reliquae descenderint prope terram per casum pluviae ex nube conversae.

De Pluvia

Quid pluvia? est nubes in aquam conversa guttatim decidens, estque definitio tantum causalis.
Defini formaliter: est motus corporum aqueorum ortum ex nube in aquam conversa et guttatim decidentem, materia est nubes in aquam conversa, forma est casus deorsum, et figura guttarum.

Da materiam et formam pluviae: est data.
An nubes in aquam conversa sit vera nubes? non, si per aquam intelligatur aqua ordinaria qualis est pluvia.
Quid gutta? est parva particula aquae vel humoris rotunda et ab aliis seorsim existens.
Da subiectum casus pluviae: diversae guttae ex quibus pluvia componitur.
Qualis est illa praedicatio pluvia cadit? est essentialis, quia casus est pars essentialis pluviae, et ob talem coniunctionem pluviae tribuitur in praedicta essentiatione.
Qualis est conversio qua nubes convertitur in aquam? est conversio accidentalis.
Quid ergo conversio nubis in aquam? conversio cuius terminus a quo est nubes et terminus ad quem est aqua considerata secundum illa accidentia per quae rursus sortitur nomen aquae ante ammissum.

Divide pluviam: in pulverulentam seu stillicidium, imbrem, et nimbum.
Quid pluvia pulverulenta? pluvia frequentibus et minutis guttis decidens.
Quid imber? est pluvia frequentibus et maioribus guttis decidens.
Quid nimbus? est pluvia raris et maioribus guttis decidens.
Per quid distinguuntur illae tres pluviae? per materiam saltem numero diversam, et per formam specie distinctam saltem secundum rationem; quia stillicidium includit parvitatem guttarum, et earundem frequentiam in sua forma; imber includit maioritatem et frequentiam guttarum; nimbus raritatem et maioritatem guttarum.
Unde fit quod una pluvia sit potius pulverulenta quam alia? partim ex materia, partim ex loco generationis; quia quando nubes illa est densior in ratione vaporis et simul est generata altiori loco, tunc nata est fieri stillicidium.
Da subiectum conversionis qua nubes convertitur in aquam dum fit pluvia: materia prima nubis.
Da tale quod sit physice compositum: ipsa substantia aquae ex qua ante componebatur nubes.

De Melle manna et Ladano.

Quid mel? est succus dulcis ortus ex vapore tenui non multum excocto, et subtilioribus terrae partibus permixto ab apibus lecto.
An illud mel sit idem cum eo quod provenit ab apibus? non, sed tantum colli:
An apes vere conficiant illud mel?

guit ex floribus.
Quid manna? succus albus et dulcis ortus ex vapore satis multum excocto et subtilioribus terrae partibus permixto.
Per quid manna distinguitur a melle? per vaporem multum excoctum: qui in melle est tantum parum excoctus.
Quid ladanum? substantia similis melli quae in certis regionibus adhaerere solet herbis vel velleribus caprarum dum per certa gramina pascuntur. distinguitur a melle per hoc quod tantum sit ipsi similis et non conveniat plane in ipsis accidentibus.
An illa terrea sint re vera metheora? non quia non sunt corpora imperfecte mixta sed perfecte.

De Rore.

Quid ros? est vapor non procul a terra elevatus et ibidem vi frigoris nocturni in exiguas aquae guttas condensatus.
materia eius est vapor, forma conversio vaporis in exiguas aquae guttas facta non procul a terra.
Distinguitur idem a stillicidiis in eo quod conversio vaporis in aquam in stillicidiis fiat remotius a terra et conversio vaporis in guttas roris fiat minus remote a terra. distinguitur rorem a nebula: in eo quod conversio ~~…~~ vaporis in rorem debeat fieri vi frigoris nocturni, simile autem quid non debet fieri in nebula.
Quid pruina? est vapor non procul a terra elevatus et ibidem vi frigoris congelatus in minutas partes antequam in aquam convertatur.
distinguitur pruinam a rore: in eo quod exiguae partes pruinae sint ~~…~~ congelatae, roris vero non. distinguitur pruinam a nive item grandine: in eo quod nix item grando oriatur ex nubibus, pruina vero ex vapore non procul a terra elevato et ibidem congelato.
Da materiam item formam pruinae: materia eius est vapor, forma est conversio ~~…~~ illius in exiguas partes congelatas facta non procul a terra.

De Nive.

Quid nix? est nubes antequam in aquam convertatur in floccos congelata.

Defini formaliter: est meteorum aqueum constans nube
congelata in floccos antequam in aquam convertatur.
Quomodo cum nix non constet nube? nihil refert, quia nubes
in floccos congelata non est vera nubes.
Da materiam, item formam nivis: materia est nubes in floc-
cos congelata, id est illa substantia quae apparet habere prop-
ter sui congelationem similitudinem cum floccis; forma est
congelatio, et reliqua accidentia ex quibus resultat simili-
tudo cum floccis veris.
Quid floccus proprie dictus? est exigua pars lanae per
aerem volans.
Quid floccus nivis? est exigua pars nivis similis vero
flocco.
Unde contingit quod nubes subinde prius congeletur in floccos
quam in pluviam convertatur? ex eo quod habeat subinde ad-
mixtas exhalationes siccas, ratione quarum vapor frigefac-
tus prius acquirit frigus et siccitatem, quam frigus et
humiditatem requisitam ad aquam.
Quid nubem concrescere in aquam? est substantiam nubis
transire a raritate nubis ad densitatem connaturalem
aquae.

De Grandine.

Quid grando? est pluvia inter cadendum congelata.
An grando sit pluvia? non.
Quomodo ergo sit pluvia inter cadendum congelata?
non refert, quia talis non est vera pluvia.
Da materiam grandinis: materia ex qua transiens est
vera pluvia ~~pluvia~~; materia vero ex qua permanens est aqua
congelata in quantum versa est vera pluvia.
Da formam: congelatio pluviae facta inter cadendum.
Unde fit quod grando constet particulis rotundis? ex eo quod
oriatur ex pluvia constante guttis rotundis.
In quo distinguitur grando a nive? in eo quod grando oria-
tur immediate ex pluvia, nix vero ex nube antequam in
pluviam sit conversa; et hinc patet cur nix sit mollior
quam grando.
Da causam efficientem grandinis: frigus mediae regionis
aeris, item aliquae exhalationes siccae concurrentes in grandi-
nem siccitatem requisitam ad glaciem, item influentiae
coelestes.
Unde fit quod aliquando grandinet in aestate? ex eo quod
grando aliquando per ventos asportetur ex regionibus fri-
gidis ad regiones in quibus est aestas.

Deinde sepe causatur in estate per antiperistasim, denique licet sit calidum in estate prope terram, est subinde valde frigidum in media regione aeris, ut patet ex altis montibus qui totam estatem manent obtecti nivibus.

De Glacie

Quid glacies? est aqua vi frigoris indurata, habens admixtas exhalationes terrestres humiditatem eius diminuentes.
Quid congelari? corpus ex se humidum ~~[illegible]~~ sua indurari vi frigoris, et habere admixtas exhalationes terrestres humiditatem eius minuentes.
Da corpus quod non potest congelari: lapis.
Quid chrystallus? glacies indurata orta ex nivibus resolutis.
An sit verum metheorum? non, quia est corpus perfecte mixtum.
Quare potius quam glacies ordinaria? quia illa facile rursus resoluitur in elementum, nempe aquam, non sic chrystallus.
An sit certum dari chrystallum ortam ex nivibus resolutis, sed probabile est oriri aliunde.

De Mari

Quid mare? communis aquarum congregatio, et orgo [illegible] esterarum.
Quale mare ibi definitur: mare universale seu oceanus.
An mare mediterraneum sit mare prout hic, quia non est communis aquarum congregatio.
Quale mare est mare mediterraneum? mare particulare.
Quid mare particulare? est mare alluens tantum certas aliquas regiones.
An omnia maria particularia continuentur cum mari universali? potest dici quod sic.
Quomodo cum mare caspium non continuetur cum illo? continuatur per aliquos meatus subterraneos.
An ceterae aquae derivantur ex mari? R. probabiliter quod sic intelligendo sive proximè sive remotè.
Quomodo cum multe ~~[illegible]~~ aquae oriantur ex fluviis item nivibus et [illegible] non refert, quia [illegible] aqua

Pluviales oriuntur ordinarie ex vaporibus e mari edu-
ctis; aquae vero fontanae derivantur a mari per meatus sub-
terraneos.
Quomodo cum sit mare debent esse altius magnis fontibus?
in primis aliqui dicunt mare in medio sui esse altius quam
terra; deinde licet non sit altius terra, potuerunt adhuc fon-
tes derivari ex mari.
declara: quia aqua ex mari descendens in cavernas terrae
poterit ibi ab ignibus subterraneis calefieri, et sic ascendere
ad superiores partes terrae, in quibus vicissim frigefacta po-
terit derivari in naturalem fontium.
Divide aquas: in stagnantes et fluentes.
Quid aquae fluentes? sunt aquae quae continuo alveum suum
egrediuntur.
Quid aquae stagnantes? sunt aquae quae totae non egre-
diuntur alveum suum sicut illae fluentes; hae dividuntur
in collectitias et fontanas.
Quid aquae collectitiae? sunt aquae stagnantes collectae ex
pluviis aut fluviis.
Quid aquae fontanae? sunt quae proxime oriuntur ex fontibus.
Cur aquae pluviales non sunt salsae si oriantur ex mari?
quia purificantur per meatus subterraneos, sicut farina pu-
rificatur transcribrationem.
Quid salsedo maris? est sapor ortus ex coniunctione sicci
terrestris et adusti cum humore maris incocto.
An salsedo maris sit qualitas prima an secunda? proprie
loquendo neutra est quia non est qualitas tangibilis.
An mare quodlibet sit salsum? imo mare Hircanum seu Cas-
pium solet dici dulce quia habet salsedinem multo mino-
rem.
An mare sit aqua stagnans an fluens? potest dici stagnans.
Quomodo cum ex illo oriantur reliqua flumina et fon-
tes? non refert, quia illa flumina sunt tam parva
respectu illius, et propterea non censetur egredi suum
alveum.
Quomodo equidem censetur aestus maris? non refert quia
ille fit intra alveum maris.
Quid aestus maris? est fluxus et refluxus maris.
Quid fluxus maris? est motus quo mare intumescit et
littora replet.
Quid refluxus maris? est motus quo mare detumescit et
littora deserit.
Quot horarum spatio conficitur integer aestus maris?

spatio duodecim horarum, et consequenter spatio [illegible] conficitur bis.
An spatio sex horarum fluat, et spatio sex horarum refluat? aliquando, sed non semper, aliquando enim fluit octo horis, aliquando refluit tantum quatuor, sed tamen semper integer aestus maris absolvitur spatio duodecim horarum.
A quo causatur aestus maris? a luna per certas influentias.
Quandonam luna causat fluxum maris? quando incipit oriri supra horizontem, et durat donec perveniat ad meridianum, quando vero a meridiano vergit versus occasum, tunc fit refluxus, postquam infra horizontem occidit rursum fit fluxus donec veniat ad meridianum versus antipodes nostros, quando vero a meridiano illo cursum movetur ut post supra nostrum horizontem oriatur, tunc iterum fit refluxus et sic consequenter.
An non possit dici quod luna causet aestum maris per lumen suum? non, quia illud lumen est nimis debile ad hoc efficiendum, deinde fit etiam aestus maris dum luna est in interlunio.

De Fonte

Quid fons? est aqua e locis subterraneis in exteriorem terrae superficiem erumpens et perenniter fluens.
Da materiam ex qua fontis: aqua.
Da formam: eruptio e locis subterraneis in exteriorem terrae superficiem, et fluxus perennis.
An si fons aliquis flueret per aliquos annos et siccaretur, possit esse verus fons? imo.
Quomodo enim non esset aqua perenniter fluens? est ad sensum definitionis, quia illa aqua est nata perenniter fluere quantum est ex natura suae originis.
Quid puteus? est ~~[illegible]~~ aqua e terrae visceribus in excavatam terrae superficiem erumpens et non fluens.
Da materiam et formam putei: materia est aqua quae erumpit e terrae visceribus in excavatam eius superficiem. Forma est eruptio aquae e terrae visceribus in excavatam terrae superficiem et cessatio fluxus.
Quid fluxus hic? est motus quo aqua alveo contenta egreditur

illum.
Unde fit quod aliqui fontes vel putei habeant peregrinos sapores? ex eo quod aqua illorum transeat per meatus subterraneos in quibus continentur corpora causantia tales sapores in aqua. ob similem rationem aliqui fontes habent aquam plane calidam.

Quid rivus? est aqua minor per alveum suum perenniter fluens. materia eius est aqua, forma est minoritas, et fluxus perennis per alveum.

Quid fluvius? est aqua maior per alveum perenniter fluens. Materia eius est aqua, forma est aquae maioritas, et fluxus perennis per alveum.

Quid torrens? est aqua ex pluviis, nive vel grandine in alveum collecta, et impetuose fluens, sed non perenniter.

Distinguo torrentem a [redacted] rivo, et fluvio: per fluxum non perennem.

Da materiam item formam torrentis: materia est aqua collecta ex pluvia, nive vel grandine: forma est collectio in alveum et fluxus non perennis per illum.

Tractatus Quartus De Metheoribus Apparentibus.

Quid metheorum apparens? est aggregatum ex colore phantastico, et certa figura, ortus ex varia commixtione luminis cum opaco natum iudicari verum metheorum.

Quid color phantasticus? est color apparens non existens autem.

Cur tale aggregatum est tantum metheorum apparens? quia non est corpus imperfecte mixtum.

Cum metheorum apparens etiam habeat materiam ex qua item formam, et communiter dicitur quod sit, sed tamen non est proprie dicta forma, aut materia, quia ad hoc ut componeretur ex materia et forma proprie dicta debent considerari tanquam totum essentiale, iam vero prout hic consideratur tanquam aggregatum, ac proinde tanquam totum integrale late dicitur.

Quidnam censetur materia, item forma metheori apparentis? color phantasticus est materia, figura vero est forma.

Quid apparentia metheori apparentis? est similitudo consistens inter metheorum quod dicitur apparens, et verum metheorum talis

ut ratione illius natura sit indicans verum metheorum.
Da subiectum seu causam materialem in qua metheori appa-
rentis? Aer, vapor, vel exhalatio.
Unde oritur ille color phantasticus in metheoris apparentibus? ex com-
mixtione luminis cum opaco.
An ergo lumen non sit eiusdem speciei cum colore? ordinarie di-
citur quod non, probabile tamen est etiam esse eiusdem speciei,
Undenam tamen oritur diversitas colorum in subiectis? ex
varia commixtione luminis cum opaco.
An secundum illam sententiam metheorum apparens sit aggrega-
tum ex colore phantastico? non, sed ex colore vero orto ex
commixtione luminis cum opaco.
Per quid causatur commixtio luminis cum opaco? per
variam reflexionem et refractionem radiorum luminis cau-
satam ratione opaci.

[illegible]

Quid radius? est qualitas emissa per modum lineae rectae
ab obiecto visibili ut tali.
Cur dicitur visibili ut tali? quia si qualitas aliqua emitta-
tur per modum lineae rectae ab obiecto visibili sub alia ratione con-
siderato non erit radius.
Quaenam qualitates solent emitti per modum lineae rectae
ab obiecto visibili ut tali? species visibilis et lumen.
Radius dividitur in visorium seu visualem et luminosum.
Quid radius visualis? est species visibilis diffusa ab obiecto
per modum lineae. ut species visibilis emissa a re visa in speculo
versus speculum.
An species visibiles etiam obiective videri possint? imo valde
probabile est, quia si quis claudat cubiculum undique solum
parvo foramine relicto poterit videre species illorum hominum
qui hinc inde in area extra cubiculum deambulant, cum illa tamen
differentia quod homines in pariete istius cubiculi repraesen-
tati inversi appareant, species vero illorum hominum non
videntur esse alia quam visibiles.
Unde fit quod illi homines appareant inverso modo? ex eo quod
species visibiles ex inferioribus partibus illorum hominum
per foramen illius cubiculi ad parietem emissae attingant
superiorem partem parietis, species vero e superioribus partibus

illorum ad illum partem emissę attingant inferiorem partem
parietis.
An supposito quod species visibiles non sint obiectus visibiles,
tamen non possit recte vocari species visibiles? imo.
Quomodo cum tamen non possint visui percipi? potuerunt adhuc
vocari visibiles quia per modum principii concurrunt ad eli-
ciendam visionem seu quia sunt id quo mediante obiectum
visibile sistitur praesens potentiae visivae.
An sit aeque probabile quod species tangibiles sint obiec-
ta tangibiles? non, quia non habemus tam fortia argumen-
ta pro specie tangibili sicut pro specie visibili; interim
qui in sententia asserente dari species tangibiles asserit
illas simul cum obiecto primario per modum unius totalis
obiecti cadere sub sensum tactus non improbabiliter loqui-
tur.
Quid radius luminosus? est lumen ab illuminante diffusum
per modum lineae, ut lumen diffusum a candela recta versus
parietem.
An radius luminosus et visualis specie distinguantur?
utrumque est probabile; aliqui enim dicunt species visibiles
esse eiusdem speciei cum lumine, alii negant.
Divide aliter radium: in perpendicularem et collatera-
lem.
Quid radius perpendicularis? est radius emissus a centro
corporis irradiantis ad centrum corporis irradiati. per cor-
pus irradians intelligitur corpus emittens radium, per irra-
diatum corpus recipiens radium.
Da radium perpendicularem. radius emissus a centro solis
versus centrum oculi.
Quomodo cum tantum videatur exterior pars solis qualis
non est centrum solis? non intelligitur rigorose centrum sed
tantum pars exterior visibilis correspondens centro illius
corporis quod dicitur videri per radium perpendicularem.
Quid radius collateralis? est radius qui vel non emittitur a
centro corporis irradiantis, vel non terminatur versus centrum
corporis radiati.
Divide aliter radium: in radium rectum seu directum, reflexum
et refractum.
Quid radius rectus? radius ductus per modum lineae rectae
a corpore irradiante versus corpus irradiatum.
Quomodo cum illa definitione continuatur radius reflexus?
non confunditur, quia licet radius reflexus sit ad instar lineae
rectae secundum partem, tamen totus non est instar lineae
rectae.
Quid radius reflexus? est radius emissus versus aliquod

corpus a quo repercutitur versus suum principium. Ut radius
visualis quo me ipsum video in speculo.
Quid radius refractus? est radius transiens per medium dif-
formis densitatis. Ut radius visualis quo video nummum exis-
tentem infra aquam supposito quod ego existam in aere.
Quis servatur ordo in radiis refractis? servatur talis,
ut si radii alicuius obiecti veniant a medio densiori ad medium
rarius, repercutiantur a perpendiculari versus latera, et si
radii alicuius obiecti veniant a medio rariori ad medium den-
sius, repercutiantur versus perpendicularem.
Da ergo rationem cur nummus in aqua conspectus appareat
maior quam est? quia ipsius species visibiles quasi in-
numerae collectae in aqua disperguntur a perpendiculari in radio
per radium refractum.
Quomodo se habent radius refractus, et distentus per modum
lineae curvae? utrumque est radius proiectus a baculo posito
in aqua recto, per quem apparet tamen curvus.
Da radium distentum per modum lineae curvae qui non est re-
fractus? talis est radius reflexus incidens ad angulos
obliquos in corpus reflectens.
Da radium refractum qui non est distentus per modum lineae
curvae: talis est radius refractus perpendicularis.
An ergo detur talis? imo, sed non tam frequenter.
Quomodo se habent quoad praedicationem radius reflexus et
radius distentus per modum lineae curvae: utrumque est radius reflexus
incidens in corpus reflectens ad angulos obliquos.
Da radium distentum per modum lineae curvae qui non est re-
flexus: radius refractus tantum, et simul distentus per mo-
dum lineae curvae.
Da radium reflexum qui non est distentus per modum lineae
curvae: probabiliter non datur.
Quomodo cum talis sit radius reflexus incidens in corpus re-
flectens ad angulos rectos? probabiliter non est talis, quia
ille radius reflexus potest concipi compositus ex radio inciden-
tiae, et radio reflexionis adinstar unius baculi incurvati.
Divide radium reflexum: in radium incidentiae, et radium reflexi-
onis.
Qualis est illa divisio? divisio totius integralis in partes inte-
grales, quia radius reflexus componitur ex radio incidentiae
et radio reflexionis tanquam totum integrale ex suis partibus
integralibus.
Quid radius incidentiae? radius qui praecise distenditur a corpore
radiante usque ad corpus reflectens. ut radius praecise disten-
tus a me usque ad speculum in quo me ipsum video.
Quid radius reflexionis? est radius resiliens a corpore reflec-
tente versus suum principium.
An radius reflexionis debeat directe reverberari versus suum

principium? non, sed sufficit quod oblique, ut patet in reflexio-
ne facta super angulo obliquo.
Quomodo se habent radius reflexionis, et radius refractus? R.
Uterque est radius reflexionis reverberatus versus suum principium
per medium inaequalis densitatis.
Da radium refractum tantum: radius refractus qui est simul
radius incidentiae.
Da radium reflexionis tantum: radius reflexionis tendens per
medium aequalis densitatis, ac proinde illa excedit se, sicut etiam
radius incidentiae, et radius refractus.
A quo efficitur radius reflexionis? ab eodem a quo radius inci-
dentiae efficitur nempe a corpore radiante.
Cur non dicitur effici a corpore reflectente? quia saepe non ap-
paret ullum fundamentum ponendi talem virtutem in corpore
reflectente.
Unde ergo fit quod ad positionem corporis reflectentis pro-
ducatur radius reflexionis? quia corpus radians est talis
naturae ut cum non potest radium suum ulterius diffunde-
re propter interpositionem alicuius corporis producat illum
versus se sive directe sive oblique si nimirum corpus in-
interveniens sit debite dispositum.
Quid requiritur ad debitam dispositionem corporis ut possit
esse reflectens? pro diversitate radii diversa requiritur dispo-
sitio, ad lumen enim videtur sufficere quod sit corpus opa-
cum saltem aliquousque, ad perfectam autem reflexionem
specierum visibilium requiritur ut sit corpus levigatum, et
aliquousque opacum.
Declara prius: ut paries etiam reflectit lumen.
Declara posterius: ut non solent reflecti species visi-
biles nisi a vitris, chrystallis, marmore polito, aqua, et
similibus.
Unde fit quod sinistra hominis se videntis in speculo
appareat ut dextera in speculo? quia speculum repraesentat
obiectum visum in speculo in illa parte speculi in quam
incidunt species visibiles, iam vero species visibiles emissae
a dextra ipsius hominis mittuntur ad sinistram partem
speculi ex opposito constituti, et species provenientes a si-
nistra ipsius mittuntur ad dexteram partem speculi.
Unde fit quod equus equitans in ripa fluminis appareat
motus capite deorsum? ex eo quod corpus reflectens quod
est speculum repraesentat partes corporis a se repraesentati
sub tali distantia qualis protenduntur species visibiles ab
illa parte usque ad speculum, cum igitur caput equitis magis
distet ab aqua reflectente, ideo apparet remotius quam pedes
equi minus distantes, et propterea apparet inversus.
Quid speculum? corpus aptum reflectere species visibiles ali-
cuius obiecti tam perfecte ut per illum radium reflexum ipsum

obiectum videri possit.
Quænam corpora possint servire pro speculis? leuigata, et interiora opaca.
An debeant esse planè opaca? non, ut patet in vitro.
Quare retro vitrum in speculo ponitur ordinariè argentum vivum vel plumbum? ut tanto distinctior visio fieri possit per reflexionem vitri, si enim illud non adesset species visibiles illorum corporum quæ existunt retro vitrum confunderent species reflexas.
An vitrum non possit reflectere species visibiles licet non habeat simile corpus retro sibi appositum? imo, quia sic si aliquis disponat fenestram sui cubiculi sic, ut retro illam sit aer planè obscurus, et ante aer lucidus, tunc si homo se constituat in aere lucido ante illam fenestram videbit se in illa tanquam in speculo modo sit sufficienter leuigata. Visio dividitur etiam in reflexam, rectam et refractam.
Quid visio recta? est visio quæ fit per radium rectum, ut visio qua video hominem recte ante me.
Quid visio reflexa? est visio quæ fit per radium reflexum ut visio qua me video in speculo.
Visio refracta est visio quæ fit per radium refractum ut visio qua ego existens in aere video nummum in fundo aquæ.
Nota quod radius obliquus sit idem quod radius collateralis superius definitus.

Quid Galaxia seu via lactea? circulus luminosus apparens in firmamento illudque dividens in duas partes æquales.
Ex qua causa oritur apparentia illius circuli in firmamento.
Circa hoc duplex est sententia, una dicit quod oriatur ex reflexione radiorum solis, altera dicit quod oriatur ex eo quod per totum illum circulum sint dispersæ parvæ stellulæ quæ propter suam parvitatem a nobis distingui non possunt.
Per quæ signa Zodiaci transit Galaxia? per geminos et sagittarium.
An Galaxia sit meteororum apparens? si ad meteororum apparentium sufficiat quod sit aliquid apparens esse meteororum, tamen non sit tunc est talis, si vero requiratur ut commixtio luminis cum opaco fiat infra coelum, hinc tunc non est.
excludo ~~[illegible]~~ zodiacum a definitione Galaxiæ: per hoc circulus luminosus apparens.

Quomodo vero cum Zodiacus in firmamento sit plenus stellis. Hoc nihil refert; quia equidem non est circulus luminosus apparens hoc sensu, quasi scilicet per oculum nostrum possit facile distingui ab alijs partibus luminosis eiusdem firmamenti.

Quid halo? circulus luminosus apparens in nube mediocriter densa circum circa aliquod astrum illustre.

Quid astrum illustre vocatur hic? est astrum habens lucem magis notabilem respectu oculi nostri.

Da talia: Lunam, solem, venus, iupiter, et aliquot notabiliores stelle firmamenti.

Da causam materialem in qua halonis? nubes mediocriter densa.

Da materiam ex qua, item formam ex qua ipsius? materia ex qua est lumen mixtum cum opaco, forma est figura circularis circum circa aliquod astrum.

Cur dicitur in definitione nubes mediocriter densa? quia si vel nulla esset nubes infra aliquod astrum, vel valde rara, vel valde densa non posset generari halo.

Cur non in nube valde rara? quia tunc non fieret sufficiens commixtio luminis cum opaco.

Cur non in nube valde densa? quia si illa esset valde densa non posset sufficienter transmittere lumen.

Quomodo solet generari halo? mittuntur undique radij obliqui a certo astro illustri qui incidentes in nubem mediocriter densam, refringuntur versus perpendicularem, qui sic refracti, et cum opaco nubis commixti reverberantur deorsum versus oculum nostrum quos radios dum oculus recipit halonem perspicit.

Ubi debet esse oculus constitutus ut videat halonem? debet sic esse constitutus ut centrum oculi sit in axe halonis.

Quid axis halonis? est linea recta ducta a centro alicuius astri circa quod apparet halo, per centrum halonis usque ad centrum oculi.

Cur requiritur ut oculus sit in axe halonis ad hoc ut videat halonem? quia radij qui a nube deorsum tendunt representantur omnes versus perpendicularem, itaque semper equali distantia ab axe ipsius halonis.

An ex ijsdem partibus nubis reflectatur lumen astri sub quo apparet halo versus quodlibet punctum axis halonis? non, quia ex partibus nubis axi vicinioribus reflectitur lumen versus puncta axis vicinius centro halonis et ex partibus nubis ab axe remotioribus reflectitur lumen versus puncta axis a centro

halonis magis remotum.
Da rationem cur oculus vicinior nubi in qua apparet halo vi-
deat minorem circulum ceteris paribus quam oculus ab eadem magis
remotus? quia oculus vicinior nubi recipit radios reflexos a
partibus nubis vicinioribus centro halonis, oculus autem remo-
tior recipit tantum radios reflexos a partibus nubis remotio-
ribus ab illo centro
Quare halo apparet figurae circularis? quia radii reflexi cau-
santes halonem mittuntur ad oculum a partibus undique aequali-
ter distantibus a centro halonis, nam autem cum oculus sit in
axe halonis rami illi debent necessario constituere figuram cir-
cularem.
An duo homines eodem tempore halonem sub eodem astro vi-
dentes necessario videant eundem? non est necesse, quia ordinarie
oculo suo determinant diversos axes halonis, et consequenter vi-
dent diversos halones quia idem circulus nequit habere di-
versos axes.
An supposito quod utriusque oculus esset in eodem axe halonis
tunc necessario videant eundem? non, quia si unus oculus sit
vicinior centro halonis, et alter remotior tunc non videbunt eun-
dem quia vicinior videbit minorem et remotior maiorem.
An naturaliter fieri possit quod duo homines [struck out] videant
eundem halonem? non rigorose loquendo.
Cur non in speculo? quaestio intelligitur de visione non reflexa;
deinde dubium est an speculum facile possit ita disponi, ut
a diversis hominibus idem halo rigorose videretur.
An idem homo dum movetur localiter possit manere videns
eundem halonem? hoc absolute fieri posset si cum certa propor-
tione astrum et nubes simul moverentur, supponendo solum halonem
esse pro lumine circulariter extenso, et non prout includit
figuram circularem.
Cur additur hoc ultimum? quia si halo includat determinatam
figuram circularem in sua entitate tunc in rigore loquendo
non manebit idem halo mota nube, quia mutabitur eius figu-
ra circularis quam includit, illa enim dicit essentialem ordi-
nem ad determinatum spatium imaginarium quo mutato
mutatur etiam figura. desinit videre eundem halonem su-
Qui casus quibus homo pro lumine? in primis si ponatur
mendo illum etiam esse vel ex parte obiecti occasione
impedimentum ex parte visus
cuius nullum amplius videat. halonis: primo potest de-
+ supponere quod continuet visionem
sinere videre eundem, si moveatur astrum oculo eius et
nube manentibus immotis, item si moveatur nubes absque eo quod
proportionaliter moveatur astrum et oculus, item si simul movea-
tur oculus absque eo quod proportionaliter moveatur nubes et astrum
item si moveantur homo et astrum absque eo quod proportiona-
liter moveatur nubes.
Da casum quo oculus videt diversos halones successive ma-
nens in eodem axe: si modo vicinior, si modo remotior sit ab eo-

idem centro halonis in eodem axe.
Quando homines possint videre eodem tempore halonem eque magnum sub eodem astro apparentem? Imo.
Quo casu sit videant per diversos axes, et equaliter distent a centro halonis.
Cur additur hoc ultimum? quia alias non viderent eque magnum.
Quibus coloris solet apparere halo? ordinarie apparet coloris albicantis.
An aliquando non appareat alterius coloris? ita, quia aliquando apparet adinstar ~~[illegible]~~ iridis, sed plerumque tantum, sic apparet sub sole.
Quare tantum sub illo astro? quia alia astra non habent lumen satis forte ut illuminent sibi suppositam sic colorent.

ebrius eram.

Sub quo astro omnium frequentius apparent halones? sub luna.
Cur non sub sole cum sol habeat fortius lumen? non refert, quia illud fortius lumen est causa cur non appareat tam saepe halones sub sole, quia sol per lumen fortius facilius dissipat lumen in quo solet apparere halo.
Da causam efficientem halonis: ipsum astrum sub quo apparet.

Quid parelius? imago solis apparens a lateribus duobus in nube equaliter densa imaginem illam adinstar speculi reflectente.
Quid paraceline? imago lunae per nubem aliquam ad nos reflexam.

~~[illegible]~~

De Bacillis

Quid bacilli? radij luminosi per foramina alicuius nubis vel nubem inequaliter densam ita transmissi ut habeant similitudinem virgarum.
Quid hiatus? est phantasma quod ob certam commixtionem luminis cum opaco refert similitudinem veri hiatus.
Quomodo se habent phantasma et meteororum apparentia? si habitudo non sit verum meteororum apparentibus tunc convertuntur, si autem dicatur esse meteororum apparentibus, tunc meteororum apparentibus est magis commune quam phantasma.
Quid phantasma? est meteororum apparentibus ortum in vapore aereo vel exhalationibus.
Quid verus hiatus? est apertura longa et angusta cum notabili profunditate.
Quid vorago? est phantasma quod ob certam commixtionem luminis cum opaco refert similitudinem verae voraginis.
Quid vera vorago? apertura longa, lata et notabiliter profunda.
Quid fovea? est phantasma quod ob certam luminis cum opaco refert similitudinem verae foveae.
Vera fovea est exigua apertura cum exigua profunditate.
Quid puteus? est phantasma quod ob certam commixtionem luminis cum opaco refert similitudinem veri putei.
Verus puteus est rotunditas profunda utrinque alta cum aliqua notabili latitudine.
Unde nam oritur illa apparentia profunditatis in nubibus? ex eo quod nubes habeat partes lucidiores quam [illegible] et tamen partes magis albicantes, ratione quarundam partium nigriores referunt similitudinem alicuius profunditatis.
Quid miles? phantasmata ob certam commixtionem luminis cum opaco refert similitudinem veri militis; similiter dicendum de [illegible] pugnantes et similia.

De Iride

Quid iris? Est arcus coloratus apparens in nube rorida
ex opposito alicuius astri.
Quid nubes rorida? Est nubes in partes aquae guttulas con-
versa ad instar roris vel de facto pluens.
An ergo appareat etiam iris in guttis pluviae per adventan-
tibus? Ita, et quidem ordinarie sic apparet.
excludo halonem: per hoc, ex opposito alicuius astri.
Quomodo enim halo apparens sub [illegible] possit esse ex opposi-
tionis? nihil refert.
Quando ergo non ex opposito alicuius astri? quia non est ex
opposito astri causantis halonem [illegible]
sitione in definitione iridis [illegible] sensus sit, apparens ex oppo-
sito alicuius astri causantis iridem. [illegible]
Quaenam astra possunt iridem causare? [illegible]
Alia.
Divide iridem: in solarem et lunarem.
Quid est iris solaris? arcus tricolor apparens in nube rorida
ex opposito solis.
Cuius figurae est iris solaris? figurae semicircularis cum integra
apparet.
Quinam sunt illi tres colores ex quibus componitur arcus?
[illegible] color puniceus, viridis et purpureus.
Quo ordine illi disponuntur inter se? supremo loco ponitur
puniceus, medio loco viridis, [illegible] intelligendo solis iridis
[illegible] per colorem puniceum intelligitur color accedens
ad albedinem.
Unde nam colliguntur illi colores? ex varia commixtione
[illegible] radiorum solis
[illegible]
facta in nube.
Cur non etiam reflexio radiorum? quia illa tantum servit
ad hoc ut a nobis videantur illi colores. [illegible] radiis? non est
An illi tres colores oriantur per diversos radios triplici modo
[illegible] quia possunt oriri ab iisdem radiis triplici modo
[illegible] nubem.
[illegible] per triplicem refractionem
[illegible]
[illegible]

intrant, et ibi parum refringuntur versus perpendicularem, et sic repraesentant colorem puniceum, postea eodem modo magis intrant nubem et ibi magis refringuntur versus perpendicularem et sic repraesentant colorem viridem. Tertio idem radii profundius adhuc intrant nubem, et magis refringuntur versus perpendicularem, repraesentant colorem purpureum.

Quare color purpureus est magis obscurus reliquis duobus? quia oritur ex refractione radiorum facta magis profunde intra nubem.

Quare color puniceus apparet magis albicans ceteris duobus? quia oritur ex refractione radiorum facta minime profunde intra nubem.

Quare color purpureus apparet magis vicinus axi iridis reliquis duobus? quia oritur ex refractione radiorum solis facta magis profunde versus perpendicularem ac per consequens debet apparere vicinior axi in quo consistit radius perpendicularis.

An in iride solari non appareat aliquando quartus color? imo quia aliquando apparet color flavus.

Quomodo ergo recte definitur iris, arcus tricolor si appareat quartus color? adhuc recte quia definitur tantum in ordine ad colores magis ordinarios, et non insolitos propter commixtionem luminis cum opaco nubis.

Unde fit quod ille flavus color aliquando appareat? ex iuxtapositione coloris viridis ad colorem puniceum, ex quo fit quod inter utrumque illorum appareat color flavus.

Unde fit quod iris habeat figuram semicircularem? ex eo quod radii solares, ex quibus oritur iris reflectantur aequalibus angulis ad eundem punctum axis iridis.

Quandonam fit ut censeantur reflecti ad idem punctum? quando aequali distantia distantes a perpendiculari reflectuntur versus eundem punctum axis.

Quid axis iridis? linea recta ducta a centro solis per centrum oculi usque ad centrum iridis.

Centrum solis et centrum iridis, et centrum oculi debent esse in eadem linea recta, sic tamen ut centrum oculi sit in medio ad hoc ut videatur iris.

An homo possit simul videre iridem et solem? posset per radios reflexos.

An possit videre simul per radios directos? non, intelligendo de integra iride, quia centrum oculi debet esse medium inter centrum solis et centrum iridis, idque in linea recta.

Quare dicitur intelligendo de iride totali? quia homo lateraliter constitutus posset videre partem iridis, et solem absque eo quod mutaret situm suum.

Non potest nobis apparere iris nisi sol sit minus quam quadraginta 5 gradibus elevatus supra nostrum horizontem.
Quare hoc? quia semidiameter iridis est quadraginta quinque graduum, iam autem quando sol est elevatus plus quam quadraginta quinque gradibus supra nostrum horizontem, tunc semidiameter iridis totaliter deprimitur infra horizontem ut patet ex hac regula:

Quantum sol elevatur supra horizontem tantum deprimitur semidiameter iridis infra.

Cur tempore matutino et vespertino maxime apparet iris? quia tunc sol est vicinissimus horizonti, ac proinde semidiameter iridis maxime elevatur supra horizontem.

Quid intelligis per semidiametrum iridis? lineam rectam ductam a circumferentia iridis usque ad centrum iridis tantum.

Suppone centrum [illegible] solis esse in horizonte, ubinam tunc est centrum iridis? etiam in horizonte, sed in opposita parte, quantum multum tunc elevatur semidiameter iridis supra horizontem? tali casu elevatur integre supra horizontem, sic tamen ut unum punctum ipsius coincidat cum horizonte, quod est centrum iridis.

An iris possit nobis apparere in qualibet parte mundi? non, quia non potest nobis apparere in parte australi, quia sol nunquam est in septentrione respectu nostri, et consequenter iris nunquam est in meridie, quia iris debet apparere nobis ex opposito solis.

In quibus ergo potest apparere nobis iris? in omnibus mundi partibus reliquis quas a nobis protenditur umbra solaris.

Specifica homines quibus possunt apparere irides meridionales? omnes illi quibus sol aliquando est septentrionalis et apparet elevatus minus quam quadraginta quinque gradibus dum est in meridie.

Cur hoc additur? quia non omnes illi quibus sol aliquando est septentrionalis vident iridem versus meridionalem, quia non illi respectu quorum sol dum est in meridie semper est elevatus magis quam quadraginta quinque gradibus.

Ubi habitant tales? prope aequinoctialem versus austrum.

Unde oritur diversitas iridis? ex diversitate axis iridis vel saltem puncti axis iridis.

An duo homines possint naturaliter videre eandem iridem? non, quia centrum ipsorum oculorum non potest coincidere eodem puncto axis.

An per deum duo homines non ~~simul~~ simul stantes possint videre eandem iridem rigorosissime? saltem verisimiliter, quia in primis hoc non est plane improbabile quod illa commixtio luminis cum opaco unde oritur iris possit etiam videri ab homine existente supra nubem in qua fit iris si numerum ibi existentem, possit autem per deum unus homo poni supra nubem in qua

bi distantia a centro iridis, et in eodem axe iridis in quo est
ille qui existeret juxta nubem quo casu videret eandem iridem.
Specifica homines quibus qualibet hora diei aliquando po-
test apparere iris: an possimus nos sumus tales? quia in hyeme
qualibet hora diei potest nobis apparere iris.
Specifica homines quibus potest apparere iris toties quoties
sol existit supra ipsorum horizontem: homines habitantes
sub polis mundi.
Annon sumus tales? non, quia in estate tempore prandij
non potest nobis apparere iris.
Cur polis vicinis potest semper apparere hominibus habitan-
tibus sub polis sole existente supra ipsorum horizontem
quam nobis? quia sol nunquam elevatur tam alte apud ipsos
quam apud nos.
Quot gradibus potest sol tantum elevari supra horizon-
tem habitantium sub polis? viginti tribus gradibus cum
medio.
Dic omnes causas quod iris uni appareat maior, alteri
minor? ex eo quod unus sit propinquior centro iridis, alter
vero remotior, item ex eo quod unus sit elevatior, alter
minus elevatus a terra.
An possit nobis apparere iris integrae circularis? non,
intelligendo de iride iam definita quae nimirum fit ex op-
posito solis, quia ut appareret iris perfecte circularis de-
beret esse depressus sol ad quadraginta quinque circiter gra-
dus et tunc ad summum posset apparere iris circularis
prope orientem, sic ut una pars illius circuli tangeret
horizontem in puncto orientis, tunc autem impossibile est
in tali loco nobis apparere iridem circularem, et multo
magis impossibile est si sol sit adhuc magis depressus
infra horizontem.
An quando sol est tantum parum supra nostrum hori-
zontem non possit nobis apparere iris? imo per aliquam partem
An non possit tunc nobis apparere perfecte semicircularis? non
quia tantum potest nobis apparere perfecte semicircularis
quando centrum eius est in horizonte.
Quare nondum sol est supra horizontem? quia propter in-
terpositam terram non potest mittere radios ad nubem sibi
oppositam qui reflectantur versus oculum nostrum ut sic
ut constituant iridem
Divide iridem: in primariam et secundariam.
Quid iris primaria? est quae non praesupponit aliam superio-
rem a qua dependeat.
Quid iris secundaria? est quae praesupponit aliam iridem

Et priorem a qua dependeat.

Per quod distinguitur iris secundaria a primaria? R. eo quod habeat suos colores inverso ordine dispositos respectu iridis primariae, quia infimo loco in ipsa apparet puniceus, medio viridis, supremo purpureus. Unde oritur iris secundaria? probabiliter ex reflexione iridis primariae facta in nube superiore undequaque nubem illam circumstante in qua apparet iris primaria.

Qua ratione fit cur in illa nube superiore infimo loco reflectatur puniceus et supremo loco purpureus? quia illa nubes reflectit colores iridis primariae cum suis distantiis, cum autem ergo cum infimo loco in iride primaria sit color purpureus, et supremo puniceus, consequenter color purpureus plus distat a nube illa superiore quam color puniceus, ac proinde color purpureus a nube illa superiore debet reflecti tanquam magis distans a nube inferiore in qua apparet iris primaria.

Quomodo hoc recte dicitur ~~[struck]~~ Cum sit iris secundaria debent apparere cornibus inversis? R. non debent.

Quomodo cum cornua iridis primariae existentia prope horizontem magis distent a nube superiore quam dorsum iridis? non distant magis ab illa parte nubis superioris quae reflectit cornua iridis primariae.

Ubi quod notandum quod iris primaria a nube in qua est secundaria non reflectatur sicut homo existens in ripa fluminis reflectitur a flumine, sed tantum reflectitur hoc modo: nempe pars nubis superioris quae est vicina parti nubis inferioris in qua apparent cornua iridis primariae reflectit cornua iridis primariae, et pars nubis superioris vicina parti nubis inferioris in qua apparet dorsum iridis primariae reflectit dorsum iridis primariae.

An fit iridem secundariam sic oriri? R. non, sed aliqui dicunt et fit ex varia refractione radiorum, qui emittuntur ab iride primaria.

Quomodo fit? hoc modo: radius iridis primariae efficiens colorem puniceum dicitur reverberari versus extremas partes nubis roridae et ibi iterum efficere colorem puniceum propter commixtionem luminis cum opaco, color vero viridis dicitur reverberari versus partem profundiorem et simul altiorem eiusdem nubis, et ibi causat etiam colorem viridem, color denique purpureus dicitur reverberari versus partem eiusdem nubis adhuc altiorem, ubi efficere colorem purpureum.

An semper tantum appareat una iris secundaria prope primariam? non, sed aliquando plures, cum hoc tamen ordine ut secunda iris secundaria habeat colores inversos

respectu primae iridis secundariae, et tertia iris secunda-
riae habeat colores inversos respectu secundae.
An illae omnes sint concentricae iridi primariae? imo.
An iris solaris possit localiter moveri? non, si includat fi-
guram circularem, si vero illam non includat tunc potest
moveri localiter, si nubes in qua apparet moveatur pro-
portionaliter cum sole.
An saltem iris non moveatur, saltem localiter appareat?
imo, quia quando sol ab oriente vergit versus meridiem tunc iris
ex opposito existens apparet moveri ab occidente versus sep-
tentrionem, et quando sol movetur a meridie versus occiden-
tem tunc iris apparet moveri a septentrione versus orien-
tem etc.
Quare ille motus apparens non est verus motus? quia est
continuo alia et alia iris existens in diversis partibus nubis,
ac proinde non est eadem iris quae movetur.
Da causam efficientem iridis solaris: sol
An non dentur aliquando irides solares quae appareant a la-
tere solis? imo, e contrario.
Quomodo ergo iris solaris ante est recte definita? tantum
est definita iris solaris ordinaria.
An non appareant aliquando irides solares cornibus inversis?
Imo sed rarissime. solaris aliquando appareat a latere
Unde fit quod iris in certa nube, et nubem illam
solis? ex radiis refractis in aliam nubem in qua
penetrantibus donec a latere incidant
describunt colores iridis.
Unde fit quod iris aliquando appareat cornibus inversis? hoc
provenit partim ex refractione radiorum, partim ex figu-
ra ipsius nubis in qua refringuntur vel in quam incidunt.
Declara hoc in simili: sicut propter figuram vitri vi-
narii, et simul ob refractionem radiorum solis factam
[illegible] vinum contentum in vitro contingit quod in pari-
ete vel pavimento describatur iris artificialis cornibus inver-
sis, sic etiam videmus quod si aliquis se ipsum videat
in scutella excavata et splendida, quod videat se ipsum
inverso modo, ergo signum est quod partim figura corporis
in quo radii refringuntur, partim figura corporis in quod
radii incidunt, et post refringuntur possit conducere ad
representandam iridem inversam.
Nota quod aliqui semidiametrum iridis solaris constituant
tantum quadraginta duorum graduum.
Quid iris lunaris? arcus coloratus apparens in nube
rorida ex opposito lunae.
An illa etiam habeat tres colores sicut iris solaris? non,
nisi forte rarissimo aliquo casu, ordinarie enim tantum appa-

est coloris albicantis, idque propter debilitatem luminis lunaris.
An etiam supra eundem horizontem possint apparere iris solaris et lunaris? non possunt, sed si videretur nobis animadvertantur, quia quando apparet iris solaris fere radii lunares omnes obtunduntur, ex quo fit quod non possint supra eundem horizontem apparere simul iris et lunaris.
Quale meteorum apparens est aurora? non est, sed tantum est lumen solis existentis infra horizontem per radios obliquos ad nos reflexum.

De Terraemotu

Quid terraemotus? est concussio terrae facta a spiritibus intra terram contentis et erumpere conantibus.
Divide illum: in pulsum et tremorem.
Quid pulsus? est terraemotus factus a spiritibus recta sursum erumpere conantibus.
Quid tremor? est terraemotus factus a spiritibus latera cavernarum concutientibus in penetralibus terrae.
An spiritus causantes terraemotum sint profundi intra terram? sic, quia alias facile exitum invenirent, et sic non fieret motus terrae. Terraemotus aliter dividitur in universalem et particularem.
Universalis est qui fit ubique terrarum.
Particularis qui fit in certis tantum provinciis terrae.

De Ignibus subterraneis

Quid ignes subterranei? sunt ignes qui continentur in visceribus terrae seu ibi nutriuntur.
An dentur? imo ut patet ex monte Aethna, item ex fontibus calidis et aquis thermalibus.
Ex qua materia nutriuntur? ex sulphure et bitumine.

De Mineralibus

Quid mineralia? corpora perfecte mixta quae in visceribus terrae ex vapore et exhalatione inter se mixtis generantur. Dividuntur in fossilia stricte et metalla. fossilia stricte sunt mineralia in quibus praedominatur materia exhalationum, ut calx. Metalla in quibus praedominatur materia vaporis, ut plumbum, stannum, argentum, sulphur [illegible] ut mineralia non sunt meteora quia non sunt orta in sublimi.

Finis

Index Sphere.

Quid astronomia, folio primo
Quid sit sphera. folio secundo.
De sphera artificiali. fol: 3.
De circulo equinoctiali, et eius officijs. fol. 4.
De zodiaco. fol. 5.
De coluris. fol. 7
De meridiano. fol. 7.
De horizonte. folio 9.
De circulis minoribus et quaedam eorum officia. fol. 13.
Divisio sphere. folio. 15.
De mensuris mathematicis. fol. 16.
De zonis. fol. 16.
De climate. fol. 19.
De sphera naturali. fol. 20
Quot coeli sint statuendi. fol. 21.
De ordine coelorum. fol. 22
Quotuplex sit motus coelis 23
De ortu, et occasu siderum apud poetas. fol. 25.
De ortu et occasu astronomico. fol. 26.
De anno. fol. 27.
An dies recte dividatur in naturalem et artificialem. fol. 28.
Utrum ex diverso situ sphere regiones habeant diversas proprietates. fol. 30
De excentricis et epiciclis. fol. 35.
De longitudine et latitudine locorum. fol. 41.
De perioecis, antoecis, et antipodibus. fol. 42
Modus inveniendi quo die mensis sol signum mensi correspondens ingrediatur, et in quo gradu talis situs existat. fol. 43.

In Libros de coelo.

De continuo. fol. 1.
De mundo. fol. 3.
De motu. fol. 10
Variae divisiones motus. fol 13, 12, 14, 18.
De latione. fol. 21.
Divisio lationis in simplicem et mixtam. fol: 23
De latione mathematica simplici, et physica simplici fol: 24.
Alia divisio motus in circularem et rectum. fol: 28
An coelum sit corpus simplex. fol: 31.
An materia prima coelestis specie distinguatur a sublunari fol: 32
An coelum sit corruptibile. fol 33.
A qua causa proxime efficiatur motus coelorum et an ipsi sit connaturalis. fol: 35.
De gravi et de levi fol: 35-38
De gravitate et de levitate. fol: 40
An gravitas et levitas specie distinguantur fol. 46.
An terra sit corpus omnium gravissimum. fol. 47.
An sint possibiles mundi plures. fol: eodem.

Liber Secundus de Coelo.

De defatigatione. fol: 1
De differentia positionum. fol 6
An coeli aliquid producant in his inferioribus. fol: 7.
An cessante motu coelorum cessarent omnes motus in his sublunaribus. fol: 8.
An coelum aliquid agat in intellectum et voluntatem. fol: 8.
An astronomi possint aliqua futura praedicere ex aspectu coelorum. fol: eodem.
Cuius figurae sint coeli. fol. 9.

Divisio motus in uniformem et difformem, seu regularem et irregularem. folio 15
De acceleratione motus. fol. 17
Qualis motus sit motus primi mobilis an uniformis an difformis. fol: 17.
De intentione et remissione motus. fol 18.
De stellis fol: 20
Divisio stellae. fol: 21.
An omnes stellae habeant lumen a se ipsis. fol. 21
De mutationibus lunae. fol 22.
De ecclipsi solis et lunae. fol. 25/26. 31.
De maculis lunae. fol. 33.

Libri De generatione et Corruptione.

De generatione et corruptione. fol: 1
De axiomate generatio unius est corruptio alterius. fol: 2.
De alteratione. fol: 3
De generatione substantiali. fol: 6
De generatione viventis. fol: 7
De corruptione. fol. eodem.
An in corruptione substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam. fol: 8.
De nutritione. fol 9.
De alimento. fol: 12
De concoctione alimenti. fol: 13
De accretione et decretione. fol. 14. 16.

MSS 986B RB NMAH

Nederven, C. van
Annotata physicalia.
Manuscript.
1657-1658.

SMITHSONIAN
NOV 18 1983
LIBRARIES

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 00388151 3
nmahrb MSS986 B
Annotata physicalia

BRÆDANVS

ANNO 1658